2.973

hallo â Christo Pastor: *Ego sum Pastor bonus.* Si digo Q. hallo a Christo Cordero, y vso de la C. (como aduerti al principio, y al Lector le importa poco, y yo cumplo el numero de veinte letras.) Si digo R. hallo à Christo Rey. Si digo S. hallo a Christo Sacerdote: *Vbi est qui natus est Rex Tu es Sacerdos in æternum. Ego autem constitutu sum Rex.* Si digo T. hallo a Christo triunfante, que entrò en el cielo triunfando de los demonios, y de sus enemigos. Si digo V. hallo a Christo vencedor: y aũque primero es vencer que triunfar, al Lector le importa poco, y yo

a tu abogado? al braço de Dios? al que se hizo camino por donde tu caminasses? Que ofendes al que fue tan deseado de los hombres? al Esposo de tu alma? al fiador que pagò con la vida tus deudas? a tu guia? al Hijo de Dios, y de Maria? a tu Iuez, y Consejero? como ofendes a tu legislador, y Maestro? como apartas los ojos del Norte en esta peligrosa nauegacion? como ofendes a tu Ofrenda? a tu Pastor? al inocente Cordero, que con su sangre laua la mancha de tus pecados? Dime, que vassallo leal ofende à su Rey? Quien no respeta a su sumo Sacerdote?

põderar qualquier otro beneficio q̃ ayas recebido de Iesu Christo. Quiero en la oracion, ò en el pulpito ponderar el beneficio del santissimo Sacramento, voyme por el A.B.C. de Christo. Que sea mi comida el que es mi abogado? Que coma yo vn braço del eterno Padre? Que me como al mismo camino? Que el que fue deseado de tantos Patriarcas y Profetas venga a ser mi comida, y sustẽto verdadero? Que me coma al Esposo de mi alma? Que no contento el Hijo de Dios con ser fiador de los hombres, venga a ser comida suya? Al q̃ me guia para el cielo como

diuino, y el Oficio de nuestra Señora, ò de difuntos, o Psalmos penitenciales, y no saben Latin, como son las religiosas y seglares, que no saben la lengua, por lo menos en cada letra de las vozes Latinas tienẽ a Christo. Declarome. Dize vna monja, ò seglar, que no sabe Latin: *Domine, Dominus noster, quàm admirabile est nomẽ tuum in vniuersa terra*, no entiende este verso; por lo menos en la D. halla à Christo deseado, y en la O. a Christo ofrẽda, y en la M. a Christo Maestro, y en la I. a Christo Iuez, y en la N. a Christo Norte: en la E. a Christo esposo: y assi en

Puerta de la luz. 91

sola esta palabra, *Domine*, halla à Christo presente con todos estos titulos, que es consuelo de quien [illegible]za: mas si no sabe el A.B.C. de memoria, no puede go[illegible] deste fruto.

6 El quarto prouecho es valerse deste *A.B.C.* para pedir fauor a *Dios*, y que le sirua de Letanias, que es facil tomar de memoria. Quiero pedir a *Iesu Christo* me libre de vn peligro, ò me dè dolor de mis pecados. Voyme por el A.B.C.

A y digo: Abogado mio, libradme deste peligro.

B Braço de Dios, libradme deste peligro.

C Camino seguro, librad

Puerta de la luz. 93

abogado. Para tus peligros es braço de Dios. Para caminantes es el mismo camino, pues por Christo vamos à Dios. Para el coraçõ es el deseado. Para amantes es Esposo. Para deudores es fiador. Para malos passos es la guia. Para tu bien es Hijo de Maria, *Propter nos homines*, y para dar valor a las obras con que paga por nosotros es Hijo de Dios: para pleitos es Iuez: para dudas es Consejero: para viuir bien es legislador: para ignorantes es Maestro: para nauegantes es Norte: para pobres es Ofrenda, y para ouejas brutas es Pastor: para timidos es Cordero:

Puerta de la luz.

abogado. Para tus peligros es braço de Dios. Para caminantes es el mismo camino, pues por Christo vamos à Dios. Para el coraçõ es el deseado. Para amantes es Esposo. Para deudores es fiador. Para malos passos es la guia. Para tu bien es Hijo de Maria, *Propter nos homines*, y para dar valor a las obras con que paga por nosotros es Hijo de Dios: para pleitos es Iuez: para dudas es Consejero: para viuir bien es legislador: para ignorantes es Maestro: para nauegantes es Norte: para pobres es Ofrenda, y para ouejas brutas es Pastor: para timidos es Cordero:

Puerta de la luz.

y puedes rezar esta Letanía por las animas del purgatorio diziendo: Librad el anima fulano, ò las animas, &c. y reza cada dia dos vezes esta Letanía y veràs el prouecho, y no [illegible] esta n[illegible] e to[illegible] e m[illegible] B.C. [illegible] n ve[illegible] deste [illegible] el qui[illegible] lma, [illegible] es [illegible] ciene [illegible] to en e[illegible] todos di[illegible] quien es Christo para mi; y assi todo Christo es para mi. Mira con atencion estos veinte nombres, y hallaràs, que todos dizen el bien que tienes en Christo. Para tus pleitos es abo-

2147

COMMENTARIA

MORALIA IN EVANGELICAM HISTORIAM.

AVCTORE PATRE DIDACO DE BAEZA Ponferradiensi, Societatis IESV, è Prouincia Castellana.

TOMVS QVARTVS.

COMPLECTENS PARABOLAS, ET HISTORIAS adductas à Iesu, & eius disputationes cum varijs.

Ad Excellentissimum D. Don Ioannem Franciscum de Quiñones Pimentel, Comitem de Luna, & Mayorga, Pimentelidum Principem.

SECVNDA EDITIO.

Deste Conv.to de Santa Ana de Baltanas y no se puede sacar

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA -

VALLISOLETI.

Excudebat *Ioannes Lassus à Peñas.*

Anno Domini. M. DC. XXXI.

es deste conuento de Santa Ana de Baltanas

EXCELLENTISSIMO

DOMINO, D. IOANNI

FRANCISCO DE QVI-

ñones Pimentel, Comiti de Luna.
Pimentelidum Principi.

†

VENIO *Ad Euangelici laboris mei coronidem, venio ad te, Princeps Excellentiſsime, in quo vel ante laboris puluerem ſeſe extollunt coronæ nobiliſsimarum virtutum. Dum ad ſummum tardant peruenire ſtudia mea, ad te tardarunt venire, cui genus culpæ eſt, aliquid videre non ſummum. Ille es, quem penitùs ignorent mediocria; modernis ſæculis, moribus ſplendes antiquis; bonitate præditus, conſtantia glorioſus, comitate ſublimis, ſuauitate ſic amabilis, vt miro proſperitatis euentu firmum circa te cuſtodiat arbitrium populorum vaga voluntas. Tuus eſt perpes ille Pimentelidum vultur, ſed non eget plumis, quæ per omnium orà volitat, gloria tua. Miramur in te naſcendi laudẽ, viuendi gloriam; & cùm ingentem laudum cumulũ trahas ab antiquis, plùs placere de proprijs meruiſti. Miramur te ſine ſuperbia Principem, ſine inuidia potẽtem, ſine ſuperſtitione religioſum, ſine iactãtia diſertum, ſine ineptia graũẽ, ſine ſtudio facetum, ſine aſperitate conſtantem, ſine popularitate cõmunem. Quæ deſiderantur in Principe, te vniuerſa facto agmine comitantur, ne deſint vni, quæ vix inueniuntur in pluribus; & poſsis vnus merita præſtare, quibus paſsim præſtãtur ſola meritorum inſignia. Tuos proauos cantant quini Reges deuicti, ſubacta imperia Indica, excitata prima Leonini Regni crepitacilla, & cum tantis victorijs, maior in ſingulis radiauit religio.*

ligio. Deuictos enim Reges, non parmæ suæ adscripsit Pimentelus, sed (quod triumphatoribus insolens) Diuis omnia referens, de Iacobæis conchis, stemmatis sui gloriam insigniuit. Aurea Indorum imperia dum Cortesius subigit, non tàm Philippo substernit, quàm Deo litat, vt de tanto mundo subacto Deo, habeat Luna, quo orbem suum impleat, & Claudium primogeniti sui nuptijs ornatum proferat, qui inter Tridentinos Patres, quasi inter Prophetas, iunior magis, imò & fœlicior, quàm Saule minor assistat. Sic aurea imperia, sic catenati Reges, sic alma religio ornauit proauos tuos, vt tu, Excellentissime, nasceris & regius, & aureus, & religiosus Princeps. Quo vno creditum est de illis omne, quod legitur; dum præconia veterum præsens docet tuarum vena virtutum. Non fregisti Maurorum regna, non maris dorsa carinis grauasti, ad domesticam disciplinam ipse in vitæ limine religatus: non tamen in te refriguit bellicus Pimentelidum ardor, difficiliora nactus pacis certamina. Hoc est tuum profectò difficillimum triumphandi genus, exercere iuuenem in suis sensibus principatum. Rarum omninò bonum est, dominum triumphare de moribus, & hoc consequi in florida ætate, ad quod vix creditur cana modestia peruenire. Qui te non videt, Princeps Regalissime, has in te glorioſissimas victorias nõ cantat: qui videmus, eas alta voce testamur, & prædicamus Principem, qui in pace, grauissima potestatis, & ætatis superet discrimina. Militum nõ tractas copias, non phalanges dirigis, sed splendentium filiorum agmina sic instruis ab incunabulis, vt quot edidisti familiæ iuuenes, tot reddas lumina cæterorum Pricipum: tot præmõstres sydera, tot signa æternæ tuæ prosapiæ auspicatissima. Mactè, Princeps, viue, vt regiæ virtutes viuant, & gloriæ viuant, vt meum hoc qualecumque opus triumphet, & ego triumphem, si inter addictissimos tibi cliẽtes merear adscribi. Vallis-Oleti, Agusti mensis die. 14. Ann. 1630.

Didacus de Bazea.

EL

EL REY.

POR Quanto por parte de vos Diego de Baeza, Religioso de la Compañia de IESVS, en el Colegio de S. Ambrosio de la ciudad de Valladolid, nos fue fecha relacion, que auiades compuesto vn libro intitulado, *El quarto tomo, moralia in Euangelicam historiam*, sobre las parabolas, el qual os auia costado mucho estudio y trabajo: Suplicandonos os mandassemos dar licencia para lo poder imprimir, como los demas tomos, y priuilegio por el tiempo que fuessemos seruido, ò como la nuestra merced. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, por quanto en el dicho libro se hizieron las diligencias que la Pregmatica vltimamente fecha sobre la impresion de los libros dispone: fue acordado, que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon, y nos tuuimoslo por bien. Por lo qual os damos licencia y facultad, para que vos, ô la persona que vuestro poder huuiere, y no otra alguna, podays imprimir el dicho libro intitulado, *El quarto tomo, moralia in Euangelicam*, sobre las parabolas que de suso se haze mencion, en todos estos nuestros Reynos de Castilla, por tiempo y espacio de diez años, que corran, y se quenten desde el dia de la data desta nuestra carta, so pena que la persona, ô personas que sin tener vuestro poder lo imprimiere, ô vendiere, ò hiziere imprimir, ô vender: por el mismo caso pierda la impresion que hiziere, con los moldes y aparejos della: y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis cada vez que lo contrario hiziere. La qual dicha pena sea la tercera parte para la persona que lo acusare: y otra tercera parte para nuestra Camara: y la otra tercera parte para el juez que lo sentenciare. Con tanto que todas las vezes que huuieredes de hazer imprimir el dicho libro durante el tiempo de los dichos diez años, le traygays al nuestro Consejo, juntamente con el original, que con el fue visto, que va rubricado cada plana, y firmado al fin del de Martin de Segura, nuestro Escriuano de Camara, de los que en el residen, para que se vea si la dicha impresion està conforme al original, y traygays fè en publica forma, de como por Corrector nombrado por nuestro mandado, se vio, y corrigio la dicha impresion por el original, y se imprimio conforme à el, y quedan impressas las erratas por el apuntadas para cada vn libro de los que assi fueren impressos, para que se tasse el precio que por cada volumen huuieredes de auer. Y mandamos al impressor que assi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, ni el primer pliego del, ni entregue mas de vn solo libro con el original al Autor, ô persona à cuya costa lo imprimiere, ni à otra alguna, para efecto de la dicha correccion, y tassa, hasta que antes, y primero el dicho libro estè corregido, y tassado por los del nuestro Consejo. Y estando hecho, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, y succesiuamente ponga esta nuestra cedula, y la aprouacion, tassa, y erratas, so pena de caer è incurrir en las penas contenidas en las leyes y pregmaticas destos nuestros Reynos. Y mandamos à los del nuestro Consejo, y à otras qualesquier personas, que guarden y cumplan esta nuestra carta, y lo en ella contenido. Fecha en Madrid à veynte y quatro dias del mes de Março de mil y seyscientos y treynta años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor.

Iuan Lasso de la Vega.

TASSA.

EStà taſſado eſtè libro à quatro marauedis el pliego, como conſta por teſtimonio de Martin de Segura, Eſcriuano de Camara. En Madrid, a dos de Julio de mil y ſeyſcientos y treynta años.

ERRATA.

P. Paginam, C. Columnam ſignificant.

PAg. 7. col. 2. omnium, dic. vnum, p. 11. c. 2. faſcium, d. facum, p. 12. c. 2. menere, d. manere, p. 29. c. 2. vilíſsimum, d. viliſsimum, p. 31. c. 1. pectoribus, d. pecoribus, p. 32. c. 1. mamorum, d. marmorum, p. 32. c. 2. extritat, d. extricat, p. 52. c. 2. facies, d. faſcias, p. 56. c. 2. expendas, d expandas, p. 69. c. 1. pellebat, d. pollebat, p. 94. c. 1. quauiam, d. quoniam, p. 95. c. 2. venuſtum, d. vetuſtum, p. 96. c. 1. antiquitate, d. antiquatæ, p. 99. c. 1. acurê, d. acutê, p 104. c. 1. ſubſcripto, d. ſubſcriptio, p. 114. c. 2. raſlauerit, d. reflauerit, p. 115. c. 2. iuuiores, d. iuniores, p. 119. c. 1. Pilia, d. Filia, p. 120. c. 2. profectiò, d. profectò, p. 132. c. 2. prouinctu, d. procinctu, p. 146. c. 1. parerent, d. pararent, p. 155. c. 1. oblatio, d. ablatio, p. 155. c. 2. charitatem, d. claritatem, p. 158. c. 1. iefantia, d. infantia, p. 160. c. 2. faſtinaſſet, d feſtinaſſet, p. 173. c. 1. præpoſitum, d. propoſitum p. 173. c. 2. gauda, d. gaudia, p. 182. c. 1. minus, d. magis, p. 187. c. 2. ſeelus, d. ſcelus, p. 213. c. 2. diuinitatius totis, d. diuinitatis totius, p. 245. c. 2. labliis, d. labilis, p. 284. c. 1. Sacræ, d. Saræ, p. 322. c. 2. laqueus, d. Laqueus,

His demptis concordat ſuo exemplari.

Magiſt. Fr. Raphael Sanchez.

LICEN-

LICENTIA PROVINCIALIS.

EGO Gaſpar de Vegas Societatis Ieſu in Prouincia Caſtellæ, Præpoſitus Prouincialis: poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Mucio Vitelleſchi Præpoſito Generali, facultatem facio, vt Tomus quartus inſcriptus, *Commentaria moralia in Euangelicam hiſtoriam*, Auctore Patre Didaco de Baeza Ponferradienſi, noſtræ Societatis Theologo, & eiuſdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus; typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Valliſoleti, in noſtro D. Ignatij Collegio, die 13. Ianuarij, anno 1630.

Caſpar de Vegas Prouincialis.

APPROBATIO.

TOmus iſte quartus, cuius titulus eſt, *Commentaria moralia in Euangelicam hiſtoriam*, Actore Reuerendo Patre Didaco de Baeza, Societate Ieſu, de mandato ſupremi Senatus à me recognitus, nihil continet (quantum inuenire potui) Fidei Catholicæ, aut bonis moribus aduerſum: quin potiùs ſicut & reliqua eiuſdem auctoris ſcripta ſpirat pietatem non modicam, ſapientiam, & eruditionem maximam. Vndè meritò in publicam vtilitatem lucem aſpiciet. Matriti in Conuentu S. Philippi, die 4. Martij. 1630.

Fr. Luiſius Cabreras.

Licencia del Ordinario.

EL Licenciado Pedro Ruyz del Moral Prouiſor general en eſta Ciudad de Valladolid, y ſu Obiſpado, dio ſu licencia y aprouacion, para que eſte libro ſe imprima, como conſta del teſtimonio ſignado de Chriſtoual de Madrigal Notario Apoſtolico. En Valladolid, à 18. de Diziembre de 1629.

Chriſtoual de Madrigal.

APPRO-

APPROBATIO.

EX Commissione Domini Licenciati Petri Ruyz del Moral, maximi Collegij S. Crucis purpurati, & apud Pintianos iuris Pontificij antecessoris Primarij, totius Diœcesis Vallisoletanæ Vicarij generalis, *Commentariorum moralium in Euangelia* tomum quartum, elaboratum à magno concionatore, imò concionatorum Magistro Patre Didaco de Baeza Societatis IESV, summa cum voluptate vidi, & perlegi; ea verò huiusmodi sunt, vt reliquis eiusdem auctoris commentationibus in lucem summa omnium gratulatione, & plausu editis consonent mentis acumine, solida doctrina, graui stylo, mira eruditione: in quibus quidquid vbique veteribus monumentis doctum serio studio percurrit; nec vllum indiscussum transit, nec res tantùm in indicem refert, sed & sententias, quidquid in figuris grande, & vrbanum, quod pondus in sensibus, metaphoras nobiliores, verba denique singula illustriora alta mente perpendit. Calamo autem, & sapienti eloquentiæ mores, ac religio respondent, vt verè de auctore pronuntiandum: *Beati, quibus concessum est scribere legenda; magis fauore scribenda; beatissimi, quibus vtrumque: vt tibi sermone pulchro vita sit pulchrior.* Dignum igitur arbitror opus, quod in publicam totius Ecclesiæ vtilitatem excudatur. In hoc maximo S. Crucis Cardinalis Hispaniæ æternaturi fœliciter Domini, ac semper Domini mei Collegio, die decima octaua mensis Decembris, anno à partu sacro. 1629.

Licenciatus Ioannes Perez Delgado.

INDEX

INDEX.

AD CONCIONATORVM VSVM, PER TOTVM ANNVM.

Dom.1. Aduentus. Luc.21.

ERVNT Signa in Sole, et Luna, & ſtellis, &c. Maturant lucidiſsima mũdi idola abſcondi, vbi incipit Dei glorioſus aduentus reuelari; quia mundanæ omnes gloriolæ ad glorioſi Dei præſentiã prorſus euanent, lib.18.ca.6.§.9. Item expende, quod cœli lumina tibi deficiant eunti ad iudicium, nulla enim eſt ſtabilitas, nulla firmitas in creaturarum affectu, lib.18.c.6.§.3. Rurſus meritò in Sole, & Luna, & ſtellis, dantur mundialis ruinæ, ſigna; quia ſalutis ſigna non ab altis fulgurãt, ſed ab humilitatis imo, lib.18.c.5.§.1.

Virtutes cælorum mouebuntur. Dũ præcellentes cœleſtium virtutes metu turbari video, auguror venientem iudicẽ eſſe diuinum; quando apud mũdiales iudices non præclari, & potentes viri, ſed viles, & abiecti diſcrimen incurrunt, lib.18.cap.2.§.4.

Et tunc videbunt filium hominis veniẽtem in nube, cum poteſtate magna, & maieſtate. Non eſt maieſtas diuina, in qua non eſt ſeueritas erga malitiam, lib.18.c.2.§.6.

Habes de hoc Euãgelio tom.3.lib.13.cap.1.

Domin.2. Aduentus. Matth.11.

Cum audiſſet Ioannes, in vinculis, opera Chriſti, mitteus duos ex diſcipulis ſuis, ait illi. Tu es, qui venturus es? Non de propria libertate agit Ioannes cum diſcipulis, ſed de agnoſcendo auctore ſalutis, huius enim ſcientia debet æſtimari præ omnibus bonis mundi, lib.18.cap.1.§.11. Rurſus mittit diſcipulos ad Ieſum, in cuius conſpectu putat magna illis futura augmenta ſalutis, lib.18.cap.1.§.18.

Cæci vident, claudi ambulant, &c. In malorum abolitione, vt claret diuinitas, lib.18.cap.1.§.3.

Qui mollibus veſtiuntur, &c. Regales cultus nociuiſsimi Chriſti præconibus, lib.17.cap.3.§.2. Item illi ſunt fortiſsimi virtutum propugnatores, qui neceſsitati tẽporali indulgent, non voluptati, ibi §.3.

De hoc Euãgelio habes tom.3.lib.14.cap.1.

Dom.3. Aduentus. Ioann.1.

Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis ſacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eũ: Tu quis es? Prætermittentes Ieſum verum Meſsiam; ad Ioannem, qui verus Meſsias non erat, ſed eſſe videbatur, mittunt; ſemper enim mundiales mouentur magis ad falſa, lib.17.cap.1.§.14. lib.18.cap.vlt.§.7.

Quia non ſum ego Chriſtus. Nemo Chriſto propinquior, quam qui ſe exinanit, & obtenebrat propter Chriſtum, lib.16.cap.23.§.20.

Ego baptizo in aqua; medius autem veſtrum ſtetit, quẽ vos neſcitis. Ipſe eſt, &c. Vides Ioannem totum eſſe in Ieſu ſplendore oſtendendo: & meritò, inde enim pereunt plurimi, quod non tam diuinũ, quam proprium ſplendorem quærunt, lib.16.cap.23.§.12.

Quem vos neſcitis, &c. Non prophetias, nec miracula attẽdebant Phariſæi, ſed ſenſuum ſuorum ductu mouebantur, & ſit in Deo agnoſcendo errabant turpiter, lib.16.cap.23.§.11.

Domin.4. Aduentus. Luc.3.

Procurante Pontio Pilato, &c. Omnes hi dicuntur reges, gubernatores, nullus dicitur homo: hæc enim eſt communis principum calamitas, quod vix aliquis eorum hominem referat in vita, lib.16.cap.22.§.2.

Factum est verbum Domini super Ioã nẽ, &c. Nunquam cum Dei verbo audito non stat aliquod signum salutis, lib. 16.c.23.§.21. Et à Dei verbo præstantissimum ornamentum excipimus. Ibid.§.22.

Prædicans baptismum pœnitentiæ. Pœnitentiæ ros adeò efficax, vt emortuas plantas, & siccas in vitam valeat exsuscitare, lib.16.c.15.§.20. Non prædicat flagellum pœnitentiæ, sed baptismum; infitmis enim peccatoribus prius proponenda faciliora, lib.16.cap.16.§.11.

Domin.infra octau.Epiphan.Luc.2.

Ascendentibus illis Ierosolymam, &c. In nullo lassantur Dei serui mãdato, sed omnia obeunt, & noua adimplent, lib. 16.cap.17.§.3.

Remansit puer in Ierusalem, &c. Dum externis festis dant operam parentes religionis ergo, puer diuinus illis absconditur; vix enim externa negotia, quamuis pia exerceri solent sine damno, lib.16. cap.15.§.34.

Venerunt iter diei, &c. Non sine magno laboris pretio salus est comparanda, lib.16.cap.9.§.10.

De hoc Euangelio habes tom.1.lib.2. cap.11.

Dom.2.post Epiphan.Ioann.2.

Erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus. De Mariæ matris consortio, nõ potest Iesus non esse salutaris, lib.16.cap. 23.§.8.

Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum. Vinum non habent. Vera liberalitas non diuitibus, sed egentibus tribuit, lib. 18.cap.2.§.8.

Implete hydrias aquæ, &c. Solus Iesus est, cui media suppetunt salutis humanæ, etiam in summa egestate, lib.17. ca.3. §.4.

Hoc Euangelium require ex tom.2. lib.11.cap.1.

Domin.3.post Epiph.Matt.8.

Si vis potest me mundare. Dei dona precibus extorquenda, lib.17. cap.2. §.9. Qui de Deo, & virtute magna credit, & præsumit, non indonatus abibit, ibid.§.8.

Et offer munus. Sanitatem ex Deo accipiens iubetur munus offerre, quia donum Dei non est, de quo nullus extendi tur ad proximos fructus, lib.16. cap.24.§. 11. Expende etiam illud, *offer*, de præsenti: securior enim illius salus est, qui præsentibus operibus nititur. Ibid.§.8.

De hoc Euangelio habes, tom.2.lib.9. cap.4.& cap.3.

Domin.4.post Epiphan.Matth.8.

Ecce motus magnus factus est in mari. Nulla est creatura, quæ Deo non militet, ad perterrẽdaciendos peccatores, lib.16. cap.22.§.9.

Domine saluanos, &c. Fœlices, qui in angustijs, non ad creaturas, sed ad Deum habent posse respicere, lib.16.ca.23.§.29.

Imperauit ventis, &c. Amicitia mundialis in præsura deficit, non sic Christiana amicitia, lib.16.cap.9.§.11.

Est Euangelium hoc, tom.2.lib.11.c.5.

Domin.5.post Epiph.Matth.13.

Habes in prẽsenti lib.16.ca.2.per totum.

Domin.6.post Epiph.Matth.13.

Habes etiam in præsenti lib.16. cap. 4.per totum.

Domin.Septuag.Matth.20.

Est Euangelium in prẽsenti lib.16.cap. 19.per totum.

Domin.Sexagess.Luc.8.

Similiter est Euangelium in præsenti lib.16.cap.1.per totum.

Domin.Quinquag.Luc.18.

Ecce ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur, &c. Tũc passio reuelatur discipulis, cum ipsi ascendunt Ierosolymam, quia mysteria crucis eis sunt fructuosa, qui calcatis terrenis ad cœlestem Ierosolymam tendunt, lib.16.ca.21.§.9.

Ipsi nihil horum intellexerunt. Adhuc seruitutis iugo premebatur, adhuc spiritum seruitutis habebant, ideo verbum crucis non intelligunt, quod vix capitur à seruilibus mentibus, lib.16.ca.22.§.10.

Multo magis clamabat. Oratio perseuerans obtinet, lib.17.cap.1.§.18.

Vt videam. Hoc est præsentissimum hominis remedium, si videat, lib.17.cap. 1.§.10.

Fer.4.Cinerum.Matth.6.

Vt appareant hominibus ieiunãtes. Perditionis est filius, qui in virtutum possessione ad laudes humanas expiscandas componit vitam, lib.16.cap.23.§.25.

Sicut hypocritæ tristes. Qui non gaudenter, & alacriter virtutem arripit, iam displicet, lib.16.cap.23.§.14.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Rationalis naturæ fructus, quò remotior à terra, eò securior, lib.16.cap.23. §.5.

Hoc

Hoc Euangelium habes, tom.3. lib. 14.cap.9.

Memento homo, quia pulvis es, &c. Vicinitas mortis efficax, vt nos ad Deum trahat, lib.16. cap.23.§.11. Vt hominem continet, lib.16. cap.8.§.11. Diabolus memoriam mortis abolere curat, lib.18. cap.8.§.41.

Fer.5. Cinerum, Matth.8.

Accessit centurio, rogans eum, et dicens, Domine puer meus iacet. Infelix ingenium, quod sola vexatione trahitur, lib. 18.cap.6.§.5.

Puer meus iacet, &c. Crudelitas erga infirmos, & egenos cognatos perditioni obnoxia, &c. lib.18.cap.4.§.7.

Ego veniam, et curabo eum, &c. Quæ per multorum manus tribuuntur munera, vix procedunt, sine accipientis iniuria, lib.18.cap.2.§.9.

Ego veniam, et curabo eum. Spiritus diuinus eo tendit, vt facili diligentia possimus comparare salutem, lib.18. cap.1. §.19.

De hoc Euangelio tom.2.lib.9.cap.5.

Feria.6. Cinerum, Matth.5.

Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros. A Iesu non potest non venire beneficentia in hostes suos, lib.16.cap.21. §.21.lib.16.cap.15.§.19.

Orate pro persequentibus, &c. Iesu virtus præstantissima est, quod scias cedere hostilibus iris, lib.18.cap.6.§.1.

Qui solem suum facit oriri, &c. Auxilium, & præsidium Dei habet, qui vel inter calumniantium iniurias seruat mansuetudinem, lib.18.cap.4.§.5.

Est hoc Euangelium tom.3.lib.14.capit.7.per totum.

Sabbatum post cineres, Marc.6.

Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos. Vt vidit discipulos suos Iesus non in terra, sed in aquis esse, venit ad eos: diuinum enim spiritum ille percipit, qui à terris abscedit, lib.18.cap.1.§.6.

Confidite. Ego sum, nolite timere. De Iesum manu nihil nō salutare sperandū, lib.18.cap.2.§.7. In eius præsentia omne bonum, lib.16.cap.15.§.38.

Non intellexerunt de panibus, &c. Non sine damno à memoria elabitur beneficium cœlestis panis. lib.16.cap.16.§.10.

Dominica.1. Quadrag. Matth.4.

Ductus est Iesus in desertum, &c. Quo te magis ab hominum consortio remoueris, eò minus negotij Deo in tui protectione dabis, lib.16.cap.13.§.2.

Non in solo pane vivit homo, &c. Vbi temporalibus niteris, non effugies penuriam, famemque: omnium copiam habebis, si Iesu niteris, lib.16.cap.10.§.3.

Mitte te deorsum, scriptum est enim, quia Angelis suis mandauit de te. Non solum alienis, sed magis suis nitatur homo virtutibus, si amat, pro lapsis satisfacere Deo, lib.16.cap.4.§.5.

Ostendit ei omnia regna mundi. Non refugit Dominus mundialium gloriarum præsentiam; viri enim spiritualis perfectio in eo est sita; non solum, quod fugiat prorsus mundiales res, sed quod & taliter illas habeat, vt facile ab illis se expediat, lib.16.cap.10.§.7.

Hæc omnia tibi dabo. Infelicissimus homo est, quem ditant solæ creaturæ, & non Deus, lib.16.cap.10.§.1.

De hoc Euangelio habes tom.1. lib. 3.cap.2.per totum.

Fer.2. â Domin.1. Matth.25.

Et omnes Angeli eius cum eo. Creaturæ citius adducuntur in damnationem hominum, lib.16.cap.12.§.10.

Separabit eos ab inuicem. In iudicio separantur impij à pijs: quia vbi Deus vindex ostenditur, solus ab omni fulcro relinquitur impius, lib.16. cap.16.§.7. lib. 16.cap.8.§.8.

Esuriui enim, et dedistis mihi manducare. De eleemosina bono, lib.16.cap. 2.§.2. Et sæpe alias, vt videre est in indice.

De hoc Euangelio vide tom.3.lib.14. cap.3.per totum.

Fer.3. â Dom.1. Matth.21.

Eijciebat omnes vendentes, &c. Quantulum malum hoc? Sane maximum erat, quando homo extra Dei Ecclesiam nihil boni potest habere, lib.16. cap.4. §.7.

Cathedras vendentium columbas euertit. Summa perfectio Reipublicæ, quod nocentes puniantur, lib.16. cap.7.§.3. Non parua gratia peccatori fit, cuius supplicium non differtur, lib.16. cap.8. §.4.

Et accesserunt ad eum cæci, &c. Inter ipsas iras accessibilis est Deus, vt bona faciat, lib.16.cap.12.§.14. & cap.24.§.13.

De hoc Euangelio vide tom.2.lib.11. cap.7.per totum.

Feria.4.â Dom.1.Matth.12.

Generatio prava, et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei. Negatur signum generationi adulteræ, quia Deus legitima sua opera reparare sola gaudet,lib.16.13.§.10.

Nisi signum Ionæ. Nimirum signum Iesu à morte deuorati, quia ex quo Iesus suo sanguine rubuit,ipse nobis omnis felicitatis signum, lib.18.cap.5.§.2.

Nisi signum Ionæ, Christi humilia manifestissima erant signa diuinitatis, lib.18.cap.5.§.3.

Regina Austri surget in iudicio,&c. Viri Niniuitæ surgent in iudicio. De illis, qui in iudicio possent surgere loquutus, dicit viros Niniuitas plures, & Reginam Austri vnam; quia de Principibus mundi, aut nullus, aut ratus est, qui non male prorsus iaceat in iudicio, lib.16.cap. 20.§.2.

De hoc Euangelio in 2. tom. lib.12. cap.9.per totum.

Feria.5.â Domin.1.Matth.15.

Miserere mei Domini fili Dauid: filia mea male, &c. Filiæ suæ procurat salutē, & merito, quia propinquioribus prius est misericordia impendenda, lib.16.ca. 20.§.3.

Mulier Chananæa â finibus illis egressa. Vt à suis finibus egreditur Iesu adhæsura, sic Iesus ad illam extendit salutem destinatam Israelitis, quia à Deo nobis indebita donantur, cum nos indebitum operamur pro illo,lib.16.cap.17.§.5.

Dimitte illam,quia clamat post nos. Sāctorum patrocinia tūc maxime prosunt, cum nostra illis sollicitudo coniungitur, lib.19.cap.16.§.17

Nam et catelli, &c. Mulieris humilitas obtinuit incolumitatem filiæ: & quidem humilitas homines ditat filijs, lib. 16.cap.22.§.5.

Habes de hoc Euangel. tom.2.lib.6. cap.7.per totum.

Fer.6.â Dom.1.Ioan.5.

Expectantium aquæ motum, &c. Infirmorū est mobiles res spectare; qui enim sapit, non credit bonis, quæ nouit posse deficere, lib.16.cap.10.§.8.

Hominē non habeo, &c. Vna Dei prouidentia est, quæ omnia necessaria, prompta,& parata habet,lib.16.cap.10.§.2.

Tolle grabatum tuum, et ambula. Cur ambulare iubetur, cum grabato, nisi vt eius sanitas alijs proficeret? Felices equidem sunt, qui non in se stagnant bona, sed ea alijs cōmunicant, lib.16. c.10.§.6.

Quis est ille,qui dixit tibi, tolle grabatum? Non attendunt sanatorem, sed Sabbati violatorem, & prorsus iniuste, nunquam enim proximi mala considerāda sunt solitarie, sed iuncta cum bonis, lib.16.cap.9.§.5.

Habes de hoc Euang.in 2. tom. lib.9. cap.2.per totum.

Sabbatum â Dom.1.Matth.17.

Assumpsit Iesus Petrum, et Iacobum, &c. Non grauatur Iesus discipulorū sarcina, dum illos ad altum tollit gloriæ: quia onus euntis ad gloriam non grauat, sed lætificat portitorem, lib.16.c.13.§.6. Væ, qui refugit tale onus. Ibidem.§.7.

Transfiguratus est ante eos. Vel vnus iustus Deo est pro ingenti multitudine, li.16.cap.14.§.5.

Resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Tota hæc gloria, vel elementaris niuis, vel materialis lucis mensuram pertingit, vt ostendatur, quàm parua sint, quæ hic ex Deo habemus, respectu illorum, quæ manent in cœlis, lib.18.cap.1.§.13.

Bonum est nos hic esse. Totum quod homo potest requirere, id habet in Iesu, lib.18.cap.7.§.11.lib.16.cap.21.§.17.

Ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde. Modo bonum putant ibi esse, modo vehementer timent, sic quæ carnali affectu petuntur, cito, & contemptum generant, & fastidium, lib.16.cap. 13.§.11.

Nemini dixeritis visionem, &c. Dei dona, dum euulgantur, perduntur.

Habes de hoc Euangelio, in 1. tom. lib.3.cap.4.per totum.

Dominica.2.Quadrag.

Repete Euangelium præcedentis Sabbathi.

Fer.2.â Dom.2.Ioan.8.

Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini. Habes de hoc in præsenti tomo,lib.18.cap.8.§.22.

Fer.3.

Fer.3.â Dom.2.Matth.13.

Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, et Pharisæi. Nullus est locus adeò sanctus, in quo reprobi non possint inueniri, lib.16.cap.22.§.12.

Super Cathedram Moysi sederunt. Super Christi crucem non solum sedent, sed exaltantur, lib.18. cap.1.§.14.lib.17. cap.3.§.11.

Dicunt, et non faciunt. Summa prædicatoris, magistriue vanitas solis verbis nititur, lib.16. cap.19.§.7. Christianismi apex, non solum verbis, sed operibus agit, lib.16.cap.22.§.7.

Vt videantur ab hominibus. Summa gloria viri, quod non ipse, sed Deus in operibus eius videatur, lib.16.cap.20.§.7.

De hoc Euangelio habes, tom.3.lib. 14.cap.16.per totum.

Fer.4.â Dom.2.Matth.20.

Ecce ascendimus Hierosolimam, et filius hominis tradetur, &c. Passio Christi ob oculos posita validissima est, vt faciat virtutum vijs insistere, lib.16.cap.11.§.3.

Ad illudendum, et flagellandum, &c. Decuit Deum nihil patientiæ prætermittere, ibi, cap.9.§.9.

Tunc accessit mater filiorum, &c. Cum de cruce, & passione agebat Iesus, accessit illa petens, & merito, quia qui vulneribus Iesu adhæret, ad omnia eius bona introibit, lib.16.cap.13.§.9.

Et vnus ad sinistram. Vel ad Dei sinistram inclinat ambitio, Principatus enim amor, animarum carnifex est, lib.18. cap. 1.§.1.

De hoc Euangelio habes, tom.2.lib. 12.cap.8. per totum.

Fer.5.â Dom.2.Lucæ.16.

Homo quidam erat dives. De quo in præsenti tomo lib.17. cap.1. per totum.

Fer.6.â Dom.2.Matth.21.

Qui plantauit vineam. De hoc in præsenti tom.lib.16.cap.21.per totum.

Sabbathum â Dom.2.Luc.15.

Homo quidam habuit duos filios. Habetur in præsenti tomo, lib.16.c.15. per totum.

Dominica.3. Quadrag.Luc.11.

Erat Iesus eijciens dæmonium. Expende illud, *erat*, quo ostenditur non rapidus zelus, sed longanimis Saluatoris expectatio, qua tractat Demonis egressum. Patientia enim expectantis dat fratres posse lucrari, lib.16.cap.8.§.13.

Illud erat mutum. Tota hominis perditio, quod peccaris plenus prorsus obmutescat, ne confiteatur, lib.16.cap.22. §.17.

Et cum eiecisset Dæmonium. Non potest, non Deo esse seueritas in malos, quæ eos eijciat, & feriat, lib.18.cap.2.§.6.

Loquutus est mutus. Vbi intima cordis vitia expurgantur, facili negotio externi actus fiunt conspicui, lib.18.cap. 1.§.10.

De hoc habes tom.2.lib.7.c.3.per totum.

Fer.2.â Dom.3.Luc.4.

Nemo propheta acceptus est in patria sua. Habetur in presenti tomo, lib.17.cap. 2.per totum.

Fer.3.â Dom.3.Matth.18.

Si peccauerit in te frater tuus, corripe. Deus citius peccata plectit, quæ aduersus alios sunt, lib.16.cap.11.§.2.

Corripe eum inter te, et ipsum solum. Præmittenda est aliqualis benignitas, vbi in bonam frugem reducendus est peccator, lib.16.cap.13.§.5.

Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Ecce quale præmiũ officij exhibiti proponuntur, nimirum, non alia palma, sed quod lucratus est fratrem. Et quidem omnium laborum compensationem habet bonus pastor in salute sibi creditæ animæ, lib.16.cap.3.§.4.

Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus. Non ante ad hanc seueritatem permitteris accedere, quam semel, & bis, & ter alia suauiora tentaueris. Semper enim plura debent esse remedia mitia, quàm austera in trahendo fratre, lib.16. cap.9.§.8.

De hoc habes in tom.3. lib.14.cap.13. per totum.

Fer.4.â Dom.3.Matth.15.

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Habetur in præsenti tomo, lib.18.cap.4.per totum.

Fer.5.â Dom.3.Luc.4.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Febribus tenebatur, ne in perditionem iret; veniunt enim temporalia mala, non in malũ, sed in bonum, lib.16.cap.11.§.6.

Tenebatur magnis febribus. Et quidem magnis rudentibus opus erat, vt fœmina posset teneri, quando muliebre ingenium pronius est discessioni, lib.16. cap.13.§.2.

Continuo surgens ministrabat. De Pe-

tro dicebatur; *continuo relictis retibus secutus est eum*, de eius socru dicitur, *continuo surgens ministrabat*. Pertinet enim ad verum virtutum amatorem, sibi in virtutibus reddere similes omnes familiares suos, lib. 16. cap. 5. §. 6.

De hac habes in 2. tom. lib. 10. cap. 6. per totum.

Fer. 6. à Dom. 3. Ioan. 4.

Da mihi bibere. Iudæi Samaritanorum errores persequentes, ab illorum abstinebant conuictu Iesus, nec Samaritanam peccatricem persequitur, sed blandum, cum illa colloquium init, vt qui illam trahere cupit ad virtutem. Non enim sic rigor, vt suauitas virtutes elicit, lib. 16. cap. 8. §. 3.

Dedisset tibi aquam viuam. Iudæorum erat arcere à se Samaritanum conuictum: Deus autem non in arcendo, & excludendo aliquem noscitur, sed in trahendo ad vitam, lib. 16. cap. 7. §. 2.

Fiet in eo fons. Qui vel guttam aquæ exceperit, & fontem integrum accipiet; sic vel ex paruo Dei dono, ad totum Deum habendam potes venire, lib. 16. cap. 6. §. 13.

Fiet in eo fons. Nescit Deus sistere in donis exhibendis, ibidem. §. 14.

Non est tuus vir, &c. Religio & castitas simul solent esse, vt perfidia, & lasciuia, lib. 16. cap. 23. §. 2.

Item: castitatis doctrina aptatur hæc fœmina ad fidem, ibidem. §. 5.

De hoc Euangelio habes in tom. 2. lib. 6. cap. 3. per totum.

Sabbathum à Dom. 3. Ioan. 8.

Adducunt Scribæ, et Pharisæi mulierem deprehensam in adulterio. Habetur in præsenti tomo, lib. 18. cap. 8. per totum.

Dominica 4. Quadrag. Ioan. 6.

Vidisset, qui multitudo magna venit, &c. Ille felicius studet lucris, qui non in vnum, sed in plures sua mittit beneficia, lib. 16. cap. 1. §. 5.

Vt manducent hi? Diuinissimum est nulli suam opem, auxiliumque negare, lib. 16. cap. 1. §. 6.

Distribuit discumbentibus. Diuinæ mentis naturâ in præstandis beneficijs clarescit, lib. 16. cap. 1. §. 3. Tantum Deitatis habes, quantum liberalitatis, & beneficentiæ, lib. 16. cap. 2. §. 1.

Habes de hoc Euangelio, in tom. 2. lib. 11. cap. 2. per totum.

Fer. 2. à Dom. 4. Ioan. 2.

Et cum fecisset quasi flagellum. Præclarus mundi iudex, à facto flagello commendatur: quando nimia mollitudo fundit us perdit iudicem, lib. 16. cap. 28. §. 2.

Effudit æs, et mensas subuertit: Pecuniarum mensas prorsus euertit; quia affectus ad pecuniam omnium est nocentissimus homini Christiano, lib. 16. cap. 20. §. 6. Et lib. 16. cap. 2. §. 3.

Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Auaritia Ecclesiasticorum totum perdit animarum lucrum, lib. 16. cap. 23. §. 30.

De hoc item habens in tom. 2. lib. 11. cap. 7. per totum.

Fer. 3. à Dom. 4. Ioan. 7.

Die festo mediante ascendit Iesus. Habetur in præsenti tomo, lib. 18. cap. 7. per totum.

Fer. 4. à Dom. 4. Ioan. 9.

Liniuit lutum super oculos eius. Nil prius intendit dominus curare, quam hominis oculos, vt qui si vigilent, hostes perimant, si dormiant, magnam incurrant offensam, lib. 16. cap. 2. §. 4.

Abijt ergo, & lauit, & vnit videns: Lutum temporalitatis tollat ab oculis, qui sub luce Dei cupit illuminari, qui enim luteam mentem habet, magis obcæcatur, & induratur inter Dei lumina, lib. 16. cap. 1. §. 17.

Abij, laui, et vidi. Sapiens homo non tribuit lotioni visum, nec ait; *laui, & ideo vidi*, quasi sciret ortum diuini luminis in anima labori coniungi humano, sed non tam ab illo, quam à Deo venire, lib. 16. cap. 3. §. 1.

Lutum posuit super oculos, & laui, et video. Non ipse ad lutum abit, sed ad lauacrum, ad visum: vt damnet eorum turpitudinem, qui abeunt auide in lutum & damna sua, lib. 16. cap. 3. §. 3.

Habes de hoc Euangelio, in tom. 2. lib. 10. cap. 3. per totum.

Fer. 5. à Dom. 4. Luc. 7.

Defunctus efferebatur, filius vnicus matri suæ, et hæc vidua erat. Dilecto filio emortuo amatrix mater ostenditur tota funus: qualis enim est ille, quem adoras, talis es ipse, lib. 18. cap. 11. §. 4.

Tetigit loculum::: & ait: Adolescens tibi dico surge. Non voce contentus, sed manum adhibet loculum attingens: quòd enim adolescens rectà tendat in viam, potentissimum facinus est manus diuinæ, lib. 16. cap. 19. §. 4.

Misericordia motus super eam. Prima, & præs-

& præstantior virtus in principe miseri cordia est, & suauitas, lib. 18. cap. 2. §. 1.

De hoc habes in tom. 2. lib. 8. ca. 2. per totum.

Fer. 6. â Domin. 4. Ioann. 11.

Ecce quem amas infirmatur. Dilectrices Dei hoc curant, vt Deũ reddant propitium infirmis peccatoribus, lib. 16. cap. 2. §. 16.

Lazarus, amicus noster, dormit, &c. Is erat Lazarus, qui dum morti appropinquat, nihil aliud ostendit, quam ea opera, quibus posset vocare Dei amicos. Sic in fine cuiusque vitæ præcipua virtutum opera eluceant, lib. 16. cap. 12. §.

Vt audiuit, quia infirmabatur, tũc quidem mansit, &c. Dissimulat, & differt curationẽ permittens Lazarũ mori, & eius morte sorores affligi, vt per resurrectionem gaudium cumulet. Sic semper sunt sustinenda damna, ex quibus maius percipiendum est lucrum, lib. 16. cap. 16. §. 13.

Martha, vt audiuit, quia Iesus venit, accurrit. Martha virginali pudore florebat, nec vnquam alias dicitur foras exisse, etiam vt Iesum exciperet. Nunc autem non veretur exire, nec virginum curat clausuram, sed egreditur; quia vt in prosperitate modestia, sic in angustia animositas magis placet, lib. 16. cap. 4. §. 5.

Statim prodijt, qui fuerat mortuus ligatus, &c. In virtutis curriculo suam quisque infantiam seruet, lib. 16. cap. 3. §. 4.

De hoc Euangelio habes in tom. 2. lib. 8. cap. 3. per totum.

Sabbatum â Dom. 4. Ioan. 8.

Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Habetur in præsenti tom. lib. 18. cap. 8. à §. 12.

Dom. 5. Quadrag. Ioann. 8.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Habetur in præsenti tom. lib. 18. cap. 8. à §. 31.

Feria. 2. â Dom. 5. Ioann. 7.

Miserunt Principes, et Pharisæi ministros, &c. Habetur in præsenti tom. lib. 18. cap. 7. à §. 16.

Fer. 3. â Dom. 5. Ioann. 7.

Ambubat Iesus in Galilæam. Habetur in præsenti tom. lib. 18. cap. 6. §. 1.

Fer. 4. â Domin. 5. Ioann. 10.

Facta sunt Encænia. Habetur in præsenti tom. lib. 18. cap. 9. per totum.

Fer. 5. â Dom. 5. Luc. 9.

Ecce mulier in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quia Iesus, &c. Præstantissimus meritorum triumphus, quod ardẽtes voluptates superaueris, lib. 16. cap. 19. §. 18.

Capillis capitis sui tergebat, &c. Capillis, oculis, vnguentis trahit sibi Deum Magdalena; quibus aliæ trahunt diabolum. Et sanè inexcusabilis est, qui illis rebus mauult habere diabolum, quibus potest habere Deum, lib. 16. cap. 12. §. 8.

Hic si esset propheta, sciret vtiq; quæ, et qualis esset mulier, &c. Pessimi accusatores, solùm quod reprehendi potest, attendunt, quod excusat, prætereunt, lib. 17. cap. 3. §. 5.

Non cessauit osculari. Nouitius feruor semper in virtutibus seruandus, lib. 16. cap. 8. §. 8.

De hoc Euangelio habes in tom. 2. lib. 6. cap. 6. per totum.

Fer. 6. â Dom. 5. Ioann. 11.

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium. Habetur in præsenti tom. lib. 18. cap. 12. per totum.

Sabbatum â Dom. 5. Ioann. 11.

Vt Lazarum interficerent, quia multi propter illum, &c. Vbi Lazarus, & fructuosior, & Iesu charior apparuit, maiores in se inimicitias concitauit. Sic quo maiores virtutes in nobis apparent, maiores insurgunt contrarietates, lib. 16. ca. 1. §. 9.

Acceperũt ramos palmarum, &c. Triumphatori Deo, non aureis tapetibus viæ sternuntur; sed ramis scissis illi acclamatur. Et quidem naturalis simplicitas maximè Deum tenet, lib. 16. cap. 6. §. 5.

Et inuenit Iesus asellum, et sedit, &c. Quo præstantior quis est, eo magis reijcit superflua, contentus necessarijs, lib. 14. cap. 6. §. 6.

Videtis, quia nihil proficimus? Nulla creata potestas aditum potest nobis ad Deum impedire, lib. 16. cap. 6. §. 16.

Domin. in Ramis. Matth. 21

Inuenietis asinam alligatam, soluite, & adducite mihi. Dei gratiæ minimè obest humanæ fortunæ vilitas, lib. 16. ca. 12. §. 15.

Soluite, & adducite. Vt adducãtur belluæ magis solent ligari, cur hic petit, quod soluatur asina, & adducantur? Sanè peccatorum experta vincula, & pœnæ ipsæ sufficiũt, vt expeditũ iam hominem currere faciat ad salutẽ, lib. 16. ca. 13. §. 18.

Rex tuus venit tibi. Regalissimum est, plus subditorum, quàm diuitiarum quærere augmenta, lib. 16. cap. 16. §. 14.

Sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Bonus Rex circa se non patitur esse, nisi per quos vtilia seruitia peragantur, vt ostendat, quam sit regibus per-

pernicioſa comptulorum familia, lib. 16. cap. 17. §. 1.

Fer. 2. Hebdomadæ maioris, Ioann. 12.

Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitauit Ieſus. Quatriduani ſuſcitati iterum fit mentio, quia primum Ieſu opus eſt abolitio inueterati criminis, lib. 16. cap. 19. §. 12.

Accepit libram vnguenti, &c. Vnguẽtis, & capillis captans iuuenes, vnguentis, & capillis Ieſum captat. Qualis in vitijs, talis in virtute, lib. 16. cap. 10. §. 11.

Dixit ergo vnus ex diſcipulis eius Iudas, &c. Quid non murmuret, quid non perdat homo temporalis? Sanè, vbi terrenis immerſus homo eſt, inſtrumentum habet Sathanas ad quaſcunque perditiones moliendas, lib. 16. cap. 21. §. 14.

De hoc habes in 2. tom. lib. 12. cap. 2. per totum.

Fer. 5. in Cœnam Domini. Ioann. 13.

Sciens Ieſus, quia venit hora eius. Vni ſibi taxat glorificationis tempus apud patrem; hominibus autem ſine vlla tẽporis taxatione honorem præſcribit, lib. 18. cap. 6. §. 8.

Cum dilexiſſet ſuos in finem dilexit eos. Amor erga creaturas, nunquam non laborioſus, & in aliquo damnoſus, lib. 18. cap. 1. §. 17. & cap. vlt. §. vlt.

Item, *in finem dilexit.* Deus eſt, qui in finẽ poteſt diligere, in creaturarum enim affectu nulla ſtabilitas eſt, lib. 18. c. 6. §. 3.

Sciens, quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, ſurgit, &c. De Patre Deo venit, quod hominum ſaluti cõſulatur, lib. 16. cap. 15. §. 29.

Ponit veſtimenta ſua. Equidem veſtimenta ſua ponit, vt operiat noſtra peccata; neque id faceret, niſi eſſet filius Dei, lib. 16. cap. 15. §. 30.

De hoc, vide tom. 1. lib. 13. c. 7. per tot.

Fer. 6. in Paraſceue.

Plura inuenies in indice, verbo, *Paſſio*, & verbo, *Crux*.

Dominica Reſurrectionis.

Vide in indice, verbo, Reſurrectio; & habentur plurima, 1. tom. lib. 5. per totũ.

NONNVLLÆ DOMINICÆ Poſt Pentecoſtem.

Domic. 2. poſt Pentecoſt. Luc. 14.

Fecit cœnam magnam. Habetur in præſenti tom. lib. 12. cap. 12. per totum.

Dom. 3. poſt Pentec. Luc. 15.

Si perdiderit vnam ouem. Habetur in præſenti lib. 16. cap. 13. per totum.

Dom. 8. poſt Pentec. Luc. 16.

Habebat villicum. Habetur in præſenti lib. 16. cap. 16. per totum.

Dom. 17. poſt Pentec. Matt. 22.

Vnus ex eis legis doctor. Habetur in præſenti lib. 18. cap. vlt. à §. 17. per totum.

Dom. 19. poſt Pentec. Matth. 22.

Fecit nuptias filio ſuo. Habetur in præſenti tom. lib. 16. cap. 22. per totum.

Dom. 21. poſt Pentec. Matth. 18.

Voluit rationem ponere, &c. Habetur in præſenti tom. lib. 16. c. 8. per totum.

Domin. 22. poſt Pentec. Matth. 22.

Conſilium inierunt, vt caperent Ieſum. Habetur in præſenti tom. lib. 18. cap. vlt.

FESTIVITATVM EVANGELIA quæ in hoc tomo continentur.

In feſto S. Nicolai.

Homo quidam peregre proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos, &c. Ex Matth. 25. Et habetur in præſenti lib. 16. ca. 24. per totum

In Conuerſione S. Pauli.

Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19. Habetur in præſenti, lib. 18. c. 11. per totũ

In feſto S. Agathæ.

Si licet homini dimittere vxorẽ. Matth. 19. Habetur in præſenti tom. lib. 18. c. 10. per totum.

In feſto S. Matthiæ.

Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ. Matth. 11. Habetur in præſenti tomo, lib. 18. cap. 2. per totum.

In feſto inuentionis S. Crucis

Homo ex phariſæis Nicodemus nomine. Ioan. 3. Habetur in præſenti tom. lib. 18. cap. 1. per totum.

In feſto Aſſumptionis B. Mariæ.

Intrauit Ieſus in quoddã caſtellũ. Luc. 10. Habetur in præſenti, lib. 18. c. 3. per totũ.

In feſto S. Ludouici Regis.

Homo quidam nobilis abijt in regionem, &c. Luc. 19. c. 20. per totum.

In feſto S. Franciſci.

Confiteor tibi Pater, &c. Matth. 11. Habetur in præſenti, lib. 18. cap. 2. per totũ.

In feſto S. Thereſiæ.

Simile eſt regnũ cœlorum theſauro abſcondito. Matth. 13. Habetur in præſenti lib. 16. cap. 26. per totum.

In feſto S. Catherinæ.

Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus. Matth. 25. Habetur in præſenti lib. 16. cap. 23. per totum.

In communi Confeſſ. Pontif.

De talentis, lib. 16. cap. 24.

In communi Abbatum.

Ecce nos reliquimus omnia, lib. 18. c. 11.

In communi Virginum.

De decem virginibus, lib. 16. cap. 23.

De theſauro abſcondito, lib. 16. cap. 6.

FINIS.

LIBER DECIMVS SEXTVS.

DE CHRISTI DOMINI PARABOLIS.

NON Solùm claris, & patentibus ſimilitudinibus ſermones ſuos exornauit Dominus, ſed & obſcurioribus alijs (quas preſsiùs parabolas voco) frequenter etiam vſus eſt. Ad has dum accedo explicandas, abſtineo à longa explicatione vocabuli, cùm ſciam ſæpè in ſacra pagina parabolæ vocem latiſsimè vſurpari; ſiue pro qualibet ſimilitudine, vt Matth. 24. *Ab arbore ſici diſcite parabolam:* ſiue pro ſigno caſtigationis, & cautionis, vt Pſalm. 68. *Factus ſum illis in parabolam:* ſiue pro qualibet narratione obſcura, vt Numer. 23. *Quater aſſumpta parabola locutus eſt, &c.* Ab his communibus acceptionibus diſtinguo parabolas euangelicas in præſenti tractandas, quia in Euangelio nunquam ſumuntur parabolæ, niſi inducendo perſonam aliquam rationalem, vel veram, vel veriſimile aliquid tractantem, ex quo ſubobſcurè, ne prophanis pateat, aliquod ſignificetur ſecretum cœleſte. Quapropter ſimilitudines claras, & ab irrationalibus petitas, à parabolis meritò ſegregamus: item & quæ non veriſimilibus, ſed ſolùm veris vt hiſtoria, vel ſolùm falſis & impoſsibilibus vt apologus, conſueſcunt inniti.

CAPVT I.

De ſeminante, & ſemine.

POST Accuratam agricolæ diligentiam, poſt cœli perfectam temperiem, adhuc ſeminibus ab ipſis arvis triplex obijcitur ruinæ cauſa; nimirùm, ſi ſecus viam cadant, ſi in petroſa, ſi inter ſpinas. Secùs viam, vt eſt conculcatum ſolum prætereũtium pedibus, non amplectitur granum, non operit, ſed apertum relinquit, & expoſitum auibus: petroſa terra vt humore carens ſic nequit germinum virorem conſeruare: inter ſpinas vniuerſa gramina ſuffocantur. Quid plura? Hæc tria incommoda à nobis orta, totum noſtræ ſalutis negotium ſolent fruſtrare. In primis ſocordia, & deſidia noſtra repræſentatur in terra ſecùs viam ſeminata, quam conculcãt viatores, & volucres ſemina deuorant; ab hac deſi-

dia venit, quod nullam curam, nec diligentiam saluti nauantes, nec vllum gradum in tanto negotio faciamus. Quod si aliqui, negligentia exclusa, aliqualem operā Deo habendo nauent, hi vel laboris, afflictionisque obortæ duritie agitati non permanent, vt petrosa arua, quæ nequeunt in virore durare; vel fœlicitatum mundialium bonis aucti hærent sollicitudinum mole, instar spinarum suffocati. Illorum sors melior, qui & diligentiam adhibent, & sciunt inter prospera, & aduersa mundi æquanimiter Deum expectare: hos terra bona, & optima designat, quæ vt bona est, vel melior, sic magnos, vel maiores fructus parit. De hac parabola agit Matth. cap. 13. Marc. cap. 4. Luc. 8.

Luc. cap. 8. Cùm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exijt, qui seminat, seminare semen suum.

§. I.

Verbi diuini seminator caueat aliò diuerti.

PRæclarissimo Verbi diuini satori hanc tribuit Dominus conditionem, nimirū, quòd exeat seminare; hoc est, quòd caueat aliò diuerti, sed in omnibus vijs suis hoc vnum intendat, vt Verbi diuini iaciat semina. Quod notās Theophilactus in præsenti ait: *Sæpè egredietur agricola, et propter alia, non solùm, vt seminet, sed exijt, qui seminat, vt seminet semen suum.* Quando agricolis liceat propter alia exire, alia negotiari: hoc cautum sit diuini Verbi seminatori, ne extra satorum negotia inueniatur. Duodenis Iesus, inscijs parentibus, Hierosolymæ mansit, & disputans inter Doctores inuentus, sic requirentes, & dolentes parētes arguit, Luc. 2. *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Sanè multis, & varijs rebus ex Patre suo poterat vacare, quando, vt ait Ioan. 14. *Pater meus agricola est*: & agricola multa tractat, per varia, & multiplicia culturæ negotia discurrit: ex quo Mater Iesu posset meritò ignorare, in quibus tunc temporis occuparetur Filius. Cur ergo sic eius ignorantia cātatur in quærendo Iesu? Vel vnde nō posset etiā sapientissima, nescire in quibus esset Filius, quando ipse posset esse in varijs, & multiplicibus? Notabat id textus, cùm pueri requisiti ætatem notat, aiens: *Et cum factus esset annorum duodecim*: in duodecimo numero Verbi diuini seminatores selecti à Domino, Matth. 10. exprimuntur: vbi autem Iesus seminatorum Verbi attigit numerum, nollet putari pro alijs à paternis exijsse liminibus, quàm pro iaciēdis Verbi diuini seminibus. Quō pulchrè respiciens D. Ambros. lib. 2. in Lucam, ait: *A duodecimo anno, vt legimus, Dominicæ sumitur disputationis exordium. Hic enim prædicandæ fidei euangelizantium numerus debebatur.* Non potuit hominum sator Iesus seminatorum Verbi diuini vel numerum repræsentate, & in alijs esse, quàm in iaciendis seminibus: sui muneris maculā reputans, quòd non sciatur pro nullo alio exijsse in repræsentatione numeri debiti euangelicis seminibus. Quò respiciat bonus diuini Verbi sator, & in quibus alijs inueniatur, nisi in iaciendis seminibus? Notabat Matth. 12. *quòd abijt Iesus per sata Sabbatho; discipuli eius esurientes cœperunt vellere spicas, &c.* Per sata ducit Dominus seminatores suos die Sabbathi, nec id facit semel tātum, sed sæpè vt ponderat Diu. Paschas. in Pharisęorum querela, dicentium: *Quare discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere Sabbathis?* Non vno, sed pluribus Sabbathis consueuit Dominus cum Discipulis esurientibus transire per sata. Et cur non alijs diebus, sed solis Sabbathis ad sata ducit Dominus suos Discipulos. In Sabbathis otium erat, & cessatio ab omni opere mundiali non pertinēte ad salutem animarum; ideò solis Sabbathis ad sata ducit Dominus, vt doceat suos, quàm debeant ab omni mundiali negotio, & sollicitudine vacare illi, qui satorum culturæ operam nauant. Ad hæc Diu. Paschas. libr. 6. in Matth. fatur: *Sabbatho verò, quia viando esuriunt, & vellunt spicas, otium est, & requies ab omni opere præsentis sæculi. Non torpentes ignauia Iudæorum, sed viantes ad patriam, esurientesque salutem animarum, et euellentes eas à terrenis actibus, quarum se salute Discipuli festinant satiare.* Nihil non spirituale, & ad salutem animarum pertinens debet inueniri in diuini Verbi satoribus, ideoque dum ducuntur ad sata, Sabbathum est, cuius diei otio ipsi docentur, non torporem, & ignauiam Iudaicam, sed animarum negotium, & æternam salutem, quam solam debeant spectare, vbi

Theoph. *Luc 2.* *Amb'r.* *Matt 12.* *Paſch.*

vbi inueniatur bonus diuini Verbi semina tor, nisi inter fata? Quæ alia tractet, nisi negotia fatorum, ab omni alio mundi negotio vacãs? Liceat alijs alia tractare, & propter alia exire; at ille, cui diuini Verbi semina credita sunt, caueat alio diuerti, caueat reperiri, nisi inter fata, ab omni alio negotio feriatus. Aiebat Oseas cap. 2. de malis Verbi diuini ministris: *Nesciuit, quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicaui ei, et aurum, quæ fecerunt Baal. Idcirco conuertar, et sumam frumentum meum, &c.* Meritò ex Dei nomine minatur bonorum spoliationem, non omnibus, sed illis, quibus credita sunt Verbi diuini semina, frumentum, argentum, & aurum, nimirum & scientia, & sapientia, & pulchra eloquia, vt ait Hieron. Qui enim acceptis his, aliò diuertunt, mundialibusq; idolis obsequuntur, abdubium, quin & Dei iram, & offensionem incurrant. Ex quibus verbis pulchrè curiales, & palatinos Ecclesiasticos monet Petrus Blesensis, epist. 16. inquiens: *Simpliciores equidem, et qui minùs in diuina pagina sunt eruditi, si in obsequio regiæ maiestatis militare proponunt, nõ arbitror hoc absurdum. Verùm in sacris ordinibus constitutus, et sacro eloquio pollens, qui iam tenetur fontes suos deriuare foras, talentumq; sibi â Domino creditum cum lucro ad Dominum reportare, omninò inexcusabilis est, si curialibus vinculis se innectit. Audite quid de talibus dicat Dominus: Dedi eis frumentum, argentum, et aurum meum, ipsi verò de argento, et auro meo fabricauerũt Baal. Nonne fabricant Baal de auro, et argẽto Domini, quibus sapientiam, et eloquentiam dedit Deus ad dandam scientiam saluti plebis eius; ipsi verò talentum Domini terræ infodiunt, atque Baal construunt, dum pro temporalium rerum quæstu, quasi sub iactu aleæ vitam, et animam ponunt? Isti constituunt arcam Domini in Aroto, quod interpretatur, ignis concupiscentiæ: quia per ambitiosam concupiscentiam, gloriam nostræ professionis euacuant. Conuertit Dominus flumina eorum in sanguinem, ne bibant: terramque ferream, et cælum æneum dat eis, et pluuiæ cæleſtis expertes fructum vitæ non faciant, sciẽter equidem, et prudenter pereunt, quia immiscuit eis Dominus spiritum vertiginis, eisque rotam malorum Rex sapiens impiorum ventilator immittit. Perditæ vitæ homines, se laboribus torquent, cruciant curis, expensis euiscerant.* Quid pulchrius? Quid grauius, & religiosius dictum? Piaculum duxissem, vel verbulum præterijsse, vt videãt quantis se malis exponant, qui semina diuini Verbi habentes, nimirum sapientiam, & eloquẽtiam cum sacræ paginæ notitia, nõ per fata discurrunt, vt diuites messes diuinis horreis recludendas efficiant: sed vel Principum fauoribus, vel mundialibus gloriolis, vel dignitatibus præbendis aucupãdis insudant. Hæc perditissimi hominis vita est; at qui salutem obtinere curat, vbi diuini Verbi seminator constituitur, in hoc vnum inuigilet, vt nihil aliud faciat, quo possit impediri à iaciẽdis seminibus. Sanè Paulus etiam à præstando baptismo abstinebat, ne aliud videretur facere, quàm prædicationis semina emittere, ait enim. 1. ad Corinth. 1. *Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare.* Vbi D. Ansel. *Quia igitur, et minores possunt baptizare, qui sapientiam, et virtutem prædicandi non habent: ideò non baptizare missus est Paulus, ne retardaretur â prædicatione, sed euangelica semina spargeret.* Nec non & Apostoli à cantatissimo misericordiæ opere, quo pauperculis viduis pabula ministrabant, abstinuerunt: ait enim Petrus, Act. 6. *Non est æquũ nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.* Quocirca D. Hieron. in cap. 2. Malach. ait: *Sanctum vtique est, et apostolicum ministerium viduis, et pauperibus ministrare. Et non oportet, inquiunt, dimisso Verbo Dei, ministrare nos mensis.* Quando ergo diuini Verbi seminator vix permittitur baptizare, aut eleemosinas erogare, vt vni prædicationi insistat, nec aliò diuertat, quanto cum piaculo temporalibus alijs, & mundialibus negotijs cum iactura diuini Verbi instabit?

Osea 2.

Blesens.

1. Cor. 1.

Anselm.

Act. 6.

D. Hier.

§. II.

Væ qui in nullo sistunt dignitatis gradu, sed longis semper expensis procurant ab hoc in altiorem euolare.

BOnus Verbi diuini seminator exire solũ nosci tur, vt seminet semẽ suũ; at malus, & reprobus seminator non exit, vt seminet; sed seminat, vt exeat ab hoc gradu, & transeat ad præstantiorem aliũ. Proh Deus immortalis, quot sunt in Curijs Regum seminatores verbi, imò seminatores auri, seminatores argenti, seminatores obsequij, vt exeãt à susceptо ordine, à susceptо gradu, & dignitate, & præstantiorem capiant! Hi num quam quiescunt, sed in perpetuo fluxu, & refluxu versantur, in ipsa

primi laboris messe, iam incipiunt semina-
re, vt ab hac exeant, & ad aliam transeant,
v.g. seminant pro dignitate acquirenda: ac
quirunt dignitatem: quid tunc? iam semi-
nant, & impendunt omnia, vt ab hac exeũ
tes, aliam præstantiorem capiant. Hos pul-
Isai. 19. chrè taxat Isai. c. 19. *Dominus misit in me-
dio eius spiritum vertiginis: & errare fece-
runt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat
ebrius, & vomens.* Expendenda sunt duo il-
la, *spiritus vertiginis, et ebrius vomens*, qui-
bus explicatur, & fœda, & miserabilis homi
num cõditio, quæ nullibi gradum figit, sed
quasi vertiginem patiẽs omnia circumagi
putat, & sic ab vna dignitate confestim ad
aliam festinat. Sic etiam nimio vino dedi-
tus homo, quod hausit merum, simul curat
vomere, ad aliud hauriendum se disponẽs.
Talis est vita ambientium, & mentiũ dig-
nitates: omnia effundunt, vt dignitatẽ ca-
piãt, qua capta, nihil non faciunt, vt illam
relinquant, vt exeant ab illa, & aliã acqui-
rant. Infœlix est, qui eiusmodi seminatori-
bus commendare præsumit arua Christi.
Pet. Da. Aiebat D. Pet. Dam. lib. 2. epist. 3. *Quis fe-
rat illi Ecclesiastica iura cõmitti, qui vt Ec-
clesiam nanciscatur, Ecclesiam deserit; et de-
dignatur obsequiũ dependere propriæ, vt sibi
regimen arroget alienæ?* Sanè amouẽdus est
à Christi aruis, qui & verba, & aurũ, & ob-
sequia seminat, effundit semper, vt à sus-
cepto gradu, ordine, dignitate, Ecclesia
exeat, & ad aliam festinet; is à vertigine la-
borante, & ebrio vomente, & bibente non
abfimilis. Qua fimilitudine suã stultissimã
cupiditatẽ pungit Salomon iam melior fa
ctus, & à filiquis ad Patrem Deum reductus,
Prou. 30 Prou. 30. aiens: *Verba congregantis filij vo-
mentis. Visio quã locutus est vir, cũ quo est
Deus, et qui Deo secum morante cõfortatus,
ait: stultissimus sum virorum, &c.* Duobus
in statibus vitæ se considerat nobilissimus
Princeps, in altero, quãdo à Deo separatus,
suis desiderijs relinquebatur: in altero, quã
do ad Deum reductus, eiusq; assistẽtia con
fortatus, illuminatus, priorẽ suã stultitiam,
& miseriam castigat, lachrymatur. In hoc
audet vocari vir, cum quo est Deus, & qui
Deo confortatus pristinam vitam stultitiæ
dãmnat: in illo pulchrè totam suã stultitiã
prodit, dum se vocat *congregantem filiũ vo
mentis*, hoc est, vt placet Caietano, *abundã
tem vomitu*. Totus equidem erat in coacer
nandis, & congregandis diuitijs, & fomẽtis
voluptatum, sed vt totus erat in cõgregan-
do, sic totus etiam erat in despiciendo, &
effundendo congregatas, & in procurando
alias, quibus impleretur. Simul cõgregans,
& vomens, instar ebrij, qui post ingentia
hausta pocula nil magis curat, quàm vome
re, vt possit accipere maiora. Huiusmodi
est omnium curialium, & aulicorum vita,
nimirum *congregans, et vomens*, instar stul-
tissimorum ebriorum. Quibus appositum
supplicium minatur Dominus, Oseæ cap. 5. Osee. 5.
*Facti sunt Principes Iuda quasi assumentes
terminum, super eos effundam quasi aquam
iram meam.* Græcè legitur: *Facti sunt Prin-
cipes Iuda transponentes terminos*, quo re-
prehenditur in Principibus, iuxta Theo-
philactũ, cupiditas plura habendi, qua nul
los sibi præfigit terminos, sed quos semel
ponit, facilè transponit, & transfert, & sic
in perpetuo versatur labore. Et expende
quale supplicium his paretur, nimirum ait
Dominus: *super eos effundam quasi aquam
iram meã*. Et cur frequens terminorũ trans-
positio à Domino immissis aquis castiga-
tur? Sanè quia huiusmodi homines plura
habendi cupidi, transponentes terminos
possessionum, similes ebrijs sunt, in cõgre-
gando, & vomendo, vt iterum congregent,
sic in minis aquæ, eorum turpissima nora-
tur ebrietas, & infamantur mores. Horum
erat illa vox apud Luc. cap. 12. *Destruã hor* Luc. 12.
*rea mea, & maiora faciam, & illuc congrega
bo omnia, &c.* Hæc cura, hæc cogitatio mũ
danorum diffundere, destruere habita, vt
maiora capiant, quos sapiẽter arguit D. Ba
sil. hom. 6. aiens: *Destruam horrea mea, &* Basil.
*maiora faciam, ais. Vbi verò ista frumento
adimpleueris, quid quæso amplius cogitabis?
An rursus destrues, & rursus ædificabis?
Quid stultius, quàm laboribus numquam fi-
niẽdis se conficere, ac summo cum studio ædi
ficare, nec minori cura eadem demoliri?* Stul
tissimũ est summis impensis ædificare, quod
eisdem destruas, ne in hoc finem aliquẽ sta
tuere, sed infinitis te laboribus consumere.
Meritò D. Bernard. epist. 42. exclamat: *O* Bernar.
*infinita semper ambitio, et insatiabilis auari-
tia, cùm primos gradus meruerint in Eccle-
sia, non ideò corda quiescunt; duplici semper
æstuantia desiderio, quo vtique magis, ac ma
gis, & dilatentur in plura, et ad celsiora su-
blimentur. Factus Episcopus, Archiepiscopus
esse desiderat. Quo fortè adepto, rursus nescio
quid altius somnians, laboriosis itineribus, &
sumptuosis familiaritatibus statuit frequen-
tare palatium, quæ stuosas sibi quasdam exin-
de comparans amicitias.* Sic semper multi
hominũ consumuntur in demoliendo ædi
ficata; in vomendo hausta: & seminatoris
expensas, & effusiones perpetuò accipiũt,
vt ab adeptis iam dignitatibus ad alias pro
siliant.

§. III.

§. III.

Ingenuæ, imò diuinæ mentis natura in præſtandis beneficijs clareſcit.

EXpẽde ad quid exeat diuiniſsimus Patris Filius, nimirum *exit ſeminare ſemẽ ſuum*: meritò nõ dixit exijſſe ſeminare ſemen, & tacuit; ſed inſuper addidit illud, *ſemen ſuum*, vt qualitatem ſeminis oſtenderet, quæ beneficа prorſus erat, vt quæ diuinam in ſe exprimebat naturam. Gen.1. dicitur: *Protulit terra herbam virentem, et facientem ſemen, iuxta genus ſuum*: ſe enim quæcũq; natura exprimit in ſemine ſuo, vt cùm auditur Dei filius ſeminare ſemẽ ſuũ, iam omnia beneficentiæ genera intelligantur ibi: quando ingenua, & regalis, imò diuina natura nullo magis clareſcit, quã prẽſtitis beneficijs. Aiebat Agapetus Diaconus in lib. de officio Regis: *Vnum Regis, et agricolæ ſtudium, vna cura eſt, congregare: hic quidem ſerit frumentum, et frumenta congregat: ille verò beneficia ſerit, et ciues conducit*. Et meritò regio animo pro ſeminibus ſerendis dantur beneficia; hæc enim paſsim ſparſa regale genus, & genium, & naturam ſignificant. Et quidem de clariſsimis beneficijs à Deo profectis locutus Sapiens, c. 16. in Græca, & optima lectione fatur: *Angelorum eſca nutriuiſti populũ tuũ, et paratũ panẽ de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, et omnis ſaporis ſuauitatẽ. Subſtantia enim tua, dulcedinẽ tuam, quã in filios habes, oſtendebat*. Expende quæ vocetur Dei ſubſtantia, nimirum, dulciſsimus ille panis per Iſraelitica caſtra diſſeminatus, vt placet Hugoni, Ianſenio, & Vatablo, & meritò, quãdo nullum ſemen ſic ſui generis ſubſtantiã refert, vt beneficia exhibita referunt & regalẽ, & diuinam ſubſtantiam. Pro quo aiebat Iſaias cap. 55. *Derelinquat impius viam ſuam, et vir iniquus cogitationes ſuas: et reuertatur ad Dominum, et miſerebitur eius, et ad Deũ noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcẽdum. Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neq; viæ meæ, viæ veſtræ: quia ſicut exaltantur cœli â terra, exaltatæ ſunt viæ meæ â vijs veſtris, &c.* Expende, vnde naturã ſuã diuerſam à ſeruorum natura demonſtret; & probet ſe prorſus aliũ à ſeruis, nimirum ab eo quòd multus ſit ad ignoſcendũ. Id quod notans Theod. ſic prædicta explicat verba: *Multũ ab inuicẽ diſtamus, toto cœlo, inquit Deus, vos enim odiſtis me, et ego amo vos: vos fugitis, ego voco: vos bellatis aduerſum me, ego nil aliud, quàm beneficijs vos proſequor*. Quid magis regiũ, & diuinum, quàm benefacere? Cant. 7. ait: *Quã pulchri greſſus tui in calceamẽtis filia Principis*. In Græcis ſcholis legitur: *filia munifici, et ſpõte dãtis*, quaſi neſciat regale geniũ aliter quàm per beneficentiam explicari. Vnde Iſai. c. 3. aiebat: *Princeps verò ea, quæ ſunt digna Principe, cogitabit, et ipſe ſuper duces ſtabit*. Quæ verba ſic vetus tranſlatio apud Vatab. ponit: *Liberalis autem liberalia cõſultat: per quæ liberalia facta clarus ſurgit*. Idẽ ſemper eſt, & Princeps, & liberalis, & munificus, nec aliter ingenua, & nobilis, & diuina natura clareſcit, niſi per opera beneficentiæ, & liberalitatis. Quò ſpectans ait D. Petr. Act. 10. de Ieſu: *Ieſum Nazareth quomodo vnxit eũ Deus Spiritu ſancto, et virtute: qui pertrãſijt benefaciendo, et ſanãdo omnes oppreſſos à diabolo, quoniã Deus erat cum illo*. Componite modò & ſeminatoris, & Ieſu greſſus: pertrãſit ſeminator, arua ſpargẽdo ſeminat: pertrãſit Ieſus oppida, ciuitates benefaciendo: ille frumenti iacit grana pertranſiens arua: hic beneficia cõfert, pertrãſiens ciuitates. Quid tunc? Meritò ex hoc Petrus duo in Ieſu cõcludit, nimirum, & regalẽ vnctionem, & diuinitatem: quippè ait: *quomodo vnxit eũ Deus*, & ſimiliter, *Deus erat in illo*: diuinæ enim, regiæq; naturę eſt, non niſi beneficia ſeruiſſe. Ex quo Arnob. lib. 1. aduerſ. Gent. pro Ieſu diuinitate ſtat, aiens: *Et quod proprium, conſentaneum, dignũq; Deo fuerat vero, nihil nocens, aut noxiũ ſed opiferũ, ſed ſalutare, ſed auxiliaribus plenum, nobis poteſtatis munificæ liberalitate donauit*. Nõ poteſt ſe occultare, & nobilis, & diuina natura in præſtandis beneficijs. Vnde imperaturæ in mundo creaturæ beneficentiam, vel in nomine Dñs præfixit, dicẽs, *faciamus hominẽ: et præfixit, &c.* Cur regnantẽ in mundo videas hominem: pulchrè D. Amb. lib. 3. de offic. c. 3. *Conſidera, ò homo, vnde nomen ſumpſeris: ab humo vtiq; quæ nil cuiquam eripit, ſed omnia largitur, et diuerſos in vnũ omnium animalium fructus miniſtrat*. Et meritò imperaturum animal ex humo accipit nomen, vt diſcat inde quàm abũdè debeat fructus, donaq; largiri.

§. IIII.

Beneficentiæ opera plena lucris.

BEneficia ſua pulchrè Dominus ſemen vocat, neſciunt enim beneficẽtiæ opera largas lucrorum ſegetes non parturire. Vndè notabat Oſeas, cap. 10. *Seminate vobis in iuſtitia, et metite in ore miſericordiæ*. Et ſeminare, & metere iubemur, ſed vbi meſsis deſignatur, eius augmentũ ex ſo-

lo misericordiæ designatur ore. Misericordia enim & beneficetia numquã non messes meditatur copiosissimas. Quippè Diu. Ambr. lib. de Nabuth, cap. 7. ait: *Bonorum fructus munerum in eos ipsos, qui contulerint, reuertuntur, & gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit. Denique scriptũ est: seminate vobis ad iustitiam. Esto spiritualis agricola, sere quod tibi prosit. Bona satio in corde viduarum. Si terra tibi reddit fructus veberiores, quàm acceperit, quantò magis misericordiæ remuneratio reddit multiplíciora, quæ dederis?* Nil à misericordia, & beneficentia seritur, quod multiplicatum nõ reddatur Et si minimum sit, quod dederis, nec paruum seminis excedat granum, vsq; in copiosissimas messes multiplicatur. Accipe primum illum hominem Paradisi cultorem, hic ne aliquid dedit Deo? Sanè dedit Adam Deo minimum, quod solet dari; dedit, inquam, Deo primus homo nudum os: quod tamen ingentia & deliciarũ, & diuitiarum lucra multiplicauit. Dicit enim Gen. 2. *Immisit ergo Dominus soporem in Adam, cũq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, et replenit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: et adduxit eam ad Adam, &c.* Expende modô, quanto cum lucro redit ad Adam, quidquid ab illo Dominus accepit: vna sola costa, vnum os ab Adam accipitur, & quanto cum lucro ad ipsum redit? Redit sanè os ad Adamum ædificatum in pulcherrimam sponsam cum orbis vniuersi dote. Pulchrè accinebat Dracontius in Examer.

Amb. r. Gen. 2. Dracon.

Tunc Deus, et Princeps ambos coniunxit in vnum,
Et remeat sua costa viro, sua mẽbra recepit:
Accipit, et fœnus, cũ non sit debitor vllus.
His datur omnis humus, et quidquid iussa creauit,
Aeris, et pelagi fœtus, &c.

Tantũ equidem solet fœnerare beneficentia, vt vel exhibitũ os in tot, tantasq; mundi diuitias multiplicetur; & cùm adeò ingenti lucro ad suum dominũ redeat. Quô respiciens Paul. 2. ad Cor. 6. ait: *Qui parcè seminat, parcè et metet. Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Parco seminatori opponit seminatorem benedictionũ, quasi in eo, qui seminat in benedictionibus, nulla parcitas possit esse, nec in semine, nec in messe; sed quodcũque in benedictionibus seminetur, fœcundissimũ appareat, & causa magnarum messium. Ad hæc D. Chrysost. ait: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Nõ dixit, tenuiter: et rem semen vocauit, vt sta tim ad retributionem spectes, messisq; recorderis, et discas, quòd plura accipies, quã das.* Cùm communem frugum seminatorẽ meminit, ait, qui parcè seminat, &c. Cùm autẽ seminatoris benedictiones proponit, non dixit tenuiter seminare, contentus benedictiones, hoc est, beneficentiæ dona semen vocare, vt in qualibet benedictione copiosissimas spectes messes.

2. Cor. 6. Chrysost.

Luc. 8. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram: & natum aruit, quia nõ habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas: & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonã, & ortum fecit fructum cẽtuplum.

§. V.

Nemo meliùs suis vtilitatibus, & lucris consulit, quàm ille, qui non in vnum, sed in plures sua, seu officia congerit, seù beneficia.

COnsultissimus hic seminator, dum per plures terræ partes sua semina spargit, tãdẽ inuenit, vnde cẽtesimũ capiat fructum; qui nullus prorsus esset, si in sola prima, aut secunda terræ parte quereretur congestis ibi seminibus. Æmulentur ergo seminum sortem à nobis profecta beneficia, & non in vnũ cõferantur, sed in plures, quãdo in vnũ collata facilè possunt pati iacturam: per plures diuisa, nequeunt non inuenire, vndê vberrimos percipiãt fructus. Ideò spectabat Cassiod. 3. var. 29. aiẽs: *Hæc sunt regia dona, quod semina sparsa in segetẽ coalescunt, in vnũ coacta depereunt. Optamus ergo munera multis collata dividere, vt possint vbiq; nostra beneficia pullulare.* Nũquam nõ capitur fructus ex beneficijs per plurimos diuisis, quę tũc solũ meritô possunt timere iacturã, cùm in vnũ cogũtur, faciliùs enim in vno, quã in pluribus omnimoda potest inueniri sterilitas, & perditio. Iunior quidã filius importunè requirebat à patre partem substãtię suæ, quid pater ad hæc habens & aliũ filium? Sapientissimũ huius patris consiliũ notans D. Luc. c. 15. ait: *Et diuisit illis subs-*

Cassiod.

substantiam. Duo erant patri filij, quorum alter solus sibi substantiam dari contendit, alter nec obolũ requirit, nilominus pater ab altero sollicitatus donat suam partem vtriusque. Cur non potiùs soli petenti donat? Sanè consultissimus pater vtriusque donat, & cauet donare vni soli, cupiés, ne substãtia perdatur, sed maneat, & seruetur integra; nequit enim perdi donum, quod per plures diuiditur. Huc refero Chrysologum *Chrysol.* serm. 1. *Petente vno, ambobus totam substantiam mox diuisit; tenebat pater seruare substantiam filijs, non negare; & manere eam pignoribus cupiens, nõ perire.* Qui perditionem donorum cauet, & caueat illa in vnum solum conferre, sed ad plures diuidat: bonus enim hic pater cupiens sua bona manere, & non perire, non vni dedit, sed ambobus filijs diuisit. Et quæ substantia non disipa- *Prou.11* retur vni data? Huc spectabat Prouerb. capit. 11. vbi sic: *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt*: vel iuxta lectionem Caietani: *Est sparsor, & addetur etiam*: nunquã equidem dona, & beneficia sparsa, non in segetem coalescunt. Quod sterile est, & ruinæ proximum, id non per plures, sed in vnum cogitur. Maximus ille Dominus omnipotens per se cupiens regere populum Israeliticum, sibique illum acquirere, excitauit famulum suum Moysem, cuius ope vteretur, huic innumeras dedit gratias, soli secreta sua reuelat, tradit mysteria, quid tunc? Vix se continet populus, quin à Deo deficiat, & post idola gẽtium abeat; semel relicto Deo, sese vitulo prosternit; non semel murmurat, fastidit diuina munera, & nauseabũdas ipsas Angelorum despicit escas. His fractus Moyses quasi desperaret populo satisfacere se posse, cupit occidi à Deo, & saltẽ à munere flagitat remoueri, & alios fortiores & prestantiores eligi, qui tãto sint oneri sufficientes. Cui Dominus assentiẽs *Num.11* respondit, Num. 11. *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, qui seues populi sint, ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesq; ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradãq; eis, &c.* De spiritu tuo auferã, ait Aug. q. 18. in Num. hoc est, de eodem spiritu gratiæ, vel de eisdem tuis gratijs, & donis communicabo illis. Et cur Dñe non promittis te daturum illis de superioribus, & efficacioribus alijs gratijs? Sanè Moyses cũ omnibus acceptis gratijs, & donis se reputabat insufficientẽ, & euẽtus monstrabant, quòd omnes illæ gratiæ Moysi parũ, aut nihil profuissent, vt populus in Dei seruitio contineretur. Cur ergo de illis solũ gratijs, quæ in Moyse videbantur inefficaces, promittit Deus se oblaturũ septuaginta illis electis, vt hi possint efficaciter populum continere? Vel vnde sperat Dñs, quòd gratiæ in Moyse inefficaces, diuisę in plures efficaces erunt? Id meritò potuit expectari ex ipsa gratiarum diuisione, dũ enim omnes vni soli Moysi, & nulli alij conferebantur, inefficaces erãt, & parùm, aut nihil proficiebant, imò nõ tã in lucra, quã in ruinam impellebant (si sic fas est loqui) at illæ ipsæ per plures alios diuisæ efficacissimę erant, vt populum ad Deũ allicerent, & in Dei seruitio cõtinerent. Ex quo aiebat Theod. q. 18. in præsenti: *Ex his vero* *Theod.* *bis didicit legislator se gratiam administrationi sufficientem accepisse, propterea dixit: Auferam de spiritu tuo.* Non quando in se solo recipiebat, & habebat, sed quando sua gratiam alijs etiam cõmunicari vidit, tunc didicit ex euentu illã administrationi fuisse sufficientem, quando quę in vnũ coacta, sterilescebat, in plures sparsa, in segetes coaluit plurimas. Et quando quod per plures spargitur, nõ fructificat? Ezec. c. 3. *Et dixit* *Ezech 3* *ad me. Fili hominis vade ad domũ Israel, & loqueris verba mea ad eos: non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ, tu mitteris ad domũ Israel, neq; ad populos multos profundi sermonis, et ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones. Et si ad illos mittereris, audirent te, domus autem Israel nolunt audire.* In his proponitur differentia Prophetarum, & Apostolorum, quòd Prophetæ non mittebantur, nisi ad vnũ populum, Apostoli ad vniuersas nationes, & quã ta cum fructuũ differentia? Pulchre Theo- *Theod.* dor. hic. *Quibus multæ gentes, diuersæ linguæ, varij mores, omnis generis leges creditæ fuerunt, orbem terrarum ad præstantiora instituta traduxerunt. Quibus verò effrænatus ille populus commissus est, q̃ multos sustinuerunt labores; non dignos laborum fructus tulere.* Securiùs semper beneficia per plures sparguntur, quàm in omnium coacta tenentur.

§. VI.

Diuinissimum est, nulli suam opem, auxiliumque negare.

MAnifestè suã diuinitatẽ prodit bonus hic semĩator vel ex iactis seminibus; quãdoquidẽ nulla terra est adeò spinosa, adeò inculta, & cõculcationi proxima, quæ non gaudeat de accepto semine à manibus illius. Quid diuinius, quã nulli, etsi abiecto, etsi immerenti, imò & repug-

nanti negare beneficium? Ex hoc grauissimè probat Arnobius diuinitatem Iesu apud homines degentis, ait enim lib. 1. contra Gent. *Atqui Christus æqualiter bonis, malisq; subuenit: nec repulsus ad hoc quisquam est, qui rebus auxilium duris contra impetũ postulabat, iniuriasq; fortunæ. Hoc est enim proprium Dei veri, potentiæq; regalis, benignitatem suam negare nulli, nec reputare, quis mereatur, aut minimè.* Quid gloriæ Deo, si solis exigentibus meritis sua dona tribuerit? Sanè ea est propria Dei gloria, quæ benignitatem suam negat nulli, nec immeritissimo. Ait ipse Isaias. 48. *Scio enim quia præuaricans præuaricaberis, & transgressorem ex vtero vocaui te.* Et cur tam largus, tam magnificus, etiam in nondum natos, & iam præuaricatores? Iam inquit: *Propter me, propter me faciam, vt non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo.* Ne gloriam sibi propriam alteri cedat, etiam immerentem beneficijs Deus afficit. Sed esto, quòd Deus immerentem aliquem prorsus contemneret, obliuiscereturque, nullo illum afficeret beneficio. Quid inde? An ideo inglorius Deus? An ideo gloriã suam proderet? Profectò is est Deus, eæ sunt diuitiæ bonitatis illius, vt putet gloriæ suæ officere, si quis etsi immerens, etsi reluctãs, diuinis beneficijs carere inueniatur, quando propria Dei gloria in beneficentia ad omnes collocatur. Id quod notans D. Cyrill. lib. 4. in Isaiam, orat. 3. ait: *Dabit enim gloriã suam nulli alteri: gloria autem Dei est, seruare, & misereri, & posse omnibus dominari.* Sic integram, & perfectam gloriam suam Deus putat, quando nulli etsi immerenti, etsi repugnanti eius dona & beneficia negantur. Vt dicat Paul. ad Rom. 10. *Idem Deus omnium, diues in omnes, qui inuocãt illum*: siue vt legit Chrysost. in Psal. 43. *Diues est in omnes, & super omnes inuocantes eum.* Non solũm in suos inuocatores Deus est diues, sed & in omnes alios, vt nemo sit, qui in acceptis donis non possit in se effusas ostendere diuitias diuinas. Pulchrè ipse Chrysostom. ad locum Pauli aiebat. *Istæ sunt Dei diuitiæ, quòd donum suum in omnes effundit.* Quapropter rogatus Dominus pro dimittendis culpis rebellibus, & contumacibus hominibus, Num. 14. ait. *Dimisi iuxta verbum tuũ. Viuo egò: & implebitur gloria Domini vniuersa terra.* Vbi eleganter notat Oleaster: *Audi quæso, qua gloria vult Dominus omnem terram implere, non gloria potentiæ suæ, qua cuncta creauit; non sapientiæ, qua cuncta gubernat; sed misericordiæ.* Ab hac nulla terra immunis, sed quantũuis remota sit, quantumuis aspera, saxea, spinosa, in se tamen diuinæ misericordiæ dona ostendet perfecta. Non enim gloriosa Deo censetur misericordia, quæ aliquem donis vacuum abire permittit. Vt exploraret spõsam Isaaci à Deo præparatam, aiebat seruus ille, Gen. 24. *Puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam; & illa responderit, bibe, quin & camelis tuis dabo potũ: ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac.* Quid tũc? Adest pulcherrima Rebecca hydriam porrans, ab illa potum petit Abrahæ seruus. *Quæ respondit, bibe domine mi, celeriterq; deposuit hydriam super vlnam suam, & dedit ei potum. Cumque ille bibisset, adiecit, quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. Effundensq; hydriam in canalibus, recurrit ad puteum, vt hauriret aquã, & haustam omnibus camelis dedit. Ipse autẽ contemplabatur eam tacitus, scire volens, vtrum prosperum iter feciſſet Dominus.* Omnia, quæ requisierat, in primis vidit, & adhuc hæsitat, & tacitus meditatur. Non ne ille solũm petierat, quod ipsa diceret, *bibe, quin & camelis tuis dabo potum?* Sed ecce Rebecca non solũm ait, quin & celeriter, & illi, & camelis parat potũ; quid ergo adhuc tacitus expectas? Vides iam beneficam puellam in tuo, & camelorum potu, quid adhuc requiris, vt noscas illam Deo plenã, & à Deo paratam Isaaco? Pulchrè Theodoret. quæst. 37. ait: *Cumque illa hausisset aquam, & camelis præbuisset fluentum, expectabat ille, vt videret, an omnibus præberet, quantum opus erat.* Et quidem meritò non certus sit de Dei assistentia in puella, donec ab eius benefica manu vidit, nullum camelorũ manere vacuum, sed omnes suscipere necessaria. Deo namq; digna beneficẽtia tunc ostenditur clarè, cùm sua dona negat nulli, nec reputat, quis mereatur. Ex quo Psalm. 36. Dei spiritu imbutus sic designat: *Iustus autẽ miseretur, & tribuit:* non explicat, cui tribuat iustus, vt nullum secludat, qui nõ accipere debeat à iusti manu. Quô respiciens D. Ambros. lib. 3. offic. cap. 3. fatur: *Hoc præstamus cæteris animantibus, quòd alia genera animantium conferre aliquid nesciunt. Feræ autem eripiunt, homines tribuunt. Vnde & Psalmista ait: Iustus miseretur, & tribuit. Sunt tamen, quibus & feræ conferant; siquidem collatione sobolem suam nutriunt, & aues pullos suos cibo satiant suo; homini autem soli tributum est, vt omnes tanquam suos pascat.* Hoc sit imaginis Dei perspicuum indicium, quòd cùm cætera animalia benefica sint in suos, homo Dei nulli sciat negare beneficium.

Arnob.

Isai 48

Cyril.

Rom. 10.

Chrysost.

Nu. 14.

Oleast.

Gen 24.

Theod.

Ambr.

Text. Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud.

§. VII.

Nil prius vitiositas cordis humani parit, quàm publicationem virtutum, quæ pereant.

ECce tibi vnde primùm sese prodit vitiositas cordis humani, nimirum ex eo, quod secus viã habeat semina diuina; hoc est, quod nuda & discooperta exponat viatoribus grana virtutũ. Meditatus Matt. Iudæorum racinus in Iesum, ait cap. 27. *Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum. Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque ad deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.* Propiùs circa moriẽtem Dominum erant & petræ scissæ, & monumenta aperta, & terra mota, quàm velum templi; cur ergo non priùs meminit Euangelista petras scissas, quàm scissum velum? Cur prius posuit veli scisionem, & deinde scissas petras, & motam terram, & aperta sepulchra meminit? Sanè post Iudæorũ malitiam completã, nihil priùs apparuit, quã nudatio, & apertio sacrorum, inde in ruinã vergentium. Hoc enim in primis facit malitia, & humani cordis vitiositas, nimirum sacra virtutum semina discooperire, & ruinæ exponere. Quò spectans D. Chrysost. serm. 4. de Passione, ait: *Rũpuntur sanctuarij scissa velamina, & sacrarij facies sacrilegio spoliante detegitur.* Expende quo aucto re sacrarij facies tot annis ab oculis popularium obseruata, tandem nudentur, exponãtur, nimirum, *sacrilegio spoliante.* Quę sacra trans velamen habebantur, accedẽs Iudæorum sacrilegium, & illa in primis detegit, & ruinæ exponit. Sic vbi malitia accedit, nihil prius efficit, quàm virtutum grana detegere, & detecta voracibus alitibus proponere. Huc refertur lamentatio illa Domini apud Ioel, cap. 1. *Gens enim ascendet super terram meam fortis, & innumerabilis. Dentes eius, vt dentes leonis, & molares eius vt catuli leonis. Posuit vineam meam in desertum, & decorticauit ficum meam; nudans spoliauit eam, albi facti sunt rami eius.* Tum ficus malum, si notetur, inde incipit apparere, non quòd ficus eradicetur, non quòd rami eius succidantur; sed quòd turpi ablato cortice, qui sub illo operiebatur niueus splendor, oculis popularium incipiat patere: *albi facti sunt rami eius.* Et hoc primum, & totum malum vastatæ ficus? Cur nõ magis numerantur eius mala ab sterilitate, ab ariditate, à succisione? Quando siculneę ab hostili exercitu inuentæ non magis confringuntur, vel flammis dantur, quàm decorticantur? Aut quæ gens crudelis, & terribilis gaudet priùs decorticare inuentas contrariorum siculneas, quàm eradicare, comburere, perdere? Non sanè illud humani furoris est circa terrena bona; sed diabolici furoris est aduersus animæ bona. Ascẽdit quippe gens principum mundi huius, vt ait D. Hieron. ascendit gens tenebrarũ, & spiritualia nequitiæ super nos, quæ vbi humani cordis limina terit, nihil priùs facit, quàm velamina rumpere, & candidissimas quasq; virtutes ad perditionem ostensare, publicare. Vnde eleganter D. Gregor. lib. 8. Moral. cap. 30. ait: *Ficum Dei gens ista decorticat, quia seductam mentem in fauoris appetitum rapiens, tegmen ei humilitatis tollit, eamq; nudans spoliat: & albi facti sunt rami eius, quia ostensa humanis oculis eius opera candescunt, de sanctitate nomen sumitur, cum recta actio diuulgatur. Sed quoniam subducto cortice rami fici arescunt, solerter intendendum est, quia facta humanis oculis ostensa vnde placere appetunt, inde siccantur.* Hoc primum facit in animis nostris tenebrarum principis gens, nimirũ quòd opercula humilitatis tollantur, quòd candidissimæ virtutes omnium oculis pateant, vt citiùs inde dispareant. Væ tibi siculnea, cũ ablato rustico operimẽto corticis rami tui albicant, niueus ramorum candor apparet, heu quàm tũc approximas siccitati. Vę tibi anima cum tenebrarum gens in te ingressa candidissimas animæ virtutes in lucẽ prosilire faciunt; nullum enim prius deplorati cordis indiciũ datur. Lachrimabundus Hierem. Thren. 4. ait: *Quomodo obscuratum est aurum, immutatus est color optimus? Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum?* Expende mali ordinem; vix aureus color accedente infirmitate depascitur, & statim sanctuarij lapides vsque tunc asseruatissimi dispergũtur in capite platearum. Quippe hoc est primum malitiæ depascentis animam testimonium, quòd interna bona virtutum foras appareant, & in platearum conuentibus popularium antribus pateant. Accinit ibi D. Paschas. lib. 4. aiens: *Sanctuarium quidem erat anima fidelis Deo, dum aurũ, scilicet Verbum diuinum, in ea fulgebat ignitum. Sed mox obscurari*

Matt. 27

Chrysost.

Ioel. 1.

Hiere. 4.

Paschas.

cæpit in perfidia & caligine debitorum: immutatur etiam color optimus, fitq́ fœda, quæ pulchra erat: & disperguntur omnia intrinsecûs; ita vt nulla remaneant vitæ ornamenta, dum cuncta pelluntur foras bona. Quis credat non defunctum, cuius intima bona foras in capite platearum publicantur? Satis ingressus hostis, imô & mors animæ appareret, cùm vendibilia omnia in platearũ conuentibus percensentur, ponderantur. Illũ solus se inuulnerabilem reputet, cui cura est, & labor in operiendis virtutibus, adeò vt pro quauis virtutum scintillula, mille cinerum, lutiue operimenta adsint præmanibus. Huius scholæ Magister Dominus, dum gloriam suam manifestaturus in Lazari sus-
Ioan. 11 citatione, Ioan. 11. *Infremuit spiritu, & turbauit se ipsum, & dixit, vbi posuistis eũ?* Ecce tibi glorioſissimo faciendo operi & turbationem, & quasi ignorantiam præmittit, dum turbatus quasi ignorans interrogat. Et cur insigni virtutis operi turbatio-
Hieron. nem apponit? Pulchrè D. Hieron. de vera Circuncision. ait: *Et hic turbatus Iudæis deitatem celat in homine, & splendori diuinitatis in tantæ operationis coruscatione ignorantiam mortalitatis obducit, vt cùm posſit in suscitando Lazaro Deus adorari; homo in sepulchri eius ignoratione vilescat.* Sic bonus mundi Magister, prodituræ virtuti velamen vilitatis apponit, vt operta virtus luto infirmitatis, doceat quo possimus effugere aerearum potestatũ ora. Nouisti magnum illum Eliam sese intrepidè Regibus opponere; imô regias armatas phalanges igne de cœlo allato consumere, quid plura? Is ad vocem fœminæ totus pauidus fugit, & fugitiuus errat per montes. Habes. 3.
Reg. 19. Regum, cap. 19. *Timuit ergo Elias, & surgens abijt, quocumque eum ferebat voluntas.* Cur Domine permittis tantam infirmitatem in Elia, in quo tot clarebant virtutum
Eucher. opera? Eucherius lib. 4. in Reg. ait: *Illa potentia virtus fuit, ista infirmitas custos virtutis. In illis virtutibus ostendebat, quid acceperat, infirmitatibus hoc, quod acceperat, custodiebat. In miraculis monstrabatur Elias, in infirmitatibus seruabatur.* Nullã habent virtutem, qui solo Deo viuũt, pro qua colenda, non etiam habent mille infirmitatum operimenta. Vnde dicebat, Prouer. 31 de muliere forti: *Fortitudo, & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo.* Totus decor, & fortitudo animæ in indumento cõsistit, quo operiuntur virtutes; quæ vt in præsenti opertæ sunt, sic manifestissimæ
Gillibert. erunt in die nouissimo. Ait Gillibert. Abb. serm. 34. in Cant, *Tunc nulla ex parte quasi sub lingua premetur silentio, sed pressum diu prorrumpet gaudium, & implebitur os eius risu. Os, inquam, mulieris, cuius fortitudo & decor indumentum eius. Vide quomodo non oportet nudam inueniri, quæ promissa sibi expectat gaudia reddi.* Non quæ nudæ, & apertæ, sed quæ in præsenti coopertæ, & velatæ sunt virtutes, glorioſum præconiũ in die nouissimo obtinebunt. Vt sunt celandæ virtutes, vide in. 1. tom. lib. 1. cap. 7. §. 43. & lib. 3. cap. 4. §. 10. tom. 2. lib. 9. cap. 1. §. 11. & lib. 10. cap. 1. §. 7. & cap. 2. §. 8. tom. 3. lib. 15. cap. 7. §. 5. & cap. 10. §. 3. & alibi.

§. VIII.

Desidia, & inactuosi tas dedecus, & contemptum trahit.

MEritò cadentia secus viã semina conculcatio premit, vt enim via nullã culturã, nullum laborẽ præsefert, nec nouit aratrum, nec agricolæ manus, sed solis patet prætereuntium calcibus; sic piger, & inactuoſus animus, totius præstantis laboris expers, & dedecus, & contemptum, & contumelioſam vitam sibi parit. De ipso Rege gloriæ Iesu locutus Lucas, cap. 2. dum eius pueritiam, & adolescentiam proponit, solùm ait: *Descenditque cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis.* Erat, inquam, subditus fabro, & vix noto homini. Quid vilius de summo Rege gloriæ dici potuit? Qualiter, ô Angelorum Rex, à summi Parentis gloria potuisti venire in tãtam vilitatem, vt pauperi hominũtioni subdaris? Sanè dum in nuptijs esses, Ioan. 2. Ma-
Ioan. 2. tri vini signum postulanti imperioſè respondes. *Quid mihi, & tibi, mulier?* Et quam nunc vel æqualem agnoscere detrectas, per triginta annos antea pateris superiorem? Cur cuius in Cana Galilææ, vel preces ostendis quasi fastidire; eiusdem in Nazareth subis imperia? Cur & in Cana regiè te geris, & in Nazareth contemptam profiteris seruitutem? Erat in Cana diuina exhibiturus facinora, qui in Nazareth delitescens nihil videbatur operari, nec mirum quòd aggressio operum regium ostendat illum ipsum, quem vel simulata inactuoſitas vilem, & contemptum seruum præsentabat. Pulchrè huc respiciens Tertull. lib. de Pa-
Tertull. tient. cap. 3. ait: *Natus Iesus adolescere sustinet, et adultus non gessit agnosci, sed contumelioſus insuper sibi est.* Dum adolescit Dominus, nullo virtutum opere exhibito, sed

potiùs

potiùs præſtantis operis cuiuſcumq; quaſi expertem exhibens, nihil magis ſibi acquirere videtur, quàm contemptum, & contumeliam. Quid inde habeant homines deſides, & ignaui, qui non ſimulatè, ſed verè ab omni præſtanti opere vacant? Fallor, niſi hi funditus abeant in cõculcationem, & contumelias. Eccleſiaſt. cap. 4. ait: *Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas.* Vbi Græcus in caten. *Otioſus fame perit: quin etiam actiones infames ſuas amplexatur, et deglutit.* Eò enim neceſſum eſt, vt deueniat vir otioſus, & inactuoſus, quod, vt Hiſpani dicunt: *Traguê mil infamias, paſsê por mil vilezas.* Quòd, ſi qui alij, euidentiſsimè ipſi Hiſpani viri in ſe ipſis oſtendunt; ex quo apud Hiſpanos otium, & ignauia eſt in honore, erubeſco recordari quàm infames actiones, & contumelioſas ſibi amplexantur, deglutiunt. Fuit olim Hiſpanicus ager, quaſi quidam & maximus, & cruentiſsimus ager, in quo nemini licebat vacare, nec manus ibi vel gladio, vel haſta ſecurè vacuabantur. Cum labore, & opere in gente creſcebat gloriæ ardor, & quotidie ampliores facinorum campos quæritabant, videres & barbaram, & penè ignotam gentem triumphorũ claritudine extemplò nobilitari, & hoſtilibus ſpolijs congeſtis inter cantatiſsimas nationes decantari. Qui pelles rudes pro calceis adnectebant, iam lunatis calceis ſupra ſydera efferebantur, adeò vt pro ſtemmatum flexuris, & ſydera, & ſoles, & diademata, & glorioſa alia paſsim eorum domos ſuperbire facerent. Quid plura? Arenam exuit ager Hiſpanus, poſuit Hiſpana nobilitas arma, cæpit Hiſpanos nobiles militare faſtidium, cæperunt feriæ inhonoratorum, inactuoſitas deſidioſorum, & dum honori ducunt nihil agere, ab omnique facinore complicant manus, mille actiones infames amplexantur, deglutiunt. Heu quot principibus, & nobiliſsimis viris totius Hiſpaniæ aptari poſſet, quod Dijs Gẽtium Baruch decantabat. Ait enim cap. 7. *Conſtitutis illis in domo, oculi eorum pleni ſunt puluere â pedibus introeuntium. Sunt autem ſicut trabes in domo. Corda verò eorum dicunt elingere ſerpentes, qui de terra ſunt: dum comedunt eos, et veſtimentum ipſorum, et non ſentiunt. Nigræ ſunt facies eorum â fumo, qui in domo fit ſupra corpus eorum, et ſupra caput eorum volant noctuæ.* Quid aliud diceres nouellis iſtis hæredibus Hiſpanicæ nobilitatis? Succeſſerunt iſti domorum nobilium fundatoribus, & in domo proauorũ facinoribus illuſtri cõſtituti, nihil aliud efficiunt, quàm puluerem glutire, *pleni ſunt puluere â pedibus introeuntium.* Sunt equidem in domo ſicut trabes, non qui facinoribus facinora addant, nec actuoſas prætendant manus ruituræ; ſed quaſi trabes prorſus inactuoſæ aliquo modo ſuſtentant decoloratum tectorum aurum. Magnum hoc otioſorum dedecus, ſed aliud addam maius. *Corda eorum elingunt ſerpentes, qui de terra ſunt,* vilisſima, & humi reptantia carnis, ventriſque mancipia eorum corda elingunt; quæ fœminæ in ter proſtibulorum ſtercora naſcuntur, poſt mille nebulonum faſtidia, principibus cordi ſunt, eorumque viſcera paſcuntur, â quibus ingentia munera, aurea ornamenta accipiunt, & regia veſtimenta conſumunt, & non ſentiunt. *Nigræ ſunt facies eorum â fumo, qui in domo fit*: vtinam non tam vere iſtis vitijs domorum trabibus hoc poſsit aptari, etenim pro ſtemmatum ſplendore, pro hoſtium ſignis, quibus nobilium domorum facies antiquitus radiabat, in hac pernitioſa otioſitate ſucceſsit fumus, & horror, quando nobilis domus facies nil priùs prætendit, quàm fumo cerearum faſcium conſcriptas infames voluptates. Denique *ſupra corpus eorum, et ſupra caput eorum volant noctuæ*, quando ad hoc viuunt multi viri principes, vt nocturnos ambulones ad ſe trahãt, pernocteſque aleas ſubminiſtrent. Omnes has contumelias parit otium, fœlix qui pulchris facinoribus inſtans illas non experitur.

Ecclſ 4

Baruc. 7

§. IX.

Vitiorum fugitiuus, vel communes negotiorum vias ſuſpectas habeat.

QVis fugitiuus cõmunes vias non metuit? In vanum enim arripitur fuga, niſi communis via deſeratur, quãdo fugientibus deſerta, & inuia ſolent prębere ſecuritatem. Sanè numquam non capietur fugitiuus, qui à communibus vijs non longè deflectit: qui ſecus tritas, & frequentes vias verſatur. Quod ſapienter cauens Dauid, Pſalm. 62. ait: *In terra deſerta, inuia, et inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem gloriam tuam, &c.* Expende illud, *ſic in ſancto apparui*, hoc eſt, iuxta Euthimiũ, ſic diſpoſitus, vt eſſem in terra pror-

Pſal 62.

prorsus deserta, & inuia: nisi enim omnes effugeret vias, non putaret se posse tutè, & securè in sancto apparere. Innumeri equidem mortales peccata effugiunt, cùm sæpiùs illa per pœnitentiam fatentur; sed cõtinuò in illis ipsis relapsi deprehenduntur; quia etsi à peccatis fugerint, tamen in communibus negotiorum vijs manserunt. Dum eisdem veteris familiaribus, eosdem conuentus frequentas, eisdem gaudes & ludis, & dicterijs, nec à primis viuendi curriculis deflectis, etsi à peccatis fugias, à peccatis proculdubio capieris. Ille solus effugit peccatum, qui longè à communibus
Psal. 54. vijs discedit. Aiebat Dauid Psal. 54. *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Nõ solùm fugit, sed ita fugit, vt ab omni communi via separatus sic maneat, quasi in terra deserta, & inuia, & vastissima solitu-
Bernar. dine. Prõ quo Diu. Bernard. serm. 52. in Cant. *Non fuit contentus exire, nisi et longè se faceret, vt posset quiescere. Transiliſti carnis oblectamenta, vt minimè iam obedias concupiscentijs eius, nec tenearis illecebris: separasti te, sed nondum elongasti, nisi et irruentia vndique phantasmata corporearum similitudinum transuolare mentis puritate præualeas.* Non sufficit ad quietem, & securitatem à peccatis exire, sceleribus renũtiare, nisi etiam quàm longissimè te facias à communibus rerum corporearum curriculis, quibus tibi frequentia sunt scandala. Si te idem ludus, idem sodalis, eadem gradiendi consuetudo, eadem conuersatio, ijdem conuentus expectant, fieri nequit, vt non incurras easdem animi labes. In-
Thren. 2. fœlices illi, Thren. 2. notantur, dum dicitur: *Matribus suis dixerunt, vbi est triticum, et vinum, cùm deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cùm exhalarẽt animas suas in sinu matrum suarum?* Sapienter ad cælestem panem, & vinum confugiunt, quo amant refici, & saturari, & nihilominus pereunt. Cur pereant homines, qui nouerunt cœlesti cibo ali? Nota vbi pereant, *in plateis ciuitatis, in sinu matrum.* Ad medelam diuini cibi currunt, sed adhuc illos plateæ tenent, adhuc sub eadẽ latitudine, sub eadem conuersatione viuunt, nihil de plateis, nihil de sinu matrũ, hoc est, de molli viuendi modo relinquunt, cur inde non animas agant? Diu.
Pasch. Paschas. ibi, lib. 2. *Hoc viuum, et hunc panem à matribus requirunt, sed quia in plateis non inuenitur, exhalant animas suas in sinu matrum, quæ illos malè aluerant, et in sinu oblectationis pessimè illexerant.* Linque sinus, linque plateas, linque vias tritas, longè te facà curriculis illis viuendi priſtinis, transmigra in montẽ sicut passer, quisquis cupis à priſtinis lapsibus habere securitatem. Introducturus Dominus populum Israelitem in terram fluentem mẽlle, & lacte, in qua quisque posset sub vite sua, & sub ficu sua quietè agere, nil priùs curauit, quàm vniuersos, qui Aegyptum viderant, sepultos in deserto relinquere. Num. 32. *Qui iratus iurauit, dicens:* Nu. 23. *si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Aegypto â viginti annis, et supra, terram, quam sub iuramento pollicitus sum, &c.* Et cur ascendentibus ex Aegypto negatur aditus in terram promissam? Vt intraturi in requiem Domini, non solùm Ægyptum relinquerent, sed nec vlla Ægypti memoria, nec vlla consuetudo cum his, qui Aegyptum viderunt, posset menere in illis.
Chryſost. Ait Chrysostom. in Psalm. 43. *Cur non meminit eorum, qui excesserunt ex Ægypto? Cur omnes perierunt? Vt qui Palæstinam erant occupaturi, mala, quæ erant in Ægypto, non vidissent, omnem nempè superstitionem, et omnem impietatem, et vt tantæ improbitatis nullum magistrum haberent.* Non solùm Aegypti iugum excutiendum, sed & conuersatio cum illis, qui in Ægypto fuerunt, & omnigena Ægypti memoria cauetur prudentissimè ab his, qui securi, & quieti cupiunt degere in terra promissa. Nullus enim prætextus te incolumem seruabit, dum nihil de prophanorum vijs amas relinquere. Aiebat Dei Amatrix,
Cant. 7. Cant. 7. *Surgam, et circuibo ciuitatem: per vicos, et plateas quæram, quem diligit anima mea.* Quo saniori proposito potuit sponsa & plateas, & vicos ciuitatis deambulare, ita vt nullum relinqueret viculum?
Cant. 5. Sed accipite Cant. 5. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem; percusserunt me, et vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum, &c.* Et meritò dum mundiales vias minimè fugit, etsi eas prætextu Dei quærendi inambulet, tot vulnera, & spoliationem sustinet. Diu. Paschas. lib. 2. in Thren.
Paſch. ait: *Quia latiores vitæ vias expetit, et longiùs plateas huius sæculi requirit, vniuersis spoliatur bonis, et fame pereunt.* Nil aliud sibi expectet à communibus mundialis conuersationis vijs, qui neutiquam illas relinquit, sed etiam ad Deum conuersus manet in eisdem. Quàm sint occasiones peccatorum fugiendæ, vide tom. 1. lib. 2. cap. 10. §. 12. & lib. 4. cap. 2. § 25.

Luc. 8. Et aliud cecidit ſupra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem.

§. X.

Summum obdurationis malum timeat in ſe, qui virtutem alacriter ſuſceptam deſerit.

OBdurati, lapideiq; cordis illud maximè proprium, quòd nimirum illa in ſe oſtendat germina virtutum, quæ citò decidant, areant. Virtutis opus inceptum, & protinùs relictum nonnumquam à lapideo corde venit, vel lapideâ, obduratamq; malitiam cordi affert. Videres virtutis opus denuò arripi, & ſtatim dimitti; quia ſiccato cæleſti humore, totus hominis animus tranſiuit in lapidem. Quò pulchrè ſpectabat Pſalm. 89. inquiens: *Manè floreat, et tranſeat, veſpere decidat, induret, et areſcat.* Quid aliud reſtat videndum in flore, qui ſola diei initia nouit, qui ſciuit diem initiare, ſed nondum diei initium tranſiuit, & ipſe tranſijt? Sanè de hoc meritò additur, *Veſpere decidat, induret, et areſcat.* Qui ſola initia die nouit, & ſtatim tranſijt, in terram decidet, & in duritiem, & ariditatem tranſibit lapidis. Tantùm id non dixit Euthym. fatus. *Qui mane quidē diei florebat, et pretranſiuit â flore, et veſpere decidet; hoc eſt, cadet in terram, atque ita conſumpto eo humore, quem antea habebat, obdureſcet, atque exſiccabitur.* Solet equidem extremâ duritiem comitari floridus virtutum, & ſtatim interceptus conatus. Hinc Hieremias notans Iudæorum malitiam & grauiorem, & obduratiorem malitia Sodomorum, ait Thren. 4. *Et maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento, et non cæperunt in ea manus.* Expende, vndè minuat & grauitatem, & duritiem Sodomæ, nimirum ex eo, quòd momento ſubuerſa eſt, non multùm perſeuerauit; & etiam, quòd *non cæperūt in ea manus*; hoc eſt, quòd Sodomitarum manus nullum opus bonum inceperunt. Iudæi autē multa bona opera inceperunt, multa virtum facinora initiarunt, cur ergo dicatur malitia Iudaica maior, & grauior? An maius malum eſt virtutes initiare, & dimittere, quàm nullam vmquam virtutem initiaſſe? Equidem virtutis inceptæ viam dimittere, extremam ſolet duritiē, & mentis ariditatem denotare. Diu. Paſchaſ. ibi, lib. 4. *Nec dimidium ſcelerum Iudææ Sodoma peccauit, quæ vacabat otiò: atq; egeno, et pauperi manum nō porrigebat: neque vt præſens verſus inſinuat, cæperant manus eius in ea, antequam ſubuerteretur, boni aliquid agere. Hieruſalem verò, cū et notitiam Dei haberet, et mandata vitæ percepiſſet, manus miſit ad omnia, quamuis ad vltimum, authorem vitæ peremerit.* Quæ ſic virtutibus floruit, quas tandem reiecit, perditiſsimos quoſque in grauitate, & obduratione malitiæ longè ſuperauit. Vix enim in alio ſic oſtenditur extrema malitiæ obfirmatio, quam in eo, quòd virtutes inceptæ dimittantur. Proponite vobis ob oculos Iudam poſt viſa Chriſti miracula ad Iudæorum balbas clamantem, Matth. 26. *Quid mihi vultis dare, et ego eum vobis tradam?* Sed & de eodē locutus Matt. 27. ait: *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, et ſenioribus, dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Dum vidit Ieſum miracula operantem, milites ad terrā vſque deijcientem, eoſdemque penè exanimes leuantem, Malchi auriculæ medentem, nihil inde compūctionis educit, ſed adhuc traditioni operam nauat: vbi autē videt Ieſum vinctum catenis, & à Iudæis damnatum, tunc pœnitentia ducitur, tūc clamat, Peccaui. Cur cōpunctio hæc non antea pullulauit? Fuit hoc, fateor, in Iuda quoddam virtutis, & veræ cōpunctionis initium, ſed à quo ſtatim ceſſauit currens ad laqueum; vndè hoc initium veræ compunctionis imperfectum meritò non apparuit, niſi vbi per extremam ſcelerum conſummationē prorſus in malo erat Iudas obduratus, & totus lapideus factus. Tā tum hoc non dixit Chryſoſt. hom. de prodit. Iudæ. aiens: *Quid eſt, quando ab eo mirabilia gerebantur, & rebus oſtenditur, non dixiſti, peccaui tradēs ſanguinem; ſed, quid vultis mihi dare, et ego vobis tradam eum? Et poſt factum ſcelus, poſt completam proditionem, poſt perfectum peccatum, cognouiſti peccatum.* Debuit equidem compunctio illa incepta, & turpiter dimiſſa non niſi extremam ſcelerum completionem, & confirmationem comitari, quando obduratum animum in malis comitari ſolēt virtutes, quæ ſimul vt exortæ ſunt, ob defectum humoris arent.

Paſch. Matt 26 & 27. Pſal 89. Euth. Thren. Chryſoſt.

§. XI.

§. XI.

Verbum Dei, dum intima cordis penetret, potens est vel lapides conuertere in riuos aquarum: & obduratissimos peccatores in sanctos.

MIraris Verbi Dei semen supra petrã cadens natum aruisse ob defectum humoris? Et quì fieri potest, quôd Verbi Dei semini deficiat in petris humor? Ait Moyses, Deutheronom. 32. *Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina, quia nomen Domini inuocabo*: quasi Deum ferens Verbum, eo ipso & imbres, & pluuias omnes secum habeat. Imô de quodam Indorum flumine ait Minutius Fœlix in Octauio: *Indus flumen et serere Orientem dicitur, et rigare*: quod veriùs de diuinis verbis dici potest, quæ & semina sunt, & flumina, vt & animos serant, & indefectibiliter rigent. Cur ergo Verbum diuinum quando quidem flumen est, & semen, decidens supra petram natum aruit, quia non habebat humorem? An non habebat humorẽ, vbi flumen erat? Cur ergo aruit? Rationem notat textus, dum ait: *Aliud cecidit supra petram*; non equidem cecidit Verbum Dei intra petrã, sed solùm supra illam, exteriùs cecidit, si enim intra petram receptum fuisset, valuisset facere petras lacte, & melle manare. Cantatissimi artificis Myronis arte ex ære fuit buccula fabricata, adeò viuis similis, vt iuuencos falleret, qui quasi ad maternas, sic ad æreas bucculæ mammas conuolabant. Quibus in æreæ bucculæ nomine sic affatur Magnus Ausonius epigram. 62.

Vbera quid pulsas frigentia matris aheneæ,
O vitule, & succum lactis habere petis?
Nunc quoque præstarem, si me pro parte parasset
Exteriora Myron, interiora Deus.

Sapienter de ære ipso & succus, & humor indefectibilis lactis posset sperari, si Deus pro parte interiore æra parasset. Vbi enim Deus intrinsecùs habetur, lapidea, siue ærea corda salientibus in vitam aquis exundarent. Nulla lapidis durities, nulla ariditas, nulla insensibilitas obest Dei Verbo intrinsecùs loquenti. De se aiebat Ezech. cap. 2. *Et vidi, & cecidi in faciem meam, et audiui vocem loquentis. Et dixit ad me. Fili hominis, sta super pedes tuos, & loquar tecum. Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos.* Expende, ex quo firmatus steterit vates supra pedes suos, nõ equidem ex quo extrinsecùs sonantibus verbis pulsabatur, tunc enim pronus iacebat in terra nihil potens, nihil efficiens. Quid tunc? Et ingressus est, inquit, in me spiritus, & statuit me, &c. Dum eius intima penetrat spiritus, vt in corde ponat sermones suos, statim conualescit de infirmitate, adeò vt possit aggredi opus diuinum. Hinc Isaias cap. 54. ad Hierusalem ait: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphyris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles: vniuersos filios tuos doctos à Domino.* Miraris, quôd Dominus Hierosolymæ rem sic ad lapides referat; quasi tota Hierosolymorum sapientia, & virtus suggenda sit de lapidibus illis. Et quid poterunt boni educere à lapide? Nonne quæ in tabulis lapideis scripta fuit lex, passim contemnebatur, adeô vt ipsi confringerentur lapides? Cur iterum, Domine, recurris ad lapides? Cur non magis lapides caues. Rationem adducit Hieronymus ex Hieremia. 31. vbi sic: *Erit pactum, quod feriam in domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Et lex, & lapides frangebantur, vbi lex solùm super lapidem extrinsecùs exarabatur; at vbi Deus non super lapides scribebat, sed intrinsecùs in ipsis cordis medullis legis verba intonabat, tunc vel lapides ipsi in filios Abrahæ conuertebãtur. Quid non consequatur ille, cuius in corde verba Dei sonant? Aiebat Oseas, cap. 2. *Loquar ad cor eius, & dabo ei vinitores eius ex eodem loco.* Aliter apud Græcos. *Loquar etiam in cor eius, daboq; ipsi facultates suas inde.* Vbi eleganter Theophylactus expendit particulam illam, *inde*, inquiens: *Quid verò sibi vult, quod ait, inde? Hoc est ab eo, quod loquitur in cor ipsorum. Inde enim talibus, tantisque bonis ditati sumus.* Numquid Verbum Dei cordis intima penetrat, quin ingentes inde faciat ornni fructus faciat pullulare, quibus æternùm dilesca-

Deut 30 testemur. Deuteronom. 30. aiebat Moyses, iuxta Septuag. *Iuxta te est sermo valdè in honore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis, vt facias illud.* Ad quæ verba al-
Rom. 10. ludens Paulus ad Roman. 10. ait: *Propè est verbũ in ore tuo, et in corde tuo, hoc est, verbum fidei, &c.* Por quo sapienter inquirit Diu. August. lib. 5. quæstionum, quæstion. 59. cur Paulus non dixerit, verbum in manibus esse, iuxta Septuaginta, sed solùm dixerit, verbum & in ore, & in corde esse? Et quidem dum dictum fuit, verbum Dei in corde esse, superfluum potùit videri addere, & esse in manibus, quando Verbum diuinũ nescit esse in corde, quin inde ingentia virtutum facinora prosilire faciat. Huc reuoco dicta tom. 3. lib. 14. capit. 18. §. 3. &. 5. & tom. 2. lib. 6. cap. 2. §. 1. & tom. 1. lib. cap. .1. §. 3. & lib. 4. cap. 1. §. 19. & alibi.

§. XII.

Potest etiam nequissimus bonorum præmia obtinere, sed in illis durare vix potest.

Miraris in durissimis petris, aridissimisque potuisse virtutis semen viridantibus foliis exoriri; fateor, exortum fuit semen Dei etiam in aridissimis petris, sed natum aruit, quia non habebat humorem. Nullus equidem adeò lapideus, adeò nequam homo est, qui aliquando bonorum præmijs non possit fulgere, sed diu in illis nullo modo persistet. Pulchrè ad hæc de nefarissimo Vitellio vsque ad imperium sublimato, aiebat Magnus Au-
Auson. sonius.

Vitæ sors, mors fœda tibi, nec digne Vitelli,
Qui fieres Cæsar: sic tibi fata placent.
Vmbra tamen breuis imperij: quia præmia regni
Sæpè indignus adit, non nisi dignus habet.

Bona mundi sæpè sibi indigni, & lapidei homines præripiunt; qui tamen illa diutiùs habere secum minimè possunt, in his enim vel ab ipso exortu solent bona vniuersa decrescere, quando sola Dei virtus stabilitatem, & firmitudinem præbet rebus. Sic Isaias, cap. 54. vt nouæ Hierosolimæ durationem promitteret æternam, solùm ait: *Et in iustitia fundaberis*, quasi sola Dei virtus durationum fulcra parturiat, & stabilia fundamenta concinnet. Ecclesiastes. 1. *Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in perpetuum stat.* Et quo fulcro nixa potest terra in perpetuum stare, quando tot florentissimarum generationum cursus labuntur? Difficile equidem fuit antiquis Philosophis inuestigare hoc terrenæ stabilitatis fulcrum; varijs varia dicentibus, vnus D. Ambros. ex ipso stabilitatis conceptu argumentatur, non alio, quàm Deo terram debere inniti. Sic enim lib. 1. Exam. cap. 16. ex Ecclesiaste Eccl. 16.
dicente, prętereuntibus cunctis terram in perpetuum stare concludit: *Ergo fundamentis suis nixa subsistit, nec fulcris suis stabilis perseuerat, sed Dominus fundauit eã.* Vbi inter tot labentium cursus terram stabilem perseuerare videmus, & eodem modo gratiosam permanere nouiter aduenientibus, ac fuerat pertranseuntibus, vanum est tantæ stabilitatis fulcrum ab alijs petere, quàm à Deo, quando sola Dei virtus sic nouit res fundare, stabilire. Hunc eumdem locum respiciebat Nazianzenus Nazianz.
dum prædicans fratris sui Cæsarij virtutes, inde illas extollit, quòd fecerint illum durare, & permanere eumdem inter crebras succedentium Imperatorum vices. Quippè ait orat. 10. *Tempus quidem Imperatores subinde commutauit; Cæsarij autem gloria, & authoritatis apud eos principatus haud quaquã consumptus, ac dissolutus est, quin potiùs de eo inter Imperatores certamen erat, quisnam Cæsarium magis sibi adiungeret, & cuiusnam ille magis amicus, & familiaris diceretur. Talis Cæsarij pietas, talia pietatis præmia, studeant iuuenes, audiant viri, ac per eamdem virtutem, ad eumdem splendorem contendant.* Hæc quidẽ est virtutis, & pietatis cõstantia, quòd labentibus, & pereũtibus Imperatoribus, suum faciat perseuerare alumnũ omnibus æqualiter gratum. Huc reuoca dicta. 1. tom. lib. 1. cap. 9. §. 12 & tom. 2. lib. 11. cap. 6. §. 7.

Luc. 8. Et aliud cecidit inter spinas: & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.

§. XIII.

Non quæ extrinsecùs sunt diuitiæ, sed quæ earum cupiditas intra cordis aream nascitur, nociua est.

Expende, quæ spinæ semen tem suffocent, nimirum spinę, quę simul cum semen-

semente intra ipsam aream nascuntur, nō quæ forinsecùs aream, & sementem sepiunt, hæ potiùs pro vallo, & defensione sementis sunt. Nec aliter diuitiæ forinsecùs positæ maximam afferunt vtilitatem; verùm quæ simul intra cordis aream nascitur diuitiarum cupiditas, hæc prorsus nociua, & pestifera est. Quò spectans Da
Psal.61. uid monebat Psalm.61. *Diuitiæ si affluāt, nolite cor apponere*: hoc dixit, & tacuit, nec amplius nos monuit de diuitijs, dum enim diuitiarum affectus non recipiatur in corde, sed extra cor sit, non tam nocēt
Cassiod. diuitiæ, quàm prosunt. Ait Cassiod. hic: *Si cor eis non apponitur, vt in ipsis singularis fœlicitas iudicetur: profectò necessariæ sūt. Inde enim egentibus subuenitur: inde plures ad cœlorum regna perueniunt.* Non malæ sunt diuitiæ, sed mala est, & pestifera earum cupiditas exorta in medio cordis: de hac dicitur, quòd suffocat Dei semen-
1. Tim.6 tem, iuxta illud Pauli. 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociua, quæ mergunt homines in interitum.* Vbi Anselm. Chrysostom. & Diu. Thom. expendunt, quòd non comprehendantur his verbis diuites, sed qui volunt diuites fieri, hoc est, qui in corde habent præfixum amorem diuitiarum. De quibus etiam Ecclesiastic.
Eccl.10. cap.10. ait: *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua.* Caue tibi, ne intima tua possideat diuitiarum cupiditas; dum enim hæc tenet intima cordis tui, nil bonum inde non projicit, nil malum ibi non parturit. Verū vbi cordis intima nō cupiditati, sed Deo serues integra: extrinsecùs positæ di
Eccles.5 uitiæ multas vtilitates afferent, Ecclesiastes c.5. ait. *Et omni homini, cui dedit Deus diuitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua, et lætetur de labore suo, hoc est donum Dei. Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quòd Deus occupet delicijs cor eius.* Ecce tibi hominem diuitem multis opibus à Deo refertum, qui tamen nulla sollicitæ, & ærumnosæ vitæ spicula sentiat; qui nullam mœstitudinem vmquam meminerit. Hoc est illud: *Non recordabitur dierum vitæ suæ*, in contrapositionem illius diuitis, qui insomnem ducens no-
Luc.12. ctem aiebat, Luc. cap.12. *Quid faciā, quia non habeo, quò congregem fructus meos? Et dixit; hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam; & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, &c.* Compone modò diuitem, & diuitem, vtrumque opibus plenum; hic sollicitus, & de numero annorum vitæ suæ, quibus possint sufficere bona sua; sollicitus de horreis destruendis, & reædificandis; ille nullam sollicitudinem habet, nec recordatur annos vitæ, nec destructionis mœstitudines sentit. Sed quando alter sic curis angitur, vt inter illas pereat: cur hic dives nulla diuitiarum spicula pertimescit? Ait Ecclesiastes: *Eo quod Deus occupet delicijs cor eius.* Nō diuitiæ, sed Deus cor eius occupatum habebat, & inde nihil sollicitum, nihil mœstum, nihil nociuum, sed omnia læta, & iucunda etiam inter diuitias habebat. Pulchrè Caiet. ait ibi: *Ratio non recolendi huiusmodi mœsta, subiungitur, quia Deus testificatio est in lætitia cordis eius. Qui Deus dando in corde diuitis iugem lætitiam, est tanquam præbens testimonium fœlicitatis ipsius diuitis.* Caieta.
Fœlix ille, cuius præcordia Deus occupat; huic diuitiæ immensæ, auri summa copia ad fœlicitatem, ad gaudia ingentia proueniunt; & de diuitijs non perditio, sed insignia virtutum facinora nascentur. Vndè Diabolus cupiens Iob
Iob. 1. peruertere, nihil priùs petit, cap.1. quàm *Extende paululùm manū tuam, tange cuncta, quæ possidet, &c.* Cur non magis optas diuitias subuertendo homini? Cur diuitem de paupertate sic cupis? Attigit rationem Chrysost. hom.2. de Iob. *Diabo-*
Chrysost. *lus quandoquidem eum ditescentem eisdem temporalibus diuitijs vidit, atque ex eisdem æternas sibi thesaurizare diuitias putauit, quoniam eo ditescente, ditescebat iustitia. Tentat eum igitur pecunijs nudare, quò claris eum dem facinoribus nudet.* Erant equidem in Iobo diuitiæ virtutum fomenta, erant facinorum clarissimorum materia, erat salutis vallum, quæ extra cordis areā positæ vtilitatem, non damnum operabantur. Ex quo vniuersos diuites monebat Chrysost. ibi: *Fiat iuxta Iob dives, atque ego tibi maiores diuitias expectabo: fias*
Chrysost. *iuxta Abraham, atque omnis terra diuitias coaptabit. Dic & tu, sicut ille dicebat. Ianua aperiebatur omni tribulato: dic, humeros pauperum calefeci: dic, os viduæ benedixit mihi, atq; diuitijs quibusuis ditesce.* Hoc tantùm seruetur in diuitijs, vt cor relinquant liberum, & integrum Deo, & nullum erit inconueniēs, quòd crescant, imò ex illis insignia virtutum opera crescent.

§. XIIII.

§. XIIII.

Cor possessum à diuitiarum cupiditate, verbi Dei virtutem nescit sentire.

VBi diuitiarum cupiditas intra cordis aream exoritur, non miror, quòd virtutũ germina suffocentur; nequit enim cor sic affectum virtutem sentire diuini verbi. Eccles. 5. Ecclesiast. cap. 5. *Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole, diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.* Et ne dubitaretur, qualis esset infirmitas hæc, vel an præcordia teneret, explicatè legit Arabica lectio: *Est auiditas*: & Chaldæus Costi posuit: *Est pernicioſum malum, cui medicina non est.* Tanta quippè infirmitas est auiditas cordialis diuitiarum, vt nullam medicinam recipiat, nec vllum vmquam verbi diuini medicamen sustineat. Chald. Compl. Id quod notanter ponderat Chaldæus Complutensis, inquiens: *Malitiæ quidem multitudo significatur in præsens per diuitias; vt proinde, qui eiusmodi diuitias apud se conseruant, hoc ipso, nec Dei sapientiam, quæ sit, agnoscant, nec sese ad intelligendum comparent, necdum in animum inducant suum, filios erudire suos, ijsq; exemplo esse, ac disciplinæ. Nec mirum sanè, cùm nec verba quidem mandatorum ipsius Dei recipere, nec in cordis thesauro recõdere studuerint.* P oh diuitiarum concupitarum pernitiosum malum! Vbi hæc cupiditas præcordia possidet, omnem medicinam virtutũ excludit, nec verbum Dei in cordis thesauro adolescere patitur. Notissimus est in diuinis litteris Vates ille Balaam, qui muneribus Madianitarum inescatus desiderio afficiebatur maledicendi populo Israel, sed Deum, & euaginatum Angeli gladiũ verebatur. Auri cupidine possessus Madianitis morem gerebat, colloquio Dei veri à maledictis frænabatur. Quid tunc? Ait Numer. 23 textus, Num. 23. *Dominus autem posuit verbum in ore eius.* In ore eius posuit Dominus verbum, cur non magis in corde posuit? Nonne de abundantia cordis os loquitur? Cur non magis in Balaami corde dantur Dei verba, quæ illum à maledictis reuocare possint? Madianitarum auri cupiditas tenebat miseri hominis præcordia, ideò minimè potuit verbum Dei capi in eius corde. Notanter Origen. Orige. homil. 15. super Num. ait: *Iniecit verbum Dominus in os eius, quamuis nondum cor eius caperepossetverbum Dei. Adhuc enim erat in corde eius mercedis cupiditas, propter quod etiam post verbum Dei, quod habuit in ore suo, dicebat ad Balach: Veni, & do tibi consilium, et docebat eum, quomodo mitteret scandalum in cõspectu filiorum Israel.* Diuitiarum mole occupatum cor nescit verborum Dei virtutem sentire, forsan in ore permanebit verbum Dei, at in diuite corde vix fieri potest, vt adolescat, vt viuat. Hierem. 12. *Quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus, qui præuaricantur? Plantasti eos, et radicem miserunt: proficiunt, et faciunt fructum: propè es tu ori eorum, et longè à renibus eorum.* Equidem vbi diuitijs implentur, possunt verbũ Dei in ore habere, in corde autem, & animo id habere minimè volunt, sed à se quidquid Dei est, proijciunt longè. Non multùm viuit diuini verbi virtus in diuite corde. Vbi Ionas prædicauit in Niniue, ait textus, cap. 2. *Et peruenit verbum ad Regem Niniue, et surrexit de solio, &c.* Miraris, quôd verbum Dei sic immutet Regem Niniue? Cui temporales diuitiæ magis sunt cordi, quàm Regi, & Regi Ethnico? Vndè ergo valuit Dei verbum, sic in diuitis Regis corde adolescere? Nota Ionæ vocem, nimirum: *Adhuc quadraginta dies, et Niniue subuertetur*: priùs tota regni spes, tota diuitiarum fiducia tollebatur ex corde, qua sublata, potuit verbum Dei tanta efficere in eius corde, alioquin vix posset. D. Ephrem, serm. in Ionam: *Flexit, atque infregit sua voce corda Regum, quia illorum vrbem super ipsos euertebat, vna voce omnem eorum spem præcindens,* Expende, vndè corda Regum dicuntur commota voce Prophetæ, nimirùm, ex quo illis bonorum temporalium spes præcisa est; nisi enim hæc bonorum spes præcinderetur, minimè Dei verbum in corde diuitis adolescceret. Dicebat ille, Prouerb. 5. *Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, et magistris non inclinaui aurem meam?* Cui quasi responderet D. Ambros. serm. 81. ait: *Communis hominum naturæ non meminit dies, scriptum non legis, nec recordatur præceptum esse, vt fides, et misericordia non deserant te; et confringe esurienti panem tuum. Et quæcumq; vel à cæteris Prophetis, et Doctoribus quotidie prædicãtur, dines non audit, videt, nec intelligit.* Verè in diuite corde nescit verbum Dei adolescere.

Luc. 8. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.

§. XV.

Internæ virtutis præstantia, nullo magis claret, quàm præsentaneo bonorum operum fructu.

BOnitatem terræ meritò Dominus exprimit ex centũplicato fructu statim orto; nullo enim magis virtutis apparet prestantia, quã in presentaneo exhibito fructu bonorũ operũ. Accipite pulchrũ præstãtis virtutis, & bonitatis exemplum in Anna Sansonis matre: huic adest An-
Iud. 13. gelus, Iud. 13. illãq; monet de filio habendo, & statim subdit: *Caue ergo, ne bibas vinum, ac siceră, nec immundũ quidquam comedas, quia cõcipies, et paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazæus Dei ab infantia sua, et ex matris vtero, et ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorũ.* Duo hic dicit Angelus bonæ fœminæ, & quòd caueat vinum, iã consecrans Deo filiũ; & quòd filius magna patraturus erat aduersus populum Philisthinorum. Quid tunc mulier? Angeli, imò Dei verbum narrat marito, inquiens; *Quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere, sed hoc respondit: Ecce concipies, & paries filium: caue, ne vinum bibas, nec siceram, et ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua, et ex vtero matris suæ, vsq; in diem mortis suæ.* Hæc dixit, & cætera tacuit: Id quod notat D. Au-
August. gust. quæst. 52. dicens: *Et quod legitur dictum: ipse incipiet saluum facere Israel, non est â muliere memoratum.* Et cur bona fœmina, quæ multa fuit in explicanda abstinentia à vino sibi indicta, & consecratione pueri nascituri: pueri etiam facinora, & victorias de Philisthinis sibi reuelatas nec dixit, nec illarum videtur meminisse? Sanè bona terra nil aliud curauit, quàm ad bonorum operum fructum præsentaneum currere; cæteras autem victoriarum Sansonis, & facinorum eius, & populi liberãdi prædictiones nil curat. Huc conueniant fœminæ virtutum studiosæ, & condiscant, vndè veræ bonitatis, & sanctitatis specimen eulgent, si ex Angelorum colloquijs id dissmulent, & quasi obliuiscantur, quod ad meras futurorũ prædictiones attinet; id arripiant toto animo, quod præsentaneum bonorum operũ petit exercitium. Hoc, etsi linguæ cessabũt, etsi miracula non fiant, etsi prophetiæ euacuentur, erit tamen intimæ bonitatis, & præstantis virtutis indicium clarissimum. Notissima est Iosephi Patriarchæ historia, quando ex somnio Pharaonis imminentem famem prophetauit, illique congestis frumenti copijs occurrendum consuluit. Eius prophetiam miratus Rex, Ge-
Gen. 4. nes. 4. ait; *Quia ostendit te Deus omnia, quæ locutus es, numquid sapientiorem, et consimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam, &c.* Circa quæ verba, illud venit ponderandum, nimirum, an Rex sapienter coniecerit ex prophetia Iosephi, illum tantum esse virum, cui parem, & similem alium inuenire, ad subueniendum tempore difficili famelicis, impossibile esset? Poterit ne fieri, quòd par Iosepho inueniatur virtus, quando ipse sic intelligit super egenum, & pauperem, vt tempora famelica diuinet? Pulchrè hanc quæstionẽ dissoluit Sidonius Apollinar. lib. 6. epist.
Sid. Ap. 12. quæ est de Patientis Episcopi virtutibus, vbi sic habet: *Ioseph contra sterilitatẽ septem vberes annos insecuturã, facilè prouidit remedium, quod præuidit: secundum tamen moralem sententiam, nihil minor est, qui in superueniente simili necessitate, non diuinat, et subuenit.* Inde sapientissimè cẽsetur præstantia virtutis, quòd etiam si nõ diuinet, in opus tamen prosiliat. Te operantem videam, te beneficum noscam, & operibus pietatis plenum, & nullas alias gratias gratis datas requiro, non varias linguas, non miracula, non prophetias, vt tuã ingentem prædicem virtutem; imò inde te multis prophetantibus anteponam, quòd non prophetes, & subuenias, & operibus charitatis incumbas. Nihil enim sic intimam animi virtutem ostendit, vt illã ostendit exhibiti virtutis operis fructus. Cùm Petri socrus ægrotaret, Iesus Marc.
Matt. 8. 1. *Accedens eleuauit eam apprehensa manu* Quid medico, & infirmæ manui? Medici solent vel frontem, vel linguam attrectare, vel saltem pulsum in extrema brachij parte notare, vt occultam infirmi qualitatem noscant. Cur Iesus non pulsum, non frontem, non linguã, sed solam tenet infirmæ manũ? An quia index clarior virtutis suæ infirmantis, siue valentis ab operibus exhibetur? Ait Diu. Chrysostom. homil.
Chrysos. 6. in Marc. *Non tangit frontem, non tangit aliam partem corporis, sed manum tangit: propterea enim febricitabat, quia bona opera non habebat.* Nescit occultari virtus in manibus, si in animo adsit, sta-

tim

tim sese operibus prodit; si non se prodit operibus, inde est, quia non adest. Huc reuoco dicta in præsenti, lib. 14. cap. 2. §. 19. & cap. 20. & cap. 4. §. 17. & cap. 20. §. 20. & tom. 2. lib. 10. cap. 1. §. 5. & alibi.

Luc. 8. Hæc dicens clamabat, qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit, vobis datum est nosse mysteriũ regni Dei: cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.

§. XVI.

Deplorata est salus illius, qui Saluatoris noscendi studio nullo afficitur, quando qui illum inquirit, inuenit.

MEritò discipulis datur, quòd noscãt diuina humanę salutis sacramenta, vtpotê, qui interrogant, qui inquirunt; cęteri autem à salute excluſi penitùs relinquuntur, vt qui Saluatoris noscendi nullo studio afficiũtur. Quam perditionis notam pulchrè Iudæis inusit D. Iustin. in orat. aduersus illos, inquiens: *Iustin.* *Cur vnum A priori Abrahami nomini additũ sit, disseris: itemq; qua de causa vnũ R, additum sit Sarræ nomini, compta oratione disputas? Cur autem Ausæ nomen, quod â patre habuit Naue filius, totum in Iesu nomen mutatum sit, non quæris? Item, cum in Moysis locum succesſisset, cur solus eorum, qui ex Ægypto, id ætatis, qua erat, exierant, in terram sanctam populum deduxerit. Atq; vt idem hæreditario iure eam inter eos, qui secum introierãt, diuiſit.* Sic perditissimi Iudæi circa parentem carnalem Abrahamum adeò curioſi indagatores, vt nec sinerent vnã nominis litterã mutari, quin mille quæstiones excitarent, quibus mutationis mysteriũ anxiè perquirerẽt. At de duce suo Iosue, in quo tot noua, & inusitata concurrerunt, nimirùm & totius nominis mutatio, & introductio populi in terrã promissam, & terræ acquisitæ partitio nil prorsus inquirũt. Et cur tam curioſi circa parua Abrahami, tã desides, & tardi extiterunt circa Iosue? In Abrahamo promissam temporalitatem videbant; Iosue totus halabat Iesum æternę authorem salutis, sicq; perditissimi prorsus tẽporalitati adhærentes, nihil æstimãt veræ salutis authorem inquirere. Verè in hoc deploratam suam ostendebãt salutẽ, quòd solliciti de minimis, de Saluatoris magnalijs perquirẽdis curã habebant nullam. Sed iam & Iesus erat in mũdo, verus Sol iustitiæ, explicãs plenas sanitatũ pennas suas: simul & Baptista Ioannes voce tonabat ad Iordanis ripas. Quid tunc Iudæi? Ioan. 1. *Miserunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes, et Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es?* Id quod notans Orig. hom. 6. in Ioan. ait: *Ioannẽ quidem cum tanto honore interrogant: Christo autem nihil tale â Iudæis factũ, litteris diuinis mandatum est.* Proh miserã obdurati cordis perditionem! Nulli studio, nulli labori parcitur, vt leuidẽsia, & minima sciãtur, cognoscantur: vt autem veræ salutis author notus sit, nec minimum adhibetur studium. Meritò de his Hierem. 10. ait: *Hierem.* *Quia stultè egerunt pastores, & Dũm non quæsierunt; propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est.* Cur cæcus, & obduratus non relinquatur, qui nullum studium, nullã operam nauat, vt suæ percipiat authorem salutis? Sapienter monebat Psalt. 104. *Quærite Dũm, et confirmamini, quærite faciẽ eius semper.* Imò se testem adducens, ait Psal. 33. *Exquisiui Dominum, et exaudiuit me, et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Accedite ad eũ, & illuminamini.* Nõ se negat Dominus inquirenti; hoc vnum expectat, vt sit, qui quęrat, qui pulsęt, & statim sese manifestat, suamq; prætẽdit claritatẽ. Isai. 21. *Ad me clamat ex Seir: Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Dixit custos: Venit manè, et nox, si quæritis, quærite.* Expende illud, *venit manè*, de nocte quęrebat, & respõsum accipit, quòd venit manè. Cur Domino quærẽti de nocte, obijcis statim manè? Equidem, qui sub vmbris latentẽ Deũ quærit, non potest eius claritate non illuminari; vix tenebras latibuli inquiris, & ecce tibi lucidissima eius frons, instar diei orientis apparet. Quò respiciens Richar. Victor. lib. de incarn. Verb. part. 1. cap. 13. ait: *Dicit itaque venit manè. Manè desideratis, manè habebitis. In aduentu filij mei suspiratis. Citò veniet, quẽ quæritis. Et ecce anxiè desiderantibus, humiliterq; supplicantibus aduentus Redemptoris reuelatur, â quibus priùs sitiebatur.* Qui non inquirunt, hi sub cæcitate, & tenebris manent, qui autẽ ardenter Deum quærũt, illumq; auidè

auidè requirunt, non diu morantur, sed quàm primum Dei lucidissimum exortũ fruuntur. De Abrahamo ait Dominus,
Ioan. 11 Ioann. 11. *Abraham exultauit, vt videret diẽ meum; vidit, et gauisus est.* Itaq; Abrahamo exultanti, vt diem Saluatoris videret, hoc præmiũ datum fuit, vt videret illum.
Chrysol. Sed quãdo vidit? Ait D. Chrysol. ser. 131. *Si Moyses, et Elias in monte occurrerunt, vt promissum conspicerent Christũ; quomodo nec Abraham occurrit ad portam virginis, vt promissam benedictionẽ in gentibus, id est, in semine tuo patientissimus expectator intenderet?* Suspicatur vir diuinus Abrahamo datum, vt dominicæ natiuitati præsens esset, vtpotè qui summo studio illum diem requisierat. Solet enim Deus sese requirentibus ostẽdere, & propalare.

§. XVII.

Temporalibus bonis nimis fidentes, sub ipso Dei lumine magis à propria malitia obcæcantur, & obdurantur.

ECce ruinam eorum, qui nihil spirituale requirũt, sed totos sese his tẽporalibus bonis tradũt; hi quidẽ, videntes nõ vident, & audientes nõ intelligũt. Et vndè prouenit, quôd sub eadẽ visione, & luce cæci adhuc maneant? Sanè ea est malitia temporalium hominũ, qui sic affectu tẽporalitatis implentur, vt inde magis obturentur, ne videant, quando illis maiora dantur æternitatis lumina. Accipite Pharaonem inter miracula clarissima, inter fulgẽtissimos mirabilium diuinorũ
Exod 9. radios, Exod. 9. vbi sic: *Videns autem Pharao, quôd cessasset pluuia, et grando, et tonitrua, auxit peccatum. Et ingrauatũ est cor eius, et seruorum illius, et induratum nimis.* Diuinæ potestatis erat hoc facinus octauum, quo & iræ suæ fulmina in grandine, & pluuia cohibuit, & sub tãto diuinitatis testimonio, dicitur Pharao induruisse nimis. Cur cũ creuerant miracula, creuit & Pharaonis durities? Vt totus erat Pharao in acquirẽdo lucro ex luteis laterib⁹ ab Israelita factis; sic ex luteis lucris, quę tractabat, totus ipse fact⁹ est luteus, vndè, de luti more, sub maiori lumine magis induruit.
Origen. Aiebat Orig. hom. 2. in Cant. *Talis fuerat materia cordis Pharaonis, quæ præsentiam solis iustitiæ, nõ ea parte, quæ illuminat, sed ea, quæ adurit, et indurat, exceperit, propter hoc sine dubio, quôd et ipse affligebat Hæbræorum vitã in operibus duris, et quôd luto, et latere conficiebat eos. Et erat vtiq; cor eius secũdùm ea, quæ cogitabat, luteum et limosum. Et sicut materiã luti sol iste visibilis stringit, et indurat, ita sol iustitiæ ijs eisdem radijs, quibus illuminat populum Israel, Pharaonis cor, cui inerant luteæ cogitationes, pro ipsis motuũ suorum qualitatibus indurabat.* Propone tibi Israelita populum, & Ægyptium Pharaonem sub eis dem luminibus miraculorum: Israelita in Dei cognitionẽ, & adorationẽ excitabatur, illuminabatur; Pharao magis ac magis indurabatur, obcæcabatur. Et cur quãdo Dei magnalia vtrisq; monstrabantur, illi illuminabãtur, hic obdurabatur? Sanè id proueniebat ex malignitate cordis Pharaonis, qui vt totus erat in acquirendis luteis lateribus, secundũ ea, quæ amabat, luteum cor habebat, quôd sub diuinorũ miraculorum lumine non poterat moraliter non indurari. O temporaliũ bonorũ malignitatẽ, quia ipsa lutea sunt, luteos reddunt amatores suos, & eo ipso, quôd lutei sint, luteũq; cor habeant, vix fieri potest, quôd ad diuinitatis radios maiorẽ obdura tionẽ non capiant. Hos figurabat Iob. 41. *Iob. 41.* in illo vastissimo Leuiathan, de quo ait: *Sub ipso erunt radij solis, sternet sibi aurum quasi lutũ.* Expende, quid immanis bellua sub radijs solis faciat, nimirũ, *sternet aurũ sibi, quasi lutum.* Sub solaribus radijs naturalius est, quôd lutũ, & terra cõcoquatur, & purificetur in aurũ, cur modò è contra fit? Et radij solis sunt, & aurũ quasi lutũ fit sub solis radijs, vndè tã peruersa nascitur conditio? Est aurum subtet Leuiathã, hoc est, sub possessione hominis belluini, & tẽporalis, in quo aurum, & diuitiæ luti naturam induunt sub solis radijs, vt vndè cresc unt cęlestia lumina, inde indurationem capiãt, & ariditatem. Quõ forsan respexit Eccles. c. 14. aiẽs: *Insatiabilis oculus cupidi* *Eccl 14* *in parte iniquitatis non satiabitur, donec cõsumat arefaciens animã suam.* Non equidẽ cõtingit, quòd cupidus, & temporalis homo in parte iniquitatis satietur, etiã si lucidissima cælitùs lumina illi affulgeant, quin potiùs inter lumina, tantum aberit, quòd desistat, quòd *arefaciet animã suam*, hoc est, omni humore gratiæ repulso, magis arescet vt lutũ, & indurabitur. Vbi Car *Carth.* thus. ait: *Per diuitiarum cupiditatẽ ab omni spirituali humore gratiæ, ac salutaris sapientiæ, cor suum desiccat, et efficit alienũ.* Hoc temporalis homo accipit ex cœlesti lumine, quôd illi resistens, instar luti desi, humorem gratiæ penitùs expellat, & se desiccet, & abeat in lapidis duritiem.

Luc. 8.

Luc. 8. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei: qui autem secùs viam, hi sunt, qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant.

§. XVIII.

Quantumuis paruum sit, quod de Deo percipimus, potens est nobis totam Deitatis præstantiam demonstrare.

MIraris diaboli sollicitudinem in tollendo Dei verbo de corde hominis, vix cadit verbum Dei in nobis, & ecce venit diabolus, & tollit; venit, inquam, diabolus pernicissimus instar volucris, sic enim aiebant parabolæ verba, veniunt volucres cœli, & comederunt illud. Et cur adeò festinus, adeò pennatus aduolat diabolus, vt tollat verbum Dei? Quid si paulisper moretur verbum Dei in corde? An paruus verbi gustus posset aliquid efficere magnum? Equidem quidquid vel parũ de Deo percipiat homo, potens est illud ingentem Dei præstantiã, & excellentiã demonstrare. Solùm aiebat Dauid, *Psal.* 33. Psal. 33. *Gustate, et videte, quia suauis est Dominus.* Cur solùm ait, gustate? Cur nõ *Cant.* 5. magis ait, implemini? Aiebat illa, Cant. 5. *Bibite, et inebriamini charissimi, &c.* Et Dauid solùm ait, gustate, nimirum scies, quòd vel paruus Dei gustus posset totam ostendere Dei præstantiam. Pulchrè D. *Cyril.* Cyrill. Alex. lib. 4. in Ioan. fatur, cap. 38. *Quemadmodum, qui gustu præcipuã mellis qualitatẽ probant, ex minima, quam gustauerunt, particula, totum cognouerunt; sic qui vel parùm Saluatoris verba intellexerunt, bonum esse ipsum cognoscent, & cognoscentes admirabuntur.* Non eget Deus multis, vt suam immensę virtutis præstantiã exerat, si vel minimus eius accipiatur gustus, si vel tantisper etiam minima, & extrema Dei pertingantur, tota summitas virtutum diuinarum sentietur. Prudẽs illa fœmina, Matt. 9. aiebat intra se: *Si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero*; hoc vnum putabat sibi necessarium, vt salutis fontem ad se traheret, quòd vel paulisper aliquid vestimenti eius haberet in manibus. *Luc.* 8. Quid tunc? Ait Luc. cap. 8. *Tetigit fimbriã vestimenti eius, et confestim stetit fluxus sanguinis.* In minima, & extrema parte vestimenti accepta, nihil summæ virtutis desiderauit, ex quo hauiret sanitatẽ. Id quod eleganter notat Chrysol. serm. 35. *Chrysol.* aiens: *Quia in Christo nihil postremum credidit, nihil iudicauit extremũ, quia nec minoratur Deus in homine, nec virtus attenuatur in fimbria: hinc est, quòd mulier per dorsum peruenit ad faciem, per vestimentũ penetrauit interna, et per fimbriam capitis tetigit summitatem.* Vel vltimum fimbriæ filum manu tenuit, & ecce totam virtutis diuinæ summitatẽ in propria salute experitur. Non equidem expectandæ sunt longæ moræ, nec magnum aliquid prendere necessariũ est, vt Dei magnalia sentiãtur: sed si vel eius minimũ tetigeris, totã summitatem virtutis experieris. Cant. 2. *Sub* *Cant.* 2. *vmbra illius, quẽ desideraueră, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.* Paulò aliter Theod. legit: *In vmbra illius desideraui, & sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.* Expende, qualis sit viuifica, & diuina arbor, nondũ eius poma visebantur, non diuites rami apparebant, sola quidẽ eius vmbra versabatur ob oculos, & dũ ad vmbrã curritur, dũ vmbra prẽditur, totius fructus gustu palatum impletur. Pro quo Theod. *Theod.* ait: *In vmbra eius, inquit, cupiui, et sedi, et fructus eius dulcis in gutture meo. Etenim sub vmbra sedens, fructum decerpo, et comprehendo.* Vel si Dei vmbra paulisper prẽdatur, summã faciet sentiri, & prægustari suauitatẽ eius. Fœlix es, quisquis ad Deũ toto corde intendis, non longo eges tempore, nec necessum habes eius statim magnalia videre, ad vmbram, ad minimũ eius si pertingas, tibi aderit tota virt⁹ eius. Sic illa, Cant. 3. quærens Deũ, ait: *Inuenerunt* *Cant.* 3. *me vigiles, qui custodiũt ciuitatẽ. Nũ quẽ diligit anima mea, vidistis? Paululũ cũ pertrãsissem eos, inueni, quẽ diligit anima mea, tenui eum, &c.* Post paululũ statim totum tenet dilectũ: pro quo & dulciter, & elegãter abdubitat Gillib. Abb. ser. 8. in Cãt. *Gillibert.* fatus: *Quomodo expectabim⁹ illud, quod ponitur, scilicet, paululũ? Inæstimabiliter prærogat omni creaturæ diuina maiestas, et quasi vicina, et familiaris sit, dicis: Cũ pertransissem illos paululũ, inueni, quẽ diligit anima mea? Deniq; Chaos magnum firmatũ est inter nostrã, et ipsius naturam: omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihil, et inane reputatæ sunt ei. Quæ ergo poterit assignari vicinitas, et conueniẽtia inanis cum solido, nihil cum immenso? Qua ergo ratione dicit; Paululũ cũ pertransissem illos, inueni, quẽ diligit anima mea?* Sanè qui à creaturis excedẽs, vel paululũ ad Deum acce-

accedit, eo ipso, quòd Dei vel paululùm pertingat, totam diuinæ virtutis summitatem præsentit.

Luc. 8. Nam qui supra petram, qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

§. XIX.

Non qui florido externarum virtutum splendori, sed qui amaricantibus laborum radicibus increuerunt, hi tentationum repellunt incursus.

SVnt, qui virtutum suauia, virtutũ splendorem, floridumq; illarum cultum facilè arripiant, nihil sentientes amaritudinis, nihil durum, & acerbum gustantes, sed omnia læta, omnia splendida præ se ferentes, hi ad primum tentationis impetum miserè perduntur. Aiebat Matth. 13. *Alia ceciderunt in petrosa, vbi non habebant terram multã: et continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinẽ terræ, sole autem orto, æstuauerunt.* Cur non magis sustinent solem? Cur sub solaribus radijs periuntur? Rationem pulchram reddit Dominus apud Lucam, cap. 8. inquiens: *Cum gaudio suscipiunt verbum, et hi radices non habent, &c.* Non radices amaricantes verbi, non dura, & aspera virtutum vorarunt, sola dulcia, & gaudio plena senserunt, & dum solis lætantibus virtutũ splendoribus tenentur, vix sustinent primum vel leuissimæ tentationis impetum. Huc traxit Nyssenus illud Cant. 1. *Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decolorauit me sol: filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Siuè vt Græcè legitur: *Ne me aspiciatis, quia sum nigrefacta, quoniam sol me aspexit. Filij matris meæ pugnauerunt in me.* Ecce vobis, pulcherrima sponsa bello cadit, vim pugnæ non sustinet, sed nigrefacta, & tenebrosa decidit. Et cur talis decidit? Ipsa ait: *quia sol me aspexit.* Deus bone, solis aspectum sponsa tua non sustinet? Cur non magis patitur aduri? Ea erat tunc sponsa, quæ amaricantes virtutum radices non sumpserat, sed sola virtutum decora, solos virtutis lætos splendores coluerat, quæ nil mirum si à sole vincatur, quando sol ille externum virtutum splendorem, lætumque earum cultum aduritur. Ait Nissen. homil. 2. in Cant. *Hic est sol lædens, quando eius æstus non arcetur à nube spiritus. Hic est sol, qui nitidam corporis superficiem accendit insultu tentationum.* Nyssen. Expende, delicati, & in croceis nutriti virtutum milites, qua partes feriantur: ait enim: *Hic est sol, qui nitidam corporis superficiem accendit*: non si præcordia transuerberata sentiant, sed si nitidum illum splendorem virtutum nigricari videant, & malè haberi, Christianis castris renuntiant. Lucem huic Nissenj excogitationi afferam ex Plutarcho in Pompeium; vt Cęsarem percuteret Pompeius, ingentem militum exercitum comparauit, aulicos omnes viros, crinitos, cincinnatos, non tàm lancea, quàm calamistro assuetos, nõ sic à puluere bellico glorrosos, quã à pigmentis splendidos. E contrà Cæsaris milites erant à rupibus nati, inter Syrtes innutriti, nihil sic scientes, quàm famem, quàm penuriam pati. His ferebatur aduersus Pompeium Cæsar: de quo inquit Plutarchus: *Animaduertens Cæsar tanto septũ equitatu sinistrum hostium cornu, metuensque armorum splendorem, sex cohortes ex secunda acie detraxit, ac penè decumanos collocauit: præcepitque, vt quieti consisterent, ne perciperet eos hostis; vbi inuecherẽt equites, per principia procurrerẽt, nec pilæ emitterent, vt solent fortissimi ad gladios stringendos properantes: verùm superiora peterent, hostiumque oculos, et faciem ferirent, conuulnerarentq; haud substituros cũ fuco suo pulcellos istos, et floridos saltatores, &c.* Plutarc. Nouit sapientissimus vir caratulorũ omnium ingenium, qui mallent capi, quàm fœdari, qui nitoris faciei damna minimè sustinerent, quapropter totũ belli insultum ad nitidam faciei superficiem cõuertit. Quid tandem factũ est? *Ibi signo à Cæsare dato recepit se equitatus, & cohortes subsidiariæ hostiles occurrerunt, obijcientesque se equis, vti præceptum erat, erectis pilis, ora eorum foderunt. Illi, vt omnis pugnæ rudes, & qui tale neque expectauerant, neque præmeditati fuerant, abiecto animo non substinuerunt oculos suos, & ora cædi, sed versi, oculosque manibus integentes, turpiter se in fugam effudere.* Siccine nitiduli illi milites perierunt, & qui nihil didicerant aliud, quàm nitorem cutis fouere, & inter suauia splendescere pigmenta, ad prima splendoris, nitorisque damna turpi sese fugæ dederunt. Quid plura? Sunt & nitiduli fideles, & comptuli, qui de virtutum via, quod suaue est, quod floridum, quod

Matt 13

Luc. 8.

Cant 1.

quod splendescens auidè arripiunt; de quibus ait Isaias, cap. 66. *Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, et in carrucis ad montem sanctum meum Ierusalem.* Hi dum splendêt, dum puluereum non terunt solum, sed lecticarum vmbraculis delicatè feruntur, alacres in virtute videntur. At si illos sol aspiciat, si sol ardens nitidam corporis superficiem accendat insultu tentationum, vt qui tale non præmeditati fuerant, abiecto animo nulla sustinent splendoris, nitorisque damna, sed vt temporalem seruent nitorem, hostium manibus sese turpiter dedunt. In his videtur adimplerum, quod de seruo dicitur, Prouerb. 29. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* Explicatiùs legit Diu. Paschas. lib. 1. in Thren. *Qui seruum suum à pueritia nutrit in delicijs, postea sentiet eum contumacem.* Equidem non securus, & firmus est in Dei seruitio, qui à principio sola nouit virtutum suauia, quæ vbi perdiderit, Dominum abiurabit. Meliori consilio Dominus perpetuos sibi comites adsciscens, non suauia, floridaq; virtutum, sed amarissimas laborum radices propinabat. Ait enim, Matth. 4. *Venite, faciam vos fieri piscatores hominum.* Quid ais, Domine, piscaturæ labores adhuc proponis illis, quos ad te vocas? Magis dic, quòd illos Reges facies; cur fractis labore piscandi, adhuc laboriosioris piscaturæ seruitium mandas? Pulchrè Chrysolog. serm. 28. fatur: *Ipse antè illis vsum laboris indulsit, qui postea eis tolerantiam dedit virtutis. Hinc est, quòd regna, gentes, carceres, vincula, tormenta, mortes, sæuientes homines terris omnibus sic vicerunt.* Meritò vt ad virtutem traheret perseuerantem, quæ posset de omnibus malis triumphare, antè illis laboris vsum indulsit; vndè, quia nihil prius, quàm amaricantes laborum radices sumpserunt, in virtute obfirmati de tentationũ insultibus triumpharunt. Non aliter initiabatur Abraham, cui, Gen. 12. ait Dominus: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi.* Cuius imperij duritiem multis ponderat D. Augustin. serm. 68. Nec parua est admiratione dignum, quòd Deus tanta, & tam dura, & aspera hominibus petat ex Abrahamo, cum primùm sibi hominem asciscit. Cur Deus tantam amaritudinem ab initio seruo tuo propinas? An vt iactis laborum radicibus, eius fides robur accipiat? Ita Diu. Paul. ad Rom. cap. 4. de Abrahamo locutus: *In repromissione etiam Dei, non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, &c.* Vbi Theodolus ait: *Dum dicit, confirmatus est, monstrat multo labore, & virtute animi, fatatigationeque fidem rectè firmari.* Quot assumis pro virtute labores, tot addis radices, quibus firmetur fides, ne tentationum assultu minetur ruinam.

Isai. 66.

Prou. 29

Paschas.

Matt. 4.

Chrysol.

Gen. 12.

August.

Theodol.

§. XX.

Duratura virtus multo animi consilio, & pondere sumenda est.

NOta impudentium hominum ingenium, nimirum, quòd ad quodlibet bonum verbũ auditũ, statim occurrunt. *Cùm audierint*, ait, *cum gaudio suscipiunt*, nihil amplius examinant, sed quod bonum apparet, sine alia consideratione suscipiunt. Hi meritò ruinæ proximi, & stulti, & imprudentes habentur. Matt. 17. ascendit Iesus in montem, & transfiguratus est, & dum glorioſus apparet, simul secum ostendit in gloria Moysem, & Eliã. Horum spectaculo attractus Petrus, ait: *Bonum est, nos hic esse:* quod Petri assertũ notans Marc. cap. 9. ait: *Non enim sciebat quid diceret.* Sed cur insciticæ accusatur Petrus? Sanè sapientissimus quisque homo, rationis ductum sequens, iudicaret bonũ esse, frui tanta illa gloria, in qua Iesus, & Moyses, & Elias ostendebantur, imò frui tantorum virorũ societate glorioſa. Cur ergo Petrus insciticæ accusatur? Meritò accusatur Petrus, vt qui ad primũ splendentium hominum aspectum sic afficeretur, vt absque alia consideratione illos in societatem admitteret. Vndè sapienter S. Proclus, serm. de Transfigur. ait: *At Petrus more suo semper præceps, quos mentis oculis numquam ante vsurpasset, conspicatus colloquentes cũ ipso, magnitudinem miraculi haud perpendens, neque considerans diuini splendoris insolẽtiam, & nouitatem, locum istum desertum bonum vocat.* Sanè stultitia est proxima ruinis ad primum aspectum sic moueri, vt quod numquam antea noueras, statim absque aliqua consideratione bonum reputes, & suscipias. Ioannes apud Iordanem baptizabat, ad quem penè tota Hierosolyma confluebat, vt eius baptisma susciperet, sic enim habes Matth. 3. *Exibat ad eum Hierosolyma, &*

Matt. 17.

Marc. 9.

Procl.

Matth. 3.

omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, cõfitentes peccata sua. Videns autem multos Phariſæorum, et Saducæorum venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum, &c. Itaque & Hieroſolym tani Principes, & plebeij ad Ioannis baptiſma currebant, quorum Principes malè accipiebantur à Ioanne. Quid tunc? Poſt hũc con. urſum talem, & tantũ, accipite quid
Ioann. 1. dicat Ioan. 1. *Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes, et Leuitas ad eum, vt interrogarent eum: Tu quis es? Et confeſſus eſt, et non negauit, quia non ſum ego Chriſtus, &c.* Modò Ioannes cum manſuetudine reſpondit, nullis verbis percutit Phariſæos, paulò antè illos mirum in modum ferieb at, genimina viperarum vocans eos coram vniuerſo populo. Et cur tunc ſic illos percutit, ſuum baptiſma accipientes, & peccata confitentes, & modò nec vllum illis malum minatur? Sanè meritò illos percutit, quando ad baptiſma concurrebant, nulla conſideratione, nullo præmiſſo examine; ſtultiſsimum enim eſt, & dignum quauis ruina, quòd viri ſapientes inconſideratè, & ſine rationis põderatione ad quoduis bonum apparens ferantur. Dum rem examinant, eiuſque difficultates ponderant prudentes homines, omni ſunt digni comitate, humanitate: verũm ante vllam conſiderationem præcipites ferri, nihil ferè ſtultius, dignũque quauis ruina, poteſt excogitari. Aie-
Chryſoſt. bat D. Chryſoſt. hom. 15. in Ioan. fatus: *Qui ex ciuitatibus ad Ioannem confluxerant, qui propria damnarant peccata, qui baptizati erant, poſt baptiſma mittunt, qui Ioannem interrogent: Tu quis es? Certè genimina viperarum, et ſerpentes: vel ſi quid vis grauius, generatio mala, adultera, peruerſa, poſt baptiſma Baptiſtam interrogas, percõtaris? Quid hac ſtultitia ſtultius? Quomodo ad baptiſma concurriſtis? Hæc omnia â vobis temerè, et ſine ratione facta ſunt, cũ neque principium, neque fundamentum intelligatis.* Temerariorum, & ſtultorũ eſt, imò & peruerſorum, imò & obduratorũ ad primam apparentis boni ſcintillulam euolare, illamque abſque vlla conſideratione, & ponderatione ſuſcipere. Quod ne fieret ab Abrahamo, cauens Dominus
Gen. 12. ait illi, Gen. 12. *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui.* Cur ſic particulatim difficultates proponit Dominus? Cur non contentus fuit dicere, *Egredere de terra tua?* Quid neceſſum fuit cætera addi? Vt bonus Dei aſſecla nec pedem moueret, quin omnes difficultates in vocatione latentes, explicitè ponderatas, & trutinatas habeat. D. Ambroſ. Ambr.
lib. 1. de Abrah. cap. 2. *Satis fuerat dixiſſe; Egredere de terra tua, ibi tuum erat, exire de cognatione, et exire de paterna domo, Sed ideò addidit ſingula, vt eius affectũ probaret, ne fortè aut impudenter cæpiſſe videretur, aut fraus aliqua mandatis cælestibus pararetur.* Impudentiæ notam cauet, qui nihil aggreditur, quin omnes rei difficultates conſideratas habet: qui enim inconſideratè fertur, & impudens eſt, & ſtultus & valdè proximus mandatorum diuinorum contemptui. Huc voco ſapientiſsimam Sponſæ vocem, Cant. 7. *Ego dilecto* Cant. 7.
meo, et ad me conuerſio eius. Veni dilecte Prou. 25.
mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Manè ſurgam ad vineas, videamus, ſi floruerit vinea, ſi flores fructus pariunt, &c. Dum hæc noto, ſimul feror in Prou. 24.
alium locum Gen. 24. vbi dicitur: *Igitur* Gen. 24.
Rebecca, et puellæ illius, aſcenſis camelis, ſequutæ ſunt virum, qui feſtinus reuertebatur ad Dominum ſuum. Eo autem tempore deãbulabat Iſaac per viam, quæ ducit ad puteũ, cuius nomen eſt viuentis, et videntis; habitabat enim in terra Auſtrali. Et egreſſus fuerat ad meditandum in agro, &c. Compone modò Sponſam, & Iſaacum: illa in agrum exit, tota intenta in floribus, & fructibus metendis: Iſaac in agrum exit ſoli meditationi intentus. Cur Chriſti Sponſa nihil de meditatione, ſed de fructibus capiẽdis in agro ſollicita eſt, & Iſaac nihil de fructibus ſollicitus, ſed totus meditationi apparet intentus? Sponſa iam ſecum Sponſum habebat, dicens: *Ego dilecto meo, et ad me conuerſio eius*: ideò nihil tam curat, quàm ſuſcepti ſtatus fructus metere; verũ Iſaac adhuc ſponſam ſperabat, vnde meritò totus meditabundus cenſetur: & vt impudens eſt, & temerarius, qui poſt ſuſceptum munus, eius indagationem, & notitiam aggreditur; ſic prudentiſsimus, qui ante omnia conſiderat, & perpendit. Ex his monebat Diu. Beruardus Eugenium Bernard.
Pontificem Maximum, poſt munus Pontificale ſuſceptum, lib. 2. de conſiderat, in quiens: *In hunc quondam agrum Iſaac Patriarcha exierat, cùm primum Rebecca occurrit ei; et vt ſcriptura habet, exierat ad meditandum. Ille ad meditandum, tu ad extirpandum egrediaris, neceſſe eſt, Tibi iam præceſſiſſe meditatio debet tempus faciendi præ manibus. Si nunc hæſitare incipias; id quidem ſerò. Antè, iuxta conſilium Saluatoris ſediſſe debueras, autè æſtimaſſe opus,*

metiri

metiri vires, ponderasse sapientiam, merita comparasse: sumptus computasse virtutum. Hęc ille & sapienter, & pulchrè; numquã enim periculosa non est sera consideratio, & meditatio muneris iam suscepti.

Luc. 8. Quod autem in spinas cecidit. Hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.

§. XXI.

In quo amor rerum temporalium est, & dolor erit, & gemitus, & suspirium.

PRæclarè temporaliũ rerum amor spinis comparatur, quia vbi ille est, & pungens dolor, & vehemens gemitus erit. Fuit equidem creaturarum amor etiã in Christo Domino, sed sanctissimus, sed rectissimus; in quo tamẽ vacare ab omni imperfectione potuit, at à dolore immunis esse vix potuit. De Iesu Filio Dei, *Apoc.* 1. Apoc. 1. dicit: *Dilexit nos, et lauit nos â peccatis nostris in sanguine suo.* Expende duo illa, *dilexit, et lauit in sanguine.* Si res amoris agebatur, ad quid sanguis? Vbi quid quid cogitabatur, amor erat, cur tormẽta, cur mors, cur claui, cur spinę parabantur? Res erat amoris, fateor; sed quia res erat amoris creaturarum, non illũ voluit Deus habere sine dolore, sine spinis, sine sangui ne. *Chrysost.* Chrysostom. serm. 6. de Passione, ait: *Christus intrat carnis iniuriam, subit contumelias passionum, pœnarum genera percurrit, mortem suscipit peramaram, quia damnari voluit, qui quod fecerat, sic amauit.* Etiam sanctissimus in Deo creaturarum amor, non fuit sine ingenti dolore, sine mil libus spinarum fascibus. Quis iam putet amare creaturas, amare bona temporalia, & omni dolore manere vacuum? Ait Lucas, cap. 12. *Luc.* 12. *Hominis cuiusdam diuitis vbe res fructus ager attulit, & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos?* Expende modò, quid fructus vberes ex agro percepti causent in domini sui animo; sanè vt erat fructibus abundans, sic etiam erat anxius, & nihil aliud agebat, quàm dolens, & egens clamare: *Quid faciam, quia non habeo?* Vndè eleganter Diu. Ambros. ait serm. 81. *Amb'r.* *Angustatur hic ex abundantia, constringitur, et coarctatur ex opulentia. Infœlix in præsentibus, bonis, infœlicior in futuris; & vt video, ager ei non tam redditus largiores, quàm gemitus attulit graviores.* Nesciunt temporalia bona aliud priùs parare, quàm gemitus, quàm dolores, quã spinas, & tribulos, qui amatores suos discerpant, & penè mactent. Quis non sub amore creaturarũ penè laboribus confractus, & enectus? Psalm. 44. *Adducentur Regi* *Psal* 44. *virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi.* Virgines vocat illas, quæ ab omni amore temporali feriatæ, vni Deo vacant; his proximas vocat viduas, quæ aliquando temporalium amorem sustinuere, eorum tamen iugum à se modò excutiunt. Sed nota discrimen: virgines dicuntur adduci, vt quę solum ducatum expectantes, ipsæ per se possunt virtutis viam currere: viduæ dicuntur afferri, quasi ijs non sufficiat ducatus, sed insuper humeros requirant, quibus ferantur innixæ. Et cur hæ requirunt sic afferri, nisi ex eo, quôd à temporalium amore, & laboribus confractæ, & penè enectæ iuueniuntur? Ita Diu. Pas *Pasch.* chas. ibi inquit: *Virgines dicuntur adduci, qui corporis integritate robustiores sunt: viduæ verò afferri, quæ plerumq; fractæ diuersis, multisq; molestijs, multa iam corporis imbecillitate fatigantur.* Quid aliud à creaturarum amore poterant bona hæc conseruasse, quàm molestiarum cumulum, quã confractionem membrorum, quàm mille animi angustias? Huc reuocare potes dicta. 1. tom. lib. 5. cap. 2. §. 2.

§. XXII.

Qui temporalibus bonis assuescit, ægrè, & difficulter non labitur.

CVm diuitijs, & voluptatibus euntes suffocantur, ait Dominus, & notanter nõ dixit de omnibus, qui diuitijs, & bonis fruuntur, sed de illis, qui eunt cũ bonis, hoc est qui in illis durant, & assuescunt; hi enim, mirum erit, si non perdantur. Cantatissimi sunt tres illi pueri Hæbræi, qui pro Dei fide fornacis flammas non timuerunt; horum fortitudinẽ mille machinis intẽdit diabolus expugnare; eos in captiuitatem adducit, captiuorũ pœnis affli-

affligit, & cùm ita nihil profeciſſet, aliud excogitat periculoſius certamẽ. Iubet Babylonius tyrannus è pueris Hebræis nobiliores, & præſtantiores ſeligi, ſelectos in aulam habitare. Quid plura? Ait Dan. 1. *Et conſtituit Rex annonã per ſingulos dies de cibis ſuis, et de vino, vndè bibebat ipſe, vt enutriti tribus annis, poſtea ſtarent in conſpectu Regis.* Et quis mouit tyrannum Regem, vt tam larga magnificentia captiuos pueros ditaret? Quis fecit, vt per tres integros annos captiui pueruli ſic beneuolũ Regẽ experirentur, vt de eius regia menſa cibos abundanter caperent? Non id permitteret ex ſe hoſtilis tyrãni animus, ſed diabolus illi hanc mentem ingeſit, credens vni deliciarum diuturnitati, & aſſiduitati tantorum puerorum damna. Id ponderat D. Ephrem, ſerm. in Danielem fatus: *In cor impij Regis ſeſe diabolus immittit, ſuadetque, vt per ſingulos dies, Rex conſtituat eis annonam de cibis ſuis, et de vino, vnde bibat ipſe: ſicque eos enutriat annis tribus, vt ſcilicet & per tyrannidem illos compelleret veſci cibis illicitis. Et vide malignitatem draconis: quandoquidem non ad diem vnum, nec ad menſem dierum conſtituit præfinitum tempus, verùm ad tres vſque annos prorrogauit certamen, vt temporis diuturnitate tãdem ſubſterneret amatores diuini cultus.* Quem non emolliret tàm longæ diuitiæ? Quis tamdiu cum voluptatibus gradiens non induet infirmitatem? Si gutta cauat lapidẽ aſſiduitate, cur deliciarum fontes, & voluptatum flumina non excauent cor carneum, & in ruinã trahant? Quantum enim liceat delicijs in hominum animis, clariſsimè oſtendit Adamus in paradiſo conſtitutus à Deo, ſed quàm primùm inde eiectus à proprijs tractus cupiditatibus. De illo aiebat Eucherius de laud. Eremi fatus: *Poſſeſſor ille Paradiſi cùm locum voluptatis habitaret, fixã ſibi à Deo legem ſeruare nõ potuit. Quantô enim iucundior illex ille amœnitatis locus, tantò huic in lapſum pronior fuit.* Expende illud, *Fixam ſibi à Deo legem ſeruare non potuit*, nulla virtutis lex firma, & fixa inter diuinas delicias ſtare poteſt, quãdo deliciarum, & voluptatum aſſiduus impetus & æneas rupes emollire poſſet. Hinc Ezech. 16, ait: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, & ſaturitas panis, & abundantia, &c.* Quæ verba ſic vertit Syrus: *Hæc eſt iniquitas Sodomæ ſororis tuæ ſuperbæ, glorioſæ, quæ ſaturabatur pane, & ſedebat in quiete.* Non ſemel ad delicias accedebat Sodoma, ſed inter illas ſe dens, & aduiuens, in ſœdiſsimas decidit turpitudines. Ex quo aiebat D. Fulgent. epiſt. ad Prob. 2. cap. 12. *In ſaturitate cibi viuẽs Sodoma, cibus ignis effici meruit.* Nullum alium fructum parient bona temporalia, quàm perditionem, quàm ruinam. Quod ponderans Abul. Iudic. 16. quæſt. 35. dum Sanſonis ruinam meditatur, ait: *Nec huic diſſimilis cæteris infœlicitas, nam & cæteros, quos aut maxima potentia, aut excellentiſsima pulchritudo, aut admiranda totius corporis agilitas, aut pecuniarum numeroſa poſſeſsio, aut ſapientiæ nimia celſitudo claros effecit, dura excidia confecerunt.* Et ſanè rarus eſt, qui ſub temporalium bonorum aſſiduitate, in plura non rapiatur mala. Huc reuoca dicta. 1. tom. lib. 3. cap. 2. §. 22. &. 2. tom. lib. 9. cap. 2. §. 30. & lib. 11. cap 4. §. 9. &. 3. tom. lib. 13. cap. 2. §. 10. & lib 14. cap. 3. §. 2. &. 3. & lib. 15. cap. 10. §. 9. & alibi.

Matth. 13. Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui verbum audit, & intelligit, & ſollicitudo ſæculi iſtius, & fallacia diuitiarum ſuffocat verbum.

§. XXIII.

Diaboli victoria per diuitiarum fallaciam vt venit.

NOn diuitiæ dicuntur verbum Dei ſuffocare, ſed quæ vnà cum diuitijs venit, nimirũ fallacia; hæc eſt, quæ de humanis cordibus crebras victorias tradit diabolo. Id forſan oſtendebat Iob, c. 40. aiens de immani diaboli fortitudine aduerſus homines: *Protegunt vmbræ vmbram eius.* Vocantur vmbræ à Dioniſio Carthuſiano in præſenti, bona vniuerſa tẽporalia, quę velut vmbra tranſeunt in hoc ſæculo, in quibus penè tota diaboli ſors aduerſus homines conſiſtit. Sed quomodo diaboli tyrannis protegitur ab vmbris? Nonne dum immaniſsimus hoſtis noſter in arenam deſcendit, vt protegeretur, & armaretur, aptiora haberet arma, nimirum ignea tela, ardentia ſpicula? Cur telis, cur ſpiculis dimiſsis, vmbras temporalium bonorum magis prætendit? Equidem nihil ſic diabolum victorem facit, vt

vmbræ

vmbræ fallaciſsimæ bonorum prætenſæ. Rem explico exemplo petito ex Plutarcho in Pompeij vita, vbi dicitur de Romanorum exercitu, dum media nocte aduerſus barbaros hoſtes inſurgit: *Luna autem in Occaſum decliui, vmbræ longè corpora præcurrentes incumbebant hoſtibus, qui non valebãt interuallum exactè cognoſcere, ſed vt ſi ad manus ventum eſſet, haſtis in caſum emiſsis, neminem attigere. Quo animaduerſo, Romani cum clamore inuehuntur, hoſteſq; cædunt.* Plutarc Non appropinquabant Romani adhuc hoſtibus, vt manus conſerere poſſent, ſed à tergo Romanorum vergente luna, eorum vmbræ adeò longiſsimæ prorendebantur, vt quàm proximæ hoſtibus fierent, qui cùm vmbras proximas cernunt, nec interuallum diſtinguunt, putãtes habere Romanos præ manibus, cũ vmbris confligunt, aduerſus illas omnia iaciunt tela, quæ in vmbris exhaurita, Romanos armatos, & valentes relinquunt, qui bella inſtaurant, & vincunt. Quid in rem præſentem pulchrius? Immanis equidem hoſtis diabolus aduerſus nos inſurgit, quem protegunt vmbræ, à quo longiſsimæ bonorum temporalium vmbræ protenduntur. Proh miſeri homines vmbrarum interuallum exactè non valentes cognoſcere, putantes res præ manibus eſſe, ad vmbras inhiant, pro illiſque habendis inſudant, & emiſsis in caſum curis, nihil attingũt, nihil inueniunt in manibus ſuis, ſed ſeſe inueniunt in manibus inimici. Huiuſmodi erat ille apud Luc. 12. *Dixit: hoc faciam, deſtruam horrea mea, et maiora faciam, et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos:* (ecce quàm nõ cognoſcat vmbrarum interuallum, ſed vt ſi ad manus haberet res, ſic in caſum curas omittit) *requieſce, come de, bibe, epulare. Dixit autẽ illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetẽt â te, quæ autem parasti, cuius erunt?* Vbi ſunt illæ menſæ, dapes illæ, vina illa animæ propinata? Vbi ſunt ſeruata illa bona in annos plurimos? Sanè non erant bona, ſed vmbræ bonorum, & ſicut vmbræ præterierunt, miſerum hominem relinquentes in manus inimici. Huc pulchrè reſpiciens Eſdras, ait lib. 4. cap. 2. *Ideoque vobis dico, gentes, quæ auditis, & intelligitis, expectate paſtorem veſtrum, requiem æternitatis dabit vobis, quoniam in proximo eſt ille, qui in fine ſæculi aduenier. Parati eſtote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite vmbram ſæculi huius.* Nihil magis iubemur cauere, quàm ſæcularium bonorum vmbras; bona enim æterna, vt lucida ſunt, ſic non fallunt, ſed & verè in proximo ſunt, & in proximo eſſe apparent, adeò vt ſecurè ad illa poſsis extendere manũ. Vndè meritò ait: *Parati eſtote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit*: & item, *quoniam in proximo eſt ille, qui in fine aduenier.* In his lucidiſsimis bonis nulla fallacia, nullum periculum in proximo videntur, & ſunt. At bona temporalia videntur in proximo res eſſe, & non ſunt res, ſed vmbra; quare prorſus fugiendæ, ne dũ putes aliquid manibus capere, capias vmbras; & per vmbras inimico tradaris miſerè deluſus. Vndè ſapienter monet: *Fugite vmbram ſæculi huius.* Eſdr. 4 Luc 12.

Luc. 8. Quod autem in bonam terram, hi ſunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

§. XXIIII.

Animus patientia aduerſus hoſtiles inſultus munitus, nulla ſterilitate premitur, ſed diuite abundat fructu.

TErram bonam, & fructiferam meritò vocat illam, in qua patientia eſt, fructus enim tunc certiſsimus, quando à patientia affertur. Quis ſub patientia in iniurijs vixit, & diuite non abundauit fructu? Paulus ad Rom. 12. aiebat: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum.* Meritò vir Chriſtianiſsimus curam habet de cibando inimico, ne fortè qui inimicitias habet, vitæ ſuſtentaculis indigeat. Sed cur Paulus ſimiles curas nõ habet de cibandis amicis, de ſuſtẽtandis illis, qui nullo vmquã odio feruntur, qui neſciunt odiſſe, qui ed iniurias illatas patientiſsimo, & amico ſunt ſpiritu? An apud Paulum pluris habetur inimicus, quàm amicus; iniuriarum illator, quàm condonator iniuriæ? Abſit, ſed inimicis curat cibum prouidere, vt quibus etiam cibus poteſt deficere; de amicis nihil curat, quia ſcit illum, qui amico ani- Rom. 12

animo omnia sustinet, non egere, sed diuite abundare fructu. Ait Diu. Valeria-
Valer. nus, homil. 12. de Pace: *Numquid dixit, si esurierit amicus tuus, ciba illum? Tu inimicum tuum pasce, nam amicus ipse sibi præstat, vt non esuriat.* Qui patien animo est, vberes semper habet patientiæ fructus, egestatem nescit, nescit penuriam; imò de quouis contrario telo, de quouis mortis vase faciet abundantissimos sibi
Isai. 2. fructus parturiri. De illis Isaias, cap. 2. inquit: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Expende, quid eueniat pacificis, nimirùm, quòd vasa mortis, & sterilitatis, illis fiant instrumenta metendarum frugum. Id ponderans
Tertull Tertullianus, libro aduersus Gnosticos, cap. 13. rem in Paulo demonstrans, sic ait: *Paulus Apostolus de persecutore, qui priùs Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stylo mutans, & conuertens machæram in aratrum, lupus rapax Beniamin, deinde afferens ipse etiam escam.* Vbi persecutorem exuit Paulus, vbi omia deposuit, iam è lupo agnus factus, quis fructus eius enarret? Plenus fuit, & superplenus, adeò vt de abundantia alijs escas salutis ministraret. Sanè qui patientia instruitur, nescit solum sterile pulsare, omnia illi fœcundissima sunt. Id quod videre licet in Dauide, dum Saulem infensissimum hostem patitur; non semel illum habuit in manibus, & tamen patientissimus, & mãsuetissimus homo, nullum voluit illi inferre malum. Quid plura? Egressus ab spelunca Saul, & agnoscens vocem Dauidis,
1. Re. 24 è cuius manibus liber euaserat, totus mutatus ait, 1. Regum. 24. *Vox ista tua, fili Dauid.* Quem hostem habebat, modò filium vocat. Vndè tanta mutatio? Quis sterilem hostem mutauit tam citò in beneficum patrem? Patientia Dauidis id effecit, quæ malens sustinere hostem, quàm occidere, nequiuit non experiri fœcundi patris affectum, etiam in hostili animo.
Chryso. Ex quo Diu. Chrysost. homilia de Dauid, & Saule fatur: *Quid igitur Dauide fœlicius, qui ex homicida fecit patrem?* Tanta est patientiæ virtus, vt nec steriles, sed patres, & patres sibi proficuos reddat ipsos inimicos.

CAPVT II.

De Zizanijs.

ACCEDIMVS Ad secundam parabolam de zizanijs à Domino propositam, in qua dominicus ager in præsenti ostenditur non ab omni malo purus, sed potiùs mixtus bonis, & malis. Petit id fatorum hominum conditio mutabilis; facillimo enim negotio omnia permutantur humana. Nullum stabile in hominibus bonum, sicut nullum etiam fixum malum; singulis momentis vides inter perpetes aquilas ad astra ferri, quos videras inter sues cupiditatum cæno volutari; & qui modò de celsitudine contendebant cum astris, iam apparent humi reptantes. Hinc fit, quòd Dominus has humanas vices prænoscẽs, non statim aduersus peruersos feratur, sed conuersionem expectet longanimis. Nec vsque ad extremum examen locum negat mutationi, quæ celestia solet lucidissimis implere partubus, dum quæ videbantur zizania, ditissimas frugum segetes germinarunt. Huc spectat tota mens præsentis parabolæ.

Matth. 13. Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semẽ in agro suo: cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & super seminauit zizania in medio tritici, & abijt.

§. I.

Tantum deitatis habes, quantum liberalitatis, & beneficentiæ.

SImilitudinem cœlestium regnorũ meritò ille præsefert homo, qui seminat bonum semen, tantum namq; deitatis quis habet, quantum habet beneficentiæ, qua sua in egentes proximos disseminet. Apud Luc. cap. 19. voluit Iesus tantisper in domo Zachæi manere, & Zachæus *festi-*

nans

tinans descendit, et excepit illum gaudens, stans autem Zachæus, dixit ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quatruplum. Expende verba illa, *do pauperibus*; publicanis solemne erat bona pauperibus eripere, iniustis lucris inhiare, quomodo iste publicanorum Princeps, ait: *do pauperibus?* Heri, & nudius tertius non dabas, ò bone, sed eripiebas, ex quo tibi nunc in mentem venit pauperibus dare? In domo sua Iesum habebat, quem cùm primùm secum habuit, & simul viscera misericordiæ habuit in pauperes. S. Titus Bostremus ibi ait: *Vt primùm Christũ Dominum non citra gaudium in domum excepit, statim effectus est misericors, statim studiosus pauperum curator.* Et simul Iesum excepit, & beneficentiam induit, non potuit Filius Dei statim non sentiri, & ostendi in eo, quòd egentibus dona exhiberentur. Deitas semper adeò prona in beneficentiam, vt hæc ipsissima illius, & quasi inseparabilis videatur proprietas. Id nouerat magnus Patriarcha Ioseph, quem vt traherent fratres post parentis mortẽ, ad hoc, vt beneficia continuaret, dicunt ei, Genes. 50. *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illis diceremus, obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, &c.* Hanc fratrum precationem excepit Ioseph, quibus statim respõdit: *Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati? Nolite timere, ego pascam vos, et paruulos vestros.* Fratres obijciunt patrem exorantem, Ioseph minimè patrem memorans proponit Deum. Et cur non patrem defunctum, sed Deum solum meminit, dicens: *Num Dei possumus resistere voluntati?* Res agebatur de beneficentia præstanda fratribus egentibus in famis tempore; beneficentia autem in egentes, non tam sapit terrenam generationẽ, quàm diuinam, & cælestem; ideò Ioseph præteriens terrestrem patrem, solũ Deum meminit, ostendens, non hominẽ ex homine, sed Deum ex Deo ostendi in beneficentia. Ad hanc mentem trahit Iosephi verba Philon Iudæus, lib. de Iosepb, vbi sic proponit Iosephum fratribus respondentem: *Cur autem geniti patris tantùm meministis? Habemus alium ingenitũ, immortalem, æternum; eum ego testem inuoco meæ conscientiæ, quôd bona fide vobiscum in gratiam rediui. Nam ego Dei sum. Deponite metum, posthac meliore conditione apud me futuri.* Vanê fidit in terrenis parentibus, qui beneficium à filio sperat; nõ gentilitijs terrenis adscribitur beneficentia, sed cælestibus. In quantum est quis diuinus, Deiq; sapit progeniem, in tantum est beneficus, & bonorum seminator inter egenos. Quid plura? Deitatis imaginem etiam stitisse in muliere, vna probat beneficentia Nissenus. Creaturus enim Dominus Adamum, ait Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostrã.* Quod minimè dixit creaturus mulierem: vnde orta fuit apud antiquos quæstio, an in muliere fuerit etiam imago, & similitudo Dei. Rem tractãs Nissen. orat. 1. in illa verba fatur: *Vidi ego fœminam clam honestissimo vtentem furandi genere, Hæc inscio marito de re familiari pauperibus largiebatur: pro viri fœlicitate, pro familiæ prosperitate, pro incolumitate filiorũ impertiebat, celans virum, sed pro ipso viro. Pro ipso donabat, qui factum nesciebat. Id enim præstabat in gratiam illius, qui vidit in abscõdito, nec benefacta sua diuulgabat. Et mulier igitur habet, vt ad imaginem Dei sit.* Non potest nõ capere etiam infirmum vasculum totam deitatis imaginem, quando capit in pauperes beneficẽtiam; sunt enim res mutuò se comitantes, & diuinitas, & beneficentia.

Tit Bos. Gen. 50. Phil. Iu. Gen. 1. Nissen.

§. II.

Vbi bonorum erogatio est, nulla est paruitas, quæ non superet maiora quæque.

Miraris, quôd regnum cæleste totum homini cõparatur, ait enim psal. 8. *Quid est homo, quôd memor es eius, aut filius hominis, quia reputas eũ?* Sanê vtilissimũ, & infirmissimum quid est homo; cur ergo adeò pusillæ rei totũ regnum cęleste cõparatur? Comparatur equidẽ regnum cęleste nõ homini solitariè sumpto, sed homini seminanti, homini spargenti bona sua: vbi autem bonorum erogatio, nulla est pusillitas, quæ non excedat maxima. Luc. 19. de Zachæo dicitur. *Quærebat videre Iesum, quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.* Vbi autẽ Iesum in domo sua excepit, item de illo dicitur: *Stans autem Zachæus dixit ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.* Hic nihil de eius pusilla statura; etiam si referatur stetisse in Domini cõspectu, non dicitur stetisse pusillus; cur antea maturauit scriptor eius narrare pusillitatem, quã in præsenti prætermittit? Quando corã Iesu describitur, simul describitur bona sua pauperibus spar-

Luc. 19.

spargens, dum ait, dimidium bonorum do pauperibus, ideò tunc non potuit pusillus notari; notatur autem pusillus esse, antequam promitteret sua bona pauperibus eroganda. Ex quo sapienter D. Ambros. ibi fatur: *Quid sibi vult, quòd nullius alterius staturam scriptura, nisi huius expressit? Quia statura pusillus erat. Vide, ne fortè malitia pusillus, aut adhuc pusillus fide. Nondum enim promiserat, cùm ascenderet.* Pusillus vocatur, quandiu suorum bonorum erogationes nondum promiserat; vbi autem illam emisit vocem cælis intonaturam, nimirùm, *do pauperibus*, mi nimè pusillus, sed maior maximis visus est. De benefactrice Israelitici populi Esther locutus Mardocheus, cap. 10. ait: *Parvus fons, qui creuit in fluuium, Esther est:* Non contentus tam parua fontis mensura Hierem. Thren. 2. deploratam salutem Hierosolymorum sic proponit: *Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Hierusalem? cui exæquabo te, & consolabor te, virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* Non fonti, sed mari comparat Hierosolymitanorũ perditionem, vt eius expendat magnitudinem: & cur similiter Mardochæus, vt regalem magnitudinem Estheris extolleret, non illam toti comparauit Oceano? Cur maluit comparare illam parui fontis fluuio? Hieremias vt magnitudinẽ quærat Hierosolymæ contritæ, prætermittit fontes, & flumina, nec quiescit, donec ad maris ingentem vastitatem perueniat. Mardochæus vt Estheris magnitudinem, & eiusdem in Israelitas profusissimam beneficentiam declaret, maris vastitatem prætermittit, & ad parui fontis confugit profluuium. An quia fons potest esse ipso Occeano maior? Equidem fons, vt totus est in emittendis aquis, quibus irrigentur vicina arua, nec vmquã cessat ab hac emissione, siue erogatione aquarum, nescit inde non sese efferre, & exaltare supra quæuis maxima, supra etiam vastissima Occeani maria. Et quãdo à bonorum erogatione quis non se super maximos exaltat? Rem pulchris versibus definit Claudius Marius, lib. 1. in Genes. vbi Paradisi fontem extollit supra ipsum mare.

Amlr.

Esth. 10

Thre. 2.

Claud.

Adgremium sacri nemoris, quod sylua coronat,
Fons scatet, & diti prolem virtute maritat,
Quadrifido tumidum lætus caput omne rejoluens,
Ditior Occeno: ingi nam gurgite pronus
Ille suos donat latices, iste accipit omnes,
Nec turget tamen; at minor est, qui crescere tantis
Fluctibus infusis, quàm qui decrescere nescit
Amnibus effusis.

Meritò fons Occani vincit magnitudinem, quandoquidem Occeanus omnia e bibit flumina, nec inde vllum in se ostendit augmentum: fons autẽ dum suos semper donat latices, dum totus est in donandis aquis, nescit vmquam decrescere, imò inde sese supra vastissimum Occeanũ extollit, & effert, reputaturque fons paruus inter maxima, & Occeanus inter parua. Sic prorsus apud Deum numquam pusillus est, sed magnus, sed excelsus, qui nouit sua bona incessanter erogare pauperibus. Vnde Luc. cap. 12. aiebat: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam.* Pusillum gregẽ non dubitat Dominus inter magnates constituere regni sui, vbi illum iubet sub beneficentiæ stola refulgere, eleemosinasque distribuere pauperibus. Sis quantumuis pusillus, vel censu, vel nobilitate, vel scientia, si de bonis habitis erga proximos tuos exerces beneficentiam, non inter pusillos, sed inter magnates constitueris regni cælestis. De Iobo dicitur, cap. 1. iuxta lectionem Græcam: *Et opera magna illi erant in terra.* Quæ magna opera? An ædificiorum regaliũ constructiones? An classium asportando auro paratarum custodiæ? Absit, non in his erat aupd Deum magnitudo, sed in beneficentia erga egenos. Chrysostom. homil. 3. in Iob. ait: *Erant autem ei opera magna super terram. Quænam? Hospitalitatis amor.* Ab ijs rebus vera hominis magnitudo decernitur. Ille solus apud Deum pusillus, qui in omni bonorum magnitudine nescit consulere necessitati egentium. Vt dicat de isto Sidonius Apollinaris, lib. 8. epist. 7. *Iustè sub iusto Principe iacet, qui per se minimus, & tantùm per sua maximus, animo exiguus vixit, & patrimonio plurimus.* Hic & à cæleſti Rege, & à terrenis Principibus meritò vt minimus, & reiectiuus habetur.

Iob. 1.

Chrysost.

§. III.

Terreni agri prouentus, dum aurum absit, non sic hominem à regno cælorum excludunt.

QVi seminandis agris instat homo, vt laboris sui vberes percipiat fructus; is à Domino assumitur in regni cęlorum similitudinem: nec obest bonorum tęporaliũ cura, quominùs homo ad regnũ cælorum pertineat; dum enim aurũ absit, cætera bona nó sunt adeò nociua. Aiebat Dominus, Matth.19. *Facilius est camelum perforamen acus transire, quàm diuitem intrare in regna cælorum.* Atqui Abraham ditissimus fuit, & Iob diuitẽ substantiam possedit, de illo enim dicitur, capit.1. *Et fuit possessio eius septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis.* Ecce tibi, & Abrahã. & Iob habuere diuitias, & nilominùs minimè à regno cælorum sunt excluſi. Cur ergo apud Dominum malè audiunt diuitiæ? Habebat, fateor, Iob diuitias, sed non dicitur habuisse aurum. Vbi autem aurum absuit, cæteræ diuitiæ nihil nocuerũt illis. Chrysost. hom.12. in epist. ad Timot. ait: *Quid ergo dicemus de Abraham? Quid item de Iob, qui innocens, qui iustus, qui verax qui Dei cultor, qui à malis omnibus abstinens prædicatur? Opes illis non in auri, argentique talentis, sed in pectoribus erant. Quæ profectò diuitiæ, & innocuæ, & diuinitùs permissæ sunt.* Non terrę prouẽtus multiplices sic impediunt homines, & arcent à cæli ingressu, vt aurum impedit; absit aurum, & in cæteris bonis vix inuenies occasionem ruinæ. Eccles. cap.2. ait: *Multam habui familiam, armenta quoque, & magnos ouium greges, vltra omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem: Coaceruaui mihi argentũ, & aurum.* Huc perueniens Nissenus, hom.4. in Ecclesiast. sapienter ponderat, totam hominis ruinam à nullo sic venire, vt à coaceruatione auri, argẽtive. Quippè ait: *Ad maiora peccata progreditur eius enumeratio, & sibi inesse vociferatur omnium malorum radicem auaritiam. Sic enim dicit: Collegi mihi & argentum, & aurum. Quid enim nocuit aurum terræ immistum, & in illis effusum locis, in quibus à Creatore positum fuit? Quidnam tibi plus vtilitatis afferre fecit rerum opifex, quàm fructus terræ? Num tibi solos arborum fructus, & semina tribuit ad detrimentũ? Cur datæ potestatis terminos transgrederis? Aut ostende hæc quoque tibi concessa à Creatore, vt fodias, & metalla scruteris, & ea igne fundas, & congreges, quæ non sparsisti. An hæc fortasse nulli esse crimini affinia existimaueris, sic tibi pecuniam cõgregare ex metallis terræ?* Non sic fructus terræ, licèt vberrimi, trahunt homines ad peccata, vt trahit aurum; ideò Dominus, qui omnes terræ prouentus permisit homini, aurũ ab eius oculis absconditi, & latere fecit in terrarum intimis. Homo quidam potest sine piaculo dare operam concessis terræ fructibus acquirendis; in solius auri inuestigatione, & acquisitione maius, & euidentius inuenitur salutis periculum. De Iobo dicitur, cap.1. iuxta lectionem Græcã: *Et erant pecora eius ouium septem millia; camelorum tria millia; iuga boum quingenta; & ministeriũ multum valdè, et opera magna erant in terra.* Opera magna, ait, id est, opera magnarum virtutum, opera ingentia pietatis erant in Iobo super terram, vt author est Olympiodorus. Sed quomodo tot diuitiarum cumuli non impediebant virum iustum, retardabantque ab insigni virtutum opere, nisi quia inter illas diuitias nullum aurum, argentumve ponitur? Ad hæc Chrysost. in Caten. Græc. ibi, ait: *Vide hominem agrestibus diuitijs affluẽtẽ, neque enim rationes, ac fœnora numerauit, neque aureatis laquearibus ornatas domus; ita nihil ei deerat ad benemerendi facultatem. Oues, & boues, & quæ ex anni temporibus, & agricultura percipiuntur, recensuit. Non in pretiosa materia gloriabatur, sed in his rebus, quæ indigẽtiæ modicæ subuenirent, contentus erat. Hunc nobis Regem scriptura proponit, non equorum mentionẽ facit, non auro conglutinatorum curruum non argenti, atque auri thesauros meminit, non lapidum pretiosorum, non cæterarum rerum, quibus hominum diuitijs inhiãtium morbus inflãmatur; sed illa enumerat, quæ ad vitæ necessitatem sunt accõmodata.* Semper hoc cauet diuina scriptura in diuitibus iustis, ne inter possessiones eorum sit aurum, quod solũ plus quàm cæteris omnibus nociuũ est, quòd ad fouendã auaritiã sit aptus. Cætera enim terræ bona profluis augmentis dũ satiant animos, nõ sic offendũt, nec sic impediunt, & à salute arcent, quin ipsa sua abundantia cogũt auarissimos quosq; ad donandum. Solũ aurũ non satiat, sed sitim habendi adauget, famemq; rauidissimam generat, qua in perditionem trahat. De Iudæis fatur Isaias, cap.2. *Repleti sunt, vt olim, & augures habue-*

Mat.19.

Iob.1.

Chrysost.

Eccl.2.

buerunt, & Philisthijm, & pueris alienis adhæserunt. Repleta est terra argento, & auro. Vbi ad auium venitur, non dicuntur ipsi repleti, sed terra repleta, quia aurum potest terram, & orbem replere; sed replere non potest hominum animos, imò nescit aliud, quàm sitim, & famem, & perditionem hominibus causare. Infœlix est profectò, qui cum tam duro vult confligere tyranno; ne ab illo in perditionem, aut miseram seruitutem rapiatur, sub multis armorum ponderibus sudabit. De amatore iusto, ait Cant. 5. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Et cur in delicato, floridoque iuuene crura affinguntur marmorea? Cur marmorum pōdera circa delicati iuuenis crura, & non potiùs in rosarum formas millia efficta tenuissima carbasa? Sunt iuueni crura prementia aurum, quippè ait: *Fundata super bases aureas*, nec vllus pes, nisi sub ingentibus pressus ponderibus, aurum potest premere. De amico suo aiebat Sidonius Apollinaris, lib. 2. epist. 13. *Reductus ad desideria mediocriū; timore summorum, & satis cauens, nec beatum vltra diceret, duceretque, qui septus armis, ac satellitibus, ferro pressus premeret aurum.* Heu quanta ferri pondera sustinenda sunt illi, qui aurum premere velit! Nullibi est aurum, vbi non sint necessaria millia ferri pondera, vt illud possit sustineri. Vide in illa Danielis statua; caput illi aureū erat, & pectus argenteum; quæ vt sustentarentur, & æs, & calybs, & ferrum in ventre, & cruribus apparebant.

Cant. 5.

Sid. Ap.

§. IIII.

Vigilantes oculos fugit inimicus.

SOmnium expectat hominū hostis, vt accedat, & nociua semina iaciat; cùm enim *dormirēt homines*, tūc accessit fugiturus, si videret vigilantes. Aiebat sapiēter Chrysost. hom. 22. ad popul. *Nullus vigilans vnquam læsus est.* Vigilantes oculos habeamus, & lęsionem minimè sentiemus; imò læsurus hostis nos maximè reuerebitur. Numquam enim malus vigilātes non veretur. Luc. 8. Rauidissimi maris fluctus nauim inuadunt, in qua Iesus dormiebat; Discipuli autem timore concūssi dormientem excitant: *Domine, salua nos, perimus.* Cur nō magis quiescere finitis dormientem? Cur non magis ad nauis gubernatorem curritis, applicanda vela? Cur & gubernatore, & velis prætermissis, ad vnū curritis excitandum dormientē? Pulchrè D. Basil. Seleuc. orat. 22. illorū ad Dominum ponit verba aientium: *Ostende te vigilantem, & pelagus reuerebitur.* Nulla res citiùs malis incursantibus occurrit, quàm vigilans oculus: nec gladium exeras, nec tela iacias, nec ignes præpares aduersus hostiles incursus, sed te vigilantem ostende, & omnis maligni incursus reuerebitur. Iustorum vigilans oculus à dæmone habetur, vt pestilens; ex quo lucem capit aliqualē Ariasmontani mens ad Christi Domini generationem, eiusdemq; spiritualē progeniem referens illud Isaiæ, cap. 14. *De radice colubri egredietur regulus. Et semen eius absorbens volucrē.* Vbi Chaldæus Ionathas explicat: *De filijs filiorum Iesse, egredietur Christus, & erunt opera eius in vobis, quasi serpens.* Quò posito, accedit Syriacus interpres in rem nostram, fatus: *De radice serpentis egredietur serpens bicceps, & fructus eius regulus.* In serpente bicipite rectè adūbratur Christus; at Christi Domini filij, & discipuli, cur in regulo? Profectò vniuersa arma sunt regulo in oculis, hi si vigilent, accedētes perimūt; sic bonis Christi Domini assectis oculi sunt pro armis aduersus dæmones, dum seruus Christi vigilet, nō audet malus accedere, sed miserè perditur. Quod pulchra etiam imagine persuadebat Angelus Tobiæ iuniori, cap. 6. inquiens: *Cordis eius particulam, si super corbonem ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.* Et qui fumus potest aduersus spiritualia nequitiæ tantum valere? Non igni, neq; fumo materiali tāta inerat virtus, sed inerat rei per ignem, & fumum significatæ, inmitùm, excubatrici, & vigilanti orationis virtuti: ignis enim, & fumus vigilias ostendunt excubantium in castris. Meritò Angelus in ignis, & fumi imagine vigilantiam suggerit, quæ hostiles diaboli incursus lōgiùs amāndat. Quod benè calens Tobias posit ignem positum, & fumū excitauit, cap. 8. *Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitq; ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & oras, & secundum cras, quia his tribus noctibus Deo iungimur, &c.* Et cùm igne, & fumo depellunt somnum, à lecto surgunt, & vt strenui aduersus diabolum milites excubias agūt, in statione stant, & sic totus diabolicus impetus fugatur. Dū excubes, & vigiles, non multùm hostes timeas; tunc time, quādo, dimissis excubijs, te somno tradis. Aiebant illi, Mat. 28. *Dicite,*

Basil.

Isai. 14.

Tob. 5.

Chryso.

cite, quia discipuli eius nocte venerunt, et furati sunt eum nobis dormientibus. Vbi
Hostien. Drogo Hostiensis, lib. de sacram. Passionis ait: *Omendaces, verũ dixistis! Sed mentita est iniquitas sibi. Dormiẽtes enim Christum custodire non possunt.* Imò dormiens non solùm non potest custodire Christũ à latronibus, quin potiùs etiam si latro desit, si hostis non sit, ipse dormiens Christum conficit, 3. Reg. 3. Sic mulier
3. Reg. 3. mulierem accusabat: *Mortuus est autem filius mulieris huius nocte; dormiens quippè oppressit eũ.* Quam accusationem notans
Guarr. Guarricus Abbas serm. 3. in Natiuit. Domini, sic monet Ecclesiam Christianam. *Vigila super curam recens nati, memor quoniam æmula tua dormiens oppressit filium, qui datus erat ei.* Equidem Synagoga dormiens, ipsa per se oppressit filium Iesum; caueat Christianus à somno, vigilet, excubet, ni velit Iesum perdere.

§. V.

Studia diuinarum Scripturarum longè amandant hostes.

IN hoc hominum somno, cuius occasione inimicus zizanias superseminat, benè intelligit Christianus Druthmarus desidiam Præpositorũ in sacrarum litterarum studijs. Quippè ait: *Dormierunt homines, cùm magistri Ecclesiarum non essent studiosi ad meditandum diuina eloquia.* Et cur in tanta penuria sacræ lectionis nõ auderent accedere hostes? Mihi crede, nõ tibi sacer liber cadat è manibus, & eris penè inaccessibilis hostibus: Ait Petrus Da-
Dam. mian. lib. 6. epist. 29. *Mens tua diuinis se voluminibus occupet, his intenta, perunigili semper instantia perseueret. His antiquus insidiator cùm te videt intentum, velut hostem fugit armatum, et timet cominus aggredi, donec te conspicit his telis, & impenetrabili, vt ita dicam, lorica muniri.* Non sic splendens gladius hostibus est formidabilis, vt sacra lectio est formidabilis diabolo: qui sub sacri libri foliis cubat, inaccessum se præbet hosti, & penè invulnerabi-
Prou. 3. lis. Vndè de sacra Sapiẽtia aiebat Prouer. 3. *Lignum vitæ est ijs, qui apprehendunt eã:*
Psal. 58. Sed & Psal. 57. *Si dormiatis inter medios cleros, erunt pennæ columbæ deargentatæ, &c.* Hoc est, si duobus incubes testamentis, vt cum August. alij Patres interpretantur, exurgent in te columbæ pennæ. Illic lignum tibi fiet vitæ sapientia; hìc duorũ testamentorum studium pennas columbæ dabit. Quorsum & lignum vitæ, & pennæ columbæ promittuntur in studio sacrarũ litterarum? An vt securitatẽ inde habeas ab hoste, vt habet columba protecta salutiferis altissimæ foliis arboris? Rem pulchrè tractat Petrus Dam. lib. 2. epist. 18. fa- Dam.
tus: *Est in Indiæ finibus arbor, quæ Græcè Peredirion vocatur, cuius fructus nimis est dulcis, valdeque suauis. In huius igitur arboris gratia columbæ maximè delectantur, cuius nimirum eas, et fructus reficit, et vmbra defendit. Teterrimus enim draco ferali eas immanitate persequitur, et cruenti guturis barathro inhiantes absorbere molitur. Sed sicut columbæ draconem, ita draco formidat eam, quam diximus arborem; sed præcipuè timet vmbram. Donec ergo columbæ sub arboris illius vmbraculo fuerint commoratæ, nullis eas crudelis illa bestia valet insidijs lædere: alioquin si procul eas inuenerit, sine vllo contradictionis obstaculo repentinus inuadit. Nos planè, quibus simplicitas columbina præcipitur, necesse est ad sacrarũ Scripturarum arborem confugere, si cruentam draconis intimi rabiem volumus euitare.* Quid in rem præsentem pulchrius posset excogitari? Habemus in sacra lectione lignum vitæ, habemus arborem, cuius vmbra dracones abigat, & ne quis dicat arborem esse excelsam, & inde penè nobis inaccessibilem: simul & ipsa lectio sacra nos in columbas efformat, perpetesque pẽnas colũbæ nobis indit, quibus euolemus ad alta, & cacumen arboris teneamus. Quisquis effugere cupit impetus hostis, hanc teneat arborem, ab illa minimè discedat, præcipuè si sit Prelatus, cuius est nũquam ab studijs litterarum sacrarum vacare. Ec-
Eccl. 6. clesiast. cap. 6. ait: *Omnis labor hominis in ore eius, sed anima illius non implebitur.* Nũquam anima debet impleri ab his, quę ore incessanter effundat. Et quæ sunt hęc? Rem ponderat Salonius, ibi: *Quomodo fieri potest, vt omnia, quæ laborat homo, sint in ore illius? Vir ecclesiasticus sapiẽs, et doctus omnem laborem suum habet in ore suo, quia omnia, quæ in scripturis sacris discit, quotidiè meditatur, prædicat, & docet; et anima illius non implebitur, quia non sufficit sibi, quod didicit, sed magis, ac magis semper discere cupit, & studet.* Cõueniant huc nuperi ecclesiastici, & nouerint, vbi debeat esse omnis labor eorum, non equidem in alio, quàm in ore, dum hausta sacra eloquia tenentur dicere populis: nec contenti sint studuisse semel, vt ecclesiasticos redditus acquirerent; sed semper studere debent, ne si longè ab arbore librorum sa-

crorũ inueniantur, draconis prædia fiant. De his dicebat Oseas, cap. 4. *Conticuit populus meus, eò quòd nõ habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Adeò nociuum est viris ecclesiasticis, quòd studia sacrarum litterarum dimittant. De lectionis sacræ bono, habes. 1. tom. lib. 7. cap. 4. §. 20. & 3. tom. lib. 14. cap. 16. §. 33. Et de sapientia Prælatorum, ibi, lib. 14. cap. 3. §. 1. & cap. 23. §. 9.

Oseas. 4.

§. VI.

Omnium sæuissima pestis est ab illo, qui iurgia seminat inter fratres.

NOlo in præsenti communẽ, & vulgarem zizaniorum acceptionem à cõcionatoribus assumptam prætermittere, quòd nimirum sit seminator zizaniorum, seminator iurgiorum, & discordiorum inter fratres. De his ait Dominus in explicatione parabolæ: *Zizania sunt filij nequam*: nec voluit eorum nequitiam notare in particulari, vt qui famosissima omnium, & pestilentissima nequitia inficiantur. Hos maximè verebatur Dauid, Psalm. 10. aiens: *Quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem, sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Expende illud, *ecce peccatores*, non ait, ecce latrones, ecce homicidæ, nec ecce incestuosi, siue strupatores, maluit illos sub vocabulo notare communi, vt tu quoscumque videris seminatis discordijs fratrum corda pulsare, hos nequitiarum summo infectos clames. Diu. Synesius epist. 44. reddens rationem, cur hi fraternæ pacis turbatores, absolutè peccatores dicantur, ait: *Quoniam nulli æquè mores Deo execrabiles sunt, ac famigeratoris, qui ex obscuro vultus infligit; ignauissimus enim cum sit, maxima infert mala, et quoddam his ineſſe fatum dicitur, vt in Cynædorum gregem ascribantur, idque ipsum inter cætera eius artis esse præcipuum. Quare si quis rumores falsis de rebus spargere deprehendatur, hos ipsum neque rogaueris, neque dubitaueris; sed quamlibet firmus, & constans esse videatur, audacter hominem pronuntia seminatorem, purum, putũ Cocytonis assectam.* Ecce tibi qualiter prudentissimus vir, & Epiſcopus iubeat sine dubio nequitiæ summo corruptos famigeratores, & discordiarum seminatores denotari; sed etiam expendendum est adhuc, quòd à Dauide hi *peccatores* dicantur, quãdo & Lucas de impudenti fœmina, septemque dæmonibus tradita locutus, cap. 9. dicat: *Mulier in ciuitate peccatrix.* Et in hac, & in illis nõ explicatur particulare peccatum; sed vt illi peccatores, hæc vocatur peccatrix. Et cur hæc, & illi simili appellatione explicantur, nisi quia in vtriſque eadem malitiæ summitas, & enormitas peccati? Tota enim lasciuiæ impudentia, & ciuitatis pestis, & corruptela, vt ait Synesius, de quouis famigeratore, & zizaniorum spargore potest meritò cogitari. Hinc meritò has nocentissimas pestes eliminare cupiẽs Dominus à populo suo, ait Leuit. 19. *Non eris criminator, nec susurro in populo. Non stabis contra sanguinem populi tui*, vbi noster posuit. *Non eris criminator in populo*, alij ex Chaldæo posuere: *Non comedas placentas in populo*, notantes naturam susurronum, & criminatorum, qui ventris causa rumores hinc illinc colligunt, deinde spargunt, vt placeant hospitibus suis, narrantes, quæ de illis audierint mala, vt sic inextinguibilia excitẽt inter fratres odia. Sed & de Hæbræis verbis, pro illo, *nõ eris criminator*, legerunt alij, *non eris pigmentarius*, siue, *non eris negotiator*. Et quid pigmentarius, siue negotiator cum criminatore, susurrone? Sanè sicut pigmentarius totus est in miscendis varijs pigmẽtorum pulueribus; & sicut negotiator nundinis vniuersis adest, vt inde colligat, quæ composita iterum ad vendendum promat. Sic criminatores, & zizaniorum seminatores toti sunt in congerendis, & commiscendis hinc inde pulueribus, in colligendis, & componendis rumoribus, quos vendere possint. Quorum nequissimum officium, & pernitiosissimum populis eleganter ponderat Dauid Cammius apud Delrionem fatus: *Vt pigmentarius varias cõmiscet species, & negotiator ventris causa, huc illuc discursat: ita parasiti, & criminatores vltro, citroque commeant, vt habeant, quod in aures auditorum infundant, et ita spargẽtes litium semina, vnanimitatem soluant, & amicos inter se committant: En tibi pestem dirissimam, melle litæ placentulæ.* Dirissima quidem pestis est, vt populos perdat fidelium hæc zizaniorum seminatio.

Leuit. 19

Synes.

Camm.

§. VII.

§. VII.

Prælatorum vitio tribuendum, quòd sint zizaniorum seminatores: vbi quàm malè agant Prælati, qui susurronibus præbent aures.

MEritò dicuntur dormisse homines; cùm zizania seminatur, numquam enim sine somno, & culpa Prelatorum tam nociuum creseceret malum. Vigilassent Prælati, clarisq; oculis criminatorum explorassent dicta, explorassent genium, explorassent animos, & fraterna subditorum charitas penè inexpugnabilis staret. De Prælatorum virtutibus fuit quæstio apud D. Athanasium præstantissimum Prælatum: ea est. 119. vbi sic: *Quænam virtutes maximè decent, & ornant magistratum?* Respondit statim: *Principaliter ornant mutuus affectus, & amor erga homines, quæ & Deo insunt. Deinde obliuisci offensionem, & sedatus animus. Et præ omnibus, non facilè, neque sine exploratione credere delationibus.* Et vt maximè ornatur Prælatus nulli credens accusationi subditorum; præcipuè cùm clandestina est, sed rem claris explorat oculis: ita maximè turpatur, innumeraque causat mala, dum facilitatem habet credulitatis. Sic monebat Diu. Bernard. Eugenium suum, lib. 2. de considerat. circa finem: *Est item vitium, cuius si te immunem sentis, inter omnes, quos noui, ex his, qui cathedras ascenderunt, sedebis solitarius, quia veraciter, singulariterque leuasti te, supra te. Facilitas credulitatis ista est, cuius callidissimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi satis cauisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens additio.* Et quando susurria hæc, & clandestinæ accusationes innocentibus non fuerũt nociuæ? Quando iniusta odia, ardentissimas iras non pepererunt? Quando ob illas non dilapsus est Prælatus in euidentissimas iniustitias? Semel Dauid accepit susurrium Sibæ aduersus Miphiboseph Ionatæ filium, & inde ad innocentis damnationem processit. 2. Reg. 19. dicens: *Tu & Siba diuidite possessiones*: ex quo prudentissimum Prælatum Hildeprandum monet Petrus Damianus libro. 2. epist. 9. *Quid mirum, si te licet prudentem, & sanctum virum potuit artifex seruitus, & versuta decipere, cùm & prophetico plenũ spiritu Dauid, Siba seruus callidè mentiens compulit â iustitia declinare? Tu, inquit, & Siba diuidite possessiones. Ille siquidẽ innocentem Miphiboseth mentitus est contra regiam agere maiestatem.* Non prophetiæ, nec aliæ innumeræ virtutes te ab iniustitia, & oppressione innocentum liberabit, si in te sit facilitas credulitatis. Impudentissimè, & audacissimè mentiuntur homines, vbi grata, & accepta putant fore mẽdacia; quisquis hoc non cauet, miserè labitur, Prouerb. 26. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.* Verba mendacij vocantur susurrationes, & occultæ delationes. Vnde Philo Iudæus, lib. de iudice, hoc primum præceptum ponit optimo Principi, ne solis auribus credat subditorũ negotia, quippè ait: *Aures, sicut rectè dixit quidam è veteribus, minùs fidei habent, quàm oculi, vt quibus, nõ cum rebus ipsis sit commercium, sed cum sermonibus rerum interpretibus, nõ semper veritatem sectantibus.* Imò terè nũquam mẽdacium abest à sermonibus, qui occultè Principum aures palpant. Meritò dicebat D. Valerianus, homil. 1. de bono disciplinæ: *Quem amor tenet seruandæ integritatis, ante omnia falsi ad se famam non admittat erroris. Magnum est quidem, & gloriosum, & vsque ad cœlum omnium ore perferendum, numquam malis actibus locum dedisse; sed multò fortius est, nunquam falsis suspicionibus laborasse.* Hanc videãt virtutem Prælati, qui & iniustitias, & innocentium oppressiones à se penitùs eliminare amant.

Athan.

Bernar.

Prou. 26

Valer.

§. VIII.

Quò falsitas minus à veritate distat, eò nocentior solet esse proximo.

ZIzania misit in medium agri nocentissimus inimicus; & quidem zizania lolium significant, quòd dum adolescit in folijs, & cespite, parùm, aut nihil differt â tritico. Et notanda hostilis malitia, dum lolium inter triticum iacit; nouit enim, quòd nequitiæ semina eò sunt nocentiora, quò minùs à veritate apparent distare. Dixerat Dominus, Ioan. 2. *Soluite tẽplum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Post multa ventum est ad calũnias, quibus Iesum opprimere Iudæi tentabãt,

3. Re. 19

Dam.

Marc. 14 & ait Marc. cap. 14. *Et quidem surgentes testimonium ferebant aduersus eum, dicentes: Quoniam nos audiuimus eum dicentem: Ego dissoluam templum hoc manufactũ, & per triduum aliud non manu factum ædificabo.* Ecce tibi quàm paucæ litteræ immutatæ sunt in accusatione; ille dixerat, *soluite*, falsi testes referũt dixisse, *soluo*: idem verbum fuerat, paucarum litterarũ apparet immutatio, an ideò minùs nocentes, quòd vel paucis litteris distant à veritate? Imò inde nocẽtiores probantur. Pulchrè

August. Diu. Augustin. homil. 9. de Festo S. Stephani, fatur: *Falsi testes, pro eo, quod dictũ est, soluite, dixerũt, soluo. Modicum in syllabis mutauerũt; sed tantò falsi testes peiores fuerunt, quantò propinquare veritati per calumniam voluere.* Nullus, mihi credite, sic fallit, sic nocet, quàm ille, qui mendacio multum veritatis adiungit. Prudentissima illa Raab requisita de exploratoribus

Iosue. 2. domi suæ manentibus, ait, Iosue. 2. *Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam vnde essent, cùmq; porta clauderetur, in tenebris illi pariter exierunt.* Et cur, cùm vellet exploratorum cõsulere saluti, maluit fateri apud se stetisse? Cur non potiùs mordicùs negauit à se visos viros illos? Regis ministros fallere volebat, & ideò veritatẽ præmisit, optimè sciens, quòd quantum veritatis additur mendacio, tãta etiam vis ad-

Chrysost. ditur fallendi. Chrysost. homil. 5. de Pœnit. *Priùs veritatem ædificat, atque ita mẽdacium inducit.* Tunc mendacium vires sumit nocendi, quandò minùs mendacij ostendit; sed clariorem veritatem prætendit, adeò vt propè nihil ponatur à veritate alienum. Sub veritate abscondit mẽdacium prudens fœmina, & Regis ministros fefellit, & totam ciuitatem perdidit. Hoc præsentissimum virus cauebat Dominus,

Leui. 19 Leuit. 19. vbi ait: *Non eris criminator in populo*, quæ verba alij legerunt ex Hæbræis vocibus: *Non eris pigmentarius*; vt enim pigmentarij puris, & veris aromatibus aliqua falsa admiscent, quę dum minùs percipiuntur multitudine verorũ, magis fallunt ementes. Sic criminatores, dum multa vera exaggerãtes, aliquod penè imperceptibile falsum supponunt, quod maiores vires habet fallendi, cùm minùs sentitur. A quo piaculo se diuina sapientia li-

Eccl. 24. berat, dicens, Ecclesiast. 24. *Et quasi balsamum nõ mixtum odor meus.* Vel minimam mixturam cauet, sciens malum vitiũ tunc magis nociuum, cùm sub virtutum mixtione latet absconditum. Vndè dicebat

Gillibert. Gillib. Abb. serm. 32. in Cant. *Periculosa, & pessima cuiuslibet mixtura est, quando vitium quodlibet virtutis mẽtitur speciem, & Angelus Sathanæ in Angelum lucis se transfigurat, et quasi venenum facit balsamum spirare. Vnguentarius est Sathanas.* Nil magis nociuum, quàm vbi venenum spirat balsamum, & balsamum vndequaque videtur: diabolus pigmentarius, siue vnguentarius est, qui in vitijs tradendis virtutum mentitur speciem, & de veritatis adiunctæ credito mendacij vires augmentat.

Matth. 13. Cùm autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt, & zizania.

§. IX.

Quò virtutes in nobis magis crescunt, eò apertiores & manifestiores sustinent hostium contrarietates.

EQuidem tunc manifesta iam apparẽt zizania, cũ Dei semina incipiũt augmẽtũ capere; semper enim diaboli cõtrarietates aduersus virtutes sunt; sed cùm hæ crescunt, tunc illæ, & maiores, & vehementiores apparent. Dicebat Balac ad Balaam, Num. 23. *Veni, et maledic Iacob, pro* Num. 23 *pera, & detestare Israel.* Quæ ad verbum sic ex Græco transfert Origenes: *Veni, &* Origen. *maledic mihi Iacob, & veni, & supermaledic mihi Israel.* Itaque aduersus Iacob maledictiones tãtùm petit malus; verum aduersus Israel non solùm maledictiones, sed & supermaledictiones desiderat iacularí. Et cur magis furit sub nomine Israelis, quàm sub nomine Iacob? Sub Israele iam percipit virum perfectum, qui in tantum creuit, vt vsque ad Dei conspectum intraret: quò autem perfectior, & auctior putatur Israel, & necessum est, vt aduersus illum aptiores, & vehementiores excitentur hostiles rabies. Ait Origen. hom. 15. in Num. *Donec enim quis tantùm Iacob est, hoc est, in actibus solùm, et operibus positus inferioribus, maledictionibus impugnatur. Vbi autem profecerit, & interiorem hominem ad videndũ Deum reuelato mentis oculo, exacuere, & prouocare iam cæperis, tunc non solùm maledictis ab inimico, sed & super maledictis, hoc est, vehementio-*

ribus

ribus maledicterũ iaculis impugnabitur. Semper crescunt cum virtutibus zizania, & vbi virtus altior apparet, similiter & impugnationes diaboli crescunt, & contrarietates. Habes in Num. 33. de filijs Israel dictum: *Profectique de mari rubro castra metati sunt in deserto Sin.* Et quidem Sin, duplicem habet significationem, & significat rubum, & significat odium. Et quid rubus ad odium? Multùm sanè habẽt hęc conuenientię; vbi enim montis Sinai rubus apparet, ex quo homo visionem Dei magnam percipiat, & loquentem secum experiatur Dominum, grandia, necessum est, vt sustineat inimicorum odia. Id quod sapienter notabat D. Hieron. epist. ad Fabiolam, inquiens: *Sin autem interpretatur rubus, vel odium; quòd, postquã venerimus ad eum locum, de quo sit nobis Dominus locuturus grande odium mereamur inimici.* Quo quis acceptior, & familiarior fit Domino, eò grandius in illum apparet inimicorum odium: semper enim & cum virtutibus crescentibus crescunt hostilia odia, crescunt virtutum inimicorum contradictiones. Aiebat Cant. 4. *Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum.* Sto à sententia illorum, qui vtriusque venti aduentum his verbis putant sollicitari: petitur enim & Aquilonẽ, & Austrum simul surgere, simul in hortum Domini venire. Et cur non magis sollicitatur solus Auster? Ab Aquilone, iuxta Prophetam, panditur omne malum, cum Austro accedit omne augmentum gratiarum. Cur ergo non magis petitur hic solus, vt veniat? Non equidem est huiustemporis inueniri augmenta gratiarũ sine augmento contrarietatum; sed quò sese magis extollunt in fidelium mentibus australes gratiæ, eò vehementiores insurgũt aquilonares persecutionum flatus. Pulchrè Gillib. Abb. serm. 38. in Cant. rem ponderat in Aduentu Spiritus sancti, aiens: *Ipso die Pentecostes, quando factus est spiritus vehemens in cœnaculo, vbi erant Apostoli, soluta est omnis congelatæ mentis frigiditas, sicut torrens in Austro: & deinceps verbi, virtutũque fluxerunt aromata. Sed numquid idcircò Aquilo quieuit? Nonne multò vehementiùs persecutorum insurrexit procella, & impetus hæreticæ tempestatis? Numquid non æmulatione quadam tentationis Aquilo Austro se opposuit gratiæ?* Numquam non æmulantur tentationes gratiarum, & virtutum cumulos, quantum accrescit virtus, tantum exurgit inimicorũ acrior impugnatio. Dum in Iesu schola fuere Apostoli adhuc rudes, aliqualem Pharisæorum sustinebãt accusationem, sed leuidẽsem, nimirũ, de manducatis spicis, de eõ lotis manibus. Vbi autem apparuerũt pleni Spiritu sancto, Deus bone, vt creuere Aquilonis flatus, vt creuere inimicorum odia, & tentationes, & tempestates: simul enim Deus & suis maiora dona largitur, & maiores consueuit permittere tentationes suscitari. Exod. 15. *Ibi constituit ei præcepta, atque iudicia, & ibi tentauit eum.* Magnum fuit amoris diuini incrementũ, vbi populo suo Deus legẽ dedit; sed multo cum tentationis discrimine fuerunt hę leges populo datæ. D. Hieron. epist. ad Fabiolam, ait: *Vbi magnitudo gratiæ, ibi magnitudo discriminis.* Magnitudinẽ gratiæ numquam non æmulatur magnitudo discriminis, & tempestatis. Huc refero dicta tom. 3. lib. 14. cap. 9. §. 27.

Num. 33

Hieron.

Cant. 4.

Gillibert.

Exo. 15

Matt. 13. Accedentes autem serui patris familias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semẽ seminasti in agro tuo? Vndé ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit.

§. X.

Verus Dei seruus etiam in manifestis criminibus, non audet de illorum authoribus iudicare, sed Deo iudicium tale reseruat.

BOni, & fideles serui zizania vident in dominico agro, & adhuc de zizaniæ authore non iudicant, sed totum iudiciũ permittunt Deo, dum aiunt: seminasti bonũ semen in agro tuo. *Vnde ergo habet zizania?* Quàm multi non Deo permittũt iudicium de zizaniorum authoribus, sed ipsi, visis zizanijs, statim iudicant ad hoc, siue ab illo habuisse ortum, & multis damnant authores. Hi non boni, & fideles Dei serui sunt, sed mali, & pessimi: vnde bonos Dei seruos monebat Paul. 1. ad Corinth. 4. *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifesta-*

1. Cor. 4

festabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Preclarus euangelij Magister omne iudicium de occultis aufert Dei seruis, ne quis proximum iudicet, quãdo omnes iudicandi sumus à vero iudice Domino, qui solus manifestare poterit, quid quisque fuerit. Ibi D. Ambros. *Monet illos Paulus, ne iudicent, cùm iudicandi sint, sicut ait Dominus: Nolite iudicare, vt non iudicemini; sed expectate diem iudicij Dei; ac si fideles, & boni sint. Iniuria enim iudicis est, si ante cognitionem eius à seruo procedat iudicium.* Boni serui omne iudicium à se repellunt, suoque domino integrum reseruant, nolentes ex se, sed ex ore domini scelerum authores publicari, damnari. Hunc ebiberunt spiritum Apstoli in Iesu schola educati, qui audiunt, & credunt illorum vnum diabolum, & nefandissimæ proditionis authorẽ esse. Et quid post tantum nefas auditum? Ait Ioan. 13 *Aspiciebãt ergo ad inuicem discipuli, hæsitantes, de quo diceret. Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Petrus, & dixit: quis est, de quo dicit? Itaque cùm recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine, quis est?* Sese ad inuicem respiciunt, & inspiciunt boni discipuli, & nihil malum alter de altero suspicatur; nec est in illis, qui alteri, nec Iudæ ipsi tantum nefas attribuat, sed rem summo inspectori Iesu committunt, ex cuius solo ore, & sententia pendent; nihil alioquin ipsi iudicaturi de proximo. Ait Cyrill. Alexand. lib. 9. capit. 15. *Admirari etiam in his oportet religionem discipulorum. Nam cùm neq; cõscij sibi essent, nec coniecturis dare se vellent, interrogare maluerunt, &c.* Hæc Christianis discipulis, & optimis seruis Christi sit religio, nec vllis coniecturis credant, vt de proximo aliquod malum iudicent, sed tale iudicium Deo omnia apertè videnti cõmittant. His non absimilis Paul. 1. ad Corinth. 13. *Audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo: nam oportet & hæreses esse.* Expende, quòd auditis scissuris, & contentionibus Corinthiorum dicat solùm, se ex parte credere, quòd illæ sint. Et ex qua parte id credis Apostole? An ex parte alicuius presonę, de cuius mala indole id potest pręsumi? Absit hoc ab Apostolo Christi; imò ipse notet partem, ex qua credat, nimirùm, *Nam oportet hæreses esse*: qua solùm partè scit necessum esse, vt veniant scandala, & hæreses sint, credit Corinthi esse scandala; vt qua parte hæc scandala dicũtur venire ab hac, vel ab illa persona in particulari, id minimè credit verus discipulus Christi, sed mauult tale iudicium Deo remittere. Inter hos omnes Dei seruos maximè splendet maximus ille Ioseph, de quo Matth. 1. *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere, &c.* Bonus Christi seruus electus è millibus, vt suum deferat Iesu seruitium, ea sanctitate, & iustitia pollebat, qua videns vxorem pręgnantẽ se inscio pręgnatus, tamen nõ vult eam traducere, hoc est, iuxta Caietan. non vult illã vituperare, nec accusare, sed mauult illam declinare, ne rei euidentissimæ conspectu frequenti cogatur aliquid malum suspicari. Ex quo D. Paschas. lib. 2. in Matth. ait: *Hoc velim audiant temerarij, & discant inter causarum incerta, diu secũ ex reuerentia timoris Dei deliberare negotia, ne discrimine leuitatis pressi in deterius cadant. Et nos, fratres, quoties turbat nos dubietatis caligo, fallit rerum species, facit superficies causarum interdum interiora veritatis nescire, declinemus, ad præsens iudicium subtrahamus sententiam, fugiamus discrimen; dicamus totum Deo, ne dum temerè gestimus definire sententiam, nobis paremus ex discrimine alieno ruinã.* Et cur Dei serui non fugiant iudicare, quod prorsus eorum fugit iudicium, & solùm paret diuino? Quod circa errorum authores congruentijs credant homines, siue coniecturis, periculosum est in omnibus sceleribus: at in lasciuiæ lapsibus, ipsum est periculum. Horum iudiciũ prorsus fugiat, qui bonus, & iustus, & sapiens est. Ex quo lucem capit locus Prouerb. 30. vbi sic Sapiens loquitur: *Tria sunt difficilia mihi, & quatuor penitûs ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia. Talis est & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit: Non sum operata malum.* Immeritò noster Delrius in adagijs non adducitur, vt credat his verbis libidinis æstus significari, quando singula verba illô respiciunt, siue in aquila ascendente in cælum, rapto scilicet Ganimede, siue in colubro concubente cũ Alexandri matre, siue in naui Carthaginẽ ad Didonem appellente, siue in adolescentis circumitione. In his omnibus, & libidines, & celeberrima adulteria, & cantatissimi notantur amores; & nilominùs sapiẽtissimus vir ab eorum indagatione, imò à iudicio eorum, vt à rebus prorsus extra hominum oculos positis, abstinet, & præterit illa,

Ambr.

Ioan. 13

Cyril.

1 Cor. 13

Mott. 1.

Pasch.

Prou. 30.

illa, vt penitùs ſibi inexplorata, & ignota. Sed cur cantatas toties libidines, ignotas tibi penitus dicis eſſe, ò ſapientiſsime hominum? Sapiēs eſt, & quia ſapiens meritò à iudicio cauet libidinoſorū, vt quòd excedat prorſus iudicium hominis. Quocirca dicebat D. Hieron. epiſt. ad Fabiolā, de veſte ſacerdotali. *De cæteris virtutibus, ſapiētia, fortitudine, iuſtitia, temperātia, humilitate, manſuetudine, liberalitate poſſunt & alij iudicare: pudicitiam ſola nouit cōſcientia, et humani oculi huius rei certi iudices eſſe nō poſſunt, abſque his, qui paſſim in morem brutorum, libidini expoſiti ſunt. O quantæ virgines, et quantorum ſpectata pudicitia in die iudicij dehoneſtabitur! quantorum infamata pudicitia à Deo iudice coronabitur!* Sanè & celebriores, & magis decantatę libidines ſi inſpiciantur, fugiunt hominum oculos, vt fugit via aquilæ in cœlum, via colubri in petra, via adoleſcentis in adoleſcentia, quę nullum iudicium ſui, nullamque coniecturam relinquunt iudicanti.

Hieron.

§. XI.

Verus Dei ſeruus non reſpicit proximorum vitia, niſi cum virtutibus temperata, vel penitus obumbrata.

ZIzania vt meminerint Dei ſerui, priùs in memoriā reuocant bonum ſemen à Deo in agro cordis humani ſeminatum. Quippè aiunt: *Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania?* Non de zizanijs queruntur, quin ſimul recolant bonum ſemē agri, zizania habet Chriſtianus ager; ſed & optima, & præclara ſemina virtutum habet. Bonus ſeruus non reſpicit zizania ſine bonis ſeminibus; malus ſeruus reſpiceret ſola zizania. De S. Ioſepho dicitur, Matth. 1. *Antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. Ioſeph autem cùm eſſet iuſtus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere illam.* Miraris, quòd iuſtus vir ſpōſæ vterū tumentē ſe inſcio videat, & tamē illam nolit traducere. Quomodo id fieri potnit? Quomodo iuſtus talia videt, & prætermittit? Vidit equidem iuſtus tumentem ſponſæ vterum, ſed & ſimul oculos coniecit in eiuſdem ſponſæ & ingētes, & notiſsimas ſibi virtutes, ſub quarum radijs ſic temperabatur apparens dedecus vteri, vt meritò caueret iuſtus de illo iudicare. Imperfectus homil. 1. in Mat. fatur: *Cui inuēta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto? Sine dubio â ſponſo ſuo Ioſeph, qui zeloſo amore ſemper ſe admonente, vitā circumſpiciebat Mariæ. Forſitan autem cū eſſet iuſtus, cæpit ſic cogitare de illa: Comeſſatrix, aut vinolenta numquam fuit; non leuis, non iocoſa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix. Hæc, et alia ſimiliatractans, nil horū inueniebat in ea, ſed ē diuerſo omnia laudabilia, omnia admirāda, quæ ſine Spiritu Sancto poſsibile nō erat eſſe in natura humana.* Iuſtiſsimus vir non in vteri tumore ſiſtebat, ſed ſimul ſplēdidā Marię vitam rimabatur; apparens vteri dedecus nō ſolùm inſpiciebat, ſed illi apponebat experta, & ſibi ſæpiùs explorata virtutum miracula, quæ nulli malæ ſuſpicioni locū dabat. Vtinam ſic vniuerſi ad proximi errores afficiamur, ne tantùm velimus notare, quæ apparent mala; ſed viſo malo proximi, ſtatim ad eius facinora euolemus præclara. Aſt ea eſt hominum malitia, vt in proximis nulla ſemper ſcrutemur mala; ex quo non miror, quòd Dei indignationem incurramus, Matth. 16. *Cæpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia opertet eum ire Hieroſolymam, & multa pati â Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, et occidi, et tertia die reſurgere. Et aſſumens eum Petrus, cæpit increpare illum, dicens: Abſit â te Domine, non erit tibi hoc. Qui conuerſus dixit Petro: Va de poſt me, Sathana, ſcādalum es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed hominum.* Et cur Petrus ſic meruit repelli? Cur meruit Sathanas vocari? Cur humani erroris reus haberi meruit? Meritò vocatur Sathanas, & habetur humani erroris reus, qui dum audit Ieſum, & moriturum, & reſurrecturum, totus hæſit in mortis infirmitate, minimè reſurrectionis recordatus. Quod indecorum erat mortis, illud tantùm reſpexit, quod erat virtutis, & gloriæ in reſurrectione, illud nec attendit, nec reſpexit D. Hieron. in epiſt. ad Algaſiam, quæſt. 3. fatus: *Humano quippè timore perterritus, paſsionem Domini formidabat. Et quomodo audiens multa eum pati, et occidi, timebat: ſic audiens, & tertia die reſurget, gaudere debuerat, et triſtitiam paſsionis reſurrectionis gloria mitigare.* Debuerat bonus ſeruus non ſolùm hærere in infirmitate, ſed & proſpicere ſimul virtutem: at vbi prætermiſſa reſurrectionis virtute, tātum reſpicit mortis infirmitatem, & Sathanas à Domino habetur, & reus tenetur erroris

Matt. 1.

Imperf.

Matt. 16

Hieron.

huma-

humani. Ioan. cap. 5. dialogus proponitur
Ioan. c. 5 inter Pharisæos, & paraliticum à Iesu sanatum: Respõdit eis: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatũ tuum, et ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi, tolle grabatũ tuũ, & ambula?* Bonus seruus Christi, dum meminit onus sibi à Iesu impositum, & simul meminit Iesu virtutes, & miracula; ait enim: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum, &c.* Vt sub tanta virtute, & miraculo Sabbathi violatio minimè appareat. At serui nequã virtutis opere prætermisso, nihil aliud attẽdunt, quàm onus impositum Sabbatho. Quò refero alibi datum D. Gaudentium, serm. 12. ad Neoph.
Gaud. aientem: *In cathalago magno virtutum adhuc vnum fecerat opus Iesus: quòd frementi contra se imperito populo Iudæorũ, quasi verisimilem sæuiendi aditum dedisse videbatur; quòd scilicet paraliticum in Sabbatho curasset. Itaque tanquam violati Sabbathi reus insectationem patitur Iudæorũ.* Quid turpius, quàm prætermissis tot virtutibus, vnam attendere violationem Sabbathi? quæ tamen non erat violatio, sed fingebatur esse.

§. XII.

Tota inferni rabies non superat mensuram virium vnius hominis, vt homini noceat Dei gratia munito.

INtroducitur diabolus seminator zizaniorum, & vocatur à Deo inimicus homo; ait enim Dominus: *Inimicus homo hoc fecit.* Et cur rabidissimus hostis vocatur homo? Nonne satiùs vocatur à Petro Leo rugiens? Nõne satiùs vocatur fulmen? Cur mauul Dominus illum vocare hominem? Homo infirmitatẽ sonat; diabolus fortissimus est, & validissimus hostis ad perdendum: dicatur ergo hostilis rabies, immanissima bellua, leo, vrsus, tygris, & non dicatur homo. Ast sapientissimè à Deo relictis furiarum nominibus, nomen hominis assumitur, & homo vocatur durissimus hominum inimicus, vt pateat, quòd licèt validissimus sit diabolus ad perdendum, tamen respectu hominis diuina gratia protecti, non excedit vires hominis vnius. Notissimi sunt duo illi
Matt. 8. homines dæmonia habentes. Matth. 8. de illis dicitur, *Dæmones autem rogabant eũ, dicentes: Si eijcis nos, mitte nos in gregẽ porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare, et mortui sunt in aquis.* In duobus erant hominibus dæmones illi, & petunt mitti in totum porcorum gregem, in quem facilè à Domino intrare permittuntur. Nonne sufficeret, quòd vel in duos alios porcos intrarent? Siquidem à duobus solis hominibus eijciuntur. Cur plusquam duo porci dantur eorum potestati? Vt pateat, quàm alius est dæmon respectu hominis, & respectu cæterorum: qui enim hominem aggressus hominis vnius vires nõ superabat, copiosissimum aggressus gregem sic superabat, vt omnes illæ belluæ nec primũ eius impetum valerent sustentare. Id quod miratus Diu. Chrysolog. serm. 26. ait: *Grex in*
Chrysol. *gregem mittitur, vt prodatur dæmonũ multitudo, vt appareat hoc duos portasse homines, quod numerositas non valuit sufferre porcorum.* Numerosa animalium cohors diaboli impetum sustinere non valet, quẽ duo, aut vnus sustinet homo, quando quidem in humanis duellis diaboli tota potestas ad mensuram hominis temperatur. De feris terram exterminantibus locutus Daniel, cap. 7. ait: *Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ: aspiciebã donec euulsæ sunt alæ eius, et sublata est de terra, et super pedes quasi homo stetit, et cor hominis datum est ei.* Quæ leoninam referebat crudelitatem, & aquilinam velocitatem, subitò immutatur, & quasi homo apparet: ne iam timeas primos diaboli exterminatoris impetus; leo proculdubio rugiẽs apparet, & aquilis velocior ad perdendum, sed in congressu, sic Deo disponente, tẽperatur, vt vnius hominis non superet feritatem. Quò spectans D. Paul. 1. ad Co-
1. Co. 10. rinth. 10. ait: *Tentatio vos non apprehendit, nisi humana. Fidelis autẽ Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Quantumcumque hostis furiat, etsi leonis edat rugitus, ferarumque omnium præseferat rabiem, & crudelitatem, vbi in arenam descendit, vbi cum homine conserit manus, subitò vt homo apparet, nullo modo excedens vires humanas. Vnde hoc? *Fidelis est Deus, qui nõ patietur, &c.* Adest certaminibus nostris Deus fidelissimus iudex, & arbiter certaminũ, qui nullam patitur in conflictu inæqualitatem. Hoc primum est in omni duello, quòd athletæ sese iudici, & magistro sistant, à quo cauetur, ne aliqua sit inter illos armorum inæqualitas. Similiter in duellis Christianis

gianis Deus adest, vt iudex, & arbiter fidelissimus, qui dæmonis arma sic temperat, vt minimè excedant hominis arma. Ait enim Anselm. ibi: *Non permittet Deus, vl tra mensuram vestrarum virium excrescere pondus alicuius tentationis. Nisi enim Deus cum viribus tentamenta modificaret, nullus profectò est, qui malignorum spirituum tentationes ferrenes portet. Quia si mensuram iudex tentationibus non præbet, eo ipso stantem deijcit, quo vltra vires onera imponit, & ideirco hostem nostrum pia dispensatione permittit, & retinet; relaxat, & refrænat.* Expende illud, *si mensuram iudex, &c.* quippè in singulis conflictibus æquissimum, & fidelissimum agit Deus iudicem, qui confligentium arma mensurat, nec permittit truculentum hominū hostem accedere, nisi priùs attemperatus fuerit ad mensuram hominis. Id vt ostenderet Dominus, Luc. 8. quærit à dæmoniaco: *Quod tibi nomen? At ille dixit, Legio: quia intrauerant dæmonia multa in eum.* Et cur Dominus voluit patefacere, dæmonio tum multitudinē tantam incurrisse in hominem vnum, nisi vt ostēderet, quàm veniant à Deo temperati omnes impetus dæmonis? Licèt enim tota infernalis multitudo prosiliat in certamen, numquam tamen vnius hominis vires excedit. Ait ibi D. Basil. Seleuc. orat. 23. *Edocuit Dominus quā multis humanum corpus traditum carnificibus dæmonibus non periret; quandoquidē dæmonū multitudo in vnum arma sa tollere eum non ualuerit.* Ex quo sapienter educit Chrysol. serm. 17. *Euidens est desidia militis, si desiderat acie, si gressum retrahat, si confligere pertimescat, vbi vnū numerosa hostē fortiorem præuidet esse sapienum.* Et sanè contemnenda est diaboli fortitudo, quando tota inferni potentia vnius hominis non superat vires. Parum illi credebat Rex Balac, qui conuocans diuinum Balaam, vt aduersus Israel veniret cum dæmonum potestate, ait Numer. 22. *Veni igitur, et maledic populo huic, quia fortior me est: si quomodo possum percutere, et eijcere eum de terra.* Quæ verba sic legit Orig. hom. 13. in Num. *Veni nunc, & maledic mihi populum hūc, quia fortior est his, quàm nos, si fortè possimus percutere aliquos ex eis.* Magnum vocat Balaamum, vt veniat inuocatis diabolis ad maledicēdū populo Dei, & nilominūs dicit, *si fortè possimus percutere aliquos*; non enim tantū fidit in dæmonum potentia, vt de eorū auxilio certam sibi victoriā promittat; sed adhuc illis venientibus, vt acutè notat ibi Orig. dubitat, an possint vniuersi aliquē ex Israelitis perdere: quippè ait Orig. *Videtur mihi Rex hic non ex integro confidere in Balaam diuino, ingenti de virtutibus, quæ in populo Dei factæ sunt, auditione perterritus, et ideò dicit, si fortè præualeāt maledictiones Balaam, vt aliquos ex ipsis possit percutere.* Et quidem omnes dæmonum maledictiones non valent aduersus hominem minimum, dum ille velit resistere.

Matth. 13. Serui autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea? Et ait: Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.

§. XIII.

Illicitum semper est, & maximè barbarū, ex sola audita accusatione proximum inauditum, & prorsus insciū pœna aliqua mulctare.

SAnè boni serui nimio virtutis zelo feruentes, dum ex herbis crescētibus lolium, & zizania suspicantur esse inagro Christiano rem summo iudici deferunt, de cuius sententia cōtendunt statim mala illa eradicare, & prorsus ab agro exterminare. A iusto tamen iudice patre familias impediuntur, ne & absenti, & inaudito reo, tanquā præsenti, & conuicto inferant damnum. Vt enim præclarè notat noster Salmeron, loliū cùm adhuc in herba est, tritico maximè assimilatur, & vix ab illo discernitur, adeò vt circa illud etiā oculatissimus posset falli. Quis ergo vel iudex, vel pater familias, quando mille possunt esse fallaciæ, ex sola accusatione audita, inauditum reum percutit gladio? Accipite Chrysost. epist. 1. de iudicio circa se facto expostulantē. Si autem aduersarij nostri, qui ita impiè egerunt, adhuc fingunt crimina quædā, propter quæ nos iniustè eiecerunt, non datis nobis, neque commentarijs, neque libellis, neq; manifestatis accusatoribus, agemus, & tuebimur etiam nos libenter causam, nostrabimusq; illos ipsos, non nos reos esse eorum, quæ nobis impingunt, sicut & planè innoxij sumus. Et contra, *quæ ab ipsis facta contra omnem sunt honestatem, contra*

omnes leges, cōtra omnes ecclesiasticos canones. Et quid dico canones ecclesiasticos? Neque in Gentilium iudicijs, neque in Barbarorum tribunalibus talia attētata sunt vmquam. Neque Scitæ, neque Sauromatæ vmquam iudicarunt, iudiciū dandum vni parti, absente ea, quæ accusatur, & vitante non iudicium, sed inimicitias, et inuocante multa millia iudicum, et protestante coram toto orbe declaraturam se non esse ream, depulsuramque crimina, & ostensuram suam inuocentiam. Quid sapientius? Quid iustius? Quid consultius proximorum honori, & famæ? Ex solo accusatore audito, qui vel falli potest, vel potest fallere, inauditum proximū castigare, natura abhorret, nulla lex permittit, nec Barbarus vllus, nec Scita, nec Sauromata fuit ausus, nec pater patitur, nec iudex, nec carnifex. Hanc tyrannidem maximê in orthodoxos exercuit exlex illa Valentis Arriani persecutio, de qua D. Basil. epist. 70. *Cum nemo sceleratus sine certis indicijs condemnetur, Episcopi sola intercedenti calumnia dānantur, & nulla euidenti probatione assertis, ac roboratis criminationibus, supplicijs traduntur. Nonnulli nec nouerunt quidem accusatores suos, neque tribunalia viderunt: neque delati sunt primûm, sed nocte intempesta arrepti in exilium fugati sunt.* Hæc solùm apud exleges homines fiunt, quod nimirùm proximi subitò nullum ante iudicium, nec tribunal, nec accusatorē, nec patronum experti, se iam in supplicio, & pœna videant. Id cauens Paulus in Christianis. 1. ad Corinth. 4. ait: *Itaque nolite ante tempus iudicare.* Iudicium fidelibus vetat, à quo damnationis sententia in proximos procedat: quid ergo? nemini licet dānare fratrem, nec iudici, nec parenti, nec magistro? Nemini prorsus, nisi priùs euidenti probatione cogatur reus conuinci, & confiteri. Ait Chrysost. ibi. homil. 11. *Quid igitur, nonne magistros hoc facere, nēpè iudicare oportet? Oportet quidē verum in manifestis criminibus, et confessis, et hoc si temporis commoditas expostulabit.* Dum delicta, & errores proximo non sunt prorsus manifesti, & euidenti probatione conuicti, & quos reus interrogatus confessus fuerit, nec iudici, nec patri, nec magistro licet de illis iudicare. Quod suis fidelibus cupiens esse cautum Dominus, ait Exod. 23. *Non suscipies vocem mendacij:* vbi Septuag. habent: *Non suscipies auditionem vanam.* Quòd si quæras, quæ sit vana auditio? Illa proculdubio vana putatur, quæ nulla euidenti probatione nititur, nec habet plus substantiæ, quàm verba, & sermones prolatos, quibus semper potest subesse falsum. Ex quo aiebat Philo, lib. de iudice: *Hoc legis caput mihi videntur quidam ê Græcis legislatoribus desumpsisse ê sacratissimis Moysis tabulis, interdixisseque, ne ex auditu feratur testimonium, quôd quæ quis vidit, certa iudicanda sunt, quæ verô audit, non perinde firma.* Quôd si audita solùm, non debent à iusto viro vt firma iudicari, quanto piaculo iudicantur vt firma, quę vna sola aure percipiuntur, altera prorsus proximo negata, ne possit, si quā habet innocentiam, facere testatam? Qui sic in proximos suos & Scitis, & Sauromatis sunt barbariores, illud proculdubio merentur, vt sine illorum conscientia durissimis supplicijs castigentur, propter aliquos, de illis etiam sermones vanè iactatos, quando nullus est, qui accusatorum linguas possit euadere.

Basil.

1. Cor. 4.

Chrysos.

Exilo. 23

Philo.

§. XIIII.

Proximorum errores simplicioribus verbis deferendi sunt, ne grauiores appareant.

BOni Dei serui in præsenti notandi sunt, vt deferant summo iudici orta in Christiano agro zizania, nimirùm aiunt: *Vis imus, & colligimus ea?* Expende illud, *colligimus ea*: quid simplicius dictū? Nō agnominum, & verborū grandium sonitu malum aggrauant, nec exaggerant; sed simpliciter, & sincerê nominant proximi mala. Diuinū optimè nouerūt adimplere præceptum, quod Prouer. 20. sic cauet: *Ei, qui reuelat mysteria, & qui ambulat fraudulenter, et dilatat labia sua, ne cōmiscearis.* Expende illud, *dilatat labia sua*: sunt enim susurrones, & criminatores homines à natura, qui nullum proximi defectum simpliciter, & sincerè nouerunt narrare; sed ampullatis verbis illum amplificant, & dilatant. Nullus error proximi in horum labijs apparet, nisi sub grādiorum facinorum vocabulis dilatatus, amplificatus, vt vel parua scintillula nequeat aliter quàm flammiuomus Æthna vocitari. Ab his hominibus longê adsint Dei serui, qui potiùs proximi errores debent minuere, quàm ampliare: imò ab his quā lōgissimè absit, quisquis velit rectum iudiciū, & innocuum præstare. Monebat Dominus, Exod. 23. *Non suscipies vocem mendacij:*

Prouer. 20.

Exo. 23.

alij

alij cum Septuag. legunt: *Non ſucipies auditionem vanam*: quòd ſi queras, quæ ſit auditio vana? Ea eſt ampullata de proximi defectibus locutio, quæ grandia præferens vocabula, parùm, aut nihil viritatis habet, ſed inſtar ampullarum turgentiũ, ſi vel leniter, tangatur, euanet. Pulchrè
Philo. ad hæc aiebat Philo, lib. de iudice: *Ergo ante omnia præcipit lex iudici, caueat, ne vanam narrationem auribus accipiat, ſed excludat vanas vulgò protritas, damnataſque fabulas figmentorum poeticorum, res nihili multis verbis exaggerantium.* Hoc equidẽ maximè cauendum iudici eſt, ne præbeantur aures illis, qui numquam non poeticè loquũtur, res nihili multis verbis exaggerantes, vt quæ in ſe nullum habent momentum, de affictis vocabulis pompã accipiant, qua traducantur. Quo ſe malo affectum lugebat Pſaltes. 23. *Poſuiſti nos in*
Pſal. 23 *opprobrium vicinis noſtris, ſubſanationẽ, & deriſum ijs, qui in circuitu noſtro ſunt.* Chryſoſt. ibi legit hanc ſecundam partẽ. *Põpam ijs, qui in circuitu noſtro ſunt*, Quid ſubſanatio, & deriſio cum pompa? Sanè nulla trucior ſubſanatio, & deriſio eſt, quã vbi defectus aliquis carpitur pompoſis, & ampullatis vocabulis, vt vel in minimis defectibus grande intonet ſophos. Sed dũ notatus error paruus ſit, quid tua, quòd criminator proijciat circa illũ ampullas, & ſexquipedalia verba? Miſera ſanè eſt hominis conditio, qui non re vera, ſed oris criminantis pompa traducitur, & in pœnam vocatur. Nec vir ſanctus adeò ſentiret ſuos defectus pompoſis traduci vocabulis, niſi maxima eſſet vis arti huic ad per
Dinut. dendas proximorum cauſas. Ait enim Minutius Felix in Octauio: *Plerumq; pro diſſerentium viribus, & eloquentiæ poteſtate, etiam perſpicuæ veritatis conditio mutatur. Id accidere pernotum eſt auditorum facilitate, qui dum verborum lenocinio â rerum intentionibus euocantur, ſine delectu aſſentiuntur dictis omnibus, nec â rectis falſa ſecernunt; neſcientes ineſſe & incredibili verum, & veriſimili mendacium.* Expendendum eſt illud: *Verborum lenocinio a rerum intẽtionibus euocantur*:: quippè ea eſt verborum pompæ vis, vt auditores auocet à rerum intentione, adeò vt minimè attendentes rei paruitati, de magnitudine verborum nil ſuſpicentur, niſi magnum, quo ebibunt nocentiſsima proximis mendacia.

(·.·)

§. XV.

Maximè iniuſtus eſt, qui nihil vitij in fratre nouit diſſimulare.

MEritò boni ſerui prohibentur ſtatim eradicare zizania, ſed illa præterire, & diſsimulare parumper iubentur; nõ enim iuſtus eſt zelus, qui nihil nouit cõcedere fragilitati, nihil nouit diſſimulare. Hinc monebat Eccleſiaſ. c. 7. *Noli eſſe iuſtus multùm*. Vt in omnibus moralibus virtutibus, ſic & in affectu iuſtitiæ exceſſus eſt, & exceſſus maximè nociuus; ſæpè enim, vt vulgò aiunt, ſummum ius, ſumma iniuria eſt. Ergo iuſtus ſciat fragilitati humanæ aliquid concedere in proximo, ne ex iuſto fiat iniuſtus, inhumanus, & bonis iniurius. In præſenti ait D. Hieron. Hieron. *Si quem rigidum, & trucem ad omnia fratrum peccata conſpexeris, vt nec in ſermone peccanti, neque propter naturalem interdum pigritiam moranti, det veniam: hunc ſcito plus iuſtũ eſſe, quàm iuſtum eſt, nam inhumana iuſtitia eſt fragilitati hominum non ignoſcens.* Semper quæ vera iuſtitia eſt, ſe intra miſericordiæ carceres cuſtodiat, ne ſi miſericordiam exeat, & omnia punire velit, non tam iuſtitia ſit, ſed inhumanitas, ſed iniuria, ſed crudelitas. Huc inter alios pulcherrimè ſpectabat Ferrandus Carthaginenſis Diaconus in Ferran. Paræneticoad Reginũ Ducem, regula. 6. aiens: *Oquanta diſſimulanda ſunt, quanta toleranda, quanta leniter attingenda, quanta Sacerdotumque interceſſionibus concedenda ab illo, qui ſapienter audit: Noli eſſe multùm iuſtus.* Multa diſsimulet, multa patienter ſuſtineat, quiſquis à vero iuſtitiæ tramite nolit diſcedere; ſemper enim correctioni inſtare, & vel ad minimum errorem cæcutire nolle, crudeliſsimum eſt, & valde nociuum. Quippè ait Tertullian. in Tertull. carm. ad Senatorem: *Semper nocet vtile longum*, & quidem prudentiſsimè: licèt enim eſca vtilis ſit, ſed ſi ab eſcis non abſcedimus, potiùs mortem inde, quàm vtilitatem oriri nouimus. Suos etiam habeat fines iuſtitia, imò ſemper viuat in confinio miſericordiæ, vt inde ſeruet iuſtitiæ nomen, quòd ſic nouerit errores corrigere, vt & parcens in aliquo ſaluti proximi conſulat, & honori. Deuteronom. 15. feriebat lex nocentes quadraginta plagis; at iudices numquam plaga-

rum numerum implere permittebant. Et cur non permittebant? Pulchrè Theod. quæst.30. ait: *Quia maior numerus vapulantem infamat: si enim cæciderint eum pluribus, deformis abibit frater tuus in conspectu tuo In eo transgredi legem permittunt, ne exactum obseruantes numerũ, etiam nolentes vapulantem infament, plurimis plagis illatis.* Sic iusti viri cauent semper exactum iustitiæ rigorem in correctione fratrum, ne iustitiam conuertant in crudelitatem. De hoc latius.1. tom. lib.1. cap.2. §.3.&.4.& alibi.

Theod.

§. XVI.

Qui filiali in Deum dilectione sunt affecti, Deum cupiunt in proximos misericordem.

QVàm promptos se ostendunt serui hi ad eradicanda zizania, ad peccatores puniendos; aiunt enim, *Vis imus, et colligimus, ea?* Nil nisi iudiciũ, & seueritatẽ circa malos cupientes: ex quo meritò vocantur à Domino serui, dum ait: *Serui autem dixerunt, vis imus, & colligimus ea?* Serui sunt, & sterili spiritu laborant, qui seueritatem extorquent: si enim non seruili spiritu, sed filiali Dei amore vigerent, nil magis cuperent, quàm Deum misericordem, & proximis parcentẽ exhibere. Psalm.118. ait Dauid ad Dominum: *Aspice in me, & miserere mei secundùm iudicium diligentium nomen tuum.* Miraris, quòd Dauid petat respici à Deo secũdùm iudicium, quando aliàs clamaret: *Non intres in iudicio cum seruo tuo, Domine:* hîc iudicium deprecatur, illic secundùm iudicium petit respici, sed secundùm iudiciũ diligentium Deum. Dilectores autẽ Dei eo ipso, quôd diuini amoris flammis sunt incensi, nec in iudicio Deum seuerũ, sed pium, & misericordem proximis vellẽt. Pro quo D. Bernard. serm.2. in vigil. Natiuit. ait: *Non sicut ego merui, sed sicut illi decreuerint, miserere.* Securê Dei dilectoribus remittitur de salute humana iudiciũ; notum enim est, quòd Dei dilector Deũ erga homines misericordem vellet, iudicis rigorem à Deo ablegabit. Dixit Dominus semel Petro, Matth. 19. *Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Hoc Petro dictum accipe, sed & Ioan.21. ait Dominus: *Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos mens.* Antea iudicium hominum Petro datur, modò nihil de hominum iudicio, sed hominum pascendorum cura mandatur! Cur Domine, dum præficis Petrum orbi, non magis iubes, vt regat virga, vt iudicet, sed solùm petis, vt pascat? Præmiserat Dominus amoris examen, & vbi Petrum Dei dilectorem inuenit, satis scit nullam in eo seueritatem iudicij, sed plenam misericordiam, & fratrum pascuã requirendam. Ex quo monebat Paul. ad Coloss.3. *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti viscera misericordiæ benignitatem, &c.* Vbi dilectio antecedit, & Dei charitas in cordibus humanis diffunditur, nil priùs inde prosilit, quàm misericordia, & benignitas, vt dicat Chrysost. hom.14. ad Rom. *Est sanctorum genus omne beneuolum, propensoque erga alios affectu: propterea & Paulus dicebat: Induimini igitur tanquam electi Dei sancti, & dilecti viscera misericordiæ.* Et adhuc pendendum est illud, *viscera misericordiæ.* Quid est, induite viscera misericordiæ? S. Remigius quid filiale ibi significari putat, quo quis vt filius ad Dei viscera refertur; nec abs re monebat Paulus, quòd viscera misericordiæ induamus, antiquitùs enim filiorũ adoptionem recipientes, sub exteriori matris familias veste recipiebatur, & inde quasi parturiebatur. Monemur ergo visceribus Dei Patris adhærere, non tanquam principio coniuncto, vt filij naturales, sed tãquam vesti, & indumento, vt filij adoptiui. Nec prætermittendum est, quòd Paulo idem sit spiritus adoptionis, & spiritus misericordiæ, idẽ manere in visceribus Dei, vt filius, & misericordiam, & benignitatẽ ad omnes pæseferre. Quò enim plus filialis dilectionis habes, quò magis intra Dei viscera, vt filius manes, eò maiorem exundare ad omnes cupis misericordiam. Vndê Matth.18. dicitur: *Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum.* Cur tam durus in fratres? Seruus erat, ab omni filiali amore prorsus alienus, insuper non manebat in Deo vt filius, sed vt seruus à Deo erat egressus; si enim vt filius in Patre mansisset, non potuisset non cupere proximo misericordiã, & beneuolentiam. Ait Theophil. ibi: *Egressus seruus, qui veniam obtinuerat, strangulat, ac premit conseruum. Nullus enim, qui in Deo manet, compassionis expers est: sed ille egressus erat, & â Deo nunc alienus erat; magnæ autem erat incredulitatis.* Seruilem, & à Deo alienam cõditionẽ comitatur

Ps. 118.

Bernar.

Matt.19

Ioan.21

Colos.3.

Chrysos.

Matt.18

Theoph.

tatur crudelitas: ingenuus, & filialis affectus, quo quis vt filius adhæret Deo, nullo magis ostenditur, quâ in eo, quòd semper cupiat proximis adesse, & prodesse. Quid plura? Quantus apparet affectus ad subueniendum, tantus apparet filialis respectus ad Deũ. Dum staret Stephanus coram Principibus Sacerdotũ subiturus sententiam, subitô clamans ait: *Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem â dextris virtutis Dei.* Cur non magis ostenditur Iesus sedens à dextris Dei? Nonne ostenderetur magis tunc Patri æqualis, si ostenderetur sedens, & ad eius dexteram? Sic dicitur cõmuniter sedere ad dexteram Dei Patris, vt Patri æqualem Filium ostendat. Cur ergo modò non sedens, sed stans ostenditur? Equidem vbi Stephani causa in iudicio agebatur, & ipse Stephanus stabat vt reꝰ, nullo magis ostenderetur Dei Filius, & Patri æqualis, quàm si in habitu opitulantis, & subuenientis ostenderetur, stãs cum stante, & patiens cum patiente. Pulchrè ad hæc D. Petrus Dam. serm. de S. Stephano, ait: *Aperiuntur ergo cæli, & puto, quòd omnes cæli, eorumq; apertionem sequitur visio Dei, & videtur Iesus stans à dextris virtutis Dei. Ne Patre minor esse putetur, stat cum stante, cum bellatore bellatur, quia lapidatur cum lapidato.* Expende ab illis: *Ne Patre minor esse putetur, stat cũ stante, &c.* Equidem si sedentibus iudicibus aduersus Stephanum, & Iesus ad dexteram sedens ostenderetur, vix credi posset Filius Dei, & Patri æqualis, quando huius proprium est subuenire etiam veris reis. Ideò tunc minimè sedet, sed stat cũ stante, fauens, & opitulans homini suo, in quo se ostendit Filium Dei, Patris æqualem, cuius est, misericordiam omnibus ostendere, neminem perdere. Inde est, quòd dñs Petrus zelo plenus Sacerdotis serui auriculam gladio percutit, dixit illi Dñs, Matt. 26. *Converte gladium tuum in locum suum; omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modô plusquam duodecim legiones Angelorũ?* Expende, quid dicat Dñs, se posse habere ex Patre ad illum conflictum, nimirũ ait, se posse habere ex Patre plusquã duodecim legiones Angelorum. Cur non magis dicit, se posse habere duodecim millia fulmina, quę regionẽ illam in cinerem reducãt, vt reduxere Sodomam; vel se posse habere ex Patre serpentes ignitos, qui, vt quondam Israelitas, sic modò vniuersos Hierosolymitanos tradãt internecioni? Cur his prætermissis, maluit Angelos meminisse, genus & salutare, & amicũ omnibus? Pulchrè Euthim. ibi: *Nõ dixit, possum eos perdere: maluit scilicet imbecillus videri, quàm perdendi potentiam ostentare.* Euth. Nõ est filius Dei, qui ostenditur in perdẽdi potestate, sed in studio subueniendi, & defendendi genus humanum: vt discas, in quo possis cognoscere filialem affectum erga Deum habitum. Hunc qui habet, nihil magis in optatis habet, quam omnia, & Deum ipsum reddere homini placatum.

Dam.

Mat. 26

§. XVII.

Peccator ex consortio iustorum magnum emolumentum capit.

SApienter mauult Dominus zizania inter triticũ manere, vt qui nouit quantũ emolumentum ex consortio, & cõuictu iustorum impij capiant. Notissima est historia 4. Reg. 13. vbi sic: *Mortuus est ergo Elisæus, et sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno; quidam autẽ sepelientes homines, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Elisæi. Quod cùm tetigisset ossa Elisæi, reuixit, homo, & stetit supra pedes suos.* Vbi notandum, quantum lucrum percepit homo ille, vel ex momentaneo consortio cum Elisæo; mortuus ipse erat, nec vllus sperabat posse fieri, quod reuocaretur in vitam, sed & nulla ad id fiebat diligentia. Interea sepulto Elisęo parũper adhæsit, & ecce tibi morte depulsa, apparuit sanus, & viuus. Quis iam peccator, etsi in delictis mortuus, & prorsus frigidus cõtemnat iustorum cõsortium, quando hoc illi potest totam gratiæ vitam restituere? Pulchrè ex hoc monebat Bachiar. epist. de recipiendis lapsis, inquiens: *Et tu ergo si mortuum dicis, vel iuxta Elisæi, illũ, ossa constitue. Nolo, vt eũ longè segreges à Christi membris, quia ipse consortio meliorũ erubescet, et resurget in vitam. Nonne emendationis paruum putas esse momentũ, si peccator asciscitur in consortium beatorum, quia illorum præmia, sua sentit esse tormenta? Si quis laudatur, erubescit; si quis vituperatur, agnoscit. Inter hæc flagella verborũ constitutus satisfactioni, emendationiq; semper approximat.* Nunquã non salutaris est peccatoribus iustorum hominũ vicinitas, quorum virtutũ exẽplis ob oculos concurrẽtibus, vel frænãtur à malis, vel resurgunt in vitam. Stimulus est iusti vita, quę vicinos sibi peccatores agat in meliorem frugem,

4. Re. 13

Bachiã

siue quòd erubescant, steriles manere inter fœcundissima vitæ ligna, siue quòd exemplis accensi, ad diuites contendant quadam æmulatione partus virtutū. Propone tibi ob oculos mundi cunabula prima, qualiter cælum, & terra à Dei manibus ortum ducant: vix terra apparet creata, & audit diuinum præceptum, Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem*, & præcepto obediens fœcundissimos statim in partus profiliuit. Non sic cælum, nec audit præceptum de parturiendo, nec aliquid parturit, contentum luminibus ornari, & vestiri, quo finitur quarta die. Nec dum incipit quinta dies, & ecce tibi alid Dei præceptum intonat: *Producant aquæ reptile animæ viuentis*: & statim aquæ mille animalia producunt. Fœcunditatē producendi dederat Dominus primò terræ; illam deinde cælis non dedit; rursus eamdem aquis largitur. Et cur, quæ negatur cælis, aquis conceditur; Cur necessum fuit, quòd aquæ haberent fœcunditatem, immediatè ante negatam cælis? Parturienti iam terræ de præcepto diuino, proximæ, & vicinæ, & coniunctæ erant aquæ; ab vtrisque cælum longè erat distans: quare quæ parturienti terræ proxima erat aqua, & simul iuncta, non potuit de terræ vicinitate in idem præceptum non surgere, & eamdem fœcunditatem inducere. Ait D. Basil. Seleuc. orat. 1. *Cùm aridam mari coronasset Deus, non vsibus ineptum ostendit mare, ne quidem genituræ. Oportebat id siquidem vicina terra ad partus edendos nō inferius videri.* Nō potuit aqua vicini elementi non iuduere virtutem; nec præceptum diuinum de producendo terræ datū, & in terra obseruatum, non potuit non abseruari etiam in aquis, quæ erant vicinę. Quid plura? Vix fieri nequit, quòd peccator dum iustis aduiuet, non similes indnat virtutes, & non cogatur seruare rectitudinem. Sunt equidem iustorum virtutes instar laqueorum, qui vicinos peccatores in iustitia vel cogat viuere. Vnde de coruo ab arca Noe emisso dicit Gen. 8. *Egrediebatur, & nō reuertebatur.* Id quod ponderans D. Ambros. lib. de Noe, cap. 17 ait: *Egressus coruus non reuertitur ad iustum: quia euasisse se credit iniustus tāquam de vinculis, cùm iustus ab eius se consortio separauerit.* Quot enim erant in iusto opera virtutum, totsunt vincula, quę impium in iustitia vel inuitum contineant. Huc refero dicta tom. 3. lib. 14. cap. 4. §. 3. & lib. 14. cæp. 12. §. 7.

Basil. Se.

Gen. 1.

Gen. 8.

Ambr.

Matth. 13. Sinite vtraque crescere vsque ad messem: & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculis ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

§. XVIII.

Sectionis asperitas tunc solùm non damnosa, cùm maturo, & opportuno tempore exhibetur.

NOn prorsus impediūtur serui isti ab euulsione, & scissione zizaniorum in agro Christiano, sed iubētur expectare messis tempus; vbi enim seges matura sit ad messem, nullū illi malum timetur, licèt tunc accedat asperitas falcis, sola immatura asperitas nociua est; quæ autē tempore matuto exhibetur, semper inuenitur salutaris. Iam sæuientibus hostibus sese tradebat Iesus, & dū se hostili tradit phalangi, sic de suis discipulis cauet. Ioan. 18. *Sinite hos abire, vt compleretur sermo, quē dixit: Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Meritò cauet Dominus, ne discipuli comprehendantur, vtpote qui de illis nullum erat perditurus: ex eo autem quòd nullum perditurus erat, oportuit, vt illos à comprehēsione liberaret. Et quid, si comprehenderentur discipuli, an ideò necessum erat, quòd perderentur? Sanè & postea comprehensi sunt à tyrannis, & carceres, & verbera, & ludibria experti, secti sunt, trūncati sunt, milleq; mortis generibus consumpti; & nilominùs nullus ex eis perditus est. Cur ergo quando hi erant Apostoli, qui inter rabidissimas persecutiones, & mortes non erant perdēdi, tàm studiosè modò cauet Dominus, ne comprehēdantur, vt eorum perditionem euitaret? Cur, Domine, hostiles persecutiones caues tuis, qui per tot persecutiones erant coronandi? Non timet Dominus persecutiones suis, sed persecutiones, & durities immaturas maximè cauet, vt quæ solæ possint esse etiam fortissimis hominibus lethales. Aiebat S. Philippus Abbas,

Ioan. 18.

S. Phil. bas, epist. 14. *Ex his, quos ad saluandum ei Pater dederat, quempiam non amisit, quia occidi eos immaturo tempore non permisit.* Hinc tota discipulorum salus pependit, quòd non permissi sunt cædi immaturo tempore; quòd permissi sunt viuere etiam imperfecti, & fugitiui, & negatores, donec cœlesti igne toti maturuerunt, & tempore iam maturo facto, nihil iam illis timetur à falce, à gladio, ab vniuersa mundi tyrannide. Huc conueniant omnes animarum curatores, & sciant medicabilem, & salutarem falcem mittere, nō tempore immaturo, sed tempestiuè, & maturè. Le-
Leui. 16 uit. 16. monebat Dominus circa sacrificiū pro peccatis faciendum. *Postquam emundauerit sanctuarium, et tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viuentem, et posita vtraque manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et vniuersa delicta, atque peccata eorum, imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum in desertum.* Hæc vltima verba transfert Lectio Veneta, sic: *Emittet illum per manum viri opportuni in desertū.*
Tygur. Adhuc in rem nostram explicatiùs Tygurina fatur: *Emittet illum per manum viri tempestiui.* Non enim fidendum est alteri manui, quæ peccata è medio tollat, nisi manui tempestiuæ, & oportunæ, quæ scilicet, & tempestiuitatem, & oportunitatem obseruet, ne quid immaturo tempore fiat. Sanè multo studio debent tempestiuitatem, & opportunitatem obseruare animarum curatores, præcipuè vbi peccatum asperitate euellendum est, ne si tumenti plagæ immaturè ferrum adhibeāt, totam perdant medendi disciplinam. Id obseruabat Dominus optimus animarum
Isai. 1. curator, dicens, Isai. cap. 1. *Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationē? Omne caput languidum, et omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas, vulnus, et liuor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Expēde, quid obseruet, ne persecutionem inferat, nimirùm, quòd in infirmo populo plagarum sit tumor immaturus, nullo oleo fotus, nullo concoctus medicamine. Sapiētes enim medici vbi tumorem morbidum curant, non statim ferrum adhibēt immaturo, sed priùs olei fomenta applicant, & alia medicamina, vt concoquatur tumor, & se maturum scissioni ostendat: & vt immatura percussio, lethalis, sic matura, plena inuenitur salutis. Meritò ergo Dominus à percussione abstinet, dicens: *Super quod percutiam vos?* Et quare abstinet à percussione? Ipse explicat verbis illis: *Plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo*: hoc est, nōdum plaga maturuit fomentis; quare expectandum est tempus magis tempestiuum, & opportunum, quo ferrum imprimat vulnus. Et quanto temporis non seruanda opportunitas in animarum procuranda
Rom. 12 salute? Paul. ad Rom. 12. exhortatur, quòd simus inter alia multa *spiritu feruētes, Domino seruientes*: multi legum: *spiritu feruētes, tempori seruientes.* Et cur spiritus feruori adiungitur temporis seruitus? Sapiēter quidem spiritu feruentibus hominibus mandatur, quòd tempori seruiant, quasi in hoc feruori frænum injciant, ne quid immaturè faciāt, sed in omnibus opportunitatem, & tempestiuitatem seruēt, vt populo salutem acquirant. Ait ibi Diu.
Ambr. Ambros. *Quoniam dixerat, spiritu feruentes, ne hoc sic acciperēt, vt passim, et importunè verba religionis ingererent tempore inimico, per quod forsan scandalum excitarent, statim subiecit; tempori seruientes, vt modestè, et cum honestate aptis, et locis, et personis, et apto tempore religionis fidem loquerentur.* Omnia equidem difficilia tantisper differenda sunt, vsque dum appareat rempus maturum.

§. XIX.

Eisdem rebus punientur homines acerbissimè, quibus vtebantur in delicijs suis.

ZIzania in fine colligari iubētur, & in fasciculos effingi, vt cōburenda tradātur; & cur iubentur zizania in fasciculos effingi, vt tradantur igni? Apud Luc. cap. 3. dicitur Dominus, quòd purga-
Luc. 3. bit aream suam, *paleas autem comburet igni*: & non iubentur paleæ priùs alligari in fasciculos, sed sic vt inueniūtur, iubentur comburi. Cur sola zizania non antea igni traduntur, quàm alligentur in fasciculos? Meritò quidē; vt enim zizanios homines, vt sic loquar, dum viuunt, toti sunt in colligationibus, & factionibus erigendis, quibus pax inter fratres perdatur, sic etiam in colligationes, & fasciculos effor mati tradātur igni, & qui excitādis factionibus, & colligationibus viuebant, inter easdē colligationes æternùm se crucient. Sic quæ hîc ad gaudia sumuntur ab homi-

nibus, postea ad æternos cruciatus conuer
Matt.2. sa inueniuntur. Matth.2. sine veste nuptiali ausus est quis cœlesti mensæ, nocturno conuiuio adesse: quem videns Dominus ait: *Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, et stridor dentium.* Audio hunc mitti in tenebras, non audio mitti in ignem. Cur cùm omnibus reprobis ignis sit paratus æternus, hunc non ignis, sed tenebræ excipiunt? Erat equidem iste de cincinnatis, & crinitulis adolescẽtibus, qui nocturnis tenebris agũt vitam; quibus vt modò tenebræ nocturnæ sunt ad delicias, sic tũc eosdem tenebræ ad æternos cruciatus ex-
August. cipient D. August. ser. 1. de pluribus martyrib. *O quisquis es flagitiosus, qui soles propter tua malefacta, & propter lasciua adulteria non solùm tenebras non horrere, sed quærere; qui soles plus gaudere, quando lucerna extinguitur: non tales tenebras habebis, vbi gaudeas, vbi te voluptatibus carnis oblecteris, non sic erunt ipsæ tenebræ. Quomodo erunt? Ibi erit fletus, & stridor dentium. Tortor sine defectu, tortus sine defectu.* Qui in tenebris sumpserunt gaudia, tenebras inuenient, à quibus acerbissimos cruciatus accipiant: illæ ipsæ res, quæ tibi modò solatia ministrant, tunc cùm ad fi-
Iudic.9. nẽ vitæ ventum fuerit, æternorum tibi gemituum materiã ministrabunt. Sic Iudic. 9. Abimelech molæ fragmine oppressus, nec interfectus, petit ab armigero suo necari: *Qui iussa perficiens, interfecit eum.* Et cur permisit Deus, quòd iste nõ interficeretur à petra iacta, sed feriretur ob armigero, qui ei iacula solebat ministrare? In eo ostendit Dominus, quales pœnæ maneant ad torquendos miseros homines in mortis tramite: per illas enim res, inter quas læti aduiuunt, immanissimos tunc patien
Dam. tur cruciatus. Ad hæc D. Petrus Dam. lib. 2. epist. 10. fatur: *Quem mulier fragmine molæ percussit, armiger ense peremit, quia castitatis aduersarios, diabolus æternæ mortis internecione trucidat, vt quibus fuerat minister in pugna, eorum sit postmodum tortor in pœna; quæque illis contra pudicitiam arma suggesserat, eadem exigentibus meritis in eorum tunc iugulum vertat.* Non alia tormentorum suorum fomenta reperient iniusti, quàm ea ipsa, quæ modò sibi fuere fomenta lætitiæ. Sub eisdem æternùm cruciati peribunt, sub quibus modò delicioſi viuunt.

§. XX.

Illatum alijs damnum sentient reprobi in se ipsis amarissimum.

A Iustissimo iudice sentẽtia venit, qua zizania colligari priùs iubentur, vt tradantur igni; sic quod ex coniunctione zizaniorum damnũ sentit triticea spica, idem sentient zizania colligata ex se ipsis. Et meritô colligantur zizania, vt secum ipsis confligant, & sibi solis nocumentũ inferant, quod inferebant agro dominico. Me in hanc cogitationẽ impulit Ægyptiorum tragœdia, de quibus dicitur,
Exo.12. Exod. 12. *Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, &c.* Cur magis voluit primogenita Dominus percutere? Vt Ægyptij in suis filijs perciperent illam ipsam doloris immanitatem, quam Israelitis ipsi intulerant, eorum occidẽtes filios, & suffocantes in Nilo. Ita D. August. ser.
August. 89. de tempore, inquit: *Percutitur Ægyptus primogeniti affectu, vt ex eo cognoscerent, quantus dolor sit filiorum, qui necauerunt filios Hæbræorum.* Quam alijs potionem amaram propinant, eamdem cogentur bibere iniusti, & illatum alijs malum cogentur gustare, quod illis amarissimum
Deut.25 erit. Sic Deuth. 19. cauet lex aduersus falsum testem: *Reddent ei, sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui, vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Non aliud ei malum intendit lex, nisi idem, quod ipse nisus est inferre, vt vel sic cæteri deterrerentur. Sed sanè magis deterrerentur homines à tam nefario malo, si pœna duplo, aut quadruplo maior constitueretur. Cur ergo maluit Deus non duplo maius, sed idem prorsus malum inferre? Sanè nil sic afficit, & conterit homines, quàm dũ cogũtur pati eadem ipsa mala, quæ ipsi alijs
Tertull. intulere. Vnde sapienter Tertull. lib. 2. in Marcionem fatur: *Facilior timor talionis per eumdem saporem passionis. Nihil amarius, quàm id ipsum pati, quod feceris alijs.* Non potest non amarissimè ferri à te malum, quod tu alijs causabas: & fallor, nisi duplo magis quis erubescat sub pœna, quã ipse alijs intulerat. Ex quo lucem capit

illud

illud Apoc. 18. vbi Dominus ait de Babylone damnata: *Reddite illi, sicut & illa reddidit vobis, et duplicate duplicia, secundùm opera eius: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.* Et quomodo iubetur duplum misceri illi? An duplo maius debet esse supplicium merito? Absit hoc à Dei misericordia, & iustitia; sed vocat duplum, quia est idem malum, quod ipsa intulerat; quod licèt in se maius non sit, cùm sit idem, tamen idem pati malum, quod tu intulisti, duplo amarius, & acerbius videbitur tibi.

Apoc. 18

CAPVT III.

De semine iacto, & crescente, dum homo nescit.

PRÆDICATIONIS Fructus non expectari ex prædicatoris voce, sed aliunde, nimirùm à Dei gratia humani cordis terram emolliente, pulchro docet Dominus exemplo seminis iacti in terrã. Iacitur ergo in terram semen, quid tunc? Quòd ex semine iacto, germen exeat in spicam, & frumentum crescat; venit hoc à seminatore? Minimè; sed licèt seminator dormiat, vel aliò spectet, & germen ex terra adolescit, & fructus matureſcunt in messem. Sic ad prædicatorem spectat iaciendum semen; quòd autem fructus nascatur, & ad maturitatem perueniat, id aliunde venit: nunquam tamen bonus prædicator laboris sui, non habebit messem, qua in æternum diteſcat. Huc respicit parabola exarata à Diu. Marc. cap. 4.

Marc. 4. Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte, & die, & semen germinet, & increscat, dum nescit ille.

§. I.

Ortus diuinæ gratiæ in anima laborem petit humanum, sed non tam ab illo, quàm à Deo fit.

SEmen iacit in terrã seminator, & operit, & inter medios cleros dormit, vt sæpiùs nocte, & die satis instet, & fato rũ gaudeat augmentis: hæc omnia potest seminator præstare; at semen occulta virtute, sine illius conscientia in germen, & in augmentum ibit. A quo satore percipitur seminum germinatio? Quid plura? Quod in seminum ortu, idem in gratiæ ortu videtur contigisse: is nobis occultissimus est; nostrum laborem, & diligẽtiam requirit, quã nos præstamus; at quòd gratiæ germen in nobis pullulet, non tàm à nobis, quàm ab occulta Dei manu fiet. Nabuchodonosor exutus iam belluinam figurã, & hominem Dei gratia indutus, sic de se loquitur, Dan. 4. *Et figura mea reuersa est ad me, & optimates mei, & magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum, & magnificentia amplior addita est mihi.* Expẽde operam nauatam à magistratibus, vt Nabuchodonosorem requirant; ait enim, *magistratus mei requisierunt me.* At quia requisierunt eum, simul & inuenerunt, & in regnum restituerunt, & magnificentiam maiorem addiderunt? Id de diligentia magistratuum in se requirendo minimè affirmat; ponit equidem eorum diligentiam manifestam, dum ait, *requisierunt me*: verùm vbi ad regni acceptionem, & magnificentiæ additionem ventum est, nulli creatę manui id attribuit, sed ait: *In regno meo restitutus sum, magnificentia amplior addita est mihi.* Quod enim diuinæ gratiæ in nobis partu ritur, nõ tàm ab humanis laboribus, quàm ab occultiori fit Dei virtute. Sapiẽter Richard. Victorin. lib. 2. de eruditione inter hom. part. 1. cap. 49. ait: *Notandũ sanè est, quòd Rex iste à suis dicitur requisitus, non autem ab eisdem restitutus. Sed quis, quæso, eum restituit, nisi ad quẽ oculos leuauit, benedixit, glorificauit? Num si fortè in nostra potestate sit mentis nostræ statum, qualis modò sit, vel aliquando fuerit per deliberationem quærere, non tamen & æquè in nostra potestate est, virtutis nostræ detrimenta pro arbitrio reparare.* Non tàm opus arbi-

Dan. 4.

Richar.

arbitrij, & diligentiæ humanæ, quâ opus occultissimæ Dei virtutis est, quôd gratiæ germen in animis nostris pullulet, & nouum augmentum acquirat. De celebri Israelitarum victoria, eiusque ingẽti progressu ait Exod. 17. *Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel.* Hoc vnum requirebatur, nimirùm, quôd Moyses manus suas leuaret, leuatisque Moysis manibus, & vires Israelitis addebantur, & victoria appropinquabat. Sed Moysis manus leuabantur in vertice montis, inde longè aberant pugnatores, qui confertas cum hostibus habebant manus. Quomodo ergo Moysis manus adeò distãtes tàm insignem victoriam poterant causare? Sanè dum Moysis manus visibiliter leuarentur in cælum, simul aliam occultam trahebant Dei manum, cuius erat & vires addere, & gloriosas victorias reportare. Ad hæc D. Irinæus, lib. 3. cap. 18. fatur: *Occultè quidem, sed potenter omnia manifestans, quoniam occulta manu expugnabat Dominus Amalech.* Tantum equidem opus, tantum victoriarum augmentum non à visibilibus Moysis manibus poterat causari, alterius occultissimæ, & prorsus ab oculis remotæ manus opus erat, nõ enim nisi à Deo tanta in nobis virtus germinatur, quæ sic deuictis hostibus posit nos in æternum ditare. Et quidem vbi gratiæ, viuidæque virtutis cernitur exortus, & augmentum, non tam ab homine, quàm ab occulta, latentique inibi virtute Dei censendum est opus. Dicitur enim Gen. 4. *Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos; iste cæpit inuocare nomen Domini.* Alij legunt: *Hic cæpit vocari nomine Domini*, hoc est, iuxta D. Cyril. expositionem, lib. 1. Glaphicorum, cæpit dici, & vocari Deus. Et cur homo in tantam laudem deuenit, quòd haberetur Deus? Id notatur in lectione, qua dicitur cæpisse inuocare nomen Domini; vbi enim in illo tanta cæpit nitere gratia virtutum, per quam diuinum nomen inuocabatur, statim ipse cæpit haberi Deus ex operibus, quando non nisi à Deo fieri potuit illud virtutum exordium, & religionis augmentum. Quò spectabat D. Cæsarius Nazianzeni frater, dialog. 1. inquiens: *Deificari Sethus, & Enos cæperunt illis temporibus, quia Sethus cæpit primus inuocare Deum.* Ex quo sese Deo deuouerunt, desierunt hõmines videri, & cæperunt haberi Dij; tantum enim virtutis opus diuinitatem in illis latentem, & operantem ostendit.

Exo 17.

Irin.

Gen. 4.

Cæsar.

§. II.

Tot vitæ tempora agis, quot dies te in Dei gratia continet.

NOtanter de seminatore agens textus dicit, quòd *dormiat, & exurgat nocte, & die*: dixit, quòd *dormiat* solũ; & vbi addidit, quôd *exurgat*, ibi statim posuit, *nocte, & die*. Non equidem iacentes, & dormientes somno vitiorum, sed surgentes à peccati somno, ij faciunt integros dies, ij vitæ peragunt tempora. Psal. 30. ait: *Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.* Ex Hæbræo legit Hieron. *In manibus tuis tempora mea.* Chaldæus posuit: *In manibus tuis dies redemptionis*: & meritô nulla alia in hominibus noscuntur tẽpora, nisi dies redemptionis: dies, quibus redempti à iugo, & seruitute peccati, asserimur in libertatem filiorum. Psal. 38. clamat: *Notum fac mihi, Domine, finem meũ, & numerum dierum meorum, quis est*: Acutissimè D. Augustin. expendit, qualem diẽ, qualem numerum dierum cupiat Psaltes sibi ostendi, nimirùm, numerum dierum, siue diem, *qui est*. Nõ quemcumq; diem, non quemcumq; numerum dierum exoptat, sed numerum dierum, qui est; inueniri ergo forsan poterunt alij dies, qui non sunt? Equidem veteris hominis dies non sunt; tunc tibi puta vera adesse tempora, veros dies accrescere, cùm exutus hominem veterẽ, & omnes eius defectus exueris. Pulchrè D. Augustin. in Psalm. 89. *Vtiq; petitur dies, qui est, non qui nõ est, quia dies isti, de quibus dicit, ecce veteres posuisti dies meos, non sunt. Illi autẽ anni, et dies nõ deficiunt, in quibus nec nos deficiemus, sed sine defectu reficiemur.* Nullus profectò crescit ad numerum dies, in quo sub lapsu gemimus, & defectu; vbi sub veteris hominis, & peccati lege viuimus, nec vnum diem peragere censemur; tunc numerus incipit dierum, cùm incipit numerus diẽrũ, qui est, qui excludit humanos defectus. Psal. 36. *Nouit Dominus dies immaculatorũ.* Vbi D. Augustin. legit: *Nouit Dñs vias immaculatorum*: & meritô immaculatæ viæ pro diebus ponuntur, quando nõ anteà censentur dies esse, quàm ex quo viæ immaculatæ videantur reperiri. Et quæstionem facit, quòd dicatur Dominus cognoscere dies immaculatorum, quasi nouũ sit, quòd Deus omnia cognoscat. Cur ergo etiam vilissimæ res cognitioni subsint

Psal. 30.

Psal. 38.

August.

Psal 36.

ſint diuinæ, quod ſingulare dicitur de diebus immaculatorum, in eo, quòd cognoſcantur à Domino? Paul. 2. ad Timoth. 2. penè quæſtionem dirimit, aiens: *Cognouit Dominus, qui ſunt eius.* Et quidem ſoli, qui ſunt, & verè ſunt, pertinent ad partè Dei, pertinent ad Dei cognitionem, adeò vt ex eo, quòd dies immaculatorum cognoſcantur à Deo, manifeſtè oſtendunt, quia ſoli ipſi verè ſunt. Vnde dicebat Origen. in hunc Pſalm. *Sicut ergo alibi dicitur, cognouit Dominus, qui ſunt eius, ſic hic non impiorum, ſed immaculatorum dies cognoſcere dicitur Dominus.* Quæ non ſunt, nec cognoſcuntur, & quãdo ſoli dies immaculati ſunt, & ad Dei pertinẽt partem, nil mirũ, ſi ſoli dicantur cognoſci à Deo, Quo poſito, ſic monet conſequenter Origenes. *Vnuſquiſque ſuam propriam facit diem. Cũ retrahimus nos ab his, qui oderunt fratrem, et in tenebris ambulant, et in dilectione fratrum permanemus, dies nobis facimus charitatis. Sed et cùm iuſtitiam cuſtodimus, et cùm viſitantes viduas, atque orphanos in tribulatione ſua, immaculatos nos cuſtodimus ab hoc ſæculo, immaculatorum nobis ipſis facimus dies. Et iſti ſunt dies, quos noſſe Dominus dicitur.* Fœlix, qui hos dies peregit; ſanè ſolùm is dies verè peregit, quando ſola immaculata vita integros, & plenos habet annos: vt dicat Sap. 4. *Ætas ſenectutis, vita immaculata:* quaſi annorum ſpatia non ab alio menſuranda ſint, quàm à bona vita; eos enim vitæ annos habes, quos habes in gratia. Id quod notans D. Ambroſ. lib. 2. de Iacob. cap. 8. dum eius longæuitatem ponderat, ait: *Erat itaque huiuſmodi ſenex Iacob, qui vix ſperanda inuenibus bona, incolumi, & tuta gratiæ claue iam clauſa, & obſignata tenebat.* Integra erant tanto ſeni vitæ ſpatia: nec hora deficiebat, quando longæuitas eius ſub claue gratiæ claudebatur. Diſcamus & nos, quos tranſilimus dies, hac claue obſignare; fallar, ſi quis perdatur. Luc. 1. *Elizabeth impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium.* De quo Origen. homil. 9. in Lucam, ait: *Vbicumque inſtus naſcitur, ibi complentur dies. Ortus iuſti plenitudinem habet, peccatoris natiuitas vacuitatem, atque inanitatem.* Huc poſſunt reuocari aliqua ex dictis. 2. tom. lib. 11. c. 3. §. 4. & 5. tom. lib. 14. cap. 10. §. 27.

* * *

Marc. 4. Vltrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Et cùm ſe produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſsis.

§. III.

Turpiſsimum homini eſt, vltrò proſilire id damna ſua.

VEl terra, vel quæuis alia inſenſibilis creatura vltrò mininè procederet, niſi in fructus; quippè ait: *Vltro terra fructificat*, & quid aliud faceret quæuis alia creatura? Nulli nõ turpiſsimum eſſet, vltrò procedere in rem, quæ non fructifera, & decora, ſed dãnoſa, & indecora exiſteret. Rem pulchrè expendens Tertull. de anima. 6. ait. *Video hederas, quãtùm velis, premas, ad ſuperna conari, et nullo præeunte ſuſpendi, quòd malint parietibus inuehi textili ſylua, quàm humi teri voluntaria iniuria.* Et terra, & planta ad decus aſpirant, & nil magis refugiunt, quàm quòd videantur vltrò, & voluntariè ad damna proſilire, & iniuriam. Quod terra, quod planta refugit, turpiſsimè homines amplectuntur quotidie, dum vltrò in damna & in perditionem currunt. Quam labem Ephraimo populo tribuebat Oſeas, cap. 10. inquiens: *Ephraim vitula docta diligere triturã:* non mirum, ſi vitula diligat, & vltrò currat ad fœnum; id ſanè mirandum, quò vltrò currat ad iugum, & totum pondus plauſtri ſuſtentare diligat: hoc vel vitulæ turpe, homini autem ſine dubio eſt turpiſsimum. Quippè ait Rupert. ibi: *Vitulæ, cum graniſsimo labore fatigantur, ſolent prodire ab area. Iterum autem diligentes aream, eo quòd fruges in ea comedant, ſponte ad aream redeunt. Sic Iſrael, licèt frequenter afflige retur, & multa aduerſa pateretur propter idola, tamen vltrò ad idola reuertebatur.* Quid ſtolidius? Sanè hęc bouina ſtoliditas innumeros homines implet, qui experti vitiorum labores acerbiſsimos, quotidie ad labores rotis voris feruntur. Adhuc elegãtius rẽ ponderat D. Gregor. lib. 20. in Iob, cap. 16. inquiens: *Vitula triturę laboribus aſſueta, relaxata plerumque, ad eumdem laboris*

vsum etiam nõ cõpulsa reuertitur. Ita prauorum mẽs huiusmodi seruituti dedita, & rerum temporalium fatigationibus assueta, etiam si sibi vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat. Miraris bouinã stoliditatem in homine, qui vltrò currat, non ad fructus, sed ad damna sua. Et adest homo omni boue stolidior, is, Luc. cap. 14. sese à diuinarum nuptiarũ cæna excusans, ait: *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa.* Quis bos ad quinque iuga festinaret? Et hic boue stolidior, ad quinq; iuga sustinenda festinat. Id quod põderans D. Bernard. in declam. ad illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, sic loquitur, *An verò comparatum iumentis, quis dubitet homi nem, qui sibi iuga emerit iumentorum: nisi quòd eo sanè ipsis quoque iumentis conuincitur stolidior, & bestialior bestijs comprobatur, quòd iuga necessitatis earum propria ipse subeat voluntate?* Quid turpius homini, quàm voluntate sua currere ad iuga subeunda, qualia boues, necesse habẽt cogi, vt illa subeant? Sed eò peruenit hominum stoliditas, de qua Iob, cap. 30. *Esse subsentibus delicias computabant.* Vbi S. Gregor. lib. 20. cap. 16. inquit: *Manẽt subsentibus, & hoc delicias æstimant, quia & dura quidem tolerant, et tamen affectu nimiæ cupiditatis obligati, laborem eiusdem tolerantiæ voluptatem putant.* Infœlicissima peccatorum conditio, quòd sic damna voluntaria sectetur. Quò reuoco dicta 1. tom. lib. 3. cap. 4. §. 24. & alibi.

Luc. 14.

Bernar.

Gregor.

§. IIII.

In virtutis via suam homo in primis infantiam obseruet, qua ad perfectionem crescat.

NOn statim terra producit spicam, sed priùs herbam, nequis in virtutis studio putet in primis culmen tenere, sed necessum est, vt priùs infantiã aliqualem obseruet, ex qua paulatim ad perfectionem crescat. Solemnissimũ est apud Patres, in Lazari resurrectione significatũ fuisse hominem à morte peccati in gratiæ vita nascẽtem. Quid plura? Lazarus mortuus vocatur à Domino, Ioan. 11. *Statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, et manus institis:* Potuit & Dominus illũ ruptis ligaminibus suscitare, quis hoc neget? Sed cur maluit, vt surgeret ligatus pedes, & manus institis? Ne quis renascẽs in gratia statim fastidiat infantiæ facies, & gradiora præseferens, infantilibus ligaminibus vale dicat. Pulchrè D. Basil. Seleuc. orat. 35. inquit: *Exiliebat quatriduanus mortuus lethi signa circumferens, & exuta morte sepulchralem ornatum non exuerat, sed erat in institis, velut è sepulchro partus & post partionem fasciatus.* Sub infantilibus fascijs, & ligaminibus agat priùs, quis quis in nouam virtutis viam parturitur. Numquã enim fine magno periculo spernitur virtutis infantia ab his, qui denuò incipiunt. Monebat D. Petrus. 1. epist. 2. *Quasi modò geniti infantes, lac concupiscite, &c.* Clemens Alexand. legit: *Verbale lac concupiscite.* Et cur non totas infantiæ leges iubet Petrus obseruari à renatis in Christo: sunt infantibus propria ligamina, & fasciæ, & lac. Petrus obseruationem infantiæ commendat vsque ad lac, nihil de fascijs, nihil de ligaminibus dicit. An quia non adeò obseruatores infantiæ nos cupit? Absit; sed commendans nobis verbale lac, cætera tacuit, vt quæ ibi cõmendabantur, quando verbum diuinum non solum lac præbendit, sed & fascias, & ligamina, nequid infantilis status recens natus requirat. Clemens Alex. lib. 1. Pædag. cap. 6. *Nouum cœtum verbo nutrit Dominus, quem ipse carnali labore peperit; quem ipse fascijs alliganit: Dominus pretioso sanguine. O partum sanctum! ô sanctas fascias! verbum est omnia infanti.* Vix regeneratus homo in Christo, & adest Dominus, qui nihil infantiæ vult in suis nouellis germinibus deficere; non fascias, quibus alligati rudem, & infirmum statum suum profiteantur; non lac, quo aliti crescant in salutem. Hanc infantiam in suis laudabat Dominus, Luc. 12. inquiens: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Reges supponit esse, & vocat gregem pusillum, quomodo pusillus, qui regni diademate viget? Non omnis pusillus vilis, quin potiùs magna quædam laus ostenditur in nouello grege Christi, qui infantilis pusillitatis omnia seruat, nõ vt maneat in illa, sed vt paulatim crescat in salutẽ. Ad hæc aiebat Chrysol. serm. 21. *Pusillus grex est, qui non de magno minuitur, sed crescit de pusillo: pusillus grex nascentis Ecclesiæ sic designat infantiam, quem venire ad regni sui insulas incrementis cœlestibus mox promittit.* Hinc multi miserè pereunt, qui renati in Christo & pusillitatem, & infantilia ligamina caperant fastidire, ambientes primo in gradu tetere virtutum culmina. Nõ sic verus

Luc. 12.

Chrysol.

Christũ

Christi grex, sed & infantiam, & pusillitatem nouerunt seruare in fascijs, & in lacte, non vt in pusillitate manerent, sed vt crescerent de pusillo, & augmentis cœlestibus perfecti viri insulas cœlestis regni
Cant. 1. acciperẽt. Hinc Cant. 1. notans verè Dei dilectrices, ait: *Oleum effusum nomen tuũ, adolescentulæ dilexerunt te.* Expende illud, *adolescentulæ*, quasi ille status sit Deo gratissimus, qui nouis augmẽtis studens, se intra primam reputat teneritudinem.
Origen. Vnde Origen. homil. 1. in Cant. ait: *Dilexerunt te, non illæ vetulæ, ac veterem hominem inductæ animæ, sed adolescentulæ, in augmento scilicet ætatis, & pulchritudinis positæ animæ, quæ semper innouantur, & de die in diem renouantur, nouum se hominem induentes, qui secundùm Deum creatus est.* Hæc aptissimæ animæ ad Dei amorem, quæ infantiam virtutis sciunt obseruare, ê qua nouis augmẽtis quotidiè crescant, & renouentur, donec in plenitudinem Christi ætatis perueniant. Ad hæc reuocari possunt dicta. 1. tom. lib. 5. cap. 1. §. 3. & 19. & lib. 1. cap. 10. §. 4. tom. 2. lib. 6. cap. 1. §. 7. lib. 7. cap. 1. §. 11. & tom. 3. lib. 15. cap. 10. §. 9.

§. V.

Non creata, sed diuina manus est, quæ nouit rem à principio perfectam producere.

EXpende notionem cuiuscumq; creati agentis, nimirùm. *Terra fructificat primùm herbam, deinde spicam, &c.* Ab imperfecto ad perfectum paulatim suos effectus adducit. Diuina manus est, quæ scit à primordio rem perfectissimam producere, & coronidem exordio coniungere. Sic iam primam manum operi humano adhibiturus Dominus deliberat,
Gen. 1. Genesis. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, &c.* Expende illud verbum, *& præsit*, satis videretur dictum, *& præerit*, quando nondum natum hominem, sufficiens esset, quòd expectaret illum corona futura. Cur non de futuro loquitur Dominus, dicens: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præerit? Cur maluit dicere, & præsit, de præsenti? Rationem insinuat verbum illud, *faciamus*, pro solo homine dictum: vbi enim ostenditur operans manus diuina, rem à primordio perfectam nouit producere, & exordia, & coronidem simul coniungit. Ad hęc Diu. Basilius Seleuc. orat. 2. inquit: *Vidit hominem non egentem vtero, non in naturæ officina luteum embryonem, non accretionem vteri tumore designantem, non tempus manentem, quo de ventris carcere captiuus exsoluatur, neque post partionem reticulis fasciarum reformatum: sed vidit hominem immortali manu editum, et Dei digito ex tempore perfectum, absolutumque simulachrũ: vidit simul fictum, simul Regem factum. Nam præsit, inquit, piscibus.* Quàm aliter homo ex naturę visceribus, aut ex Dei manu nascitur: à natura primùm embryo fit, deinde infans, statim puer, postmodum iuuenis, &c. Vbi autem Dei manus accessit, infirmitatum moras abstulit. Simul fictum, simul perfectum, simul Regem ostendit. Hæc sola est potestas diuinæ manus, quæ simul omnem perfectionem effectibus nouit præstare. De Iesu præcursore verba facturus Ioannes, cap. 1. sic incipit: *Fuit homo missus â Deo, cui nomen erat Ioannes, &c.* Nec dum infans, nec dum puer, & iam perfectus homo introducitur; cur non aliquid de eius puerperijs, de eius infantia prælibatur? Rem ponderans acutissimè Diu. Ambrosius in *Ambr.* cap. 1. Lucæ, ait: *Tempus siletur infantiæ, eô quôd præsentia Domini matris in vtero roboratur, qui infantiæ impedimenta nescivit. Nec enim vllam infantiæ sensit ætatem, qui supra naturam, supra ætatem in vtero situs matris â mensura perfecta cæpit ætatis plenitudinis Christi.* Vanê imperfectio requiritur in illo, quem non natura, sed manus adduxit diuina: vbi enim hæc diuina manus ostenditur, perfecta sciuit opera facere. Vt dicas Psalm. 144. *Psa. 144* *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.* Quasi nesciat diuina manus aliquid prætendere imperfectum, & vacuum; sed ex illa & esse, & plenitudinem, & perfectionem simul res capiũt. Vnde illa venit vox Moysis, Numer. 11. *Nu. 11.* aientis: *Numquid manus Domini invalida est?* Siue vt ex Hæbræo legitur: *Numquid manus Domini decurtabitur?* Nihil curtum, nihil imperfectum inueniri solet, vbi sese ostendit Dei manus, quæ vel vno impetu perfectos educit partus. Ait Isaias, cap. 60. *Omnia hæc manus mea fecit, et facta sunt vniuersa ista, dicit Dominus.* Quôd si quæras, quænam sint hæc ma-

nus diuinæ opera? Post alia subijcit: *Quis audiuit vmquam tale? Et quis vidit huic simile? Numquid parturiet terra in die vna? Aut parietur gens simul, quia parturiunt, & peperit Sion filios suos?* Non equidem terra, non creatura vlla, vno die, aut vno momento parturit; sed multo tẽpore eget, quo germinet, crescat, & fructificet. Quod autem in creaturis non inuenitur, hoc inuenitur, vbi se ostendit manus diuina, quæ vno impetu mille partus, eosque perfectos potest efficere. Quò forte respiciebat Virgo Maria, Luc. 1. canẽs: *Quia fecit mihi magna, qui potens est*: vt dũ magnalia sua è Dei manu orta cognoscit, simul ostendat omnia simul recepisse in primo suo conceptionis enixu, quando manus diuina, & simul fictam, & simul factam Reginam, & perfectam, & absolutam potuit effingere. Luc. 1.

CAPVT IIII.

De grano sinapis.

QVIS Cœlestis œconomiæ parua contemnat initia? Sanè vt in seminibus non despicienda est paruitas, quando vnum è paruis, & minutissimis granum sinapis, in eam altitudinem seminatum coalescit, vt instar arboris, aues cœli suis ramis valeat sustentare. Sic cœlestis œconomiæ parua initia, non contemnenda ex paruitate, sed ex virtute sunt magis admiranda, vt quæ paruitatem euacuare soleant, & eam magnitudinem capere, qua vniuersos crescendi terminos valeant exsuperare.

Matth. 13, Simile est regnum cœlorum grano sinapis.

§. I.

A Deo id maximè tibi petẽdum, quo fastidia in virtutis assiduitate pellantur, ni velis in perditionem cadere.

QVid, quòd regnum cœlorum sese in varios virtutum sapores efformaret, nisi etiam descenderet vsque ad granũ sinapis? Venerint à Deo in nos omnia virtutum delectamenta, venerint omnes cœlestes suauitates; dum granum sinapis nõ venerit, metuendum magis esset, ne omne illud virtutum delectamentum nobis fastidia ingeneraret lethalia. Id præcauens Christus Dominus, cum cœlestem œconomiam in varias suauitates efformat, simul & illam efformat in granũ sinapis, vt sciat homo, quid sibi requirendum sit in virtutum assiduitate, ne hebescat virtutum conatus, & per longa fastidia mortem trahat. Sic monebat Diuus Paschas. lib. 7. in Matthæum, hoc modo inquiens: *Flammetur in pectore, quo ignorãtiæ totum â nobis auferat sua degustatione fastidium, et feruentes reddat.* Hoc tibi, homo, require, quo fastidia pellantur, quo virtutum conatus magis, ac magis in dies acuantur, ne ab assiduitate in lethalia fastidia cadas. Nonne & pretiosissimus, & deliciosissimus fuit Israelitis cœlestis panis? Accipe tamen, quid de populo Israelitico cum tanto cibo dicatur, Num. 11. *Sedens, et flens, innectis sibi pariter filijs Israel, ait. Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique, et cepe, et alia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi mãna.* Quid tunc? *Iratusque est furor Domini valde, &c.* Ecce tibi, & manna fastiditur, & fastiditus iram Dei vehementer accendit, & populo durissimam mortem traxit. Sed cur Dominus sic irascitur in populos fastidientes manna? Sanè naturalissimum est, quòd dulcis cibus, si frequenter apponatur, fastidium generet; nec in potestate hominis est, nõ fastidire cibos assiduos. Cur ergo Deus sic percutit miseros hos, eo quòd manna fastidierint? Non Deus ferit Israelitas, quòd fastidia ex manna capiant, quæ vel assiduitas cibi potuit naturaliter causare. Sed ideò hoc meruerunt castigari, quòd inter manna assiduitatem non meminerunt à Deo contendere, quo illa tollerent fastidia, & magis acuerent mannæ famem. Sapienter Diu. Augustinus, tractatu. 73. in Ioannem fatur: *Concupierant carnibus vesci, quibus pluebatur manna de cœlo: fastidiebant quippè, quod habebant: & quod non habebant, impudenter petebant: quasi non melius peterent, non vt cibus, qui deerat, indecenti desiderio præsta-* Num. 11. Pasch. Augustin.

præſtaretur; ſed vt ille, qui aderat, ſanato faſtidio ſumeretur. Hæc debebat eſſe frequens petitio illorum, qui manna veſcebantur; nimirùm, quòd faſtidia inde nata tollerentur à Deo; quòd Deus, qui manna in omne delectamentum ſuauitatum efformabat, ſimul in granum etiam ſinapis efformaret, vt de Dei ſinapi tolleretur inde natum faſtidium, acueretur magis fames illius. Id fecerant illi, de quibus Pſal. 106. *Omnem eſcã abominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt ad portas mortis. Et clamauerunt ad Dominum, cùm tribularentur, et de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Miſit Verbum ſuum, & ſanauit eos.* Omnem eſcam vocat, vt fatetur Lorin. omne ſpirituale exercitium, & ſacramentorum vſus, & Verbi diuini ſtudium. Et miraris, quòd corpus Chriſti, quòd diuini Verbi ſtudium, quòd ſpiritualia exercitia in tantum faſtidium impellere poſſint homines, vt in portas mortis abeant. Qualiter tàm pretioſæ dapes poſſunt occaſionẽ tanto faſtidio, & tàm lethali præſtare? Equidem dum hîc ſumus, & præſtantiſsimarum virtutum aſsiduitas faſtidijs lethalibus occaſionem dabit, niſi ad Deum clamores renoues, vt tibi nouum ſuggerat condimentum, quo faſtidia ables ges. Monebat Bernard. ſerm. 33. in Cant. *Me oportet interim ſacramenti cortice eſſe contentum, carnis furfure, velamine fidei. Et hæc talia ſunt, quæ guſtata afferunt mortem, ſi non de primitijs ſpiritus quantulumcumque accipiant condimentum.* Caue tibi, quiſquis diuinam frequentas menſam, diuinas virtutum guſtas dapes, niſi de Dei ſinapi noua tibi ſuppetant condimenta, quibus fames acuatur, in lethale faſtidiũ cades. Ea ſunt virtutum omnium exercitia, *quæ guſtata afferunt mortem*; hoc eſt, quibus ſi te inerter aſſueſcas, lethalia inde faſtidia nanciſcaris, niſi de primitijs ſpiritus, de Dei ſinapi condimenta flagites. Accinit Pſalm. 118. *Dormitauit præ tædio anima mea, confirma me in verbis tuis.* Hæc vna omniũ iuſtorum ad Deum vox, pro tollendo tædio, pro faſtidio ablegando, quod neceſſum eſt, vt ex aſsiduitate virtutum naſcatur, niſi Deus verbum ſuum inſtar ſinapis in noua condimenta efformet, quibus per acediã hebes guſtus acuatur. Et qui guſtus non acuitur, iuueniles-que ſuſcipit acies ad vorandos etiam lapides, vbi verba de cęleſtibus incipiunt intonare? Iob. 33. *Abominabilis fit ei in vita ſua panis, et animæ illius cibus antè deſiderabilis: Appropinquauit corruptum anima eius, & vita eius mortiferis. Si fuerit pro eo Angelus loquens, miſerebitur eius Deus, & dicet: Reuertatur ad dies adoleſcentiæ ſuæ.* Ecce tibi, qui præ faſtidio cibum anteà deſiderabilem abominabatur, adeò vt mallet mori, quàm edere, vbi Angeli verba excepit, miſericordiam conſecutus, ad iuueniles acies redijt. Quæ verba tantum faſtidium ſubſtulere, & tàm viuidam iuuentutem cauſarunt? Ait Vatablus: *Si fuerit tunc Angelus bonus, qui ponat ante oculos hominis milleſimam partem beneficiorũ Dei, et annuntiet homini ipſi Deum omnia iuſtè facientẽ, et homo acquieſcat: tunc miſerebitur eius Deus, & reuertetur ad dies adoleſcentiæ ſuæ.* Verba enim de Deo, & eius beneficijs poſſunt medio in faſtidio viuidiſsimæ ingerere acies iuuentutis.

Pſa. 106

Vatab.

Bernar.

Pſ. 118.

Iob. 33.

§. II.

Regni cœleſtis notitia nullum patitur eſſe virtutum faſtidium.

MEritò ſinapis grano regnum cœlorum comparatur; ſicut enim ſinapis condimentum guſtum acuit, & tædium, faſtidiumq; eſcarum tollit: ſic regni cęlorum notitia nullum in virtutum aſsiduitate faſtidium eſſe patitur. Vnde Pſal. 118. *Dormitauit præ tædio anima mea, confirma me in verbis tuis.* Et quæ verba poſſint tædenti, & faſtidienti animę robur, & alacritatem præſtare? Verba aliquid de regno cęleſti ſuggerẽtia validiſsima ſunt, pro vniuerſo tædio, & faſtidio ablegando. Diu. Bernard. ſerm. 32. in Cant. *Sunt, qui in ſtudijs ſpiritualibus fatigati, & verſi in teporem, corde arente, & tædente accedunt ad quæcumque iniuncta: ergo vbi contingit tale aliquid pati, ſi miſertus Dominus appropiet nobis in via, qua ambulamus, & incipiat loqui de cœlo, necnon fauorabile quippiam, cantare nobis de canticis Sion, narrare etiam de ciuitate Dei; dico vobis, erit pro vehiculo animæ pigritanti læta narratio, ita vt pellat omne faſtidium ab animo audientis. An tibi aliud petere videtur ille, qui ait: Dormitauit anima mea, confirma me in verbis tuis?* Et quod faſtidium non pellat cœleſtium bonorum propinatio? Hoc curet homo, vt verba excipiat de cœleſti regno, de cœleſtibus delicijs, & habet illic, vnde omne tollat tædium, imò vnde ablato faſtidio, inſipidiora

Bernar.

etiam virtutum auidè arripiant. Aiebat Dominus discipulis suis. Luc. cap. 22.
Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut dispposuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis, & bibatis.* Expende, ad quid disponatur regnum cæleste, nimirùm ad hoc, vt edamus, & bibamus; & quidem scio per esum, & potũ gloriæ cælestis significari immensas voluptates, sed & virtutũ exercitia per esum, & potum significantur, iuxta illud Ioan.
Ioan. 4. 4. *Cibus meus est, vt faciam voluntatẽ Patris mei.* Quid ergo consequẽti ę habet cęlestis regni dispositio, & ordinatio ostensa; ad hoc, vt virtutes edantur, & bibãtur? An regnum vllum ad hoc vmquã dispositum inuentum est, vt edatur, & bibatur? Cur ergo hoc de cælesti regno dicitur? Sanè magna vis est cõsequentiæ, ex eo enim quòd nobis ob oculos regnum cæleste adsit, ea iustitiæ, & virtutum fames generatur, vt ablato omni fastidio, auidè virtutes arripiantur. Ad hæc dicebat D. Pasch.
Pasch. lib. 3. in Mat. *Succẽsus cælestis patriæ amore, non potest iam non esurire iustitiam, & sitire.* Sic omne tædiũ pellitur, omne fastidiũ eliminatur, vbi adest cælestis regni ardor, vt ex tunc famescẽtes curramus ad virtutũ fames. Quæ res adeò insipida, adeò amara inueniri poterit, quæ auidè non arripiatur ab ijs, qui cælestia regna ob oculos
Matt. 16 habent? Ait Dominus, Mat. 16. *Sunt quidam de his stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Expende terminum præfixum, nimirùm, *donec videant*, &c, quasi post visa cælestia regna, & ipsa mors
Pasch. suauis gustu redderetur. Vnde D. Pasch. lib. 8. in Mat. ait: *Ea viderunt Apostoli, & perfecti quiq; in vita, vt non dubitarent deinceps pro his gustare mortem.* Quæ insipida erat anteà, & amara, adeò vt ab eius gustu omnes deterrerentur, post visa regna cælestia, sic appetibilis apparuit, vt plures illam suauissimam habeant, gustumq; delectabilem. Hinc Sponsa sub Aquilonis flabris in quodam torpore, & tædio constituta
Cant. 4. clamabat, Cant. 4. *Surge Aquilo, et veni Auster, perfla hortum meum*: vt surgat, & abeat Aquilo, à quo torpor, & tædium, & inertia veniebat; petit, vt veniat Auster: & cur ad Aquilonis torporem exIob. 39. cludendum petitur Auster? Iob cap. 39. dicit de accipitre: *Numquid per sapientiam tuã plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum.* De Austri beneficio habet accipiter eas plumas, quibus in sublimia feratur; vnde Sponsa hoc vnũ optat, vt veniat aura, qua eas induat alas, quibus ad sublimia cælorum possit euolare; dũ enim sublimia cælorum ob oculos habet, nullũ torporem, nullum tædium timet ab Aquilone natum. Ait Gillib. Abb. serm. 38. in
Gillib. Cant. *Festina priùs gaudia vertuntur in fastidium, & hilarem mentis faciem tristitia commutat. Fœlix, cui non est hæc commutatio. Sed quis tamen est? Quis enim est, quem non aliquoties, et tædium conficiat, et exurat tristitia? Non subest tibi, dum in lateribus Aquilonis situs es, eius viciniam fugere; eius tamen violentiam euadere potes, si lenis Auster vocatus aduenìat, ei sic expendas ad Austrum alas tuas, vt in cælestem plumescas volatum.* Cælorũ sublimia perpeti percurre volatu, & totũ Aquilonis fastidium, & tædium, & torporem missum facies, inuenies insipida, & aspera virtutum facta suauia. Elias discipulo postulanti duplicem spiritũ, quo semper alacris virtutibus acquirendis operam naua-
4 Reg. 2. ret, hoc remedium prouidit. 4. Reg. 2. *Si videris me, quãdo tollar â te, erit tibi, quod petisti.* Quale hoc remediũ, vt & duplex, & alacris spiritus habeatur? Sanè visio abeuntis in cælũ potentissima erat ad virtutum alacritatem causandam, quando sic cælestia spectabantur, vt in illis totus videretur claudi hominis thesaurus, extrà illa solùm exilium, & orbitas, & plãctus.
Bernar. Pro quo D. Bernar. serm. 3. de Ascens. ait *Quidam ad omnia exercitia huius vitæ spiritualis, non solùm ambulant, sed currunt, imò potiùs volant, vt eis et vigiliæ breues, et cibi dulces, et pœnæ suaues: labores non solùm tolerabiles, sed et appetibiles videantur. Alij autem non sic, sed corde arido, et affectione recalcritante vix trahuntur ad hæc. Quid ergo in causa est? Illud omnino, quia non vident Christum, cùm tollitur ab eis, id est, non cogitant, quomodo eos orphanos reliquerit, quòd peregrini, et aduenæ sint super terram, quòd tamdiu fœculenti corporis horrido carcere teneantur, et non sint cum Christo.* Hoc maximè curandum nobis est, vt Christum in sublimia abeuntem sequamur, vt infra cæleste regnum solam orbitatem, & exilium, & carcerem videamus, qua cogitatione fallar, nisi amaritudines reddantur suaues. Vix parua nobis erit notitia de cælestibus, & ablatò fastidio, famescimus virtutum panẽ. Thre
Thren. 4 nor. 4. *Paruuli petierunt panem*, &c. Paruuli vberibus inhiassent, magis gauderent lactari: Cur iam non pro lacte, sed pro pane suspirant? Diu. Paschasius,
Pasch. lib 4. in Thren. inquit: *Scilicet, paruuli cogitatus, cùm de Christo, et sempiter-*

piterna vita concipiuntur, mox requirunt panem illum, qui de cælo descendit. Vel parvula lux, quæ in nobis sit, de regali, & æterna vita, nullam duritiem timemus, nullum fastidimus cibum, sed ad omnes virtutum escas famescimus, Luc. 12. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Vendite, quæ possidetis, &c.* Quid durius homini, quàm plena omnium bonorum abnegatio? Et hæc durissima mandatur pusillis? Petrus ait: *Quasi modò geniti infantes, lac concupiscite.* Et benè infantes ad lac inuitat. Cur Dominus non ad lac, sed ad durissima virtutum? Proponit ob oculos cęleste regnum, quod sufficit, vt appetantur durissima. Chrysolog. serm. 25. *Aufert spes anxias, omnem excludit timorem, quando in exordio ipso regnum nascentibus pollicetur.*

Luc. 12.

Chrysol.

§. III.

Contritio, & pœnitentia gustum excitant ad virtutes capessendas.

SInapis granum cùm conteritur, condimentum fit ad gustum excitandum in escas; sic vbi in cœlesti œconomia virtutũ contritio, & pœnitentia adest, maximè excitatur fames, maximè excitatur sitis aquarum, quas de fontibus Saluatoris hauries. Aiebat Dominus, Matth. 5. *Beati, qui lugent, quoniam consolabuntur. Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniã saturabuntur.* Expende ordinem: priùs luctus mandatur, & statim fames, & sitis apponitur iustitiæ; vbi enim verus luctus de peccatis, & vera adest contritio, non ampliùs fastidium, sed fames inuenitur iustitiæ. Id quod notans D. Ambros. lib. 5. in Lucam, ait: *Ordinem prosequamur: Peccatum deposui, temperaui mores, delicta defleui, esurire incipio, & sitire iustitiam.* Vbi enim verus dolor de peccatis pungit nos, nescio quomodo possit manere virtutum fastidium; imò necessarium puto, quòd in dè excitetur fames iustitiæ, cui dulcia, & appetibilia videantur etiam, quæ fuerant amarissima. Huc spectabat illud Iob. 6. *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt.* Expende, quid faciat angustia, nimirùm facit, quòd instar ciborum appetantur illæ ipsæ res, quæ anteà homini erant amarissimæ. Adsit nobis pro peccatis commissis angustia, adsit vera pœnitẽtia, & fastidia vniuersa exulabũt; quinimò vt famelici ad cibos suauissimos, sic ad studia virtutũ euolabimus. De Iudæis cõpunctis, & verè pœnitẽtibus ait Ps. 58. *Cõuertentur ad vesperã, famẽ patientur, vt canes.* Et simul conuersio, & cõpunctio, & fames illis accidit, eo ipso, quòd ad Deũ se conuerterunt, & cõpuncti corde fuerunt, vt habes Actor. 2. compũctionem suam ostenderunt in iustitiæ auidissima fame, quippè ait: *famem patientur, vt canes*; hoc est, iuxta Cassiod. *Fidei auidissima desideria patiẽtur.* Vnà nascitur cum vera cõpunctione, & contritione, per virtutum opera satisfaciendi fames. Quò libenter refero illud Oseæ. 14. vbi de cõtritis, & pœnitẽtibus Israelitis ait Dominus: *Sanabo contritiones eorum: Conuertentur sedentes in vmbra eius, viuent tritico.* Septuag. *Conuertentur, et sedebunt sub vmbra eius; bibent, et inebriabũtur frumento.* Vbi enim cõuersi à vijs suis pessimis spiritum compunctionis, salutemq; halantes contritiones exhibẽt; hæc illos fames, & sitis virtutum vrget, vt instar ebriosi hominis, nullum bibendo sciant ponere finem. Ad hæc Rupert. lib. 6. in Oseã, ait: *Sanabo, inquit, contritiones eorum; id est, in gaudium conuertam tristitiam illorum, qui ad pœnitentiã contristati sunt, habentes cor contritum, et humiliatum. Conuertentur sedentes in vmbra eius; hoc est, conuersi sedebunt, et taliter sedentibus vitalis alimonia cælitùs ministratur, et de bono semper proficiunt in melius.* Nullo bono satiantur, qui veram contritionẽ habent, sed ex quo verè pœnitẽt, de bono ad melius incredibili currunt auiditate. Profectò nequit vllũ fastidium, aut tędium virtutum manere in eo, qui verè conteritur pœnitentia. Quid plura? Habes in Iob, cap. 33. *Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus antè desiderabilis: tabescet caro eius, et ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur. Appropinquauit corruptioni anima eius, et vita eius mortiferis. Si fuerit pro eo Angelus loquẽs, vnus de millibus, vt annũtiet hominis æquitatẽ. Miserebitur eius, et dicet: Libera eũ, vt non descẽdat in corruptionem. Cõsumpta est caro eius â supplicijs: reuertatur ad dies adolescentiæ suæ.* Vidisti summum in homine fastidium, quo vniuersos cibos abominabatur, adeò vt penè enectus inedia animam halaret. Simul & vidisti Dei in illum misericordiam, qua à tanto inediæ periculo liberatur, in floridamque iuuenturem, & feruidã reuirescit. Sed quo medio, tã fastidioso homini, iuuenũ vires donantur à Deo, imò iuuenum fames paran

Ambr.

Iob. 6.

Rupert.

Iob. 33.

tur inter adeò lethalia tædia? Ibi explicatur remedium, *Si fuerit pro eo Angelus loquens, &c.* Nimirùm, si ex angelico impulsu pœnitentiæ verba assumat in ore, quibus pristina vitia detestetur: vbi enim pœnitentia vera adest, nullus panis non dulcescit, etiam panis lachrimarum auidè editur, totumque lethale fastidium aboletur.

Nicet. Ait ibi Nicetas: *Si perpessionis suæ causam in peccato consistere intellexerit, atque ad Deum de errato suo confessus, se cõuerterit, impendentem mortẽ inhibebit, etiamsi sexcenta sint, quæ mortem lacessant, & accersant.* Omnẽ lethale arcetur per pœnitentiam, & fastidium, & tædium mortem afferens tollitur, multaque apparent incitamenta, quæ appetitum humanũ moueãt, vt vitæ aspera auidè capessat. Vnde dicebat

Cellens. Cellensis Abb. lib. 12. de panibus: *Lachrima aut facit, aut inuenit paradisum: cùm enim profusione lachrymarum tota irrigatur conscientia, ligna producuntur fructum vitæ facientia.* Ecce à lachrimis contritionis tibi paradisi ligna parantur, quibus exciteris ad vescendum, & veriùs, & securiùs eorum esca promouearis in Deũ, & viuas in æternum. O quantùm distat verus de peccatis dolor ab alijs doloribus! Pergit Cellensis: *Sterilis est omnis effusio lachrimarum, quæ non effunditur propter regnum cælorũ. Inanes sunt lachrimæ, quas damnum, vel incommodum extorquet temporale. Non igitur aqua Iericho huius mũdi, sed de paradiso sit tibi panis, et refectio.* Solæ contritionis lachrimæ fastidium tollunt, & escas vitæ nobis parant.

§. IIII.

Christus Dominus passus, & in cruce contritus, auidissimam famen in hominibus suscitat, durissima quæque vorandi.

STo à sententia D. Hilarij, qui in regno cælorum comparato sinapi, intelligit Christum Dominum sub humilitate carnis passum, & contritum in cruce. Nec sic granum sinapis contritum fastidia tollit, & gustum irritat, vt fastiditæ alioquìn dapes comedantur: vt Christus Dominus in passione contritus, incendit in hominibus famẽ durissima quæque vorandi. Aiebat

Pasch. D. Paschas. hic: *Quantò plus Dominus attritus est passione, tantò amplius fructus sui in mundo effudit saporem.* Mors Iesu etiam saporauit amaritudines, & ad illas capiendas humanos gustus irritauit. Psal. 58 *Conuertentur ad vesperam, famem patientur vt canes.* Quid est ad vesperam? Augustinus putat, ibi intelligi prædicationem Christi crucifixi, & sepulti, qua percepta, ingens hominum multitudo auidè currebat ad baptismi aquas. Quis nesciat famẽ salutis, famem amplexandæ fidei in hominibus excitaram, vbi Christus Dominus passus, & crucifixus cæpit prædicari? Aethyopem Principem Eunuchum Reginæ Candacis habes, Actor. 8. redeuntem ab Hierosolymis in patriam: huius currui adhæret Philippus ab Spiritu sancto adductus, qui vbi hominẽ legentem in Isaia videt, de materia lectionis interrogat. Quid plura? Ait textus notanter: *Locus scripturæ, quem legebat, erat hic: Tanquam ouis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum, &c.* Hũc locum legit Eunuchus, hũc illi locum explicat Philippus, & hoc loco de Iesu explicato, dum fluenti approximant aquarum, Eunuchus clamat: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Alij legunt: *Quid prohibet me baptizari?* Quasi cum Paulo diceret: neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura me impedire, & prohibere possunt, quominùs fidẽ accipiam. Vnde tantus fidei ardor in homine Gentili? Vnde tanta salutis sitis? Sanè ipse iuerat Hierosolymam, Deum verum adoraturus, uiderat ibi salutem halantes religionis cultus, nec tamen adeò inflammatur salutis siti, vt idololatriam relinquat: modo, audito Philippo, eã sitim concipit salutis, vt nec gradum facere velit, quin voratis omnibus impedimentis, ad aquas currat baptismi. Vnde hęc illi sitis? Ex diuinissimæ ouis mactatione, & immaculati agni detonsione percepta non potuit non caninam salutis famem incurrere. Pulchrè Nissen. lib. de baptism. in-

Nissen. quit: *Gustauit interpretationem, tanquam bonus catulus, sanguinis, et agni occisi, vehementer adlatrauit Philippum, donec eum deduxit ad perfectam venationem prophetiæ, et minimè operosum à se petitum baptisma accepit.* Vbi bonus hic catulus profusum Christi sanguinem gustat, rapido cursu, & penè impatienti festinatione fertur ad susceptionem salutis, omnia mũdi impedimenta ridens. Ea sunt Christi Domini obiecta vulnera, quæ caninam virtutum famem hominum animis inferãt. De Lazaro illo apud epulonem diuitem sedente, ait Luc. cap. 16. *Sed & canes veniebant,*

Psal 58.

Luc. 16.

bant, et lãbebant vlcera eius. Miraris pauperis vlcera canibus obiecta lambẽtibus, quid hoc magnum? Equidem in paupere Iesu fuerunt vulnera, quæ obiecta fidelibus, illos trahebant ad virtutum famẽ caninam. Quippê ait Ambros. lib. 8. in Lucam: *Lazaro similem illum puto, qui cæsus sæpiûs â Iudæis, ad patientiam credẽtium, & vocationem gentium, vlcera sui corporis lambenda quibusdam velut canibus offerebat, quia scriptum est: Conuertentur ad vesperam, famem patientur vt canes.* Et meritò vulneribus Christi obiectis tribuit famem illam caninam, qua innumeri fideles auidè durissima quæque arripiunt pro obtinenda virtute, & salute. Aiebat Sponsa, Cant. 2. *Sub vmbra eius, quem desiderauerам, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Quæ verba ponderans D. Ambros. Psal. 118. serm. 5. fatur: *Quis fructus eius dulcis, nisi prædicatio Dominicæ passionis? Ergo vbi gustant fructum suauitatis, impatiens ad perfectiora festinat, dicens: Introducite me in domum viui: constituite me in dilectionem: confirmate me in vnguentis: stipate me in malis.* Passionis Christi fructus nescit nõ impellerere homines ad salutẽ: nescit non inferre salutiferam auiditatem salutis. Ex quo anima Iesum in cruce videt, omnia vorat difficilia, vt salutem adimpleat; non possunt inde non illi suppetere & vinum, & vnguenta, & poma, quibus sanetur, & viuat. Vnde iratus Elias in Israelitas, vt ab illorum oculis tollat vniuersos cibos, ait. 3. Reg. 17. *Viuit Dominus, non erit per eos annos ros, &c.* Ecce tibi cibos vniuersos perdendos ex defectu roris cęlestis annuntiat; sed vndè confirmat tantæ perditionis certitudinem? Sanè vt annuntiatæ perditionis certitudinem stabiliat, præmisit verba illa: *Viuit Dominus*, vbi Deus viuus, & nõ magis mortuus, & attritus in cruce obijcitur: fallar, si erit homo, qui cibum salutis percipiat. Pulchrè D. Basil. Seleuc. orat. 11. inde Iudæorum concludens perniciem, inquit: *Quod Iudæi in idolorum veneratio nem inclinarunt, quôd authore vitæ relicto, dæmonibus se dediderunt; proprijs edocti calamitatibus viuentem Deum agnoscant, & condiscant, per quæ mortem appetant.* Benè in Iudæorum pernicie viuens Deus agnoscitur, non mortuus, non attritus; ex eo enim quòd mortuum Deum abominabãtur, & solùm viuum suspiciebant, & cibos perdiderunt salutis, & in vltimam deuenerunt perniciem. Adsit nobis Deus mortuus, & in cruce attritus, & fallar, nisi suppetant vitam halantes cibi. Vnde mirari solebam latronem illum simul cum Domino crucifixum, tam auidum extitisse salutis, vt sui oblitus, Iesum à socij contumelijs defenderet, Iesuque innocentiam publicaret, & ab illo regnum requireret. Ex quo hæc in latrone? S. Maxim. ibi homil. 7. inquit: *Sciuit, quôd illa in corpore Christi vulnera, non essent Christi vulnera, sed latronis, atque ideô plus amare cæpit, postquam in corpore eius, sua vulnera recognouit.* Hæc ille.

Ambr. Cant. 2. 3. Re. 17 Basil. Max.

Matth. 13. Quod accipiens homo seminauit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus.

§. V.

Non solûm alienis, sed magis suis nitatur homo virtutibus, si amat satisfacere Deo.

BEnè homo dicitur seminare granum sinapis in agro suo; is enim apud Deũ valet, qui magis de suis, quàm de alienis cupit obsequia exhibere Deo. Saul, cõuictus à Samuele de peccato. 1. Reg. 15. ait: *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, et verba tua, timens populũ, et obediẽs voci eorum. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, et reuertere mecum, vt adorem Dominum.* Sic Saul: postquam Dauid similiter conuictus à Nathan de peccato. 2. Reg. 12. ait: *Peccaui Domino. Dixitque Nathan ad Dauid. Dominus quoq; trãstulit peccatum tuum, non morieris.* Nil moratus Dominus statim veniam largitur Dauidi, quàm omninò negauit Sauli. Et cur Saul non obtinet veniã, quę tàm gratiosè offertur Dauidi? Vterque dicit, peccaui, & agnoscit peccatum suum: cur sub eadem confessione non venit à Deo eadem venia? Saul etsi agnouit suum peccatum, illud alienæ credebat diligẽtiæ, dum ait Samueli: *Nunc porta, quæso, peccatum meum, &c.* Dauid autem non de alienis, sed de suis fructus pœnitentiæ promittit, vnde citissimam misericordiam obtinuit. August. ex veteri testamento, quæst. 18. ait: *Quare Saul peccans petit orare pro se, vt ignosceretur sibi, et impetrare non potuit: Dauid autem peccans postulauit, &*

1 Re. 15 2. Re. 12 August.

veniam consecutus est? Dauid non alium pro se voluit humiliari, sicut Saul, sed ipse supplex tribulato corde veniã precabatur. Non de alienis tantùm, sed de suis pœnitentiæ emittebat fructus Dauid, ob quod fuit misericordiam consecutus: & meritò perijt Saul, quia peccatũ suum alienis cõmittebat portandum humeris. Vnde monebat Hierem. cap. 31. *Statue tibi speculã, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, &c.* Hæc vltima verba pulchrè in rem præsentem transtulit Theodoret. aiens: *Da cor tuum in humeros tuos.* Fallitur enim quisquis pœnitentiæ onus alienis humeris portari cupit, non suis. Captis Sodomis, in captiuitatem fuit ductus & Loth. Gen. 24. Quid tunc? Ait textus: *Cùm audisset Abram, captum videlicet Loth fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem et octo, et persecutus est eos vsque Dam, &c.* Vbi expendendũ est, quàm paucis militibus ausus sit Abraham aduersus quinque Reges victores insurgere: Rex Sodomæ, & Rex Gomorrhæ non potuerunt sustinere illorum impetum, & Abraham audet cum solis domesticis suis illos inuadere. Cur non plures copias colligit? Cur non vicinorũ auxilia perquirit? Cur mauult cum adeò paucis exire in certamen? Exprimebatur ibi pœnitentiæ aduersus peccata certamẽ, in quo, eò certiùs triumphat homo, quò magis curat non alienis, sed suis concertare virtutibus. Ex quo monebat Bachiar. epist. ad Ianuarium, de lapsis, aiens: *Captum ab hostili legione filium fratris assumpta vernaculorum turba eripuit Abraham. Et tu assume vernaculorum turbam, id est, opere tuo, non alieno, animo auxiliũ præsta captiuo.* Sic semper curandũ nobis est, de nostris, non de alienis pœnitentiæ fructus efficere. Huc spectant dicta lib. 5. cap. 2. §. 5. & lib. 8. cap. 3. §. 27. & lib. 10. cap. 3. §. 23. & lib. 14. cap. 11. §. 1.

Hierem. Gen. 24. Bach.

§. VI.

Quò se Deus minorem ostendit, eò hominibus acceptior, & gratior redditur.

VBi homo dicitur accepisse cæleste granum, & in agro suo seminasse, non otiosè additur de illo ipso accepto grano, quod *minimum quidem est, &c.* tũc enim acceptior, & gratior homini redditur Deus, cùm sese magis exinanit, & sub forma minori ostenditur. Totus exultabundus, & mirabũdus de Deo aiebat Psal-tes. 22. *Calix tuus inebrians quàm præclarus est.* Non vastissimum diuinarum deliciarum mare, non cellam vinariam omni suauitate repletam miratur, sed calicẽ videt, & ad calicem sic totus rapitur. Cur sic ad calicem afficitur, nisi quia vt sese magis Deus exinanit, sic magis homines ad se allicit, imò rapit? Ait Gillibert. Abb. in Cant. serm. 21. *O calix inebriãs quàm præclarus es, et ideò charitate inebrians. Liquor æternus nouo huic infusus calici, maiore cũ charitate hauritur, quamuis cum claritate temperata: idcircò amor debet esse intemperatus. Quis enim se ab amando temperet, quando nostræ capacitati se contemperauit immensa maiestas?* Eò magis crescat hominum ad Deum amor, necessum est, quò Deum ad maiorem exinanitionem deuolutum conspiciat. Non equidem minima, & humilia Dei ea sunt, quę contemptum Dei in hominibus pariant, sed quæ amorem accendant, quę corda humana magis alliciant. Hinc est, quòd Psalm. 33. clamat: *Gustate, et videte, quoniam suauis est Deus.* Expende illud, *gustate*, quippè sapientia diuina monebat, Ecclesiast. 24. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & â generationibus meis implemini,* Psaltes autem minimè iubet, vt Deo impleamur, nec vt in illo vastissimo dulcedinũ mari immergamur, sed quòd vel summis labijs minimum gustemus. Et cur non magis ad immersionem, quàm ad gustum vocat? Habent hoc Dei minima, quòd vehementiùs homines alliciant, in illisque Dei ardentiorem sitim excitent. Quò spectans D. Hilar. serm. 2. de Nuptijs Can. fatur: *Ideò dixit, gustate, quia amor Dei quantalibet fide, quantolibet ardore quæsitus, reficere animum potest, sed magis, ac magis sitim, velut summis labijs prægustatus inflãmat.* Is est Dei amor erga homines, qui si vel in minimis ostendatur, vt generosum vinum in gutta labijs summis prælibata percipitur, magis homines accendat, magis alliciat, & inflammet. Numquã Deus minor, quàm vbi paruulus apparuit in vtero matris; sed & numquam potentior ad rapiendos affectus humanos. De Maria prægnante dicitur, Cant. 4. *Vẽter tuus sicut crater tornatilis non indigens poculis:* pro quibus verbis notissima est, & vulgò valdè trita versio, quæ dicit: *Venter tuus sicut speculum rotundum.* Sic diuinus Spiritus ventrem Iesu plenum comparat spe-

Psal. 22. Gillib. Psal. 33. Eccl. 24. Hilar. Cant. 4.

ſpeculo rotũdo, aliter Iſaias, cap. 8. *Sume tibi librum grandem, et ſcribe in eo ſtilo hominis, velociter ſpolia, detrahe, citò prædare.* Epiph. Vbi D. Epiph. per librum hunc intelligit virginalem Mariæ ventrẽ, in quo Verbum diuinum exaratum fuit; hoc eſt, homo factus, qui deprædetur humanos affectus. Compone modò locum Canticorũ, cum Iſaiæ loco: ibi virgineus venter rotũdum ſpeculum prætendit: hìc, hominem ſpoliatorem, & deprædatorem humanorum affectuum. Quid deprædario, & ſpoliatio cum ſpeculo? Accipite Petrũ Dam. lib. 2. epiſt. 18. vbi aſtum ponit, quo venatores tygridis pignora rapere ſoleat; quippè ait, quòd dum tygris abſentiam pignorum experitur, ventis occior venatorem perſequitur: quid tunc venator? *Vbi ferã* Pet. Da. *ſibi contiguam deprehendit, globoſam de vitro ſphæram ante illius oculos proijcit; at illa reſpiciens velut è ſpeculo proprij corporis imagine luditur, & ſobolem ſuſpicatur. Retentat igitur curſum, dum amplecti deſiderat fœtum. Hoc itaque modo & tygris orbatur.* Quid pulchrius in rem præſentem? Rotundum ſpeculum tygridi furenti paruam refert in ſe tygridem, ad quam illa currens, vt ad proprium fœtum, ſecuritatem prædatori præſtat, qua illius rapiãtur fœtus. Equidem dum immẽſitatem ſuam Dominus in cœlorum globis oſtentat, paros ad ſe allicit homines: quid tunc? Rotũdum ſpeculũ exhibet, ab vtero virginali, quod hominibus ſimilitudinem hominis in paruam pueri menſuram exhibet, & homines reſpiciẽtes, velut ab ſpeculo, in ſuis ipſorum minimis Deum, tota auiditate ad illum currunt, imò & euolant. *Hoc itaque modo & tygris orbatur*, & vel feraliſsimus homo ſe omni affectu ſpoliari patietur.

Matth. 13. Cùm autem creuerit, maius fit omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cęli veniant, & habitent in ramis eius.

§. VII.

Etiam ſi totum poſſideat orbem homo, non habet dignam habitationem, niſi intra Eccleſiam ſit.

AVgmentum creſcentis Eccleſiæ perquàm optimè comparatum fuit grano ſinapis coaleſcentis in arborem, adeò proceram, & altã, vt ad illam poſsint cœleſtes alites euolare. Et qui alites ad Eccleſiam confugiunt, vt ibi ſibi habitationem parent, niſi magni Principes, & Reges, & orbis domitores, qui ſeſe ſuper omnes extollunt poteſtates? Sic ſapientiſsimè noſter Maldonatus in præſenti docet, cœleſtes alites eſſe Reges, & dominos mundi; qui ad Eccleſiam venerunt, vt habitent in ramis eius, quaſi extra Eccleſiam etiam in totius orbis dominio ſibi dignam habitationem non poſſent parare. In primi hominis conditione ait Dominus, Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, et præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs, vniuerſæque terræ.* Gen. 1. Quod vmquã imperium amplius? Nullum ſanè, & tamen poſt tantum imperium homini conceſſum ait Gen. 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, et factus eſt homo in animam viuentem. Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis â principio, in quo poſuit hominem, &c.* Gen. 2. Itaque poſt conceſſum homini maris, terręque, & vniuerſi orbis principatum, adhuc plãtat Dominus paradiſum, in quo homini præparet habitaculum. Et quid neceſſum erat plantare paradiſum ad hominis habitationẽ? Nonne homo totius orbis imperium habebat? Nonne homini omnia ſubiecta erant? Nonne in omnibus poſſet habitationem habere, quãdo omnium dominabatur? Figurabatur iam tunc in paradiſo Chriſti Eccleſia, intra quam niſi eſſet homo, dignam habitationem non haberet, etiam in dominio orbis terrarum. Pulchrè ad hæc ait Tertull. lib. 2. in Marc. *Bonitas* Tertull. *præfecit hominem vniuerſis fruendis, atque regnandis, etiam cognominandis. Bonitas ampliùs delicias adiecit homini, vt quamquam totius orbis poſſidens in amœnioribus moraretur, tranſlatus in paradiſum, iam tunc de mundo in Eccleſiam.* Nil valerent vniuerſa mundi imperia ad præſtandam habitationem homini, niſi accederet Eccleſia, in qua illi habitatio pararetur. Accinebat Iſaias, cap. 60. fatus: *Aperientur* Iſai. 60. *portæ tuæ iugiter: die, ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Genus enim, & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit, & Gentes ſolitudine vaſtabuntur.* Stabilem, & firmam, & dignam homini habitationem nulla mundi præſtabunt imperia, niſi ſub vmbra vixerint Principes Chriſtianæ

Eccle-

Eccleſiæ, Romæ fundatæ à Petro; ſolet enim vt plurimùm cum ſciſsione Regum à Romana Eccleſia, coniungi ſtatim ſciſsio, & perditio regni. Dicitur. 1. Reg. 15. 1. Re. 15 *Conuerſus eſt Samuel, vt abiret; Saul autem apprehẽdit ſummitatem pallij eius, quæ & ſciſſa eſt. Et ait ad eum Samuel: Scidit Deus regnum Iſrael â te hodie, &c.* Quod Dam. ponderans in rem præſentem Petrus Damian. lib. 7. epiſt. 3. inquit: *Pallium Samuelis Saul abrupit, & regnum perdidit. Cùm ergo veſtis Chriſti ſancta dicatur Eccleſia, ſciſsio veſtis, diuiſionem minatur regiæ poteſtatis.* Neceſſum eſt, quòd cadat regia poteſtas, quæ ab Eccleſia ſciſſa, & ſeparata eſt, vt quæ nullibi extra Eccleſiam ſedem inueniat fixam.

§. VIII.

Crux Chriſti firmam, & penè inamiſsibilem habitationem cœleſtibus virtutibus facit.

DVm granum ſinapis adoleſcit in arborem, tàm firmos exhibet ramos, vt in illis volucres cœli inhabitent; ſic vbi creſcente Dei regno crucis arboris rami exhibentur, eã habitationem præbent cęleſtibus virtutibus, à qua non facilè poſſint deturbari. Quippè ait: *Volucres cœli veniunt, et inhabitãt in ramis eius*; hoc eſt, ſecurè, & firmiter nituntur ramis eius. Et quando à ramis crucis firmam, & ſecuram habitationem cœleſtibus non paratur? A- Luc. 19. pud Luc. cap. 19. habes: *Ingreſſus Ieſus perambulabat Iericho, & ecce vir nomine Zachæus, & hic Princeps erat Publicanorum, & ipſe diues: Et quærebat videre Ieſum, quis eſſet; & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum, quia inde erat tranſiturus. Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus vidit illũ, & dixit ab eum: Zachæe, feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Expendenda ſunt illa duo, *& perambulabat Iericho*: item & alterum, *in domo tua oportet me manere.* In Iericho perambulabat, in Zachæi domo manet: illic trã ſitum, hìc permanentiam oſtendit. Et cur Ieſus ad Iericho tranſeunter, ad Zachæũ permanenter accedit? Zachæus in arbore elatus crucis ramos prætendebat, cuius erat virtus permanentem habitationem cę leſtibus exhibere. Id quod inſinuans Be- Beda. da, ait: *Venit Ieſus ad Zachæũ, venit ad populum nationum, qui paſsionis eius fide iã ſublimis erat.* Vbi crucis virtus in Zachęo, in populo Gẽtili apparuit, non potuit nõ eſſe ibi Ieſus, & cęleſtium omniũ ferè ina miſsibilis permanentia. Sic cęleſtiũ manſionem crux æternat. De homine recẽter condito dicit Gen. 2. quòd Deus *inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*: quibus Gen. 2. verbis communiter à Patribus intelligitur infuſio animæ, iuſtitia originali, multiſque virtutibus adornatæ, ex quo homo conſtitit iuſtus, & Rex omnium animantium, habens illa ſibi ſubdita. Tunc à terra, in qua fuerat conditus, tranſlatus eſt homo in paradiſum, proximus ligno vitæ, & alijs pretioſis, & ſalutiferis lignis. In tereà? *Formatis Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, et vniuerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adã, vt videret, quid vocaret ea. Omne enim, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.* Expende, quòd maneat vſque in præſens ex his, quæ ſub Adamo fuerunt, nimirùm, *omne, quod vocauit Adam, ipſum eſt nomen eius*: quidquid habuit Adam virtutis, quidquid iuſtitiæ, quidquid imperij ſu per animãtia perijt, à quo peccato expulſa ſunt omnia. Nomina illa ſola ab Adamo impoſita perſeuerant; & cur, quando omnia bona Adamo eripiuntur, ſolũ parcitur nominibus ab illo poſitis? Cætera data ſunt Adamo extra paradiſum poſito, in terra illa, qua condebatur: at nominum impoſitio ab illo peragebatur, cũ in paradiſo eſſet inter tot ligna vitam halantia, & meritò quæ ſub vmbraculis ligni crucis obtingunt, firmam, & permanentẽ manſionem habent, vt de ijs dicat D. Baſil. Sel. orat. 2. *Non potuit vel ipſa tranſ-* Baſil. *greſsio nomina labefactare, neque legis violatio appellationes alienare.* Potuerunt peccata hominis illum bonis omnibus ſpoliare, tamẽ aduerſus nomina, quę ſub vmbraculis crucis, quæ ſub tot vitæ lignis venerunt, nil potuerunt peccata. Sic quæ in ramis crucis fundantur, nouerũt æternari. Quod firmat illud Pauli, ad Philipp. 2. de Philip. 2. Filio Dei: *Factus obediens vſque ad mortẽ, mortem autem crucis, propter quod et Deus dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomẽ, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, et infernorum.* Quod enim nomen ſub vmbra crucis obtentum fuit, prorſus eſt malis inſuperabile.

CAPVT

CAPVT V.

De Fermento.

PARVVM Debet esse fermẽtum, sed quòd magnæ massæ immixtum totam peruadat, & condiat; ne in cælestis œconomiæ minimis, paruitatem contemnamus, scientes in illa paruitate eam latere virtutẽ, quę immissa orbi, totũ orbem terrarum ad se reducat.

Matth. 13. Simile est regnum cœlorum fermento.

§. I.

Cælestes, & supernaturales virtutes numquam non validæ sunt ad expugnanda vitia.

NOn terrenum, sed cæleste regnũ fermento proponitur simile; est enim sua rebus infantia, sua pusillitas, sub qua dum sunt affectus naturales, infirmi sunt, & inualidi, nec dum virtutis speciem habere cẽsentur. nõ sic cælestes, & supernaturales virtutes, sed velut fermentum, cùm sit in minima quantitate, ingentem massam peruadit, sic illæ sub quauis paruitate constitutæ, validæ sunt, vt vitia expugnent, & prorsus detriumphent. Hanc equidem vim fermenti nõ æmulatur terrenum regnum, sed cæleste; non æmulantur naturales affectus, sed supernaturales, & diuini. Oseas, cap. 7. miratur Iacob nouam, & inusitatam virtutem, inquiens: *In vtero supplantauit fratrem*. Nota fuit ex Gen. Iacob virtus, adhuc pusillus, adhuc in vtero exiſtit, & sese accingit in pugnã, & aduersarium detriumphat. Vnde hæc alacritas in puero? Vnde infanti tanta vitus? Diu. Paschas. lib. 1. in Matth. ibi putat cælestis, & supernaturalis charitatis adumbrari virtutem, quæ vel in minimis agens nesciat non conferere manus cum hostibus, & glorioſos reportare triumphos. Ex quo ait: *Et inde est, quòd charitas procreata ingiter inardescit, & contra omnia carnalia dimicans vitia supplantat*. Nõ spectat charitas grandescere, vt sese accingat in bellum, sed in ipsa infantia, imò quasi in vtero adhuc propter paruitatem existens aciem parat, hostes debellat. Recens natis per baptismi sacramentum dicebat Petrus. 1. epist. 2. *Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et inuidias, et omnes detractiones, sicut modò geniti infantes lac concupiscite*. Aduersus malitias, & inuidias, & dolos, & detractiones petit accingi eos, qui simul, vt modò geniti infantes lac appetere dicuntur. Quid lac cum potentia expugnandi tot vitia? Lac ostendit infantes, recens natos, infirmos, meticulosos ad vmbram, adhuc sine manuum, & pedum, imò sine vocis vsu, nisi ad luctum. Si ergo lac sumi à tuis infantibus iubes, cur simul eos ad insignes vitiorum triumphos accingis? Erat lac illud de supernis, non de infimis; erat lac, quod non à mammis naturæ, sed ab adoptione supernaturali Spiritus sancti recipitur, quod vel à primis vnguiculis renatorum, ad triumphos audet, & victorias reportat de vitijs. Hinc est, quòd gustato semel adoptionis supernaturalis lacte, non ad nutricis mãmas iungimur, sed ad Patris æmulationem contẽdimus ire, dũ iubemur clamare. Mat. 5. *Pater noster, qui es in cælis, &c.* Quod ponderans Diu. Chrysolog. serm. 68. inquit: *Intelligite filioli, quanta perfectorum, quanta fortium gloria sit, & potestas, quando tanta virtus in ipso conceptu, tanta maiestas aperitur in partu. Nondum natus patrem vocat, sanctitatem postulat, regnum petit, dat iura terris, terrenas cælestibus exæquat voluntates, et laboribus profuturis exigit iam deuotus annonam. Panẽ nostrum, ait, quotidianum, da nobis hodie, Beati estis, qui cæpistis iam ante pugnam vincere, ante triumphare, quàm viuere; antè ad patris promptuaria, quàm matris ad gremium peruenire: toto ante victoriam sonare iubilo, quàm vagitu respondere cunarum. Verè, vt dixit Apostolus, infirmum Dei fortior est hominibus.* Et quidem quid quid à cælestibus, & supernaturalibus venit, etsi infirmum videatur, et si paruum, etsi minimum, potentissimam habet virtutem ad prosternendos hostes, ad obtinendos triumphos.

1 Pet. 2.

Matt. 5.

Oseas. 7.

Matth.

Matth. 13. Quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

§. II.

Quod à supremo creaturarum Domino venit, omnes æqualiter respicit, partialitatem abiurat.

VEl hinc patent cælestis Regis decreta, quòd omni partialitate abiurata, omnes æqualiter respiciant: & virorum labores spectent, vt granum sinapis: & fœminarum manus, vt fermentum requirãt. Aequalis semper est ad omnes, quę à Deo summo Rege venit occasio salutis. Hinc colligit D. Iustin. Mar. mãdatũ Circumcisionis nõ fuisse datũ pro opere iustitiæ, sed pro mero signo, vt potè quod non fœminis, sed tantùm conueniebat viris. Ait enim dialogo aduersus Iudæos: *Quin etiam ex eo, quòd non poßunt fœminæ corporis circumcisionem percipere, intelligitur signi causa datam esse, non pro opere iustitiæ. Fecit enim Deus, vt ea, quæ iusta sunt, virtutique consentanea, omnia æquè mulieres seruare poßent.* Non est Deus acceptor personarum, omnes æqualiter respicit, & siue fœmina, siue vir, easdem habet virtutis negotiandæ vias, & apertas, & omnibus communes. In hoc maximè differt & regnum terrenum, & regnum cæleste, quòd illud vt ab hominibus regitur, sic mille personarũ acceptiones, mille partialitates habet: hoc autem vt per Deum statuitur, sic omni partialitate abiurata, omnibus æqualiter est commune. Ad hæc præclarè philosophatur Nazianzen, orat. 13. inquiens: *Cur mulier aliquando plectitur, sed viro parcitur? Et mulier malè mariti thalamo consulens mœchatur; et hinc amara legum pœna. Vir autem obscortationem, vxori haudquaquam est obnoxius. Non suscipio legislatorem talem, non laudo consuetudinem: viri erant, qui legem tulere, ac ideò contra mulieres lex hæc est lata. Quin etiam patribus super filios potestatem dederunt, at quod debilius erat, incuratum reliquerunt. Deus verò non sic, sed hæc lex: Honora patrem, & matrem, prima est.* Nulla lex ab hominibus fertur, quæ partialitatem nõ sonet: nullum iudicium humanum, in quo non inueniatur partialitas, & acceptio personarum. Eô enim tendunt semper humana iudicia, vt se, suosque promoueant, alios non adeô curent. Ex quo lucem capit locus. 2. Reg. 7. vbi Dauid accipiens à Deo regnum æternandum in cognatione sua, sic gratus exclamat: *Quis ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque! sed et hoc parũ visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum: ista est enim lex Adam, Domine Deus.* Quæ est ista lex Adam? Nimirùm, quòd regij homines, & principes suos in regnum vocent, & eò tendant, vt bona, & promotiones quærãt suis, & sibi similes. Nil aliud inuenĩdum est in hominum lege, in humanis iudicijs, quàm quòd suorũ rebus singulariter prospiciant. Cantatissimus iudex Gedeon, vbi pro salute populi aduersus infensissimos hostes Madianitas insurgit, fugato hostili exercitu, captisque duobus Regibus, sic ab illis inquirit. Iud. 8. *Dixitque ad Zebee, et Salmana: Quales fuerunt viri, quos occidistis in Thabor? Qui respõderunt, similes tui, et vnus ex eis, quasi filius Regis. Quibus ille respondit: Fratres mei fuerunt, filij matris meæ. Viuit Dominus, quia si seruaßetis eos, non vos occiderem, &c.* Ecce tibi in nece infensissimorum hostium, quid obseruet prestantissimus Princeps, nimirùm, quòd de morte fratrum sumatur vindicta, alioquin liberos dimissurus Israelitarum homicidas. Hæc est semper lex Adam, hoc est humanum iudicium, in quo ægrè, & difficulter partialis affectus ad suos non inuenitur.

§. III.

Virgo Maria, vt testis originalis iustitiæ, qua floruit.

NOn otiosè introducitur mulier, quæ regni cælestis fermentum abscondat sub farinæ satis tribus, sed quia in solo sexu fœmineo testatos habes tres hominum status à Deo summo omnium Rege, & Imperatore constitutos. Primus hominum status fuit in originali iustitia ante omnem culpam: secundus status fuit post culpam in gratia reparationis: tertius status est in gloria cælesti. Reparationis, & gloriæ status etiam in viris clarent; at hi cũ statu originalis iustitiæ in solo sexu fœmi-

fœmineo inueniuntur, quando ſola Maria Virgo eſt, quæ inter conceptos virili ſemine fulgeat iuſtitia originali. Et quidē maximè decuit Deum conditorem, & inuentorem illorum ſtatuum, ſaltim in vna Maria primi illius ſtatus monumentum ſeruare, ne incredibilis appareret rationi humanæ. Sic delecturus homines, & vniuerſa animalia, immiſſo diluuio, iubet parari arcam, & in ea familiam Noemi, & multa de mundis animalibus ſeruari. Ait
Gen. 27. enim ad Noe, Geneſ. 27. *Ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena, & ſeptena, &c.* Et cur iubet ſeruari animantia munda? Nonne facile poſſet ipſe vel verbo innumera alia poſt diluuium producere? Cur mauult ſeruari de antiquis, quàm noua creare? Pulchrè D. Baſil. Seleuc. orat. 6.
Baſil. inſinuat cauſam, aiens: *At noua non facit, ſapienter admodum. Fortè creator alter mendaciter obtruſus fuiſſet hominum generi amicitior, quàm prior: & eſſet artifex dubitabilis, ſi nullum eius antiquatum extaret monimentum. Idcirco creationis antiquæ ſymbola retinet. Generis radix ſeruatur, vt priſci operis prima iura cum dignitate retineantur.* Sanè eſſet humanæ menti artifex primus dubitabilis, ſi nullum operū eius monimentum extaret; nec mirarer, quòd ignari aliqui mendaciter diſtinguerent inter creatorem nouorum, & antiquum: quare ſapienter prouiſum eſt, vt de primis animantibus ſeruarentur multa, quæ priſci operis prima iura cum dignitate retineant. Quid plura? Eadem prorſus ratione decuit, vt primi illius iuſtitiæ ſtatus monimentum aliquod ſeruaretur ſaltem in vna Maria, ne humanæ infirmitati & ſtatus, & artifex illius eſſet dubitabilis, ſed potiùs tanti ſtatus ſymbola retinerentur, quæ aſſererent veritatem illius, & primi operis prima iura oculis humanis obijcerent in Maria. Fuiſſet equidem infirmis hominibus totus ille iuſtitiæ originalis ſtatus, forſitan dubitabilis, ſi nullum eius monumentum extaret. Nec crederetur primus parens potuiſſe lucere tot in ipſa origine virtutibus, niſi viderentur in
Caſſiod. Maria ſimilia. Aiebat Caſſiod. 3. variar. 6. *Sicut indigna poſteritas laudes antiqui generis abnegat, ita præclara de patribus egregiè dicta confirmat. Creditum eſt de ijs omne, quod legitur, dum præconia veterum præſens docuit vena virtutum.* Fuiſſe primorum parentum ortus puriſsimos, lucidiſsimos, penè abnegat eorum poſteritas immunda, & obſcura. Vbi Maria affulſit, numquam non lucens creditur de illis omne, quod legitur, & præconia veteris ſtatus originalis iuſtitię præſens in Maria docuit vena virtutum. Hæc præter alia facit ſtatum illum credibilem. Nonne ille Deus condidit ſtatum illum, qui tot facinoribus condidit populum Iſraelitā? Et nullum facinus peregit in condendo populo Iſraelita, pro quo non iuberet, vel erigi cippum, vel ſymbolum, vel memoriale aliquod æternum ſacrari ſibi, minimè ergo credendum eſt, quòd primi operis, nempè illius ingentis facinoris, quo hominem luteum condidit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, iuſtitia originali veſtitum, nullū relinqueret ſymbolum; imò reliquit in matre ſua Maria, in qua primi illius operis prima iura cum maiori dignitate ſeruantur: ſeruātur enim cum dignitate maternitatis diuinæ. Diu. Dionyſ. Areopag. cap. 7. de cæleſti hierarch. vbi cæleſtes thronos prædicat, de quibus dicit, quòd in ſe habeant Ieſum, ſic concludit: *Ieſu fœliciſſima ſocietate digna tas intelligendum; communicantque, quantum par eſt, in primæ conditionis ſuæ poteſtate deificis ipſius, benigniſſimiſque virtutibus.* Ex quo thronorum virtutes dignæ habentur, quòd Ieſus fœliciſsima ſocietate fruantur: expende, quid inde educat vir ſanctiſsimus, nimirùm, quòd in primæ conditionis ſuæ poteſtate communicent deificis illis virtutibus. Hoc ex Ieſu vicinio habent throni, hoc ex Ieſu vicinio habet Maria, quòd communicet in primæ conditionis ſuæ poteſtate deificis virtutibus illius. Id quod inſinuabat Diu. Epiphan. ſermon de laudibus Mariæ, ſic inquiens: *Anna, quæ gratia interpretatur, grauida effecta, cælum, & thronum Cherubicum peperit ſanctam Mariam: illa enim reperitur eſſe cælum, & templum, & thronus.* Vt iam quantum par eſt, communicet in primæ conditionis ſuæ poteſtate deificis Ieſu virtutibus: adeò vt illi dicat Ieſus illud Canticorum, cap. 1. ex verſione Græca: *Ecce tu pulchra es propinqua mea.* Ad quæ optimè Niſſenus reſpondit: *Propterea dicit ei verbum, pulchra facta es, quæ meæ luci appropinquaſti, per appropinquationem trahens diſpenſationem pulchritudinis.* Expende verbum illud, *diſpenſationem*: quippè diſpenſatio tantummodo videtur conuenire pulchritudini originali; quandoquidem de hac ſola erat lex poſita, vt illa carerent omnes filij Adami: vnde, dum ex vicinio Ieſu Virgo Maria dicitur per diſ-

Dion. Areop.

Epiph.

pensationem veniſſe in pulchritudinem, id fuit ex eo, quòd rigidiſsimæ legis diſpensationem habuit, & per illam etiam habuit iuſtitiam originalem. Metuat quiſquis nimis litteræ legis adhærens hãc diſpensationem Mariæ vertit in dubium; littera enim occidit, & ſi ſub rigida acie litteræ apparet Maria occiſa cum originali culpa, quis non metuat detrimenta innumera? Ait ipſa, Eccle. 24. *Quaſi palma exaltata ſum in Cades.* Eccl. 24. Meritô in Cades, hoc eſt in ſanctitate (Cades enim ſanctitatem ſignificat) ſibi egregios triumphos, & victorias promittit. Num. 33. Sed & Num. 33. de filijs Iſrael proficiſcentibus dicit: *Caſtra metati ſunt in deſerto Zin, hoc eſt, Cades:* ibique narratur ſtatim mors Mariæ ſororis Moyſis; item murmuratio totius populi in Moyſem: item Moyſis aliqualis culpa, & eius ſupplicium; item negatio tranſitus ad tertã promiſſam: omnia hæc mala in Cades accidere poſt mortuã Mariam. Et cur non accidant maiora mala, quando Cades electa ad oſtentandas, & palmas, & victorias Mariæ, illam oſtendit defunctam? Meritô ait Hieron. epiſt. ad Fabiol. Hieron. *In hac manſione moritur Maria, et ſepelitur, et propter aquas contradictionis Moyſes, et Aaron offendunt Dominum, et prohibentur tranſire Iordanem, miſſiſque nuntijs ad Edon, tranſitus petitur, nec impetratur. Quis timeret poſt tantos profectus murmur populi, et offenſam magiſtrorum, & viæ tranſitus denegatos?* Nullus proculdubio ea timeret, niſi qui videret inibi mortuam Mariam. Nulla antiquata gloria, nulli profectus, nulli priſtini triumphi valent, vbi oſtenditur mortua Maria inter cæteros Adami filios; quiſquis ita litterali nimis rigida falce oſtẽdit cum zizanijs demeſſam Mariam nullis fidat acclamationibus, ſed caueat murmura: nullis credat ſtudijs, magiſtri etiam maximi ſe muneribus defraudabunt multis. Caueat hoc maximè familia, quæ præcipuè erecta fuerit pro exaltanda in orbe Maria, ſi illam vlla culpa etiam originali emortuam oſtendant, & gaudeant ſe in ijs eſſe temporibus, in quibus licet pleno ore publicare Mariam ab omni originali etiam labe immunem. Dum Maria Moyſis ſoror putabatur leproſa, nullum progreſſum fecerunt Iſraelitæ, poſtquam habita illa fuit prorſus munda, Numer. 33. iuxta lectionem Origenis. Origen *Et poſt hæc promouit populus ex Aſſeroth, & conſederunt in deſerto Pharan.* Vide poſt Mariæ mundiciei opinionem contrariam dimiſſam, vnde proficiſcatur populus, & vbi tentoria figat. Rem explicat Origen. homil. 7. in Num. *Aſſeroth interpretatur domus perfectæ. Proficiſcitur ergo populus poſtea quã Maria purgata eſt, â domibus perfectis, et venit in Pharam, quod interpretatur os viſibile.* Non eguit noſtra Maria purgatione vlla in ſe, at eguit purgatione in opinione plurimorum, qui conceptionem eius clamabant infectam. Idne in pulpitis diceretur, cautum eſt lege pontificia, ex quo olim à perfecta Maria mundicie venimus in Pharan, hoc eſt, os viſibile; quando ſoli, qui illam prædicant, apertum, & manifeſtum poſsint habere ſermonem de illa.

§. IIII.

Maria Virgo & matrem agit terrenam, & patrem diuinum in generatione Saluatoris.

DVm meditatur Bernardus, ſerm. de tribus mixturis fermentum mundi, nempê Saluatorem Ieſum, quo tota hominum maſſa virtutis recipit & calorem, & ſaporem, meritò ad fœminarum præſtantiſsimam Mariam confugit. Quæ nobis tantùm effecit fermẽtum facta eius mater, & ſub ſatis tribus abſcondit, quatenus Trinitatis perſonas idem ſollicitauit ad opus. Quid plura? Simul & matrẽ terrenam, &, vt ſic dicam, patrem diuinum Saluatoris noſtri peregit. In ea ſunt communiter ſententia præſtantiſsimi Theologi, cum Diu. Thom. 3. part. quæſt. 2. artic. 11. qua dicunt antiquos Patres, imò beatam Mariam precibus obtinuiſſe à cæleſti Patre Filij diuini incarnationem: dũ ergo Maria & Patrem diuinum traxit in hoc, vt daret vnigenitum ſuum, deinde ipſa illum conceperit, & pepererit, præclarè dici poteſt, quòd matris terrenæ, & patris cæleſtis munus in Ieſu generãdo pere gerit. Simile habes 1. Regum. 1. vbi Anna orans petebat, vt ex marito Elcana filium conciperet: cui reſpondit Sacerdos: *Vade in pace, et Deus Iſrael det tibi petitionem tuam, quam rogaſti eum.* 1 Reg 1. Et poſt pauca: *Cognouit autem Elcana Annam vxorem ſuam, et recordatus eſt eius Dominus. Et factum eſt poſt circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium,*

filium, & vocauit nomen eius Samuel, eò quòd à Domino poſtulaſſet eum. Sterilem ſibi maritum experiebatur Anna, precibus tamen ſterilitatem omnem fugat, filium concipit, & parit, ex quo illam non ſolùm matrem, ſed & patrem pueri egiſſe
Chryſoſ. putat Chryſoſt. quippè ait homil. 1. de fide Annæ: *Omnes audiſtis, quomodo fleuerit, quomodo precata ſit, quomodo orarit, et exorarit. Concepit, peperit, educauit, et conſecrauit templo Samuelem. Itaque nequaquam aberrarit, qui hanc mulierem pueri ſimul & matrem, & patrem appellarit. Quamquam enim & vir addiderat ſemen, huius tamen deprecatio vim, efficaciamque ſemini præbuit, effecitque, vt Samuel auſpicatioribus exordijs naſceretur.* Itaque vbi precibus Anna maritum ſibi fœcundũ obtinet, ex illoque concipit, & parit filium, & mater, & pater pueri à Chryſoſtomo cẽſetur. Similiter & matris terrenæ, & patris diuini munera ad generandum Ieſum in vna Maria poſſunt haberi, quando ipſa precibus traxit ſummum parentem ad filij incarnationem, huncque concepit, & peperit. Miraris hoc? Accipe & in eodẽ genere quid maius; quòd tanta erat vis orationis Marianæ, vt ſi per impoſsibile (vt aiunt logici) non genuiſſet Pater diuinus Filium, & eſſet illi libera talis generatio, poſſet adduci ad eius generationem precibus Mariæ. Efficaciam lachrimarum
Cellenſ. exaggerat Cellenſ. Abb. lib. de panib. 12. inquiens: *Aqua hæc aut facit, aut inuenit paradiſum.* Et quomodo lachrima faceret paradiſum? Equidem tanta ibi lachrimarum efficacia oſtenditur, vt ſi Deus nullũ paradiſum, nullam cęleſtem patriam condidiſſet, poſſet vel lachrimis pœnitentiæ adduci, vt cœleſtem patriam conſtrueret. Simili modo de Mariæ precibus dicẽdum puto, quòd niſi Pater genuiſſet Filium, illis poſſet adduci ad illum generandum, & generandum ex Maria. Quò forſan reſpe
Cant. xit Dominus, Cant. 4. vbi ait: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa*: ſiue vt legit Symachus apud Theodoretum: *Excitaſti cor meum*: vbi non contemnẽdus author, per illud verbum, *cor*, putat intelligenda Dei Patris viſcera, quæ Mariæ precibus excitata fuere, vt filium daret mundo, &
Eccl. 24. daret ex illa. Hinc Eccleſiaſt. cap. 24. ait: *Species mulieris exhilarat faciem viri ſui, et ſuper omnem concupiſcentiam hominis ſuperducit deſiderium.* Quæ verba Mariæ ap
Hailg. tat Cardinalis Hailgrinus apud Martinũ del Rio, Cantic. 4. inquiens: *Huius mulieris ſpeciem ſic concupiuit Dominus, et ipſa eius deſiderium in tantum ſuperduxit, hoc eſt, ad tantum exceſſum perduxit, vt ad noſtram infirmitatem humiliatus ſit omnipotens.* Ecce tibi qualiter Maria excitauit Deum, & traxit illum ad hoc, vt filium ſuum daret, vt dicat Iſaias, cap. 9. *Paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis*: datus eſt, inquam, filius, ad cuius generationem Patrem æternum excitauit, & traxit Maria, ne aberret, qui illam & matrem, & patrem appellarit tanti filij, in cuius generationem Patrem inclinauit diuinum, & ipſa illum parturiuit. Iſai. 9.

§. V.

Quò ſunt plura veroſimilia, eò magis abſcondita eſt veritas, ne capiatur ab hominibus. Vbi quàm fugiendæ mundi figuræ.

FErmentum abſcondit fœmina ſub farinæ ſatis tribus; cùm enim fermentũ à ferina fiat, illique ſimile ſit, quot ſata accedunt farinæ, tot nebulæ veniunt, quibus ſublateat fermentum; numquam enim ſic veritas abſcõditur, quàm vbi illi circumponuntur multa vero ſimilia. Cantatiſsima eſt illa Romanorum hiſtoria, in qua profertur ſcutum cœlo dilapſum ea ſorte Romanis obtigiſſe, quòd tamdiu duraret vrbs, quamdiu ſcutum illud non raperetur ex illa. Quid tunc? Quæ diligentia adhibita eſt, ne poſſet ab externis inueniri ſcutum? Multa alia ſimilia elaborata ſunt, inter quæ ſic manſit illud occultum, & abſconditum, vt nullo planè modo timerent, ab aliquo poſſe inueniri. Rem acutiſsimè ponderans Ouidius. 3. Ouid.
Faſtorum, inquit:

Tunc memor imperij ſortem conſiſtere in illo,
Conſilium multæ calliditatis init.
Plura iubet fieri ſimili cælata figura,
Error vt ante oculos inſidiantis eat.

Sanè quot ſimilia ſcuta addidit, tot nebulas, tot denſiſsimas nubes adhibuit, ne poſſet internoſci verum ſcutum. Proh dolor, quis verum bonum inueniet? Sunt plures boni ſimilitudines, ſunt innumeræ res in mundo, quæ ſolam boni, & veri ſpeciem habent, caue homo ab illis, ne te fal

lant, & verum bonum occultantes eripiant. Ad Rom. 12. monebat Paulus: *Nolite conformari*: alij legunt, *Nolite configurari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri.* Expende, quòd moneat, ne figuris sæculi inhæreamus. Cur non figuris inhærendum? An non per figuras, & similitudines ad verum bonum facilius perueniemus? Absit, imò figurarum multitudine sic obtenebrescit verum bonum, vt inueniatur à nemine. Chrysostom. homil. 20. ibi: *Si rectâ incedere voles, ne te adaptes ad præsentis vitæ figuras. Nam etiam si diuitias obieceris, si gloriam, si delicias, siue aliud quodcumque ex ijs, quæ magna esse videntur, figura tantummodo sunt, non ipsius, quæ in rebus est, veritatis demonstratio, persona quædam scænica, non consistens rerum substantia. Sed tu vide ne illi configureris, &c.* Nil magis cauendum homini, qui verum quærit bonum, quàm multitudo similium, vt quibus subest falsitas, & sub quibus verum absconditur. Ait Ecclesiast. 24. *Hoc secundum hoc visio somniorum: ante faciem hominis similitudo alterius hominis.* Non verum attingentis, sed somniantis est ad plura, quæ boni similia ducit, currere, iam hoc, iam simile aliud captans; est enim in somnis hoc secundum hoc, nempè rei similitudo multiplex, sub qua dormiens fallitur. At de vero bono locutus Ioannes, cap. 1. ait: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigenti â Patre, plenum gratiæ, et veritatis.* Non vidimus hoc secundum hoc, sed vidimus vnigenitũ, substantiale Patris germen. Et nota discrimen: vbi vnigenitum vidimus, vidimus plenum gratiæ, & veritatis; vbi autem hoc secundum hoc, & multiplex apparuit similitudo, ibi non veritas, sed visio somniorum fuit. Aiebat Heruetus Aurelianus Scholiastes Clem. Alexand. lib. 2. stromat. *Est vna quidem veritas, permulta autem verisimilia: si quis autem in multis verisimilibus verum persequitur, perinde facit, atque si quis sub multis laruis verum vultum quærit, qui non potest inueniri.* Et quomodo inuenitur verus vultus inter multitudinem laruarum similium? Rem explicat exẽplum ductum ab his, qui aliquid conspicere, & inuenire quærunt, appositis ob oculos chrystalinis lunis in octo quadratos angulos elaboratis. Vix additur chrystallum oculis, & quot sunt in illo angulorum flexuræ, in tot similia apparet quodlibet obiectum multiplicatum. Dicas dragmavnũ sub illis lunis soboleſcere, & sex, aut octo, aut amplius alia oculis ostentare. At si tunc verum apprehendere cures, Deus bone, quàm falleris! manum ad illum porrigis, & larua est, ad aliud accedis, & etiam est larua, si sub tot laruis manet verum dragma prorsus absconditum, & incomparabile similium multitudinem caueat, quisquis verum bonum amat sibi comparare. De veritatis optima indagatrice, & speculatrice ait Psalm. 106. *Numquid Siõ dicet. Homo, & homo natus est in ea?* Optima speculatrix veritatis, nempè Sion, nõ per vitreos sex angulos respicit, vt quærens verum vultum pro vno, multos clamet; non videt vt somniator, qui videt hoc secundum hoc, & fallitur figuris; sed vnam respicit defœcatam veritatem. Illud non inuenitur in optima veritatis speculatrice, sed in seductrice. Vnde monet Dominus, Matth. 24. *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere, surgent enim Pseudo Christi, & Pseudo prophetæ, & dabunt signa magna, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce prædixi vobis: si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.* Ecce verum discrimen inter seductores, & veros veritatis magistros; hi non multiplicant verum, sed vnum defœcatum ostendunt, illi instar chrystalinæ lunæ in sex-angulos elaboratæ nesciunt, nisi similiũ multitudinem ostẽdere, vt si vel huc, vel illuc abeas, verum quæsiturus, fallaris laruis. Ad hæc Dominus, Luc. 10. *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima: porrô vnum est necessarium.* Quid est, vnum est necessarium? Propositiones necessariæ vocantur à dialecticis propositiones sempiternæ veritatis: & quidem veritas vna est, qui illam quærit, caueat verisimilium multitudines, ne delassus laruis sibi turbationem, atque hostibus risum faciat.

Rom 12. Chryſoſ. Eccl. 24. Ioan. 1. Heru. Matt 24 Luc. 10.

§. VI.

Ad verum virtutis amatorem pertinet, quoscumque familiares habet, sibi in virtutibus reddere similes.

ECce fermenti vis: absconditur in farinæ satis tribus, donec fermẽtatum

est

Pſ. 106.

est totum; nescit fermentum in massæ transire insipiditatem, quin potiùs omnem massam trahit ad æmulationem saporis sui. Hoc notet quisquis cœlesti agitur spiritu, quisquis verus est amator virtutis, & in mundialibus conuentibus, non ipse aliquid mundanum recipiat, sed vniuersos trahat in æmulationem suarum virtutum, reddatque sibi similes. De Filio Dei veniente in mundum aiebat Ioannes, cap. 1. *In propria venit, & sui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quid magis decuit Dei filium, quã quòd in mundum veniens, vniuersos familiares suos faciat esse Dei filios, similes sibi? Ad hæc Diu. Ambrosius, serm. de fermento, inquit: *Rectè ergo fermento Dominus comparatur, qui cùm esset specie homo, humilitate paruus, imbecillitate deiectus, tanta intrinsecùs sapientiæ virtute pellebat, vt doctrinæ ipsius mundum ipse vix caperet: qui cùm se cæperit, per totum orbem diffundere vigore diuinitatis: statim hominum genus omne in substantiam suam sui potestate protraxit, vt & iugum Spiritus sancti sui infunderet omnibus: hoc est, Christianos cunctos faceret esse, quod Christus est.* Hæc est virtus cœlestium animarum, quòd omnes suos familiares faciant esse in virtutibus amandis, quod ipsi sunt. Hoc ardebat Paulus desiderio, Actor. 26. inquiens ad Proconsulem: *Opto apud Deum & in modico, & in magno, non tantùm te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum.* Huc debet spectare conatus omnium illorum, qui spiritu aguntur diuino. Sanè Creator vbi orbem condebat, Genesis. 1. ait: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.* Cur necessum fuit addere illud, iuxta genus suum? An ligna aliter possent fructificare, quàm iuxta suum genus? Si ergo necessitate naturæ cogebantur ligna ad edendos fructus respondẽtes generi suo, quid necessum fuit illud Dei imperium, quòd producant fructus iuxta genus suũ? Sanè in illo imperio ostendit diuinus artifex, quòd sibi maximè conducebat, nimirùm, quòd suas creaturas faceret esse, quod ipse est. Et cùm ipse in necessaria productione producat filium sibi omnino correspondentem; sic studet, vt creaturæ suæ similiter producant fructus iuxta genus suum. Sapienter, & acutè Diu. Augustinus, quæstion. 9. ex vtroque mixtim ait: *Qui habuit ergo filium totis sibi similitudinis partibus congruentem; hoc est, vnus vnicum, probus probum, bonus benignum, beatus beatum, maximus maximum, sempiternus æternum, habuit vtique ante mundum creatæ sobolis principatum, de quo rebus oriundis impertiebat exemplum, vt gignentium germina suis respondere seminibus cogerentur.* Hoc erat studium maximum Creatori, vt innotesceret mundo, quàm cogeret vniuersas creaturas in sui similitudinem: vt qui ab æterno sibi simile producebat, sic omnes productrices creaturas traheret in productionem suis generibus respondentium effectuum. Diuinus est, quisquis in sibi similes virtutes cogit venire cæteros; at qui potiùs in alio rum pergit errores, huic periculi, & ruinæ certæ res est plena. Lugebat Origenes de se in planctu suo: *Ego verò infœlix ante diluculum de stratu exiliens, nec orationem quidem consuetam implere potui; sed desiderans omnes homines saluos fieri, & in cognitionem veritatis venire, me ipsum in diaboli laqueis implicaui.* Expende casus miserandi inceptionem: equidem de Christi spiritu habebat omnes cupere sibi similes in virtute facere, hoc, vt par est Christiano, & Iesu ministro, ardebat desiderio, sed interea orationem non implet consuetam, in hoc iam periculosiùs agit; qui enim ad suas virtutes debebat trahere cæteros, potiùs in se admittit cæterorum teporem, dum ab oratione cessat, vnde lucratus est, quòd pereat. Vnde Dominus missurus Apostolos in animarum capturam monet, Matth. 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, &c.* Et post pauca: *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.* Oues mittuntur ad lupos, & nilominùs oues non pereunt, sed magis conuertunt in oues lupos. Et quare oues non pereunt inter lupos? Ex eo solùm, quia studuerunt mundialia omnia, sic à se depellere, vt nihil ipsæ in se luporum reciperent. Ait enim Isaias Abbas orat. 16. *Præcepit Dominus eis, vt nihil acciperent in via: cùm enim nihil luporum haberent, non poterant eos lupi deuorare.* Vorabitur ille, qui aliquid mundialium in se recepit, & non magis satagit omnibus suas communicare virtutes, quibus sibi similes fiant.

Ioan. 1.

Ambr.

Origen.

Matt. 10.

Isai. Abb.

CAPVT VI.

De thesauro abscondito, & negotiatore.

NE Cœlestis œconomia sinapi, & fermento comparata vilesceret, iam eius pretium Dominus alijs duabus parabolis extollit, dum illam & thesauro abscondito, & margaritæ pretiosæ à negotiatore inuentæ comparat. Et forsan pro thesauro mundiali habendo, siue pretiosa margarita, non multi venderent omnia sua: at cœlestis thesaurus, & margarita tanti pretij sunt, & valoris, vt pro habendis illis, nullis parcendum sit bonis, vendenda, imò dilapidanda sint omnia alia bona.

Matth. 13. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.

§. I.

Diuinitatis thesaurus sub passibili Christi carne absconditus, simul & patentissimus est.

NVmquam diuinitas magis abscõdita, quàm in carne passibili; dum frigus patitur puer, flet, riuos lachrymarũ totus tremens emittit: dum adolescens nostram negotiatur salutem, mille sudoribus perfunditur, in cruce, & sanguine madet, & pallorem mortis incurrit; fletus, sudor, sanguis, mors, quid cum diuinitate? Quæ densiores noctes possent inueniri, vt diuinitatis thesauro tenebras obdurent? Sed inter tot noctes thesaurus inuenitur, & à non quærente inuenitur; nec solent à non quærente inueniri, nisi patentissima. Et quidem illæ ipsæ vmbræ, illæ ipsæ carnis exinanitiones, & simul diuinitatem abscondunt, & dum abscondunt, simul illam publicant, & faciunt patentissmam. Esther cap. 11. ait: *Fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit. Lux, & sol ortus est, & humiles exaltati sunt.* Quem fontem, & solem ad exaltandos humiles Christo Domino attribuit Rupert. lib. 8. de vict. cap. 16. At vbi sol lucidissimus pro Iesu ponitur, cur necessum fuit, & fontẽ paruum dici? Nomine, & figura solis contentus Sophonias ait, cap. 3. *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ, sanitas in pennis eius.* Solus ibi sol dicitur, & vel de solius solis gloria, & virtute dignitas extollitur Saluatoris Christi; cur insuper additor paruus fons? Est præterea in fonte aliquid, in quo excellentia Christi clarius effulgeat solis luce. Dum enim sereni fontis fluctus agitantur ventis, & simul splendentes intus lapillos oculis offerunt, & eripiunt. Quò se fluctus extollunt, visum arcent, ne pateant lapilli, quò se dimittunt, & minutissimas arenas reddũt patentissimas. Pulchrè enim ait magnus Ausonius in Aedilio.

Secreti nil amnis habet.
Sic demersa procul durante per intima visu
Cernimus, arcanique patet penetrale fluenti.
Vtque sub ingenuis agitatæ fontibus herbæ
Vibrantes patiuntur aquas, lucetque, latetque
Calculus, &c.

Esth. 11. Sophon. Auson.

Eædem ipsæ aquæ fontis vibratæ faciunt intimum calculum, & lucere, & latere simul; faciunt latere, dum tumentes arcent visum; dum se dimittunt, in lucem, solẽq: & calculum, & omnia intima abijciunt. Fõs est Christi caro passibilis, fontes sunt eius ocelli proflui lachrimarum riuulis; fontes sunt ipsæ venæ sanguineos voluentes fluctus, & lachrimæ, & sudores, & fragilitas, & sanguis, & mors ipsa secundùm se consideratæ prorsus abscondunt, & latere faciunt diuinitatem; verùm & lachrimæ, & sanguis, & mors dum inuentæ noscuntur ad exaltandos humiles manifestissimè ostendunt quid diuinum. Numquam enim Deus & maior, & potentior ostẽditur, quàm vbi ob salutem hominis homini exhibetur pusillus, & penè exinanitus. Hinc Balaam, Num. 23. ait de filio Dei vẽturo in mundum. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, &c.* Non dixit, orietur sol, vt supra dixit Sophonias, sed omisso sole, maluit recurrere ad stellas, inquiens: *orietur stella*; stella enim quò minor appa-

Num. 23.

ret

ret humanis oculis, eò celsior, & maior esse demonstratur ab Astrologis; & terra, & luna, & errantia astra longè superantur magnitudine ab stellulis, quæ minimæ vi suntur in cælis. Simili modo diuinitas in carne passibili, quò minor ostenditur, & fragilior, eò in demõstratione sapientum amplior, & excelsior est. Ad hæc aiebat Tertull. Tertul. lib. 2. in Mar. *Deus tunc maximè magnus, cùm homini pusillus.* Pusillitas, & infirmitas Dei homini apparens, maximè ipsius Dei commendat, & prædicat magnitudinem, quando illa pusillitas sumpta Act. 7. est ad humanam salutem. Hinc Actor. 7. Stephanus de Iesu clamat: *Video cælos apertos, & Iesum stantẽ à dextris virtutis Dei.* Ecclesia prædicat Iesum sedentẽ ad dexteram Patris, vt cum eo prædicet æqualitatem: Stephanus non sedẽtem videt, sed stantem, quando stãtis habitus seruorum est. Cur non magis per sessionem eius cũ Patre prædicat æqualitatem? Sanè numquam Iesus cum Patre æqualitas magis homini claret, quàm vbi in habitu seruili Dam. Iesus apparet. Petrus Dam. ibi ait: *Ne Patre minor esse putetur, stat cum stante, cum bellatore bellatur, quia lapidatur cum lapidato.* Tutus ille seruilis habitus assumitur, ne minor Patre Iesus putetur, sed æqualẽ cum eo diuinitatem publicet, & ostendat serui habitus assumptus ob salutem humanam.

§. II.

Ea est humanitatis Christi præstantia, & similitudo cum Deo, vt & humanitas possit censeri diuinitas; & diuinitas possit censeri humanitas ab oculis humanis.

STo adhuc à sententia Hilarij intelligentis in thesauro absconditò diuinitatẽ filij Dei absconditam in humanitate. Sed quomodo absconditur diuinitas sub humanitate? An sicut sol absconditur sub noctis tenebris? Vel sicut lux tota latet sub opaco, & terrestri corpore? Crediderim magis diuinitatem abscondi sub humanitate, velut vnus sol absconditur sub similibus alijs. Vide cap. præcedenti. §. 5. historiam Romanam de scuto cælitùs dilapso, & absconso sub similium multitudine. Sic enim inter plures similes quæuis res latet, & absconsa manet, vt à nemine internosci valeat. Et quidem tanta est similitudinis præstantia inter Iesus humanitatem, & diuinitatem, vt meritò absconditum maneat oculis creatis, vtra earũ sit diuinitas; quando & diuinitas humanitas. & humanitas diuinitas apparet. Facit in rẽ præsentem encomium, quod præstat Tertul. carni humanæ, lib. de Resurr. carnis, Tertull. fatus: *Non es tu diligentior Deo, vti tu qui dem Scyticas, et Indicas gemmas, rubentis maris grana candentia, non plumbo, non ære, non ferro, nec argento quoque oblaqueas, sed electißimo, & insuper operosißimo descrobes auro. Deus verò animæ suæ vmbram, spiritus sui auram, oris sui operã vilißimo alicui commiserit capulo, & indignè collocando vtique damnauerit. Collocauit autem, an potiùs inseruit, & immiscuit carni, tanta quidem concretione, vt in certum haberi possit, vtrùm ne caro animã, an carnem anima circumferat: vtrum ne animæ caro, an anima pareat carni*: vel vt in margine, *an anima appareat carni.* Quid maius dici potuit ad præstantiam carnis commendandam? Ea est caro nostra, quæ vnita animę, incertum sit Tertulliano, vtrùm animæ caro, an caro appareat animæ: vtrum caro animam, an carnem circum ferat anima. Tanta est vnitas, & similitudinis præstantia inter carnem humanam, & animam, vt inter vtramque discernere, etiam sapientissimi difficile habeant. Quid pluta? Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus, & homo vnus est Christus, ait Athanas. in symbolo: quod de carnis, & animæ vnitate, & similitudinis præstantia, idem dixerim de humanitate, & Deo vnitis. Non sanè diuinitas vilissimo alicui commissa est capulo, cui indignè vnita, appareret damnata. Commissa est, imò inserta, & vnita humanitati, tanta inter vtramque similitudine, & vnitate prouisa, vt incertum haberi possit oculis humanis, vtrùm ne humanitas pareat diuinitati, an diuinitas pareat humanitati; vtrùm ne humanitas diuina sit an diuinitas humana. Quò respiciens lex, sic cauebat Exod. 12. *Tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas: Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus, &c.* Hæbræus apud Caietan. legit: *Erit autem agnus perfectus.* Et qualis perfectio in agniculo pro peccatis, & libertate humani generis offerendo? Ipse verus agnus monebat cæteros, Matt. 5. *Estote vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Nec dubito quin verus Exo. 12. Matt. 5.

agnus Dei; hoc est, sanctissima illa humanitas immolanda præberet in se perfectionem, quam ab alijs requirebat, existens adeò similis Patri cælesti, vt oculis nostris indistinguibilis à diuino parente appareret. Ad hæc ait præstantissimus Theologus Nazianzen. orat. 42. inquiens: *Perfectus autem agniculus, non modò propter diuinitatem, qua nihil perfectius, sed etiam propter humanitatem diuinitate delibutã, idemque effectum, quòd id â quo vncta est, atque vt audacter loquar, simul Deum.* Pulchrè sapientissimus Theologus humanitatis pro mũdi libertate immolandæ præstantiam eò perfectionis extollit, vnde videatur idem effecta, quòd Deus, imò appareat oculis humanis simul Deus, & quasi haberi possit incerta inter Deum, & ipsam distinctio. Accinit Psal. 64. fatus: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Quẽ lex vocabat agnum anniculum, Dauid vocat coronam omni paterna benedictione confertam. Et cur Iesus meus coronam exprimit? An quia ipse Rex, & Dominus omnium? An quia finis omnium operum Dei? An quia ab illo vniuersæ triumphantium, & regnantium coronæ? Aliam præterea insinuat Nazianzen. rationẽ, & acutiorem, & rei præsenti præstantiorem. Quippè ait vbi supra: *Anniculus porrò dicitur vt sol iustitiæ; atque item vt benignitatis corona benedicta, omnique ex parte sibi similis, & æqualis.* In corona nulla inæqualitas apparet, nulla dignioris, & indignioris loci differentia: vnde Romanus ille, ne quem Deorum inæqualitate aliqua offenderet, Pantheon construxit, rotundum templum, quod in coronæ formam impleuit aris, quarum loca ex quacumq; parte respicerenrur, singula apparebant primaria. Idem in templo mystico Dei, nempè in Iesu contemplatur Nazianzen. dum à Dauide corona vocatur; nimirùm, quòd ex quacumque parte consideretur, & similis appareat, & æqualis: vel si consideretur ex qua parte Deus, vel ex qua parte homo; & homo appareat effectus idem quòd Deus, & simul Deus. Quo etiã sensu dicebat ipse Iesus, Ioan. 10. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Vbi putatus Diu. Augustinus, de Incarnatione, libro. 1. sic inquit: *Filius Dei benignissimè insertus humani corporis forma, ex operum, virtutisque similitudine Dei Patris in se immensam, atque inuisibilem magnitudinem designabat, dicens: Quia qui videt me, videt Patrem.* Quoad enim humani oculi possent percipere, minimè distinguerent inter humanitatem illam operantem, & Patrem.

Nazian.

Psal. 64.

Augusti.

§. III.

Visibilia Dei munera, & externa secum pretiosiora alia, ab oculis remota, & intrinsecûs abscondita afferunt.

QVę ex Deo nascuntur munera, minimè solis externis signis censeri debent, maiora enim, & pretiosiora in trinsecùs abscondita supponere solent. Ager est, quod à Deo venit munus, & ager externis fructibus diues; sed qui simul thesaurum in se absconditum intimis viscerib̃ habeat. Hinc Gen. 2. ait: *Tulit Deus hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur, & custodiret illud.* Et mirabar, quòd homini tanto, ad imaginem Dei effecto, iustitia originali condecorato, Dei amicissimo solus paradisi exterior quidam ager colendus tribueretur. Sic bone Deus, ager vnus exterior erit tota occupatio amici tui, hominis præstantissimi? Sic in tanto homine vna exterioris agelli cultura requiritur? Absit, non vnus exterior ager à Deo prouidetur homini suo, quin potiùs ex eo, quòd à Deo venit ager ille exterior, secum ne cesse est, vt trahat præstantiorem alium ab oculis remotum, & intimiùs absconditum paradi sum, qui humana præcordia, & impleat, & ditet. Accipite Damascenum, lib. 2. Orthodoxæ, cap. 11 vbi inquit: *Nonnulli porrò sensibilem fuisse paradisum animo sibi finxerunt: alij contrâ spiritualem, & qui intelligentia sola perciperetur. Mea autem hæc est sententia, quòdquemadmodum homo ita constructus fuerat, vt simul & sensus, & rationis particeps esset, sic etiam sanctissimum ipsius templum tale erat, vt et in sensum caderet, et animo, ac ratione cerneretur, ac duplicem rationem haberet. Corpore namque in diuinissima, ac pulcherrima regione degebat: animo autem in sublimiori, ac pulchriori, atque omni cõporatione præstantiori loco commorabatur, Deum simul, & pro domo, et pro illustri indumento habens, &c.* Non equidem Dei munus homini exhibitum claudi decebat in solo illo visibili vitalium lignorũ agro, sed & sub illo visibili, & externo sublimior alter, & pulchrior, & præstantior absconderetur, & vt ille ad externas, ita hic ad internas

Gen. 2.

Damas.

perti-

pertinebat delicias, & diuitias animi. Apud Isaiam, cap. 1. aiebat Dominus: *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis.* Et hæc sunt præmia à Deo suis dilectoribus prouisa, nimirùm bona terræ? Quid Epicurus suis alumnis minùs prouideret, quàm bona terræ? An in hoc sese extollunt bona terræ à Deo exhibita, quòd hæc simul præstantissima alia bona ab omni sensu remota, & abscondita contineãt. Ait Tertul. lib. de Resurr. carn. apud Isai. *Bona terræ comedetis, bona carnis intelligẽtur, quæ illam manent in Regno Dei reformatam, et angelificatam: et consecuturam, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Alioquin satis vanum, si ad obsequium Deus fructibus agri, & cibarijs vitæ huius inuitet.* Absit à Deo tale inquinamentum, vt suis dilectoribus visibiles, & materiales fructus agri tantùm exhibeat, exhibentur quidem à Deo visibiles fructus agri, sed agri habentis thesaurum absconditum; hoc est, afferentis bona illa superna, quæ ab oculis, & aure, & omni humano sensu remota existũt. Hinc post numeratos Abelum, Noemum, Abrahamum, Saram, ait Paulus ad Hæbræos. 11. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, nõ acceptis repromißionibus, sed â longè eas aspicientes, et salutantes, et confitentes, quia peregrini, et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significãt se patriam inquirere: nunc autem meliorem appetũt, id est, cælestem, &c.* In quibus verbis illud maximam quæstionem facit D. Thom. quòd dicantur Sancti isti defuncti fuisse, non acceptis repromisionibus. Et quidem de Abrahamo paulò antè dicebat ipse Apostolus: *Fide demoratus est in terra repromißionis.* Si ergo Abrahamus tenuit aliquando repromissionis terrã, quo modo dicitur defunctus, non acceptis repromissionibus? Meritò & acceptis terrenis bonis dicitur Abrahamus diem obijsse, nõ acceptis repromissionibus; promissio enim, & dona, quæ à Deo, etsi circa terrena bona viderentur esse, non poterant solùm compleri in illis; nescit enim Deus exhibere dilectoribus suis agrum absconditio aliquo vacuatum thesauro excellentiori, & præstantiori terrenis bonis. Tenuerunt igitur Sancti illi terram, sed dum non tenuerunt Christum, dum nõ tenuerunt cæleste regnum, nõdum acceperunt donum Deo dignum. Nec est donum sensibile à Deo, quod quantum est ex se, ad inuisibilia, & cœlestia bona non inducat.

Isai. 1.

Tertul.

Hæb. 11.

§. IIII.

Vbi intrinseci, & occulti affectus in pretio Deo non sunt, nihili æstimatur opus externum.

OB thesaurum ibi absconditum venit & ager in cœlestis regni comparationem; qui enim pretiosi Deo affectus intrinsecùs latent, cõmendabilia reddunt opera externa, alioquin nihil apud Deum valitura. Cant. 6. commendans Dominus sponsæ pulchritudinem, ait: *Sicut cortex mali punici genæ tuæ, absq; eo, quod intrinsecùs latet.* Splendorem exteriorem genarum laudat, sed magis afficitur ad id, quod latet intrinsecùs. Et cur habens, quod amet in genis, & quod miretur ibi, latentis, & intrinseci meminit? Solent equidẽ fœminarum genæ splendere de extrinsecus aduenient fuco, id quod cauens sponsus meritò signat, qui sibi placeat splẽdor, & rubor genarum, nimirùm solus ille, qui de intrinsecis habet, quod in genis splẽdeat, & rubeat. Ait Paschas. in Psal. 44. reddens rationem, cur sponsus laudaturus genas, confugerit ad id, quod latet in animo intrinsecùs: *Quia in genis, quod exteriùs rubet, ab intùs nascitur, vt rubeat, ex eo, quòd interiùs viuet, et viget: et quod exteriùs decidit, ab eo, quod intrinsecus est, viuat pulcherrimè, et reparetur.* Non is est Deus, qui extrinsecùs aduenientibus gaudeat fucis; nisi externus operum splendor, ab intùs habeat, quo fulgeat, quasi nihil reputatur apud Deum, imò quasi paries dealbatus contemnitur. Vnde clamabat Paul. ad Rom. 2. *Nõ enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito Iudæus est, et circumcisio cordis in spiritu.* Quæ de cordis absconditio externa oritur pulchritudo, illa æstimatur apud Deum. Hinc laudans textus sacer primos homines recens à Deo conditos, ait Gen. 2. *Creauit hominem Deus ad imaginem, et similitudinem suam, masculum, et fœminam creauit illos.* Meritò extollit homines recens creatos de imagine, & similitudine diuina: at D. Bernard. serm. 66. in Cant. valde notat, quòd non extollatur ibi hominum virginitas, quando illa tunc maximè florebat: quippè ait: *Neque hoc quidem nominatim dictum reperies, quòd virgines essent, quamuis*

Cant. 6.

Pasch.

Rom. 2.

Gen. 2.

Bernar.

uis esset, sexuum sanè expressa diuersitas est, non virginitas, cùm dictum est: Masculum, et fœminam creauit illos. Meritò quidem. Et cur meritò tacetur virginitas, quę virtus est adeò prædicabilis, adeò Deo amica, quæ ad terras è cœlo traxit Deum? Erat illa virginitas cum animis coniugia, amplexusque maritales cogitantibus, & quæ à corde coniugato procedebat virginitas, vix virginitas æstimatur apud Deū. Quando omnis gloria eius filiæ Regis ab intùs, & pretium, & commendationē habet. Cant. 7. *Venter tuus acerbus tritici vallatus lilijs.* Fœcunditas per triticum, & simul per lilia virginitas commēdatur. Sed cur vt fœcunditatem commendet, singulari numero vsus est, dicens, *acerbus tritici*; at vbi ad virginitatem accedit, plurali vtitur, aiens, vallatus lilijs? Pulchrē Guilliel. apud Delrium ait: *Non dicit, vallatus lilio, sed lilijs, propter duo lilia virginitatis, vnum intùs in animi proposito, alterum foris in corpore incorrupto. Porrò sine lilio interiori lilium exterius nihil est, quoniam sine proposito animi, carnis incorruptio inanis est.* Et quidem de intimis animi externa opera precium capiunt. Lex cauebat, Num. 28. iuxta lectionem Origenis: *Dedonis, et datis meis obseruabitis offerre mihi in diebus festis meis.* Non quaslibet oblationes petit Dominus, sed eas, quę possint ad diem festum Deo seruire. Et quæ oblatio seruit Deo ad festum? Psalm. 73. ait: *Reliquiæ cogitationis diem festum agēt tibi.* Illa oblatio, illud virtutis opus, quod ab animo interno Deum cogitāte oritur, censetur inter festos, & acceptabiles Deo dies. Pro quo aiebat D. Ambros. lib. 2. de Abel, cap. 2. *Festus dies Domini est, vbi perfectarum virtutum gratia est. Quæ tunc perfectæ sunt, si victor animus delinimenta voluptatis excludat, liber à sæculo, Deo deditus, nihilque de tramite rectæ intentionis imminuens, nec affectus sui tempora, nunc luxuriæ diuidens, nunc labori.* Itaque non tàm externum opus, quàm animus virtutibus æstimationem confert, vt illa habeatur absolutè virtus, quæ ab intùs aurea prosilit. Propterea Salomon. 1. Paralipomen. 29. post pretiosissima sacrificia oblata Deo, subdit: *Domine Deus noster, omnis copia hæc, quam parauimus ad ædificandum tibi domum nomini sancto tuo, de manu tua est, et tua sunt omnia. Scio Deus meus, quòd probes corda, et simplicitatem diligas, &c.* Ex Hæbræo sic: *Et noui Deus, quòd tu discernens cor, et rectitudines voles.* Et meritò prætermittens tot aurea, & pretiosa munera ad cordis rectitudinē vni Deo notam confugit, quando ea est, quæ placeat oculis diuinis. Caiet. in præsenti ait: *Parui pendens vniuersas res oblatas, aurū, argentū, &c. manifestat se nosse, quòd Deus ponderat non externas res, sed corda offerentium, et quòd placet ei interna rectitudo cordis.* Et quidem parui pendenda sunt externa omnia, nisi ab intima rectitudine profiliant cordis.

§. V.

Naturalis simplicitas maximè Deum tenet.

EXpende, quò absconditur cœlestis thesaurus, nimirùm in agro. Cur non potiùs in hortis? Cur non magis in muro domus? Fateor crebriùs reponi, & abscondi thesauros in hortis, aut in ipsis parietibus, & muris domorum; at cœlestem thesaurum nec hortus, nec murus, sed magis decet ager, vt qui à nemine sic capiatur, quàm à naturali quadam simplicitate prorsus aliena ab arte, & fuco omni. Huc voco benedictionem illam Iacob datam à parente Isaaco, Gen. 27. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Non thuris Sabęi, non Indicorū aromatum, sed agri odorem in filio laudat: & quidem Iacob non homo agrestis erat, vt Esau; sed domesticus, & ideò matris fratre familiarior, cur ergo in illo pater agri pleni odorem inuenit? Sanè inde iam eliciebat benedictionum cælestium fundamina, quæ in naturali quadam inueniuntur simplicitate. Ait enim D. Ambros. lib. 3. Exam. cap. 17. *Odor Iacob, odor agri pleni, id est, naturalis odor. Quid enim pleno rure suauius? Et ego odorem ipsum terræ simplicem, atque sincerum pro gratia benedictionis accipiam, quem fraus nulla composuit, sed veritas indulgentiæ cælestis infudit.* Vbi simplicitas, & sinceritas naturalis apparet, ablato fuco, ablata artis compositione, ibi & benedictio cælestis apparet, & ad maiores benedictiones capiēdas maximum stabilitur fundamen. Hinc ad Dei aures capiēdas, ad eius ingentia beneficia sollicitanda sic iubemur clamare, Matt. 5. *Pater noster, qui es in cælis.* Patrem oraturi vocamus; non Deum optimum maximū, non Dominum exercituum, non Regem Regum, nec aliud Dei grandius, & honorificentius vocabulum, siue proprium, siue appellatiuum permittimur sumere in ora-

oratione Dominica, ſed ſolùm Patrem. Et cur relictis alijs nominibus, ad ſolum nomen patris iubemur confugere? Solum nomen patris eſt nomen naturale, in ſimplicitate naturæ fundatum, nec vmquam Deo gratiores, & acceptiores reddimur, quàm vbi erga illum quandam naturalem ſimplicitatem ſeruamus. Ad hæc aiebat Philo. Philo, lib. de vita Moyſis: *Ne mortalium quidem parentum nomina proferunt ij, quibus cordi eſt pietas, ſed omiſſis proprijs, honoris gratia, vtuntur naturalibus, patrem appellantes, matremque: atque ita profitentur immenſa accepta beneficia.* Et apud homines, & apud Deum validiſsima eſt quædam naturalis profeſsio ſimplicitatis. Nõ ſic homines, aut Deum ornant appellationes, quas inuenit ars, & compoſuit placendi cupiditas, quàm ornant illæ, quas ſimplicitas naturæ profert. Sanè cui cordi eſt pietas erga Deum, naturæ in omnibus ſeruet ſimplicitatem. Et quid non cõficiat naturæ ſimplicitas? Deus vt abſtruſiſsimum myſterium reſurrectionis perſuaderet mundo, illud tradidit naturæ prę dicandum: ex quo ſapienter dicebat Tertull. Tertull. lib. de reſurr. carn. *Totus hic ordo renolubilis rerum, teſtatio eſt reſurrectionis mortuorum. Operibus eã præſcripſit Deus, priuſquam litteris: viribus prædicauit, antequam vocibus. Præmiſit ſibi naturam magiſtram, præmiſſurus & prophetiam, quò facilius credas prophetiæ diſcipulus naturæ.* Non ſic aptantur ad percipienda diuina diſcipuli Rethorum, vt diſcipuli naturæ; qui enim naturæ ſequitur diſciplinas, & fucos, & ambages, & captiones abigens, ſimplicitatem, & ſinceritatem amans, fallar, niſi Dei percipiat magnalia, & Deo maximè placeat. Ad hanc confugiens Salom. Par. 29. 1. Paralip. 29. ſic Deum precatur: *Scio Deus meus, quòd probes corda, et ſimplicitatem diligas, vnde et ego in ſimplicitate cordis mei lætus obtuli vniuerſa hæc.* Numquam enim ſic ad diuina captanda valent Rethorum fuci, Dialecticorum fallaciæ, vt naturalis quædam ſimplicitas.

§. VI.

Quò præſtantior quis eſt, eò magis ſuperflua reſpuit, contentus ſolis neceſſarijs.

REponendus ſub cuſtodia theſaurus non nemora pulchris arboribus conſita, non hortos olentibus floribus ornatos, non ſuperba ædificia quærit; ſimplici, & rudi gaudet agro. Cur non magis amœniora feſtinat tãtus theſaurus, ſub quo & cęleſtis tota amplitudo clauditur? Vt theſaurus hic præſtantior eſt, & pretioſior, ſic ſolis gaudet neceſſarijs, & cætera vt ſuperflua abominatur. Nullo enim, mihi credite, magis oſtentatur rei præſtãtia, quàm ex eo, quòd minimè admittat in ſe alia, quæ non ſint neceſſaria. Et ſanè in corpore humano nemo oculis potiorem dignitatem, & præſtantiam negabit? At oculi ex omnibus corporis partibus ſoli ſunt, qui minimis, & rudioribus naturæ bonis gaudeant. Cant. 7. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis? Iunctura fœmorum tuorum ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis. Vmbilicus tuus crater tornatilis, non indigens poculis. Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs. Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ. Collum tuum ſicut turris eburnea. Oculi tui ſicut piſcinæ in Eſebon, &c.* De ebore, de purpura, de auro, de margaritis, de lilijs, de animantibus ſumunt cæterę partes ornatum; oculi de ſola aqua piſcinæ, & quid vilius aqua? Et quando cæterę partes de pretioſis, & pulcherrimis mundi bonis ſe ornant, cur oculi, cæteris præſtantiores, viliſsimo elemẽto gaudẽt? Inde magis eorum elucet præſtãtia, quòd ſola ſuſtinent neceſſaria. Huc accedit Plato, dialog. 4. de repub. monens præſtantiſsimos ad ſola capeſſenda neceſſaria. Plato. *Si quis nos hominis imaginem pingentes accederet, & vituperaret, quòd non pulcherrimis animantis partibus pulcherrima pigmẽta apponeremus. Oculi enim pulcherrima pars, non purpureo colore, ſed attramento induti eſſent: moderatè ſanè ipſi reſpondere vi debimur, ſi diceremus. O admirande, ne putes nos oportere ita pulchros oculos pingere, vt nec oculi eſſe videantur, nec reliquæ partes.* Et ſanè non inde potior, & præſtantior oſtenditur pars, quòd ſibi ſen per potiora omnia coaceruet, ſed quòd neceſſaria tantùm habeat. Attramento compingendis oculis adhibito, ſic illo oculi efformantur, venuſtantur, vt purpuram, & coccum, & minium prorſus reſpuant, vt ſuperflua, & ſub quibus deformati appareant. Splendeãt pedes in auro, pectus in purpura, collum in gemmis, manus in hyacinthis, aures in vnionibus, omnia hæc etſi pulcherrima, etſi præſtantiſsima, etſi deformes, & ignobiles partes venuſtantia, ab oculis reijciuntur, qui de ſimplici

plici attramento ſeſe extollunt, & radiãt. Quis neget primæ creationis humanæ præſtantiam? Ait Dominus, Geneſis. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, et volatilibus cœli, et beſtijs terræ, vniuerſæq; terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum, et fœminam creauit eos.* Et inter tot hominis imperia, inter adeò glorioſas primi coniugij dotes, accipe quid notet textus, Geneſ. 2. *Erat autem vterque nudus, Adam ſcilicet, & vxor eius.* Quis Regũ Adamo præſtantior? Equidem Adamus vniuerſos mundi Reges longè ſuperauit imperij latitudine, ſubditorum obedientia, vitæ fœlicitate, ſapientia, innocentia, & virtutibus animæ; & inter hęc nudus agit, nec erubeſcit. Et cur à nuditate minimè ruborem capit præſtantiſsimus Regum? Quia præſtantiſsimus eſt, non ruborem, ſed laudem accipit à nuditate. Pulchrè aiebat author habitus Auguſt. quæſt. 81. ex nouo teſtam. fatus: *Hæc enim vera laus eſt, ſi ſic illi proficiat quæſita dignitas, vt nullius egeat: dum hoc naturæ eius præſtatur, vt per ſe ipſa viuat, & benè viuat, nullo requiſito ſuffragio; hoc eſt, verè diuitem fieri, et glorioſum.* Tantum abfuit, vt nuditas gloriam Adami fœdaret, quòd inde maximum ſumeretur argumentum eiuſdem præſtantiæ, quando is erat, qui ſolis neceſſarijs ad naturæ integrę conſtitutionem ſeſe ſuper omnia efferret corporalia, aduentitioſq; alios ornatus, vt ſuperfluos repudiaret. Ex quo prudenter Rupert. ibi elicit: *Benè igitur nudus erat vterque, & non erubeſcebant, quia quòd erubeſcerent, non habebant. Illa nuditatis ſecuritate perdita, nos ingemiſcimus, eò quòd gloria, & honore ſpoliati, & panniculis obuoluti ſimus. Nam ita veſtiti, verè incedimus nudi, etiamſi veſtiamur, ſicut veſtiuntur lilia agri.* Externorum enim bonorum coaceruatio, quò maior eſt, maiorem ſemper oſtendit habentis infirmitatem. Vnde Dominus, Ioan. 18. ſui regni præſtantiam ſuperiorem regnis mundialibus probans, ait: *Regnum meum non eſt de hoc mundo: ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis.* Quid tunc? Ideò queritur ſuum regnum infirmius eſſe mundanis regnis, quòd mundano in procinctu eſſent miniſtri ad defendendum Regem ſuum? Abſit; imò inde regnum ſuum extollit, eiuſque præſtantiam commendat, oſtendens regni infirmitatem tot miniſtrorum egentem. Id quod ponderans ibi Theophilactus, ait: *Præſentis regni infirmitatem ſignificat, eò quòd à miniſtris habet robur: ſupernum autem ſufficiens eſt, nullo indigens.* Fœlices, qui nullo indigere procurant, contenti ſolis neceſſarijs ad vitam, ij glorioſi ſunt, regnoque cœleſti ditati iam fulgent.

Gen. 1.

Gen. 2.

Auguſt.

Rupert.

Ioan. 18

Theophil.

§. VII.

Vera præſtantia non metuit abſcondi. Vbi de B. Ignatio, & de B. Tereſia.

ETiam ſub terræ viſceribus abſconditus, nigra depreſſus caligine, adhuc theſaurus eſt, adhuc pretioſus: numquam enim quæ verè pretioſa ſunt, tenebras metuũt. De Filio Dei Paulus inquit ad Philip. 2. *Qui cùm in forma Dei eſſet, nõ rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formã ſerui accipiens, &c.* Ad exinanitionem, & ſeruitutis formã alacer venit, & eò alacrior, quò ſe natura Deum, & omnium Regem ſciebat, nihil ſibi à ſeruitutis latebris metuẽs. Chryſoſtom. ibi, homil. 7. *Non enim rapinam arbitratus eſt diuinitatem; non timuit, ne quis naturam, aut dignitatem Dei ſibi auferret: propterea & depoſuit eam, diſſimulauitque eam, nihilquè ex eo imminuendum ratus.* Si qui veram habent aliquam præſtantiam, nihil illi timent à tenebris, à diſsimulatione, à latebris; imò & facili negotio ſciunt illam diſsimulare. Quis neſciat ſummam illam æqualitatem diuinarum perſonarum? Sed hoc mirandum de Spiritu ſancto, quòd cùm ſit Patri, & Filio ſummè æqualis, non tamen refugit tertius prædicari in Trinitate, præcipuè cùm ex illa voce Hęretici homines malum omen acceperint cõtra eius æqualitatem. Cur contra hos errores non magis cauet Spiritus ſanctus tertius in Trinitate vocari? Præclarè author dictus Auguſt. quæſt. ex nouo teſtam. 97. ait: *Solent iterũm præiudicare Spiritui ſancto, quòd ideò degener intelligatur, quia inordine tertius ponitur, cùm tanta ſimplicitas ſit in ſcripturis diuinis, vt aliquã do inuenias tertium primùm poſitum: vt enim cauſa ſe tulerit, ſic ponuntur; nullis enim iniuria eſt, quia vna eorum diuinitas eſt.* Non ſunt ex diuinæ perſonæ, quę curent ſemper rigoroſiſsi-

Phil. 2.

Chryſoſt.

Auguſt.

rosissimam vocabulorum æqualitatẽ seruare, vt se occasio tulerit, iam primo, iam secundo, iam tertio loco illarum quæuis nominari patitur. Alienũ enim est à tàm vera maiestate studium, quo curaret fugere, vel ab iniqua suspicione inæqualitatis; hoc habent, qui aduentitiam, imò extraneam dignitatem occupãt: quibus autem dignitas propria est, & innata, nihil sibi timent, sed norunt & dissimulare, & occultare illam. Hucveniant, qui sese supra omnes amant extollere, & discant hoc veræ, & propriæ præstantiæ euidentissimum iudicium; quæ enim vera est, nihil sibi vmquã timet, nec refugit se occultare, & exinanire, vt alijs prosit. Notissima sunt omnibus quatuor illa flumina, quæ à fonte paradisi oriuntur. Gen. 2. nimirùm, Phison, Gehon, Tigris, Euphrates. Inter hæc facta cõparatione, Euphrates asseritur præstantior à Claudio Mario, lib. 1. in Genes. Sed cur Euphrates præstantior? De singulis ait textus: *Nomen vni Phison: ipse est,* Genes. 2. *qui circuit omnem terrã Heuilath, vbi nascitur aurum. Et aurum terræ illius optimũ est, ibique inuenitur bdellium, & lapis onychinus. Et nomen fluuij secundi Gehon: ipse est, qui circuit omnem terram Aethiopiæ, Nomen verò fluminis tertij, Tigris: ipse vadit contra Assyrios. Fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.* De tribus primis & circuitus notat textus, & simul diuitias illorum; at de quarto Euphrate, nihil prorsus dicit. Vnde ergo hic fluuius potuit apparere præstantior? Hoc dicitur Euphrates habere singulare, quòd vt suis aquis terræ prosit, non dubitat sese in terra sepelire; nec expectat commune omnium fluuiorum sepulcrum, nempè mare; sed anteà quàm ad mare perueniat, iam prorsus apparet à terra voratum. Id quod pulchrè celebrat Claudius Marius, aiens:

Claud. Mar.

Iustior Euphrates, diti qui gurgite largus
Irrigat arentes subiectæ Persidis agros,
Mollibus elicitus riuis, atque omnibus æquè
Seruit, & humanos totum se præbet in vsus,
Donec siccus aquis, nomen quoque prodigus ipsum
Consummat terris, pelagi quod debuit vndis.

Quid pulchrius? Quid de fluuij præstantia excellẽtius? Sic totum sese præbet in vsus humanos, sic cupit omnibus prodesse, vt non timeat à terra absorberi, & ante tẽpus nomen amittere, nimirum ante maris ingressum. Dum huc peruenio, non possum non mirari aliquorum virorum præstantiam, qui se, nomenq; suum perdiderunt; vel ante tempus, vt plenius se præberent totos humanis vsibus. Et sanè vt fluminibus omnibus hoc factum est, quòd intrantes mare, ibi & aquas, & nomen amittant; sic hoc est statutum omnibus iustis, vt intrantes cælestem patriam, ibi propriũ nomen amittant, & de Iesu nomine appellationem accipiant. Id docet Hugo Card. cap. 2. Apoc. à nobis allatus. 1. tom. lib. 2. cap. 5. §. 4. Quid plura? Inde incipit radiare gloria S. Theresiæ Carmelitarum discalciatorũ fundatricis; hæc qua erat præstantia, non expectauit patriæ ingressum, sed & in terris consummat nomen suum sub nomine Iesu. Et vel ex hoc capite iustior, & præstantior multis. Sed huc ades, ò Parens amantissime Ignati, Societatis Iesu fundator notissimus, fluuius procul dubio egressus à paradiso ad irrigandã terram: tu verè omnibus æquè seruis; tu totũ te præbuisti in humanos vsus.

---- Nomen quoque prodigus ipsum
Consummat terris, pelagi quod debuit vndis.

Debuisti saltem sub nomine Iesu nomen amittere, saltem cùm intrares profundum cælestis gloriæ abyssum; at tua præstantia nihil sibi timuit in occultatione, imò in perditione nominis, sed magis ante gloriæ ingressũ amauit sic absorberi, sic abscondi, vt nihil nominis sui appareret, sed vna Iesu nominis gloria salutiferos expanderet radios suos. Sciebat equidem vir diuinus tunc præstantius apparitutum nomen suum, cùm sciuerit in terris abscõdi ob nomẽ diuinum. Nec illum fefellit sua opinio, imò quod ab illo absconditũ fuit nomen suum, mandatum posteà litteris, miracula facit innumera. Quid hoc præstantius? Vt Stephanum à Iesu discernat D. August. serm. 3. de illo ait: *Hoc enim sa-* August. *lubriter scitis, sanctum Stephanum feciße mirabilia in nomine Christi, nullum autem miraculum feciße Dominum Christum in nomine Stephani, vt discernatis seruum à Domino.* Quòd si in hoc discernitur Stephanus à Domino, quòd Dominus nullum fecit signum in nomine Stephani, non adeò facilè discerni poterit meus parens Ignatius à Iesu, quãdo Iesus medio Ignatij nomine, vt suæ virtutis instrumẽto, in dies efficit miracula innumera.

Matt. 13. Quẽ qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa, quæ habet, & emit agrum illum.

§. VIII.

Virginitas in terra virtus rara est, & à raris inuenta.

AGer emitur, & possidetur; de thesauro solũ dicitur, quòd ab homine inuẽtus fuit; est enim inter cœlestes virtutes aliqua virtus, nempè virginitas, quę vt pretiosa, sic rara est: non emitur, nec vẽditur in terris, sed à raris inuenitur. De Israelitis dona Deo offerentibus, ait Exod. 35. *Si quis habebat hyacinthũ, et purpurã, coccumq́ bis tinctum, byssum, & pilos caprarum, pelles arietũ rubricatas, & hyacinthinas, argenti, æriſq́ metalla obtulerũt Dño, lignaq́ Setim in varios vsus.* Exo. 35. Vbi ponuntur ligna Setim, sic ex Hæbræo, & apud Septuag. legimus: *Apud quẽ inuẽta sunt ligna imputribilia, obtulit Deo.* De auro, de argento, de purpura, & similibus locutus, solũ ait, si quis hæc habebat, obtulit; nec refugit existimare, quòd illa à multis haberi possent: vbi autẽ ad lignaimputribilia accedit, nõ dicit, quòd haberentur, sed quasi de raris ait, *apud quẽ inuenta sunt.* Nõ quidem ea est incorruptionis, & virginitatis virtus, quæ facilè habeatur, sed quæ ratò, & nõ nisi per diuinã sortem inueniri possit. Orig. hom. 13. in Exod. ait: *Benè valdè dixit, apud quẽ inuenta sunt ligna imputribilia; non enim apud omnes inueniuntur ligna imputribilia. De auro non dixit, neq́; de argẽto, apud quem inuentũ est; potest enim apud omnes inueniri sensus, et sermo. Ligna autem imputribilia, id est, incorruptionis, et virginitatis gratia, apud rarum quemq́; inueniri potest.* Origen. Non est laboris humani, sed muneris est diuini, quòd posit in carne corruptioni obnoxia, incorruptionis, & integritatis vena inueniri, hęc est sancta, & immaculata virginitas. Quod miraculum pulchro naturæ exemplo extollit Nazianz. in carmine, vbi ponit præcepta ad virgines, inquiens: Nazian.

Et tamen est fluuius, qui salsas permeet,
vndas,
Nec quicquam miscetur aquis aqua dulcis amaris.
At licet è pelago nautis haurire fluenta
Dulcia, si refluum ratis admoueatur ad amnem:

Quid rarius? Quid singulari? Millia sunt fluminũ, quæ ingrediũtur mare quotidiè, imò quæ absorbentur ab aquis marinis, & marinæ salsedini permixtę, in salsedinem abeunt, & amaritudinẽ. Nec Ganges, nec Nilus, nec alius ingẽs fluuius est, qui inter marinos non amarescat fluctus; quod tamen tot fluminibus negatur cãtatissimis, id, teste Nazianz. concẽditur fluuio cuidã penè ignoto, cuius vena dulcis hauritur inter ipsas põti amaritudines. Et dedit quidem Deus hoc miraculũ in mari, vt in terrena substantia ostenderetur posse simile inueniri, quando in carnis corruptione, ẽ qua tot manant corruptionum scaturigines, vna tamen prosilit vena incorruptionis, & integritatis virgineę. Non multorũ fluuiorũ illud est, nec nautis licet passim è quolibet flumine mare ingrediente, aquas dulces haurire; sed ab vno tantũ, eoq; singulari, & miraculo naturæ. Sic virginitatis gratia non passim cernitur, sed rara est, & ab vno, aut altero, eoq; præstantissimo potest inueniri. Cui apto illud Cãt. 6. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularũ non est numer⁹. Vna est columba mea, perfecta mea: vna est matri suæ, electa genitrici suæ.* Cant 6. Possunt aliarum virtutũ coronæ inueniri in pluribus; innumeri enim sunt, qui iugum Christi subeant, eiusq; penè inseparabiles laterones, per obedientiã, per præceptorũ obseruationes, per eleemosinas, & alia opera misericordiæ. Atqui virginea perfectione floreant, non multi sunt, rari sunt, vn⁹ est, & singularis. Psal. 61. *Iustus, vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Psal. 91. Legit Tertul. lib. de carn. resur. *Iustus florebit, vt phœnix, & sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Cur non magis dixit, & florebit, vt phœnix, & simul vt phœnix multiplicabitur? Sic Iob. c. 26. *In nidulo meo moriar, & sicut palma*: vel, vt alij legunt, *& sicut phœnix multiplicabo dies meos.* Iob. 29. Cur Dauid similiter non dixit. & iustus ficut phœnix multiplicabitur; sed vbi de multiplicatione iustorum agendum erat, cauit nominare phœnicem, & ad cedros Libanicos fugit? In phœnicis progenie agnouit virginitatis almæ candidatos, quæ virginitas, vt rara auis est in mundo, sic contẽtus eius ostentare flores, de illa tacuit, vbi multitudinem Sanctorũ incepit ponderare. Phœnicis pudicitiam virgineam sic extollit Ambr. in psal. 118. ser. 19. aiens: *Phœnix coitus corporeos ignorat, libidinis nescit illecebras, sed de suo surgit rogo sibi auis superstes.* Et meritò, Amb.

quæ

quæ de raritate commendatur auis, inde etiam cõmendatur, quòd sit virgo. Quod enim phœnix inter aues, hoc est virginitas inter virtutes.

§. IX.

Illa vera castitas, & pudicitia, quæ ob cœlestium amorem conseruatur.

QVi abscõditum in agro thesaurum inuenit homo, non statim illud rapit, sed magis abscondit; ait enim: *Quem qui inuenit homo, abscondit.* Non enim assumenda est vera, & perfecta pudicitia, nisi magis, ac magis abscõdatur, nõ solùm sub terrenæ fragilitatis abdito, sed & magis sub cœlestis amoris flãmis. Tunc equidem verè ostenditur cultæ virginitatis valor, cùm illam cœlestis amoris prætextu magis obducis, eiusque flammis cingis vndequaque: vt enim mũdialibus thesauris, non solùm terræ abscondita parabantur, quibus laterent, sed insuper flammantes dracones inibi accubantes, prorsus inaccessibiles reddebant thesauros, adeò vt non censeretur thesaurus, cui nõ flammans draco incubaret. Sic Christianæ pudicitiæ valor tunc apparet, cùm ad eius custodiam adduntur cœlestium amo
Nazian. ris flammæ. Id notat Nazianz. in præceptis ad virgines, fatus:

Sponte domant alij carnem, non cælite flamma
Incensi; quare nec virginitatis honore,
Nec titulo digna est talis cõpressio carnis

Non putes esse pudicitiæ valorem, vbi cœlestium amor non flammat; de cœlesti incendio virum cingente, & obducente, mirus nascitur pudicitiæ Christianæ valor.
Sap. 4. Sap. 4. *Quàm pulchra est casta generatio cũ charitate.* Expende illud, *cum charitate*: & puta illam cẽseri apud Deum castitatem, quam clarissimæ cingunt, & obducunt cœlestis amoris flammæ. Id quod insinuãs
Bernar. D. Bern. epist. 42. legit ibi: *Quam pulchra est casta generatio cum charitate.* Et quidẽ cœlestis charitatis flammæ & pretium, & valorem præbent generationi castæ thesauro virginitatis. Ad hæc Bern. ibi: *Quãtalibet venustate sui castitas eminere appareat, sine charitate tamen nec pretiũ habet, nec meritũ. Castitas sine charitate, lãpas est sine oleo. Subtrahe oleum, lampas non lucet. Tolle charitatẽ, lãpas non placet.* Tolle cœlestia incendia, quibus hominis animus rapitur, vt ad sublimia aspiret, & sine his nec virginitas honore, nec titulo digna est cõpressio carnis. Ait Cant. 3. *Ferculũ sibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureũ, media charitate constrauit.* Cum Libanus idem sit, quod dealbatio, insuper & incorruptionẽ in lignis præseferat, nullus est, qui per Libani ligna nõ intelligat castæ mentis puritatẽ; imò D. Nissen. hom. 7. in Cãt. ait: *Per has voces, quæcũq; ad opificium ferculi pertinent, Sacerdotes, et Doctores intelligantur, et venerandã virginitatem esse statuamus, quæ in ferculo, virtutum puritate, tãquam radijs, quibus pretiosorum lapidum fulgeat.* Sẽper in ferculi diuini opificio, veneranda debet intelligi virginitas, quæ mirẽ fulgens Deum excipit, & ornat decore suo. Quid tunc? *Media charitate constrauit*, & vt alij legunt: *Mediũ eius cõbustum, et ardens charitate.* Et meritò vbi virginitatis candor in opificiũ diuini ferculi assumitur, statim inibi charitatis flãmæ addũtur, quasi nequeat pretium habere virginitas, nisi sub his custodita flãmis. Gillib. Abb. ser. 19. in Cant. fatur: *Media, inquit, charitate. Benè media, quæ sic intima est. Vitalis quædã legis vena est, & reliquarũ charitas virtutũ. Cæteræ quasi in partẽ se cõtrahũt, illa omni cõmunis est gradui, siue mẽte excedas, siue sobrius sis, vbiq; charitatis & necessarius, et iucundus est vsus.* Parum, aut nihil æstimationis habent mũdissimæ virginitatis ligna incorruptibilia, nisi abscõdantur sub charitatis flãmis. Hinc Cant. 4. de sponsa sua Virgine, ait Dñs: *Hortus conclusus es, soror mea sponsa; hortus conclusus, fons signatus.* Nõ cuiuis horto, aut fonti illam comparat, sed notanter in eius cõparatione ponit hortũ illum, & fontem à Deo in primis conditũ; nec hunc ponit, cũ omnibus patebat animalibus, sed cùm per rõpheam flãmeã & clausus, & custoditus est. Et cur flãmanti custodia horti cõclusi meminit in cõmendatione virginitatis, nisi vt ostendat, quòd virginitas tũc honorem suum habet, cum clauditur sub flãmis charitatis. Ex quo Gillib. *Hortus cõ cluſus soror mea sponsa. Malè hortum, in quo positus erat, custodiuit Adam contra lubricum fraudulenti serpentis ingressum. Porta paradisi tui semper clausa sit, soli Principi pateat. Vnus sit aditus, & is commissus Cherubin. Nil admittatur non examinatũ priùs gladio flammeo, quod non approbet charitas. Hæc sit tibi custodia flammea.* Nullo magis illustratur virgineus hortus, ac pretium accipit, quam vbi clauditur sub flammanti cœlestium amore, & charitate.

§. X.

Virginitas Deo pretiosa nihil præter Deum in se admittit.

VT virgineus habeatur thesaurus, meritò terrena omnia bona venduntur; ait enim: *Vendidit omia sua, et cõparauit agrũ illum.* Quæ vera, & pretiosa Deo virginitas est, mũdialia omnia abijcit, & vendit, vt vnũ in se Deum possideat. Vox est illa animæ verè desponsatæ Deo, Psal. 4. *Signatum est lumẽ vultus tui super nos, Domine*: quasi non alius, sed vnus lucidissimus Dei vultus in virginea anima appareat sculptus; imò quæ verè virgo est, abiectis omnibus alijs, de hoc glorietur, quo vnum Dei præseferat vultum. Vnde Diu. Prosper. epist. ad Demetriadem, ait: *Dignum quippè est, vt imago Dei, Deo splendeat, et inde pulchra, inde sit compta, dicẽs: Signatũ est super nos lumen vultus tui, Domine. Alioquin adultera est, et â diuino aliena coniugio, si alterius cuiusquam decorẽ in speculo sui cordis ostentat, aut vllis alijs monilibꝰ acquiescit ornari, nisi illis, quæ de thesauris sponsi per sancti Spiritus pignus accepit.* In quo alius, præter Christum, appareat, non glorietur se castum habere cor; turpatur equidẽ virgineæ perfectionis puritas, vbi in te aliquid, quod â Christo alienum, & separatum sit, recipias: quisquis enim virgineum decorẽ obseruat, hoc curet, ne in se aliud ostendat, præter Christum. Ioannes ille & Christi fauore, & virginitate conspicuus, dum iuxta crucẽ staret, audit sibi cõmendatam Mariam. Quid tunc? Ioan. 19. *Et ex illa hora suscepit eam discipulus in sua.* Miraris, quòd Ioannes dicatur Mariam accepisse in sua; imò magis miraris, quòd Maria velit abire in bona Ioannis. Qualiter virgo Ioannes habebat adhuc bona sua? Et qualiter Virgo Maria amabat coniungi bonis Ioãnis? Nõne qui virgineũ thesaurũ inuenit, omnia sua debebat vendere? Cur ergo virgo Ioãnes habet adhuc bona sua? Sanè hæc bona Ioannis, in quæ intrat & Maria, non sunt alia, quàm bona Iesu; tantæ enim virgines nõ cum alijs, sed solũ cum Iesu bonis manere valent. Id quod ponderans D. Ambr. in exhort. ad virg. ait: *Quid est, accepit in sua, cùm reliquerit patrem, et matrem, et Christum secutus sit? Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana, & sæcularia nõ habẽbat, quia de mundo non erat? Quæ ergo habebat sua, nisi quæ â Christo acceperat? Neque enim Mater Iesu, nisi ad possessorẽ gratia demigraret, vbi Christus habebat habitaculum.* Nullo modo quiesceret virginitas, nisi vbi solus Christus apparebat; qui Deo pretiosam virginitatem colit, hoc sibi persuasum habeat, quòd nihil in se mundialium debet retinere, quòd in bonis suis vnũ, & solum Iesum debet numerare. Quã virgineam perfectionem in sua sponsa miratus Dñs, ait Cant. 1. *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.* Ad quæ verba fatur D. Bern. ser. 40. in Cant. *Cur verò sicut turturis? Pudica auicula est, et conuersatio eius non cũ multis, sed solo degere fertur contenta cõpari: ita vt si illũ amiserit, alterum non requirat, sed sola deinceps cõuersetur. Tu, inquã, si inardescis dare operam, quomodo animã tuam facias sponsam Dei, stude, vt imitator castissimæ volucris sedeas solitarius, quoniã lenasti te suprate. Sede itaq; solitarius, sicut turtur, nihil tibi, et turbis, nihil cum multitudine cæterorum, etiam ipsum obliuiscere populũ tuum, et domum patris tui, et concupiscet Rex decorẽ tuum. O sancta anima, sola esto, vt soli omniũ serues te ipsam, quẽ ex omnibus tibi elegisti.* Hæc sint notissima perfectæ virginitatis signa, quòd mundialia omnia abijciat, quòd vnũ in se curet habere Christũ, adeò vt cũ mundialiũ bonorum retentione nõ inueniatur vera, & perfecta virginitas. Stãs Dominus in cruce. Ioan. 19. dicit matri suæ: *Mulier, ecce filius tuus; deinde discipulo, ecce mater tua.* Et cur discipulus hic tãtę fit custos virginitatis? Cur tutelæ Ioannis creditur tanta Virgo? An quia & ipse virgo? An quia & ipse fugientibus cęteris, iuxta crucẽ perseuerabat? Longiùs repetendę sunt virtutes Ioãnis, quibus meruit, quòd fieret custos tantæ Virginis, & secũ haberet tã pretiosum thesaurũ. Et in primis notãda in illo expressior illa sanguinis, & carnis abrenũtiatio, qua incepit Christum sequi, de qua Mat. 4. *Relictis retibus, et patre, secuti sunt eum.* De nullis expressum est in euãgelio, quòd cũ bonis mũdi, insuper reliquerint patrẽ, nisi de filijs Zebedei, vt inde clareat virtus Ioãnis, qua electus fuit custos virginei thesauri. Sic Ambr. loc. cit. *Ideò illam Dñs de cruce discipulo suo dilectissimo sibi tradidit sancto Ioanni, qui dixit patri, & matri suæ, non noui vos. Denique vocatus â Christo, reliquit patrem, Verbum secutus. Huic traditur Virgo, qui suos nescìat: huic traditur Virgo, qui suos non cognouit, et filios suos non scinit.* Ille solus asseritur custos purissimæ Virginis, diuinissimi huius thesauri, qui nihil suũ habet, sed omnia vendidit, & patrem, & matrem, & vni

Christo

Psal. 4. Prosp. Ioan. 19 Amlr. Bernar. Matt. 4. Amlr. Ioan. 19

Christo eius viscera pateant. De virginibus asserebat Apocal. 14. *Hi sequuntur agnum, quocumque ierit.* Sed quò ibit agnus, vt sequatur virgines? Pulchrè D. Augustin. lib. de sancta virginitate, ait: *Quò, inquam, eum putamus ire, nisi de Christo in Christum, cum Christo post Christum, per Christum, propter Christum?* Sic nullus virginũ gressus aliò diuertit, quàm ad Christum. Augustin.

§. XI.

Alienum debet esse à vero virtutis amatore, quidquid potest libidini subiacere.

VBi sapiens homo virgineum inuenit thesaurum, eiusque nouit pretium, nihil priùs facit, quàm omnia, quæ habet, vendere, & â se alienare. Sed cur necessum fuit omnia vendi, & alienari, vt habeatur ille thesaurus? Sanè quæ ante pudicitiæ thesaurum habebat homo, omnia porerant subiacere libidini, & seruiebant voluptati, quare nõ mirum est, quòd hæc omnia vendantur, quando verus virtutis studiosus prorsus à se alienum debet facere, quod libidini subiacet. Cãtatissimus ille virtutum exemplar Ioseph. Gen. 39. dum pallij laciuiam à libidinosa fœminæ manu apprehensam vidit, pallium à se dimittit; ait enim textus: *Relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras.* Facilè poterat nobilis adolescens pallium à fœminea manu liberare, & secum ferre; cur maluit pallium relinquere? Diu. Augustin. serm. 83. de temp. *Reliquit tanquam non sua, quæ adultera manibus detinebat: et aliena iudicauit, quæ tactu impudico potuerunt comprehendi.* Meritò virtutis studiosus cauet inter sua reputare illa, quæ â lasciua manu tangi potuerunt; ex quo nouit aliquod suũ potuisse patere insultibus lasciuiæ, illud minimè suum censet, sed quasi &venditum, & à se alienatũ despicit. Huc spectabat Tertul. lib. de veland. virg. aiẽs: *Propter huiusmodi capita nundinatitia trahantur virgines sanctæ in Ecclesiã erubescentes, quòd cognoscantur in medio, pauentes, quòd detegantur accersitæ quasi ad stuprum.* Eo ipso, quòd virgines suam pulchritudinem lasciuis oculis aperiant, capita nundinatitia vocãtur à Tertulliano; vt enim res nundinis expositæ proximæ sunt venditioni, & alienationi, sic quidquid lasciuiæ expositum est, eo ipso à proprio domino & venditum, & alienatũ reputatur; quando ea sola sua recognoscit pudicus, quæ minimè lasciuiæ patent. Ex quo lucem capit obscurus valde locus Genes. 2. vbi Abimelech Rex intactam honestissimam Saram restituens marito, ait: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt, &c.* Cur sapiens Rex sic prouidit velamen, quo Saræ pulchritudo veletur, & obumbretur etiam dum est inter famulos? Illam à latere mariti in aulã adduxit, in domoque regia manere fecit, & coram se stare, nihil tunc cogitans de velamine, de operimento tantæ pulchritudinis; postea verò cùm illam marito restituit, statim prouidit velamen. Cur quod anteà non prouidit, modò tàm solicitè prouidit? Cùm primùm in domum suam addixit fœminã, eius pulchritudine captus, non velat pulchritudinem, quam à se posse coemi sperabat: at vbi nouit inexpugnabilem mulieris pulchritudinẽ, meritò iubet illam velari, vt quæ minimè vẽditioni, & alienationi pateat, sed inter Saræ bona æternùm habeatur. Non longè abfuit ab hac cogitatione D. Isidor. Hispalens. quæstion. in Gen. lib. 16. aiens: *Munera Saræ obtulit Rex Abimelech, plus in ea mirans formæ decus, quod amare potuit, & violare non potuit.* Et meritò nec vendenda, nec alienanda à tanta fœmina pulchritudo apparuit, quæ nullo impudico potuit pertingere conatu. Illa enim corporalia bona, vt propria habentur, & possidentur ab homine, quæ minimè lasciuiæ patent. Paul. 1. ad Thessalon. 4. ait: *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos â fornicatione, vt sciat vnusquisq; vas suum possidere in sanctificatione, et honore.* Expende, ad quid iubeat Apostolus fornicationem vitari, nimirũ, *vt sciat vnusquisq; vas suũ possidere, &c.* Quidquid enim lasciuiæ manet expositũ, minimè possidetur ab homine, sed quasi venditum, & alienatum apparet. Ait Diu. Anselm. ibi: *Ille possidere suum vas dicitur, qui in potestate sua suum corpus tenet, vt non seruiat mens desiderijs carnis.* Et quidẽ vt homo freno, & lupatis dominatur equorum, sic etiam dominatur omnium bonorum corporalium castitate. Cant. 1. sic ad sponsam Dominus fatus: *Equitatui meo in currib⁹ Pharaonis assimilaui te, amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.* Quid equus cum turture? Equo in primis assimilatur tota spõsa; deinde eius genę turturi; nec dum equum audis, rebelles aliquos appetitus intelligas, quando Propheta de

Gen. 39.

Augustin.

Tertull.

Isidor.

1. Thes. 4.

Anselm.

Cant. 1.

rebellibus appetitibus locutus, Hierem. 5. ait: *Equi in fœminas currentes facti*; addidit in genis similitudinem turturis, nimirùm symbolum castitatis; vt enim frænũ in maxillis positum equum reddit sub potestate, & arbitrio equitis, sic castitas est pro fræno, quæ belluinos appetitus in nostram redigit potestatem. Ad hæc Nissen. homil. 8. in Cant. *Non sunt maxillæ tuæ eiusmodi, vt sicut equus chamo, & fræno opus habeas, vt constringaris; sed per puritatem turturũ tibi ornatur gena, quod pro fræno fuerit diuini equi maxillæ turturis assimilatio.* Est equidem turturi similis castitas pro fræno, quo sub nostra potestate belluinos motus habeamus.

Hiere. 5.

Nissen.

§. XII.

Ingenui hominis nomen non habet, qui bona sua cum meretricibus consumit.

QVàm verè homo dicitur, & homo sapiens, & ingenuus ille, qui nouit omnia sua vendere pro pudicitiæ agro emendo: qui nulli rei parcit, vt castũ conseruet pectus, hic homo verus, & ingenuꝰ est. At qui non pro hoc cælesti pudicitiæ thesauro, sed voluptate habenda, omnia dissipat sua, vt meretricibus præbeat, hic non ingenuus, sed infamis, & stultissimus hominum est. Sapienter Chrysost. hom. 86. in Ioan. ait: *Qui meretricibus dat, ridiculus, & infamis est, et multos sibi inimicos parat, & breuem voluptatem, vel nullã potiùs. Quæcumque dat alienis mulieribus, ex his nulla gratia habebitur. Muliebre genus temerarium est, & inferno eius similatur cupiditas; tunc cessat, cùm omnibus rebus spoliauit amantem: imò nec tunc quidẽ, sed magis conuitiatur, & insultat iacenti.* Expende agnomina illa, quibus notatur iuuenis cum meretricibus prodigus, nimirùm, *ridiculus, & infamis est.* Vis nosse, quàm sit infamis? Propone tibi ob oculos cantatissimos Imperatores, & Duces ex omni natione, & infideli, & barbara; in his dum laudantur ab Oratoribus facinora, & sumptus facti liberalissimè pro republica, pro ciuibus: æterno teguntur silentio sumptus facti pro meretricibus. Quis Imperator, vel Deus effictus fuit à nationibus, qui ob meretricios sumptus laudes sibi conquireret, & non magis æternam infamiam, vt non magis ingenuus homo, sed & de ridiculis belluis nomen capiat? Effingebatur maximus Deorum à nationibus Iupiter, & simul lasciuus adeò dicebatur, vt donis, & muneribus puellarum amores sollicitaret. Quid tunc? Ecce maximus Deus vacuatis thesauris, ipse se se in aurum conuertens, non de nubibus tonat, sed de puluere, & tegularum fracminum pluuias effingit aureas; iam taurus effectus prosilit in arenam, iam cignus factus morti sanè vicinum assumit cantũ. Hęc sunt meretricia fœdera, quę nec Deũ nec hominem ostendant, sed infamem sũrem, sed ridiculas belluas faciant. Sapienter de hoc Arnobius aiebat contra Gentes, lib. 4. *Potest vlla grauior contumelia Ioui vestro infligi, aut quidquam est aliud, quod labefactet, ac destruat Deorum Principis auctoritatem, quàm quòd eum creditis voluptatibus aliquando libidinosis victũ, & in fœmineos appetitus inflammati pectoris incaluisse feruore? O egregia merces culpæ, ô digna, & pretiosa dulcedo, propter quã Iupiter maximus cignus fieret, & taurus.* Quid magis infame Imperatori, & Deo, & homini? Quid magis ridiculum, quàm regiam, imò diuinam magnificentiam ostentare in ditandis meretricibus, ob quas cogaris mugire vt taurus, vel vt cignus mortis socium edere cantum? Hæc libentior adduxi, vt apertiùs tradam sensum Spiritus sancti in Prouerb. cap. 7. Ait ibi de adolescenti meretricum amore capto. *Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur, velut si auis festinet ad laqueum, &c.* Quę verba sic profero ex lectione Caietani: *Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & tanquam tintinabulum ad castigationem stulti, velut si auis festinet ad laqueum.* Ecce tibi, qualis eat adolescens, dũ patrimonium dissipat cum meretricibus, quasi bos, quasi tintinabulum stultorum, quasi auis, &c. Sed cui boui assimilatur? Ait: *quasi bos ductus ad victimam*: ducebatur equidem bos ad victimam auratis cornibus, in illisque mille coronæ floridæ, mille munera alia posita, quæ simul cum occiso boue cadebant ante aras. Sic miser adolescens dum munera aurea portat meretrici, bouinam æmulatur stoliditatem, simul enim & munera perdit, & vitã corporis, & animæ. Nec malè in laniena tanti bouis additur tintinabulum, quòd lugubrem exitum publicet miserabilis, sed ait, *tãquã tintinabulum in castigationem stulti*; quod potiùs refero ad stolidi cuiusdã male-

Chrysost.

Arnob.

Prou. 7.

lefactoris ſupplicium: ſolemne enim iudicibus eſt, vbi aliquis ſtolidus, & penè amens homuntio ſcelus aliquod perpetrauit, vt in illo ſimile nefas caueatur, ex ferreo collari erigere ſupra caput ferreã virgam, à qua pendeat tintinabulum. Quid tunc? Ad tintinabuli ſonitum ſeſe puerorum effundunt turbæ, inter quas dum ipſe lætans caput mouet, ſimul edito ſono, & caſtigationẽ, & delictũ ſuum publicat. Sic ſolidiſsimus iuuenum meretritius totus factus, in conuentu ſimilium, dum munera exhibita oſtentat, dum ſuam magnificentiam, vel prodigalitatem garrit, nil aliud eſt, quàm tintinabulum ſuæ caſtigationis, & ſtultitiæ. Miſer bos victimæ eſt, dum offert tintinabulum, dum oſtentat oblata, & *velut auis feſtinat ad laqueũ*. Miraris, quòd aui comparetur bouina tarditas laſciuientium iuuenum? Sed comparatur aui capiẽdæ iam iam; imò vt expreſſius quid dicam, comparatur aui cigno, qui cùm dulcê canit, ſe vicinum morti proteſtatur. Sic omnes laſciui luxus, & cantus mortem iam iam inſtãtem halant. Liceat modò cum Arnobio exclamare: O pretioſa dulcedo, propter quam Iupiter maximus, imô nobilis quiſquis iuuenis cignus fit, & taurus! Sed cur vni ſapienti iuueni tot proponuntur mortes? Mors illi proponitur, vt boui cadenti in victimã; inſuper & alia mors proponitur, vt aui ad laqueum feſtinanti, vel vt canenti cigno: quid neceſſum fuit illi ſic mortes duplicari? Cur non ſufficit mors bouis, ſed inſuper additur mors auis? An quia donis meretrices implens, duplicem ſibi & animæ,
Chryſoſ. & corporis mortẽ acquirit? Ait D. Chryſoſtom. homil. 18. in Matth. inquiens: *Audiant illi, qui propria meretricibus largiuntur, duplicem ſibi accendentes ignem, & de iniquis certê fructibus, & de perniciоſis ſumptibus puniendi*. Heu miſer bos, heu hominum ſtultiſsimus, infamiſsimus! & non homo, ſed cignus, ſed taurus, qui dum bona tua diſsipas cum meretricibus, duplicem mortem aſciſcis, duplicem incendis rogum, quo æternos torrearis in dies. Quid hac ſtultitia miſerius? Quid hac miſeria infœlicius? De meretricibus adhuc facundè ſatis Chryſoſtom. homil.
Chryſoſ. 14. ad populum: *Hæc omnia faciunt, et negotiantur ad hoc, vt ſectãtes & ignominiæ, et paupertatis extremis malis incidant. Et quemadmodum venatores, retibus extenſis, ſylueſtria animalia immittere dicuntur, vt ipſa iugulent, ita & hæ poſtquam laſciuiæ alas vndique extenderint, per oculos, et habitus, et verba, poſtea ſuos inijciunt amatores, et alligant, non priùs abſtinentes, quàm & ipſorum cruorem ebiberint, inſultantes poſtmodum, et ipſorum ſtultitiam carpentes, et multum de ipſis riſum fundentes: neque enim iam miſericordia dignus eſt huiuſmodi, ſed derideri, et morderi*. Hæc ille.

§. XIII.

Qui aliquid ex Deo meretur accipere, teneat illud, quaſi certus, quòd inde perueniat ad totum Deum habendum.

THeſaurum in agro inuenit, & quaſi oblitus theſauri, hoc curat homo prudens, vt emat omnibus ſuis bonis datum agrum illum: cur non magis venditis omnibus, theſaurum vocat in nundinas? Cur ſolum agrum inquirit? Certus eſt homo prudens, quòd ſi vel agrum ſemel ex Deo accipiat, ſtatim & cœleſtem theſaurum, imò & totum Deum accipiet. Pſal. *Pſal 30.*
30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Perfeciſti eis, qui ſperant in te in conſpectu filiorum hominum. Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ â conturbatione hominum*. Expende aſcenſum: perfecit Dominus dulcedinẽ timentibus ſe in conſpectu hominum: quid tunc? An accepta illa dulcedine timentes Dominum quieuerũt? An illa ſola donati permãſerunt? Abſit; imô ex quo in conſpectu hominum Dei dulcedinem guſtauerant, nõ quieuerunt, vſque ad ipſum Deum accederent, in eiuſq; facie inuenirent locum. Ait Auguſt. ibi: *Auguſt.*
Qualis eſt locus iſte? Non dixit, abſcõde eos in paradiſo: non dixit, abſconde eos in ſinu Abrahæ. Multis enim fidelibus loca futura, in ſcripturis ſanctis poſita ſunt. Vileſcat totum, quidquid præter Deum eſt: qui nos tuetur in loco vitæ huius, ipſe poſt iſtam vitam fit locus noſter. Ex quo Deus tutelam nobis præſtitit in hac vita, iam non ſufficit, quòd alia ſua præſtet bona, niſi & ſe ipſum totum præſtiterit. Vileſcit quicquid præter Deum eſt, apud illum, qui aliquid ſemel ex Deo accepit; qui ex accepto Dei bono, iam quaſi ſecurus eſt, quòd Deum ipſum habebit. Hinc ſponſa, Canticor. *Cant. 1.*
1. *Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis*

optimis. Vel Dei labra amat pertingere bona Dei amatrix; & cauſam deſiderij ſui oſtendit eſſe, quòd mille bonis manent ſponſi vbera. Sed quid intereſt, ò bona, quòd ſponſi pectus plenum ſit bonis, ſi tu ſola labra petis, & ſola labra permitteris attingere? Nouit ſanè, quòd ſi vel paruum aliquid ex Deo accipiat, & totum Deum ſatim accipiet; is enim eſt Deus, qui vbi aliquid ſui dat, & ſtatim tradit totum ſe ipſum. Ad hęc Diu. Ambroſ. lib. de Iſaac, & anima, cap. 3. inquit: *Illa oſculum poſcit, Deus Verbum ſe ei totum infundit, & nudauit ei vbera ſua.* Nullo creato termino claudi poſſunt munera diuina; vbi aliquod munus præſtat Deus, neſcit ibi ſiſtere, ſed ſtatim feſtinat totum ſe infundere, & præſtare ſe ipſum. Actor. 1. dicitur: *Et conueſcens præcepit eis, ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis, inquit, per os meum: quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizamini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies.* Et conueſcitur, & plenitudinē Spiritus ſancti poſtmodum immittendam promittit. Et quid conuiuium illud habebat cōnexum cum tanta Dei plenitudine? Exhibebatur equidem in illo conuiuio Chriſti caro, & ex quo fideles habuerūt aliquid Chriſti, vix poterant non accipere totam Dei plenitudinem. Aiebat Guillelmus apud Tilmannum, in allegor. *Effudit enim de ſpiritu ſuo ſuper omnem carnem, poſtquam remeauit ad Patrem, neſcio an carne, an ſpiritu magis prodigus, vt quos caro ſaturauerat, ſpiritus inebriaret.* Iam caro Chriſti accepta in conuiuio, pignus erat totius effundendi Spiritus diuini. Neſcit enim nec vmbra Dei ad nos venire, quin conſequenter totum Deum venturum inferat. Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, et ſimilitudinem noſtram.* Vel vt aliqui ex Hæbræo legunt: *ad vmbram noſtram.* Ex quo ſapienter D. Ambr. aduentum Dei in carnem educit: quippè ait lib. 3. in Luc. *Creatus præceſſit in figura, vt natus in veritate præcederet, ad imaginē Dei factus præiuit, propter quam Dei imago deſcenderet.* Quaſi teneretur iam Deus venire ad eum, cui vel ſuam vmbram commiſit. Huc refero dicta tom. 3. lib. 14. cap. 10. §. 31. & infra, cap. 15. §. 27.

Amb. r.

Act. 1.

Guillel.

Ambr.

Matth. 13. Iterùm ſimile eſt regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretioſa margarita, abijt, & vēdidit omnia, quæ habuit, & emit eam.

§. XIIII.

Neſcit Deus ſiſtere in donis exhibendis, ſed ſemper de præſtantiori alio exhibendo cogitat.

AGrum theſauro abſcondito diuitem parauerat Dominus homini ſuo; & quidem ibi ſiſtere poſſet, videns tantum agrum emptum ab homine, ad eius peruenisſe poſſeſsionē. Sed neſcit quieſcere diuina munificētia, nec contēta eſt, quòd ditiſsimum illum agrum dederit homini, aliud quid denuò excogitat, & ſummum margaritarum pretium prępparat eidem homini. Nonne homo agrum emiſti theſauro diuitem: cur in tanto agro non quieſcis? Quis te facit denuò margaritarū negotiatorem? Nō implet donatoris Dei deſiderium totus ille ager, ſed inſuper dilecto ſuo inæſtimabiles margaritas poſsidendas proponit. Vide diuinam munificentiam erga hominem. Gen. 1. ait Dominus: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, et volatilibus cœli, et beſtijs vniuerſæ terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.* Sic homini conceditur dominium vniuerſi orbis, & poſt tam magnificam Dei erga hominem largitatem, inſuper addit, cap. 2. *Plantauerat autem Dominus paradiſum voluptatis â principio, in quo poſuit hominem.* Proh Dei immenſam largitatem! poſt conceſſum vniuerſum orbem homini ſuo, adhuc cogitat nouum paradiſum, deliciarum hortum, quem inſuper tradat homini. Pulchrè ad hæc ait D. Baſil. Seleuc. orat. 2. *Non eſt contentus prioribus, neque rebus dilargiatis ſua dona circumſcribit, neque donatoris deſiderium vniuerſa terra, nec conceſſum mare ſatiauit, ſed extructum manu ſua paradiſum delicioſam ſedem dilecto conceſsit.* Non potuit diuinū largiendi deſiderium conceſſo toto orbe ſatia-

Gen. 1.

Gen. 2.

Baſil.

satiari, & ideò nouam aliquam, & præstantissimam paradisi sedem excogitauit, ad quam etiam hominem suum perduceret. Hæc est profectò Dei natura, quæ semper præstantius aliud cogitat, vt præstet creaturis suis. Hinc iurisperitus, Luc. 10. accedens ad Iesum, ait: *Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo?* Neq; facile est inuenire, vnde hic incidit in cogitationē æternæ vitę: carnalissimi tunc Iudæi erant, & nisi carnalia bona, & temporalia vix alia esse credebant, totos se addicentes huius vitæ bonis, parum, aut nihil curantes de illis, quæ post mortem futura sunt. Vnde ergo opinionem concepit, æternam vitam posse post mortem obuenire hominibus? Nouerat iam mortuos aliquos à Iesu suscitatos; & vbi notum fuit illi, quòd Deus etiam post mortem redonabat hanc vitam hominibus, statim sibi persuasit fore, vt Deus prouideret homini suo æternam vitam, quādo is est Deus, qui nesciat sistere in vno, aut alio dono, sed semper de præstando alio sublimiori apparet sollicitus. Ait Tertull. lib. 4. in Mat. inquiens: *Quia mortui iam suscitabantur à Christo, exsuscitatur ad spem æternæ vitæ per exempla recidiuæ, sublimior spe, idcircò consuluit de æternæ vitæ consecutione.* Nouerat legis peritus eam esse Dei naturam, quæ nesciat satiari semel datis beneficijs, sed ad maiora, & præstantiora festinet; ideò ex data à Deo mortuis tēporali vita, sublimior spe audet sperare à Deo omnium præstantissimam, nempè æternam vitam. Notissima est Abrahami cum Deo pro Sodomis expostulatio, Genes. 18. qui timidus illorum impunitatem ptopter quinquaginta iustos petebat; hāc acceptā gratiam ex Deo expertus iam audet, & ait: *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum. Quid si ibi fuerint viginti?* Acceperat cōdonationem Sodomorum, dūmodo in illis essent quinquaginta iusti; imò dum essent quadraginta; imò triginta; imò viginti quinque: & adhuc aliquid maius petere audet. Cur post tantas concessiones, ad maiora audes, ô bone? Ipse ait, nimirū, *quia semel cœpi*; ex quo à Deo cœpit petere, & accipere, sapienter nequit in nullo accepto dono quiescere, sed ad maiora pergit postulanda: vt enim Deus post data dona, numquam cessare solet maiora cogitare, sic gaudet illis postulatis, quæ semper sperant maxima. Ait Lippom. *Patitur Deus humano more secum loquentes, dum sibi tamen omnium maximè, & de maximis confidamus.* Numquam est Deo molestus esse, qui non quiescit in acceptis donis, dummodo postulet maxima, quandoquidem Deus ipse vbi aliquod dat donum, sese ad maiora accingit præstanda. Ait Richard. Victor. lib. 1. de incar. nat. part. 1. cap. 12. *Beneficentia inchoata parat nobis fiduciam præsumendi maiora. Salutem inchoatam speramus perficiendam.* Huc traho dicta tom. 2. lib. 6. cap. 3. §. 16. & 25.

§. XV.

A regno cœlorum ille omnium alienissimus est, qui aliorum offensam, & peccata negotiatur.

NEgotiatori homini assimilatur regnum cælorū, sed illi negotiatori, qui bonas margaritas negotiatur; qui enim non bonas margaritas, sed pessimas aliorum actiones negotiatur, is vel à regni cælorum vmbra omniū alieniſsimus est. Ezech. 28. dicit Dominus præstantissimo Angelorum: *Tu Cherub extensus, & protegens, posui te in monte sancto Dei in medio lapidum ignitorum ambulasti. Perfectus in vijs tuis, donec inuenta est iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti; eieci te de monte sancto Dei & perdidi te, &c.* Quæ verba (prętermissis primis) sic leguntur apud Tertullianum: *Fuisti in nituperabilis in diebus tuis, ex qua die conditus es, donec inuentæ sunt læsuræ tuæ, de multitudine negotiationis tuæ: promas tuas deplesti, et deliquisti, eieci te, &c.* Expēde, ex quo die cælestia non sustinuerunt Angelum præstantissimum, sed à se expulere; nimirūm, ex quo negotiationis eius læsuræ apparuerunt; hoc est, ex quo cœpit non virtutum ornatum, sed læsuras, sed peccata & in Angelis, & in hominibus negotiari. Quippè ait Tertul. lib. 2. in Mar. *Ex quo apparuerunt læsuræ tuæ, quibus scilicet læsit hominem electum à Dei obsequio; et ex illo deliquit, ex quo delictum seminauit: atque ita exinde negotiationis malitiæ suæ multitudinem exercuit delictorum scilicet, et censum.* Duo tempora sunt considerandā in illo Angelorum maximo: primò, ipse elatus in superbiam labitur, deinde malitiam suam, & Angelis, & hominibus decernit persuadere, illosque omnes in sui sequelam trahere. Dum autem ipse

in se

in se solũ superbiens consideratur, minimè in illo priori intelligitur à cælo eiectus; vbi autem consideratur & Angelorum, & hominum voluntates negotians, vniuersos vendens sub peccato, statim negotationis nefarię censum capit, nimirũ, exturbationem à cælestibus. Ex quo seminauit delicta simul, & malitiæ negotiationẽ exercuit, & negotationis cæpit cẽsum à cælestibus funditùs eiectus. Heu quàm longè amandabitur à cælo, qui hanc nefariam negotiationem exercet; multos noui ego similes negotiatores, impudentissimos iuuenes, qui instar mercatorum, societates erigant, non quidem vt aliæ merces tractentur, quàm peccata, turpitudines, delictorum iactationes, & de horũ facinorum credito, multos in societatem alliciunt, & sui sequelam. Hi plus distant, quàm terra à cælo? Facilius credam reptantes vermiculos cum stellis posse comparari, quàm illos posse videri inter cælestia. Ad perditissimam vrbem Niniue ait Naum, cap. 3. *Ibi comedet te ignis, peribis gladio, deuorabit te bruchus. Congregare, vt bruchus. Multiplicare, vt locusta. Plures fecisti negotiationes tuas, quã stellæ sunt cæli.* Expende miseræ vrbis ruinam ab igne, à gladio, à brucho; non solùm à flamma consumetur, vt Sodoma; nec solùm à gladio, vt Iericho; nec solùm à brucho, vt aliæ multæ prouinciæ; sed & flamma, & gladius, & bruchus simul in illam insurgent. Et quæ tantæ ruinæ causa? Iam explicat sic ciuitatis conuentus ironicè conuocans: *Congregare, vt bruchus; multiplicare, vt locusta. Plures fecisti negotiationes tuas, quàm stellæ sunt cæli.* Vt bruchus, & locustæ turmatim insurgunt, omnia vorant, omnia vastant, nihil viride, nihil floridum, nihil fructuosum non perdunt; sic in misera ciuitate colligationes perditorũ iuuenum erant, omnia perdentes, & vastantes, eò respicientes, vt virtutum perditionem, & vitiorum sectatores negotiarentur, quo à cælestibus, plus quàm vermis à stellis, elongarentur. Rupert. ibi ait: *Verè plures fecisti negotiationes tuas, negotiationes carnis, negotiando negotiatione infœlici; vnde congregareris, vt bruchus, multiplicareris, vt locusta, cuius videlicet bruchi, siue locustæ exiguitas non minimùm à stellarum cæli dignitate distat.* Infœlix sanè negotiatio ista, qua malitiæ tuæ sectatores quæris, vt facta multorum colligatione, velut bruchus; aut locusta, perdatis cuncta, & non minùs à cælo distetis, quã distat ab stellis bruchus. Numquam, mihi crede, effugiet supplicium, qui in alijs negotiatur, vt se dedant vitijs. Daturus Moyses aquam ex petra, ait Num. 20. *Audite rebelles, et incredduli, num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere?* Quid tunc? *Dixit Dominus ad Moysen, et Aarõ: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, &c.* Ecce prorsus excluduntur Moyses, & Aaron ab ingressu terræ promissa: & cur modò sic excludũtur? Non nè & aliàs peccauerãt sine tanto supplicio? Cur modò irreuocabiliter excluduntur? Modò non solùm ipsi peccãt, sed publicantes delictum suũ coram toto populo, populum accipiunt in societatẽ criminis, & incredulitatis suæ, quo non permittuntur in terram promissam introire. Sapienter D. Chrysost. serm. contra concubinarios, ait: *Nihil aliud potuit Moysen propositis præmijs priuare, quàm solũ illud, quod apud aquas contigit: quod natura quidem minus erat, sed quia cum damno aliorum fiebat, maius iudicatũ est. Et reprehendens Deus hoc insinuabat, dicens: Quia non sanctificastis me coram filijs Israel, peccati eorum naturã detegens, et inde factũ, quòd veniam non mereatur, declarans. Si autem talem virum hoc fecit impingere, nos vermiculos quomodo non destruet, et perdet?* Sanè ab ingressu cæli longissime abest, qui peccatorum suorum socios negotiatur, & citissimam sibi perditionem affert. Oseas cap. 13. *Loquente Ephraim, horror inuasit Israel, et deliquit in Baal, et mortuus est.* Locutus fuit Ephraim de idolis adorãdis, quãdo Ieroboam vitulos aureos extulit, & Israel timore, & horrore ductus sese iunxit Ieroboamo: quid tunc? Qualem censum, quale lucrum de tanta negotiatione reportauit? *Et mortuus est.* D. Hieron. ibi: *Morietur cum populo, quem seduxit.* Hinc est census illorum, qui defectionem à Deo negotiantur.

Naum. 3

Rupert.

Num. 20

Chrysos.

Ose. 13

Hieron.

§. XVI.

Nulla est contraria potestas, nullæ latebræ, quæ impossibilem faciant Dei inuentionem.

INuenitur tandẽ à negotiatore vna pretiosa margarita; nulla enim vis contraria facere potest, quòd à quærente non inueniatur Dominus. Nil magis curauit dæmon, quã omnem additum occludere homi-

hominibus, ne possint vmquàm inuenire Iesum: inde est, quòd hominem aliquando nactus, illum & viuum sepelit, vt dum in regione vmbræ mortis degit, nullus appareat aditus inueniendi vitã. Quid tunc? Accipe Lucam cap. 8. fantem: *Et cũ egressus esset Iesus ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium, iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis, &c.* Miserum hominem tenebat dæmon extra domũ, & nudum, & in monumentis inclusum; & tamen è monumentis egreditur, vt Iesu occurrat. Quid agis, dæmon, cur sic permittis captiuum tuum liberatori occurrere? Cur non magis abscondis, imò sepelis illum? Cur non catenas adhibes fortiores, quibus hæreat in monumentis constrictus, nec exiens inde liberatorem suum inueniat? Sanè ea erat cura diaboli, huc spectabat totum eius studium, vt sic homo clauderetur mortis tenebris, ne vmquam posset inuenire Dei lucem. Sed non potest id dæmon efficere; nulla enim est contraria potestas, quæ sic valeat hominẽ impedire, ne inueniat suæ authorem salutis. Ait Diu. Basil. Seleuc. orat. 23. *Tantis enim malis dæmon cùm â se obsessum implicuisset, Domini congressu prohibere non valuit. Atque hæc prima ipsi prouidentiæ ratio.* Hoc equidem maximè curant dæmones, sic homines implicare malis, & opprimere tenebris, vt minimè possint ad Deum accedere; sed vanum, & inane dæmonum studium istud est, quando nequit fieri, quòd Deus prorsus abscondatur homini suo, præcipuè quærenti. Huc refero etiam illud Marci, cap. 7. aientis: *Inde surgens Iesus abijt in fines Tyri, & Sidonis: et ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.* Si Iesus voluit non sciri, quomodo non potuit latere? Nonne omnia, quæ voluit, fecit, & in cælo, & in terra? Sanè cùm nesciri volebat, id volebat, non applicando omnem suam absolutam potentiam, sed solũ applicando quædam impedimenta, nimirùm secretum domus, discipulorum suorum silentium, domesticorum dissimulationem; sed per vim humanorum impedimentorum non potuit occultari, non potuit non inueniri virtus illa diuina â se quærentibus. D. August. quæst. 77. ex nouo testam. ait: *Noluit se prodi, quòd esset in domo; inquiri autem se non noluit. Sic factũ est, vt cũ Saluator à discipulis proditus non esset, ab ijs tamen proditus est; & cæpit sciri, quòd esset in domo, vt intrarent ad illũ, qui vellent consequi beneficia.* Et quidem quæcumque impedimenta adhiberet, ne proderetur, dum non vetabat sui inquisitionem, sed permittebat inquiri; non poterat non inueniri Dominus, quando ipse clamabat. *Quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Matth. 7.

Luc. 8.

Basil.

Marc. 7.

August.

§. XVII.

Non habetur margarita cælestis sine magnis laborum impensis.

EMit bonus negotiator margaritam, non accipit; nec enim cœlestis margarita datur, sed vẽditur; & venditur, nõ paruis laborum impensis. Nequissimus ille tentator omnia mundi regna, & gloriã eorum ostendens Iesu, Luc. 4. ait illi: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.* Expẽde promissum, *tibi dabo*, ait, sed quo modo promittit, quod non potest? Ait Ioan. 1. epist. 5. *Non est potestas, nisi à Deo.* Si Deus est, qui dat potestates, quomodo malus audet dicere: *Hæc omnia tibi dabo?* Aut si malus potestates dat, quomodo dicitur, *non est potestas, nisi à Deo?* In quo differunt & Deus, & diabolus in potestatibus dandis? Præclaram differentiam assignat D. Ambros. lib. 4. in Lucam, fatus: *A Deo potestatum ordinatio est, à malo ambitio potestatis. Non est, inquit, potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo, ordinatæ sunt; non datæ, sed ordinatæ.* Dei dona hoc habent singulare, quòd non prorsus data sunt, sed ordinem, & respectum habent ad operum, & laborũ impensas, adeò vt nullus sit, qui non debeat multa impendere, vt cælestem margaritam, vel consequi, vel habeat. Vnde petẽtibus Apostolis primas sedes in regno Christi, ipse respõdit, Matth. 20. *Non est meum dare vobis*: quasi à se prorsus alienum putans morem, & consuetudinem dandi: sed quis credat à Deo alienum morem dandi beneficia, nisi qui sciuerit dona diuina multas semper operum, & laborum impensas postulare? Sapienter ad hæc Cæsarius Nazianzeni frater, dialog. 3. ait: *Non est meum dare: at neque Patris mei simpliciter petentibus; si quidem obscuri, & adulteri, & quiuis flagitiosus, & intemperans si petant, mecum sessuri essent. Non est nostrum dare temerè, & deprauare, quod iustum est; iusti enim iudicis est, vnicuique pro dignitate meriti tribuere,*

Luc. 4.

Ioan. 1.

Ambr.

Matt. 20

Nazian.

luere, non negligere laborantes, ac ignauis aliquid largiri. Proinde, si thronos amatis, nolite ignorare certamina, &c. Non sic expectare debemus, quòd Deus det regnum suum nobis nihil facientibus; hic enim modus dandi regnum prorsus à Deo alienus est, & nobis minùs gloriosus; quando quidem pretium, & æstimatio coronæ maximè crescit, & certaminibus, & laboribus, quibus comparatur. Ait enim Diu. Irinæus, lib. 4. cap. 72. *Pretiosam coronam arbitremur, quæ per agonem nobis acquiritur, sed non vltrò coalitam. Et quantò per agonem nobis aduenit, tantò est pretiosior.* Hæc ille.

Irin.

CAPVT VII.

De sagena missa in mare.

Luc. 6.

QVIS Non metuat, dum hãc sagenæ examinat parabolã? Non equidem sufficit intra Christi Ecclesiam contineri, nisi ibi sobriè, & castè viuamus, quãdo sub eadem sagena à sapientissimis piscatoribus, & pisces trahuntur, qui minimè sint reponendi in vasa. Non equidem sagena, non Ecclesia, non fides, sed vltima morum qualitas in vltimo examine apparens aut reiectitios, aut electos homines designabit.

Matth. 13. Iterùm simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregatæ.

§. I.

Ab aquis quid faustum nascitur hominibus.

REgnum cœlorum sagenæ missæ in mare assimilatur, vt aliquid ex aquis salutare præsagiat hominibus, quando aquæ quid faustum soleant semper hominũ generi ominari. Genesis. 1. *Dixit autẽ Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram, sub firmamento cœli: Creauitque Deus cete grãdia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundùm genus suũ. Et vidit Deus, quòd esset bonum. Benedixitque eis, &c.* Nondum auditum fuerat verbum benedictionis diuinæ vsque nũc: radiarat iam cœlum luminibus; terra floribus, & fructibus apparuerat ornata: sed nec cœlum, nec terra benedictionem diuinã in se ostẽdunt. Ventum est ad aquas, & vix apparet fœcunditas aquarũ, & ecce ait, *Benedixitque eis*; ostendentibus iam aquis benedictionem in primis venturam illis, qui ex aquis erant regenerandi. Id quod notans Diu. Anastas. Sinaita, lib. 7. Exam. ait: *Videas, quæ ex aquis orta sunt animalia præripuisse eam, quæ â Deo datur, benedictionem.* Fœlices vos, qui regeneramini ex aquis, proculdubio cœlestem præripitis benedictionem, qua in salutẽ crescatis; nullum enim minus ab aquis potestis educere præsagium. Notissima est Esau, & Iacob historia; imò & illorũ contentio pro obtinenda benedictione patris; promittitur benedictio Esau, cui ordine natiuitatis debebatur; sed nihilominùs de matris astu Iacob præripit benedictionem fratri, & primò de cœlesti rore, terræque prouentu benedictus apparuit. Cur Iacob primus benedictionem inuenit? Rem pulchrè tractat D. Anastasius Sinaita lib. 7. Exam. fatus: *Quomodo Iacob præripuit benedictionem Esau? Quoniam alter quidem erat venator, & tamquam è terra ortum habebat, & generationem, & vitam, quam degebat simul cum feris in agro, & cum reptilibus, vnde etiam Edem, hoc est, rufus, fuit Esau cognominatus: Iacob autem, qui simul cum benedictione eius rapuit primogenituram, euolauit in aquarum Messopotamiã, vnde etiam accepit Rachel; Rachel autem etiã dicitur domus Dei, &c.* Quando Iacob de fontibus Messopotamiæ, de Sichem fonte pulcherrimam Rachel spectabat, nil mirũ, quòd primus ad benedictionem patris properaret; nihil enim priùs quã cœlestem benedictionem propinant hominibus fontes aquarum. Hinc est, quòd Deus adhuc puer, adhuc sub primis vagitibus, sub primis lachrimis infantiæ in Ægyptum contendit: quò spectans Isaias, cap. 19. ait: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur in Ægyptum.* In nube irroratio, & pluuia aquarum cernitur: & cur Dominus festinat ostendere Ægyptijs virgineæ nubis primum illum infantiæ rorem, primam pluuiam lachrimarũ? Vt dum aquas propinat,

Anast. Sinait.

Gen. 1.

Isai 19.

pinat, ſimul vitale illis oſtendat præſagiũ, qui in rubro mari extremam paſsi fuerant
Imperf. tempeſtatem. Imperfect. hom. 2. in Mat. ait: *Vt iam non irent ad mare rubrum demergendi, ſed vocarentur ad aquas baptiſmatis viuificandi. Vt impleatur, quod dictũ eſt: Ecce Dominus deſcendit in Ægyptum, ſedens ſuper nubem leuem, &c.* Ægrè tulerat Dominus, quòd aquæ eſſent vlli hominum generi infauſtæ, & quando Ægyptij luctus fuerat ex aquis, feſtinat primas ſuæ infantiæ lachrimulas Ægyptijs dedicare, vt iam non mortem, ſed vitam diſcant ab aquis ſperare. Diſcipulis etiam poſtremã
Luc. 22. cœnam paraturis ſic ait Dominus, Luc. 22. *Ecce introeuntibus vobis in ciuitatẽ occurret homo amphoram aquæ portans, ſequimini eum, &c.* Non otioſè pro tantæ cœnæ myſterijs præmiſit ſignũ in aqua amphoræ, ſed vt inde immenſa iam bona hominum generi venientia indigitaret. Multus
Ambr. eſt D. Ambroſ. lib. 10. in Luc. in extollendo hoc ſigno aquæ, ait enim: *De aqua quid loquar? Super aquam ante ipſos mundi natales ſanctus Spiritus ferebatur. O aqua, quæ humano aſperſum ſanguine, vt præſentium lauacrorum figura præcederet, orbem terrarum lauiſti. O aqua, quæ ſacramentum Chriſti eſſe meruiſti, quæ lauas omnia, nec lauaris. Tu incipis prima, tu cõples perfecta myſteria. A te principium, & finis, vel potiùs tu facis, vt finem neſciamus. Per te fœtor tabidæ carnis aboletur, et pereuntia ſitu viſcera aſperſo ſale in multam ſeruantur ætatem. Per te arentibus æſtu corporibus dulcis ad gratiam, ſalutaris ad vitam, ſuauis ad voluptatem potus infunditur. Tu nomen Prophetis, et Apoſtolis, tu nomẽ Saluatori dediſti. Illi nubes cœli, illi ſal mũdi, iſte fons vitæ. Te prophetico percuſſo tactu, vt ſitientia rigares corda, populorũ vomuit petra; te, cùm de latere Saluatoris erũperes, percuſſores viderunt, et crediderunt; et ideò regenerationis noſtræ ẽ tribus vna es teſtis.* Hæc ille.

§. II.

Is eſt Deus, qui omnes ad bona trahat, excludat neminem.

QVàm meritò Dominus morem ſuũ in trahendis hominibus aſsimilat ſagenæ, & ſagenæ cõgregãti de omni genere piſciũ; ſicut enim ſagena mare verit, vt nullus prętermittatur piſciculus, ſic Deus omnes ad bona trahens homines,
Gen. 1. vel minimum excludere neſcit. Gen. 1. dicit: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, et vniuerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adã, vt videret, qui vocaret ea.* Ecce tibi omnia animalia adducta à Deo in paradiſum ad Adamum; nec vſquam leges, quòd ſemel adducta, fuerint aliquando à Deo extracta à paradiſo. Sed & cap. 7. dixit Dominus ad Gen 7. Noe: *Ingredere tu, et omnis domus tua in arcam, te enim vidi iuſtum coram me in generatione hac. Ex omnibus animãtibus mũdis tolles ſeptena, &c.* Rurſus cap. 8. ait Do Gen. 8. minus ad ipſum: *Egredere de arca tu, et vxor tua, filij tui, et vxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia, &c.* Simul & ingreſſus in arcam, & egreſſus ab ea mandatur: cur ergo qui curat, vt homines, & iumenta ingreſſa in arcam, egrediantur; minimè curat, vt animalia adducta in paradiſum, à paradiſo egrediantur? Arca vt carcer habebatur; paradiſus locus erat voluptatis, mille refertus bonis, & ſciuit Deus, quos in arctum trahit, in latitudinem reducere; quos autem ad bona adduxit, ab illis eijcere nũquam nouit. Quò ſpectabat
Anaſt. D. Anaſt. Sinait. lib. 9. in Exam. inquiſ: *Deus illic præcipit Noe etiã ingreſſum beſtiarum, et iumentorum, et volucrum in arcam. Similiter rurſus poſt diluuium dicit etiam earum egreſſum ex arca; et hic Deus cũ in paradiſo fecerit per ſe ingreſſum harũ beſtiarum, et fuerit earum veluti dux, et bubulcus, non ampliùs eas eduxit, ſed intùs reliquit.* Eduxit animantia Dominus ab arcto arcæ, ſed à latitudine paradiſi nullum eduxit; vt qui norit omnes ad bona adducere, & neminem excludere. At Gen. 3. de Gen. 3. Adamo eijciẽdo à paradiſo, ait: *Nũc ergo ne fortè mittat manum ſuam, et ſumat de ligno vitæ, et comedat, et viuat in æternum, emiſit eum Deus de paradiſo.* Ergo & de bonis nouit eijcere Deus? Abſit: ex quo enim peccauit Adamus, miſerãq; vitã incurrit, iam cæpit eſſe illi nociua paradiſi habitatio, cuius ligni eſus æternas faceret mortalis vitæ ærumnas: vnde miſericors Deus nõ dedignatur eijcere hominẽ tũc à paradiſo; quippè ait Eucher. in cat. Lyp Euch.
pom. *Verè vt clemẽtiſſimus Dñs eiſdẽ dignatus eſt conſulere ad ſalutem, ne fortè per tranſgreſſionem indigni iam facti, de ligno vitæ præſumerent edere, et ad perpetuum viuerent cruciatum.* Non ſanè à bonis, ſed ab æternis illos eiecit ærumnis; amat enim Deus ducẽ fieri, imò deductorẽ ingredientiũ ad bona: at quòd à bonis exulent creaturæ, id minimè eſt operis diuini. Paul. 2. ad Rom. aiebat, de Deo locutus: *Qui red-* Rom. 2.
det vnicuiq; ſecũdũ opera eius: ijs quidẽ, qui ſecun-

secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem, qui ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, et indignatio, &c. In quibus verbis acutè, & sapienter illud notat Phocius, quòd non simili phrasi vtatur Apostolus, vt ostendat Deum inter munera iustorum agentem, aut inter supplicia peccatorum. Vbi autè de iustis agit, dicit, quòd ijs reddet Dominus vitã æternam: verùm vbi de impijs loquitur, solùm dicit, *ijs ira, et indignatio*: cauens sicut vitam æternam, sic iram, & indignationem redditam à Deo dicere, vtpotè qui sciret ad bona per Deum duci homines, non ad pœnam, nec ad dolorem. Ibi equidem Deum solùm senties, vbi largitiones inue-
Iob. 28. niuntur bonorum. Ait enim Iob cap. 28. *Sapientia verò vbi inuenitur, et quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretiũ eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Abyssus dicit: non est in me: et mare loquitur, non est mecum, &c.* Quæ verba sic tra-
Ambr. ctat D. Ambros. in exhortat. ad virg. *Mare quod; hoc est, sæculum dicit, mundus hic dicit, non est mecum, quia supra mundũ est, quem vitæ humanæ lapsus, nec illecebra non immutauit; quia peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Abyssus ergo dicit, non est in me: mare dicit, non est mecum. Sed cœlum non dixit, quia non est apud se, quem receperat resurgentem. Paradisus non dixit, non est in me, quem regnare in se absoluto quoque latrone cognouerat.* In cœlo, in paradiso, vbi sunt tot bonorũ fontes, non potest negari ibi esse Deum hominũ deductorem, & introductorem: at vbi extra cœlum, extra paradisum, & fortè ad abyssum, & tenebras exteriores eundum est, ibi iã cauet sentiri, & agnosci Dominus. Vbi dæmonum legio ad abyssum mittẽda
Luc. 8. erat. Luc. 8. *Rogabant Iesum, ne imperaret illis, vt in abyssum irent. Erat autẽ ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: & rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, et intrauerunt in porcos, et impetu abijt grex per præceps in stagnũ, et suffocatus est.* Nullum verbum fecerat Iesus de eiectione in abyssum, & iam dæmones quasi certã suam eiectionem clamant, eijci in porcos amãt, & ex illis sese committũt abyssui. Et cur, cùm peterent non eijci in abyssum, ipsi sese abyssui cõmittunt, cùm porcos optatos fuerint nacti? Sanè vt clareret Dei bonitas, quæ ex se nesciat creaturas suas tradere malis, in quæ ipsæ solæ se iactant. Id quod notans
Ambr. D. Ambros. ait lib. 6. in Lucam: *Primùm elementiã Domini debemus aduertere, quòd nullum priùs ipse condemnat, sed vnusquisque sibi author est pœnæ. Non mittuntur in porcos dæmones, sed ipsi petunt, quia cœlestis luminis claritatẽ sustinere non poterant.* Non à Iesu venit, quòd dæmones crudelissimi in porcos, & in abyssum eijcerentur, sed ipsi sibi petierunt eiectiones, & tanti mali sibi fuerunt authores, & causæ.

Matth. 13. Quam, cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium.

§. III.

Summa perfectio reipublicæ, quòd nocentes puniantur, & iusti coronentur.

CVm audis in præsenti consummationem sæculi; dicit enim: *Sic erit in consummatione*, non intelligas sæculi ruinam, sed perfectionem, sed coronidẽ, non enim perit sæculũ, sed perficitur, sed consummatur, vbi nocẽtes sub supplicijs, iustos sub coronis ostendit. Hæc est tota perfectissimæ, & absolutissimæ reipublicę cõsummatio, & exaltatio, quòd in illa nocẽtes puniantur. Ad hęc dicebat D. Paschas.
Paschas. lib. 7. in Matth. *Qui præordinati sunt ad vitam, ipsi in fine sæculi colligentur in vasis, id est, in mansionibus æternis; et mali ab eo regno, et â claritate æternæ vitæ foras mittentur. Et hæc est consummatio sæculi. Nõ quòd elementa mundi peribunt, quia erit cœlum nouum, et terra noua, sed consummatio sæculi perfectionis intelligitur plenitudo.* Non equidem in eo posita est reipublicæ, siue familiæ, siue mundi perfectio, & consummatio, quòd in ea peccatores nõ sint, alioquin nec cœlum, nec Apostolorũ collegiũ perfectionẽ habuit, vtq; peccatores habue-

habuerunt. Sed perfectio, & conſummatio reipublicæ tunc oſtenditur, quando in ea & iuſti coronantur, & peccatores ſupplicio afficiũtur. Nihil enim ſic extollit, & commendat rempublicam, quàm reorum ſupplicij. Marc. 1. dæmoniacus quidam à Ieſu inuiſibiliter tortus clamabat: *Quid nobis, et tibi, Ieſu Nazarene? Veniſti perdere nos, ſcio, quòd ſis ſanctus Dei.* Et dũ ſic laudat miſer, ſic extollit, & prædicat Ieſum, ad illum iratus Ieſus loquitur, dicens: *Obmutеſce.* Et cur, bone Ieſu, laudatorem tuum, prædicatorem tuum tanto ſilentio premis? Non poterat eſſe laus Ieſu, quæ veniebat ab ore peccatoris, & dæmonij; ſed magna erat laus eius, quę à peccatoris ſupplicio veniebat. Hinc D. Chryſoſt. hom. 5. in Mar. *Obmutеſce. Laus mea ſit ſilentiũ tuum. Nolo me laudet vox tua, ſed tormenta tua, pœna tua laus mea eſt.* Et quidem perfectiſsimi gubernatoris laus, non tàm ab alio, quàm à nocentium ſupplicio ſumenda eſt. Tunc perfectiſsimi, & abſolutiſsimi gubernatoris laus in tota ſua oſtenditur plenitudine, quando caſtigantur nocentes. Hinc monebat Paul. 2. ad Timoth. 4. *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, et à veritate quidem auditum auertẽt, ad fabulas autem conuertentur. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuũ imple.* Non commendat Paulus Timothei prælaturam, ex eo, quòd nulli in illa peccatores ſint futuri, quin potiùs aſſerit in illa multos inſurrecturos contra veritatem. Quid tunc? Iam inde totus epiſcopatus damnandus? Abſit; hoc vnum reſtat, vt inſtet correctioni Epiſcopus, vt arguat, vt increpet, vt feriat nocentes, vt obſeruet, & ſuſpiciat iuſtos, & ſic totã perfectionem, & vltimam conſummationẽ gubernationis implet. Quippè ait: *miniſterium tuum imple*: non enim plenitudo perfectionis humanæ gubernationis oſtenditur, per hoc, quòd non habeat nocentes, ſed per hoc, quòd illos ſupplicijs afficiat. Aiebat Pſal. *Angelis ſuis mãdauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, &c.* Ex quo patet, quòd Angeli præpoſiti ſint à Deo, in cuſtodiam hominum, ne in mala incidant: ſed & Mat. 13. *Tunc exibunt Angeli, et ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminũ ignis.* Et cur qui dati ſunt ad cuſtodiam hominum Angeli, poſteà tàm ſeueri in homines eſſe permittentur? Nonne aptiùs dæmones eligerentur, vt malos ſepararent, & in ignem mitterent? Cur hoc ſeueriſsimum officium Angelis mandatur? Sanè hoc pertinebat ad plenitudinem, & conſummationem Angelicæ adminiſtrationis; qui enim regimẽ hominum ſuſceperant, & tot peccatores ſuſtinuerant, plurimùm viderentur diſtare à perfectione, niſi aliquando viderẽtur, & nocẽtes punire. Quò ſpectabat D. Paſchaſ. lib. 7. in Mat. inquiens: *Nec dubium, quin Angelos ſuos, per quos nunc regitur Eccleſia, tunc implebit benignus Saluator, vt tollantur impij de medio iuſtorum, ne videant gloriam Dei, et foras mittentur in tenebras exteriores.* Expende illud, *tunc implebit*: Angelorum enim regentiũ Eccleſiam ſumma plenitudo, & perfectio in gubernando, modò quaſi nubila, & imperfecta eſt, quando tot peccata hominũ diſſimulant: ſed tunc in omni gloria, & plenitudine ſua ſplendeſcent, quando appareant caſtigãtes tot turbas nocentũ. Hinc Iud. 4. cũ Debora iuberet, vt Barach pergeret oppreſſurus Iabim hoſtem Iſraelitarum, ait Barach, ex lectione Septuag. apud Auguſt. lib. 7. quæſtion. ſuper Iud. quæſt. 26. *Si ibis, ibo, et ſi non ieris mecũ, non ibo: quoniam neſcio diem, in qua proſperat Angelum Dominus mecum.* Et meritò quæſtionem facit Auguſt. quid ſit, *proſperat Angelũ Dominus mecũ?* An quòd Barach victoriam reportaret, & quòd Siſara Iſraelitarum hoſtis tunc occumberet, & occideretur, id ad proſperitatem Angelorum potiùs pertineret? Et qualem proſperitatẽ acquirent Angeli ex morte hominũ? Angeli rectores, & gubernatores mundi tũc in omni proſperitatis, & perfectionis apparent gloria, cùm & coronas iuſtis tribuunt, & ſimul inferunt iniuſtis ſupplicium, & mortem. Meritò ergo Barach Angeli proſperitatem illam nominabat, qua iuſti Iſraelitæ coronas, & iniuſti hoſtes illorum incurrent damnationem.

Chryſoſt. Matt. 13 Paſch. Auguſt.

§. IIII.

Religioſi ſtatus perfectio ſumma, quia diù non patitur peccatores.

VSque dum perueniat ad littus ſagena; hoc eſt, vſque ad finem mundi perueniat Eccleſia, mille peccatores, mille dæmonum mancipia includit, nec euomit illos; & licèt ſanctiſsima ſit, & immacula-

culata, non detrectat secum habere homines corruptissimos. Hos equidem patitur sagena Ecclesiæ vsque in finem; at in hac Ecclesiæ sagena selectior quædã pars inuenitur, nimirum status religiosus, qui vt subtilioribus cæli auris fruitur, sic delicatioris est ventriculi, nec diu potest reti nere corruptum. Quô spectans ait D. Ber
Bernar. nard. ad fratres de Monte Dei: *Vix vnquam aliquis, nisi cælo prædestinatus, in cella religionis vsque ad mortem persistit. Alienum, qui non est filius, citiùs à se proijcit, quasi abortiuum, euomit tanquam inutilem, ac noxium cibum, nec diu talem pati potest in visceribus suis officina pietatis: venitque pes superbiæ, & asportat eum, & manus peccatoris, & mouet eum.* Et quoties vanitate ductus, aut cupiditate religiosus religionem deserit, & putatur ipse deserere religionem; & non ipse deserit, sed potius deseritur, & à religione euomitur. Dum enim morticinus sit, vel potius mortuus, non diu potest ibi durare, sed statim permittitur in illo intrare pes superbiæ, quæ illum inde asportat, imô & effert. Fallar, nisi his verbis Bernardus alluserit ad lo-
Act. 5. cũ Actor. 5. vbi Saphiræ neganti votum Domino, & furanti de oblatis, ait Petrus: *Quid vtique conuenit vobis tentare spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & efferent te. Confestim cecidit ante pedes eius, et expirauit. Intrantes autem iuuenes, inuenerunt illam mortuam, et extulerunt, &c.* Expende verba illa: *Ecce pedes, et efferent te*, & compone illa cum verbis Bernardi, nimirum, *venitque pes superbiæ, et asportat eum.* Vt enim Saphirę peccanti adfuerunt statim pedes eorum, qui illam efferrẽt, sic pro foribus religiosorum est pes superbiæ pro foribus, quæ vbi mortuum aliquẽ intrinsecùs sentit, statim illum inuadit, & effert, nec quòd ibi putrescat patitur.
Exod 3. Exod. 3. ait Dominus ad Moysem cupientem videre visionem magnam: *Solue calceamenta pedum tuorum, locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Et meritò calceamẽta mortuorum pellibus facta iubentur depo ni, non enim terra sancta, in qua Deus vi-
Bernar. detur, in se mortuos patitur. Vnde D. Bernard. vbi supra: *Cella terra sancta, et locus sanctus est; morticinum mortuarum affectionum, vel hominem mortuũ â corde locus sanctus, vel terra sancta nequaquam dici patitur.* Potest aliquis in religione sceleribus corrumpi, sed statim efferentium pedes vi debuntur pro foribus, statim terra sancta à se expellet mortuum, vt rarus sit, qui in religione maneat, qui debeat expelli à Dei regno in morte. Antèquã perueniatur ad littus, iã religiosa sagena euomuit malos pisces, & foras misit, vt qui in littore de religionis aluo exierint, omnes recipiantur à Christo. Dicebat enim Diu. E-
Ephr. phrem in vita S. Iuliani: *Beatus ideò ille, qui abdicata vita sæculari, in cœtu virorum sanctorũ conuersatur, et sub obedientia spiritualium Patrum, suamque in conscientia pura vitam traducit; quoniam non confundetur in resurrectione iustorum.* Dũmodo in religionis sagena perueniatur, fallar, ni si rarus fuerit, qui in fine confusionẽ incurrat. Quò retero dicta tom. 3. lib. 15. cap. 10. §. 8.

§. V.

Summum reproborum malum in iudicio, quod Angelos sibi infensos videant.

EXibunt Angeli, vt malos in ignẽ mittant, nec tãti supplicij executio Angelis mandaretur, nisi inde in immensum cresceret malorum dolor, & infœlicitas, dũ sibi infensos, & contrarios videant Angelos ipsos. Huc referrem illud Isaiæ,
Isai. 13. cap. 13. *Vlulate, quia propè est dies Domini: quasi vastitas à Domino venit. Propter hoc omnes manus dissoluentur, et omne cor hominis contabescet, et conteretur. Torsiones, et dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt: vnusquisque ad proximum suum stupebit, facies combusta vultus eorum.* Expende, vnde stupor, & maximus dolor erit in reprobis, nimirum ait, *vnusquisque ad proximum suum stupebit, &c.* à flãmantibus proximorum faciebus magnus erit & stupor, & dolor reprobor ũ. Et quis magis pronus hominibus, quàm Angelus bonus? Sanè homo vulneratus à latronibus, dũ esset in via, ab Angelis curatus est ab Angelis misericordiæ oleo proposito confotus, ab Angelis ductus ad stabularium, ductus ad pœnitentiæ, & Eucharistiæ domum; quæ omnia officia præstita ab Angelis, officia sunt viri proximi, vt habes Luc. 10. Quãtus ergo erit reproborum stupor, quantus dolor, in iudicio ad faciem horum proximorum? Tunc proximi, tunc Angeli, non oleum misericordiæ porrigent, sed ignem, sed flammas emittent: *Facies combusta, facies eorum*; siue iuxta Hæbræum, *facies flamma-*

rum

rum vultus eorum. Proh dolor! Quis ferat Angelos quondam oleum porrigentes, iã non oleum, ſed æternum ignem, flammamque immortalem clamantes? Dan. 5. Balthaſar conuiuium celebrabat cum optimatibus ſuis: *Et eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ: & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, et cogitationes eius conturbabant eum: & compago renum eius ſoluebatur, et genua eius adſe inuicem collidebantur. Et clamauit itaque Rex fortiter, &c.* Expende metum, & dolorem, & clamores in potentiſſimo Rege; & ſimul expende illorum cauſam; hæc nempè fuit viſio digitorum ſcribentium ſententiam mortis. Et ex hac viſione ſola tantus tremor, tantus dolor, tantus clamor? Pulchrè Theodoretus hìc fatur: *Si digitorum ſcribentium ſpecies ita perterruit eum, qui maximum adminiſtrabat regnum, vt etiam articulorum compages præ metu diſſoluerentur, et artus tremore occupati concuterentur; quid non ſuſtinuiſſet Deo infeſtus, ſi fulminis genus, aut fulmina conſpexiſſet, aut Angelos toruè intuentes, quorum cõſpectu, nec magnus quidem Daniel abſque metu ferre potuit?* Equidem ad Angelorum facies flammantes, fulminantes, nullus erit reus, qui immenſum penè dolorem, & tremorem non cõcipiat. Angelus fuit, qui Danieli apparuit, cuius facies, velut ſpecies fulguris, & oculi eius, vt lampas ardens. Et quid Daniel ad huius conſpectum Angeli? Ipſe ait cap. 10. *Vidi viſionem grandem hãc, et non remanſit in me fortitudo, ſed et ſpecies mea immutata eſt in me, et emarcui, nec habui quidquam virium, &c.* Pro quo Dionyſius Carthuſian. ſermon. de iudicio finali, ait: *Tunc quoque omnes angelici ſpiritus aderunt, et viſibiliter apparebunt, in forma vtique reprobis valdè terrifica. Cur ergo vnius Angeli apparitio ſit fragilitati humanæ tâm intolerabilis, quâm intolerandum erit, et horrendum iniquis, videre tâm innumerabilia Angelorum ſpirituum millia in ſenſibili forma, inſtar iudicis, reprobis metuenda?* Non dubito, quin & horrenda, & intolerabilis fiat hæc Angelorum apparitio.

Matth. 13. Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideò omnis ſcriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini patri familias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera.

§. VI.

Doctrina eius, qui odio afficitur in proximos, improbabilitatis ſuſpecta eſt.

DOctorem Chriſtianum non otioſè cõpatauit Dominus homini patri familias, ſed vt doceat, quale ſit fundamẽtum doctrinæ ab improbabilitatis ſuſpicione alienæ; is enim eſt paternus affectus, quo Doctor Chriſtianus debet moueri ad omnes homines diligẽdos. In quo autem non hic paternus eſt affectus, ſed intimum odium proximi alicuius docti viri nutritur, rarò, aut numquam eius doctrina improbabilitatis non eſt ſuſpecta. Hoc præcipuum doctrinæ minimè ſolidæ apponit fundamentum diſertiſsimus ille Claudius Mamertus presbyter Viennenſis, lib. 1. de ſtatu animæ, cap. 1. dicẽs: *Accedit ad hoc etiam accreſcẽtis ſemper liuoris intentio, inuidentis animæ crimen, et pœna. Nam ſi quid ab his, quos iniquo laceſſunt odio, ad vtilitatem publicam veri prodatur, diuerſum protinus aſtruũt, etſi idem ſentiant. At ſi cinexhaũſto, firmatoque odio, cum his, quos ſibi odiſſe inſtitutum eſt, nequaquam metuunt veritatis feciſſe iacturam.* Vanè de veritate doctrinæ ſibi blanditur, qui charitate abiurata, odio mouetur; is enim, dum odioſis nocere liceat, minimè metuit veritatem perdere. Vnde Moyſes Doctoribus ſacris imaginem præferens, duos Cherubinos ſuper arcam poſuit; vt enim in Cherubini nomine plenitudo ſcientiæ ſignificabatur, ſic in duobus Cherubinis vnio, & charitatis amor, qui fundamentũ ſit ſoliditatis ſcientificæ. Ait Auguſt. q. 105. in Exod. *Creaturæ rationalis in multitudine ſcientiæ (quoniam hãc interpretationem habet Cherubim) duobus ipſis animalibus ſignificatur: ideò duo ſunt, vt ſocietatem charitatis commendent.* Tolle charitatem à Doctore Chriſtiano, qua

vel vt filios, vel vt fratres habeat omnes, etiam sibi contrarios, & tota eius sapientia, & doctrina manet suspecta falsitatis. Abac. 3. Abacuch cap 3. recensens creaturas vindicantes, & irascentes in peccatores, sic ait: *Ficus enim non florebit, & non erit germẽ in vineis: mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum: abscindetur de ouili pecus, et non erit armentum in præsepi.* Expendo illud, *mentietur opus oliuæ*: & cur oliuæ defectibus suis castiganti peccantes attribuitur mendacium? Quòd oliua suos fructus neget rebelli, & aduersario peccatori, ideò dicenda est in mendacium ire? Equidem non potest non subesse falsitati, & mendacio creatura illa, quæ nouit odisse, & ferire aduersarios: illa enim amicior est veritati, quæ omnes ex æquo amat. Tertull. Hinc Tertul. lib. ad Scapul. de Deo ait: *Deniq; qui est verus, omnia sua ex æquo et prophanis, et suis præstat.* Et adeò mihi persuadeo, quòd æqualis charitatis affectus ad omnes sit fundamentum ostẽdendæ, & amplectendæ veritatis, vt ab odio, & cupiditate vindictæ credam ortas esse, aut omnes, aut plures falsitates. Huc traho Nazianzen. orat. 12, vbi lugens sui temporis discordantium incommoda, ait: *Hinc ego lugens, et contristatus ingrediebar, quoniam dilecti recalcitrarunt, et verterunt ad me terga, et non facies: quoniam vinea illa â bono agricola perpurgata, et quæ pulchram segetem in diuina horrea metere solebat, in amaritudinem versa est: quoniam amici mei, et proximi mei aduersum me appropinquauerunt, et steterunt: quauiã qui Deum, et Christum maiorem in modũ amabamus, Christum diuisimus, ob veritatem mẽdacijs nos ipsos mutuò incessiuimus, &c.* Expende, quid ex contentione, ex amaritudine, & discordia religiosissimorum virorum in primis ortũ sit, nimirùm: *Christum diuisimus ob veritatem, mendacijs nos ipsos incessiuimus*: id parit discordia, & animorum amaritudo, quòd & Christus diuidatur, & veritatem mendacia obnubilẽt. Vbi Sacerdotis summi vestes ordinabantur, ait Dominus, Exod. 39. *Deorsum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta: et tintinabula de auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata in extrema parte tunicæ per gyrum.* Nemo nescit in malogranatis & concordiam, & vnionem, & charitatem repræsentari. Sic D. Isidorus relatus à Lyppomano in caten. sic ferè vniuersi Patres. Cur ergo inter tot charitatis symbola, & vnionis fraternæ tintinabula aurea ponũtur? An vt ostendatur vnde puritatem sumat aureus sapientiæ sonus, nimirum de charitate, & vnione fraterna comite? Tantùm non aiebat id D. Hieron. epist. ad Fabiol. docens: *Tanta debet esse scientia, et eruditio Pontificis Dei, vt et egressus eius, et motus, vniuersa vocalia sint: veritatem mente concipiat, et toto eam habitu resonet, et ornatu.* Hieron. Pulcrè sapientissimus Doctor ibi reddit rationem, cur in extrema parte tunicæ inter malogranata, tintinabula aurea iuberentur poni, nimirùm, vt præconceptas sapientiæ, & scientiarũ veritates toto externo habitu resonaret. Quasi non sufficeret, quòd scientificæ veritates in Pontificis animo essent, vt eas purè, & defæcatè resonaret foris, nisi illarum sonitus inter malogranata audiretur, hoc est, de charitate fraterna prodiret comite. Huc trahe dicta. 3. tom. lib. 14. cap. 20. §. 8.

§. VII.

Vetera sapientiæ inuenta, etsi grauiora, suum habeant honorem nouis, & veteribus similiter noua, etsi præstantiora.

QVàm facilè absoluit simultates scholarum Christianus Doctor, nec fastidiens vetera sapientiæ inuenta, nec cõtemnens noua, sed suum cuique seruat honorem, in thesauris habens noua, & vetera, & de thesauris promens. Numquã nõ peccauit cõsilium illud, quod vel veteribus nimis adherens noua despicit, vel nimis inhians nouis, fastidit vetera omnia. Ad veterum nimios sectatores sapienter loquitur Arnobius, lib. 1. *Neque enim cælo Deus aliquis lapsus est, aut suis res vestras commentatus est manibus: aut ratione consimili nostris rebus, & religionibus derogauit. Ab hominibus hæc scripta, & illa sunt ab hominibus scripta, mortalibus edisserta sermonibus: & quidquid dicere de nostris conscriptoribus intenderitis, & de vestris hæc dicta paribus sumite, atque habetote momentis. Vultis vera esse, quæ in vestris comprehensa sunt scriptis: & quæ in nostris consignata sunt litteris, cõsiteamini necesse est, esse vera. Falsitatis arguitis res nostras, & nos vestras arguimus falsitatis. Sed antiquiora, inquitis, nostra sunt, ac per hoc fidei, & veritatis plenissima: quasi verò errorum non antiquitas plenissima mater sit. Ante* Arnob.

millia

millia enim annorum decem non poterunt falſa & audiri, & credi? Præclarè vir ſapientiſſimus demonſtrat, quàm irrationabiliter noua ſapientiæ inuenta contemnãtur, corrodantur à veterum ſectatoribus, eò ſolùm, quòd hæc noua ſint, & ſua vetera. Quibus & Horatius aiebat epiſt. 1. ad Auguſt.

Horat.

Indignor quidquam reprehendi, non quia craſſè
Compoſitum, illepidè ve putetur, ſed quia nuper.
Nec veniam antiquis, ſed honorem, & præmia poſci
Ingenijs non ille fauet, plauditque ſepultis,
Noſtra ſed impugnat, nos, noſtraque liuidus odit.
Quòd ſi tâm Græcis nouitas inuiſa fuiſſet,
Quâm nobis, quid nunc eſſet vetus, aut quid haberet,
Quod legeret, tereretque viritim publicus vſus.

Ille equidè verè Chriſtianus Doctor eſt, qui vtriſque ſuum honorem habet, & neutris neſcit detrahere, ſciens plurimam veteribus obtigiſſe authoritatem, & iunioribus maiorem poſſe obuenire præſtantiã. Sic enim Deus creata omnia ſolet moderari. Conſule cap. 1. Geneſeos, & in primis videbis cœlum, & terram facta rudia, & informia vtraque: & poſt quartũ diem incipiũt fieri luminaria, lucidiſsimus Sol, candidiſsima Luna, & aſtra. Cur hæc poſtremò? Ne prima nimis de quantitate ſe iactent, cùm videãt ſe vinci poſteriorum præſtantia: nec hæc poſtremia immẽſè extollantur, quando minora ſe vident ætate, ſed vtraque ſuum cuique honorem habeant. Ita Diu. Auguſt. quæſt. 3. ex veteri teſtamento fatur: *Dum minora priùs facta memorat, deinde maiora, nihil horum infectum habetur: quia quæ tẽpore minora ſunt, & virtute maiora ſunt, vt ſi illa præſcribere de tempore ſe putent, ipſa infirmitate, qua poſterioribus ſubiecta ſunt, conuincantur: aut ſi hæc de virtute præſumendo primatũ ſibi vendicent, poſterioritate ipſa humilientur.* Noua poſteritatis conſcia ſuæ veterũ authoritatem reuereantur, & vetera conſcia nouorum ſplendoris, & præſtantiæ, non aſpernentur nouitatẽ, ſed magis laudent præſtantiam, & ſic perfectè conſtituetur Doctor Chriſtianus. Id quod ſpectat Eccleſiaſt. cap. 24. vbi ſapientiam ſolidam, & veram aſſimilat mari, aiens: *A mari enim abundabit cogitatio eius, & conſilium eius in abyſſo magna. Ego ſapientia effudi flumina, &c.* Ecce tibi ſapientia velut vaſtiſsimum mare plenum fluctibus ſcientiarum, à quo effunduntur flumina, nimirùm, Doctores particulares, qui de ſapientiæ aluo ſcaturiunt, vt terram fœcundent. Sed hæc flumina vbi per terrarum ſpatia cœleſtibus pluuijs grandeſcunt, cõtemnunt illum ſuum originẽ, nempè mare? Abſit: imò, vt ait Eccleſiaſt. cap. 1. *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur:* & ſapientes viri nouis inuentis aucti, nũquam nõ ſuſpiciunt illum vetuſtiſsimum ſuum originem, quem venerantur. Quid pulchrius in mari? Accipite D. Cæſarium Nazianzeni fratrem, dialog. 1. *Pulchrum quoque, quòd cùm fluminum ſit mater, ipſum eadem rurſus ſuſcipit; hinc quidẽ quaſi in lucẽ proferens, illinc verò recipiens quaſi hoſpites.* Pulchrum ſanè in mari, quòd emittens à ſe flumina, illa nouis limphis aucta reuerẽtia honorabili admittat hoſpitio, & quòd flumina poſt largiſsimos profectus nouarum aquarum non dedignentur vetuſtum illud principium reuertentia venerari. Sed tota hæc pulchritudo maximè ornat magiſtros Chriſtianos; fuit equidem ſapientia veterum magna velut mare, ab illa tot flumina manarunt, quot Doctores iuniores; ij per longos ſtudiorum, & vigiliarum tractus multa noua inuenerunt, quibus mirificè aucti orbem implent. Quid tunc? Sanè quos vt filios emiſit ſapientia vetus, reuertentes locupletiſsimos, vt hoſpites ſuſcipit, & veneratur, & ij cum omni ſuo augmento non dedignantur vetuſtum illũ originem, ſed magis colunt, & nouis ſuis augmentis nituntur locupletare. Quid pulchrius in Doctore Chriſtiano, quam quòd noua veteribus ſiſtantur, & vetera nouis honorem habeant? Fallor, niſi huc reſpexit etiam Eccleſiaſtic. cap. 24. aiẽs: *Qui implet, quaſi Phiſon, ſapientiam, et ſicut Tigris in diebus nouorum.* Ecce Tigris in diebus nouorum, nouis ipſe auctus aquis, non dedignatur recurrere ad venuſtum originem maris, à quo gratanter excipitur; ſic Doctor Chriſtianus in diebus nouorum, quando magis noua placent, nouis ipſe plenus inuentis, adhuc veteres ſapientes veneratione habet, multùmque credit eorum auctoritati, quæ valdè nouis augmentis illuſtratur.

Auguſt.

Cæſar.

Eccl. 1.

Eccl. 24

§. VIII.

Nouitius in virtutibus splendor, & feruor semper seruandus.

MIraris, quòd de thesauro suo noua proferat bonus familias pater: thesaurus enim de antiquitate, & vetustate vocatur; antiquitate diuitię supra memoriam, & notitiam hominũ cõmuniter faciunt thesauros. Si ergo thesaurus à vetustate fit, qualiter fieri potest, vt noua ab illo proferantur? Proferuntur ex thesauro noua, non quòd ibi nouiter, & recenter fuerint reposita, sed quòd etiã in multa temporis vetustate, eum splendorem, & perfectionem pręseferant, vt videantur noua, nullamque vnquam cognouisse vetustatem. Fœlix, qui in virtutibus sic nouiter viuit, sic omnem abiurat vetustatẽ, nec nouum illum primi feruoris virorem à se abijcit, is Deo gratus, & præ manibus erit cælesti Patri, vt dignus cælesti thesauro. Id in iusto homine cupiebat Psal. 91. *Iustus vt palma florebit*. Cur in palma? Pulchrê D. Ambros. lib. 3. Exam. cap. 17. *Seruat indumentum suum semper olea, vel pinus, sed tamen folia sua sæpè commutant; nec ea quasi diurna, sed quasi succedanea prætendũt suæ arboris pulchritudini, perpetui integritate vestitus, vice muneris obumbrantes. Palma autem virens semper manet, conseruatione, et diuturnitate, non immutatione foliorum. Nam quæ primô germinauerit folia, ea sine vlla substitutionis successione conseruat. Imitare ergo eã, ô homo; serua viriditatem pueritiæ tuæ, & illius innocentiæ naturalis, quam â primordio recepisti, vt folium tuum non defluat.* Huc tendant omnes hominis conatus, vt in prima nouitate spiritus semper ambulet, vt omnem vetustatem nesciat, sed primum illud virtutum studium quasi nouum, & recẽs semper possideat. Quo fallar, nisi hostes debellet, nisi ingẽtes victorias obtineat. De illo duce Israelitarum Iesu Naue dicitur Iosue. 10. quòd hostes penè innumeros perdidit, quòd Soli, & astris imperauit, & quòd *steterunt Sol, & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis.* Et vndè tanta potentia in viro isto? An quia fortis? Sed fortior fuit Sanson, nec talia fecit, vt Solem sisteret. An quia Iesus vocabatur? Sed & alij tunc fuerant hoc efficacissimo nomine insigniti. Vnde ergo huic tanta virtus? Ait D. Iustin. Mar. relatus in glos. *Accepistis terram Chanaam, tanta virtute fusis, fugatisq; hostibus, vt Sol ipse cursum sisteret, spectando res gerentẽ vestrum Ducem Iesum, recens cognominatũ.* Expende, quid vereantur in tanto Duce creaturæ; reuerentur enim Iesum non vtcũque, sed recens cognominatum, quia in illo Iesu nomen, quasi nouum, & recens ostendebatur, nulla vetustate obscuratũ; ideô & in cælestes creaturas obtinet principatũ. Huc accedant viri Iesuitę, & discant, vndè possint astris dominari, nimirùm, si in illis Iesu nomen non veterascat, sed quasi recens primum suum splẽdorem nouum habeat. Quisquis sic prima virtutum conamina, & virentia, & noua cõseruat, nõ est mirandum, quòd mundo dominetur, & astris, nec quòd in Deum euadat. Sethus ille tertius Adami filius Deus fuit cõmuniter vocatus, vt innuit Gen. 6. *Videntes filij Dei filias hominum*; hoc est, filij Sethi filias Caini. Qnòd si quæras, vnde sibi tantum nomen comparauit Seth? Ait textus, cap. 5. *Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem, et similitudinem suam, vocauitque nomen eius Seth.* Fuerat quondam in Adamo imago, & similitudo Dei, quæ per peccatũ absoleuerat, neq; ampliùs visa fuit hæc imago, & similitudo, nec in Caino apparuit, nec in Abele adeò perfecta fuit: hanc autem absoletam, & in veteri homine corruptam imaginẽ in se ostendit Seth, adeò viuidam, & nouam, quasi tunc recens impressa fuerit humanæ animæ, quo Dei nomen sibi comparauit. Ita aiebat D. Cæsar. Naziãzeni frater, dialog. 1. fatus: *Adamus genuit filium ad similitudinem suam, et secundûm imaginem suam; hoc est, qualem habuit ab initio, quando factus est â Deo, imaginem, & splendorem in facie, & vocauit nomen eius Sethus; hoc est, resuscitatio. Quoniam videbat in illo pristinam, et admirandam illam formam, et gratiam renouatam, & splendorem sacrosancti Spiritus, quem videntes illius temporis homines, Deum appellauerunt.* Nec miror, quòd Deus haberetur, qui primã Dei imaginem in homine expressam, nulla vetustate corruptam, sed nouam, sed sub primo lucẽtem splendore in se demõstrabat. Semper enim qui à parte Dei est, abiurat vetustatem, noua curat ostendere virtutum conamina. De primis Adami filijs ait Gen. 4. *Fuit autem Abel pastor ouium, et Cain agricola.* Nullus ante Abel pastor, ante Cain agricola fuit, & Adam terrenis culturis damnatus; quò enim iustior Abel, & Deo gratior, eò

Ambr.

Iosue. 10.

Iustin.

Gen. 6.

Cæsar.

Gen. 4.

veteri

veteri abiurata seruitute, noua, & pulchriora obsequia nititur demonstrare. Vt dicat D. Ambros. lib. 1. de Abel; & Cain, cap. 3. *Operari terram vsu priùs est. Meritò senior à vetustioribus inchoauit, iunior recentiora prætulit, quæ nullas spinas, nullos tribulos germinarent, nulli sententiæ essent obnoxiæ.* Sic noua studia ab omni vetustatis dãno aliena sanctissimus, & Deo gratissimus Abel tractauit, vt cuiusq; sanctitas, imò (si sic fas est loqui) cuiusque diuinitus ex nouitate splendenti in operibus virtutum demõstraretur. Huc reuoca aliqua ex dictis tom. 3. lib. 15. cap. 10. & 11. & 12. & alibi.

Ambr.

CAPVT VIII.

De Rege ponente rationem cum seruis.

MERITO Diuinæ indulgentiæ fit indignus, qui nescit aliquid fratri suo indulgere: quod pulcha parabola Dominus ostendit in Rege durissimè puniente seruum nescientem præstare proximo, vel minimam debiti remissionem, quando ingentem ipse ab vtriusque Domino receperat. Sub hoc scopo tota voluitur parabola præsens.

Matth. 18. Asimilatum est regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.

§. I.

Summa dignitas hominis expenditur.

REgnum cœlorum homini asimilatum dum cerno, non possum non mirari dignitatem hominis, quãdo nil cœlo, aut terræ collatum video, quod similiter non cõferat Dominus suo homini. Creauit Deus cœlum, creauit terram, creauit luminaria mundi, creauit lucem, creauit fructus, & animantia omnia. At animantia, & fructus, & lux creata sunt solo imperio Dei. *Dixit enim, fiat lux, & facta est lux: germinet terra herbam virentem, et faciens semen; & lignum pomiferum faciens fructum, &c. Et factum est ita.* De cœlo autem, de terra, de luminaribus mundi aliter loquitur ibi Gen. 1. *Creauit Deus cœlum, et terram*: & paulò post: *fecitque Deus duo luminaria*, quasi non solum imperium, sed & manus proprias adhibuerit ad opus. Post hæc ad creationem hominis accedens, similiter ait: *Et creauit Deus hominem, &c.* Id quod animaduertens Origen. relatus à Lyppom. in caten. ait: *Videamus, quæ sunt, quæ ipse Deus facit, et per hæc, quæ magnitudo hominis sit, aduertamus. In principio fecit Deus cœlũ, et terram: similiter ait, fecit Deus duo luminaria magna: et nunc iterũ: faciamus hominem. In ijs solis factura Dei adscribitur, in alijs verò nusquam, sed tantummodo cœlum, et terra, Sol, et Luna, ac stellæ, et nunc homo à Deo factus est, omnia verò reliqua iussione eius facta esse dicuntur. Ex hoc ergo considera, quanta sit magnitudo hominis, qui tam magnis elementis, tamque precipuis adæquetur; qui habet honorem cæli, propter quod & cælorum ei promittitur regnum. Habet & terræ honorem, quoniam quidem in terram bonam, & terram viuorum fluentem lac, et mel, ingredi sperat. Habet honorem Solis, et Lunæ, habens repromissionem fulgere, sicut Sol in regno Dei.* Quid pulchrum, quid diues in cœlo inuenitur, cuius in se honorem homo non transferat? Totius cœlestis militiæ decus, & ornamentum hominis ostendunt magnitudinem. Quid magnum homini, quòd externum cœlorum splendorem induat, quando & ipsis cœlis excelsior factus potentissimum cœli Regem in se suscipit? Aiebat Paul. 2. ad Cor. 13. *An experimentũ quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Quod ponderans D. Chrysost. hom. 9. in epist. ad Rom. inquit: *Si Christus per nos resonuerit, tunc certè & spiritus omninò præstò aderit, erimusq; cælo meliores, nõ Solem habentes, ac Lunam corpori impressam, sed Solis, et Lunæ, et Angelorũ Dominum inhabitantem, & inambulantem in nobis.* Tota pulchritudo cælestis cedit homini, intra cuius pectus Christus fuerit, & per cuius os resonuerit. De Christi enim præsentia obumbrat homo cælum, & cuncta cælestia, & super omnia apparet excelsus. At si vltrà fuerit progressus, & non cælis, sed Deo asimilari voluerit, tunc totus homo euanet, & quasi nihil videtur. Iob cap. 37. *Tu forsitan cum eo fabricatus*

Gen. 1.

Origen.

2. Co. 13.

Chrysost.

Iob. 37.

es

es cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt. Ostende nobis, quid dicamus illi, nos quippè inuoluimus tenebris. Quis narrabit ei, quæ loquor? Etiam si locutus fuerit homo, deuorabitur. Solent homines, cùm magna quę dam coguntur exprimere, saliuam glutire, & verba mandere. At hic, qui Deum loquitur, qui magnalia diuina cogitur explicare, non solùm saliuam glutit, aut verba mandit, sed totus ipse voratur, & penitùs euanet. Ad hæc D. Gregor. lib. 27. Moral. cap. 25. *Homo cùm de Deo tacet, per rationem in qua cõditus est, esse aliquid videtur. At si loqui de Deo cæperit, illicò quàm sit, nihil ostenditur: quia magnitudinis illius immensitate deuoratur, & quasi in profundum raptus absconditur, quia fari ineffabilem cupiens, ipsa suæ ignorantiæ angustia deglutitur.* Qui supra cælesti a omnia se extollit homo, vbi Deo cumparandus se sistit, penitùs manet absortus, & reputatur quasi nihil.

Gregor.

§ II.

Nil magis homini proprium, quàm rigorem iustitiæ, seueritatemque alijs velle, non sibi.

PVlchrè dum Rex homo exhibetur, cùm seruis vult ponere rationẽ, non secum; ad alios enim, nõ ad se cupiũt homines seueritatẽ regiam. Audita Dauid parabola de peregrino rapiente ouiculam pauperis, vehementer exasperatur; quippè ait text. 2. Reg. 12. *Iratus enim indignatione Dauid aduersus hominem illum, dixit ad Nathan: Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc. Quem reddet in quadruplum, eò quòd fecerit verbum istud, & non pepercerit.* At postquam post Nathan sciuit parabolæ explicationem, & se tanti facinoris agnouit authorem, leuior iam factus ait: *Peccaui Domino.* Supra culpam exaggerat, crimen morte plectendum pronuntiat, legem de restituendo quadruplo pro furto adducit, nunc solùm ait: *Peccaui Domino.* Cur non magis ait, Filius sum mortis, quadruplum reddam, sed illis omissis, ad simplicẽ sui peccati confugit confessionem? Equidẽ erat Rex homo, & ideò non sibi, sed alijs volebat regium rigorem. Pulchrè D. Basil. Seleuc. orat. 17. inquit: *Ob peccata sua sic afficitur, at ob aliena regiè discernit.* Proh quàm seueros iudices agimus omnes homines erga alienos errores! quàm exactè ponderamus eorum grauitatem! quã applicamus illis totum legum rigorem! At erga nostros quàm blandè, quàm leniter, quot scaturiunt hinc inde excusationes, quot humanæ fragilitatis memoriæ, quot prosiliunt rationes miserationum! A Saulis ira seruauit Dauidem Michol Saulis filia. 1. Reg. 19. Sed & eidem Dauidi fugienti dedit Abimelech Sacerdos Dei panes, dedit & gladium. Vtriusque facinus fuit Sauli reuelatum, & quòd filia liberaret infensissimũ sibi hostem, & quòd eum dẽ Sacerdos Dei cibaret. Quid tũc Saul? Ad filiã ait, cap. 19. *Quare sic illusisti mihi, & dimisisti inimicum meum?* Ad Sacerdotem autem, cap. 22. *Morte morieris, Abimelech, tu, & omnis domus patris tui. Et ait Rex emissarijs, qui circumstabant eum: Conuertimini, & interficite Sacerdotes Domini.* Quid seuerius? Sic nullã admittit excusationem à Sacerdotibus, nullum eorum auscultat verbum, sed omnes suspicatur reos mortis, & omnes iubet interfici. At ergà filiam lenissimus, nullum illi verbum asperum dicit, & rem, quam vocat in Sacerdotibus rebellionem, in filia vocat lusum. Nihil hoc miraculum, erat Saul homo, qui ad propria non poterat non emolliri, etiam quando seueriſsimè castigabat aliena. Chrysost. homil. 33. in 1. ad Corinth. 13. inquit: *Saule quid erat agreste, furiosumve magis? Et tamen cùm hostem filia liberasset, ne vocem ille quidem acerbiorem emisit: & propter quem Sacerdotes ille mactarat, filiam cùm eũdem suis ex ædibus dimisisset, ne verbo quidem interpellauit tanta fraude commissa, sine dubio, quòd validiori fræno, charitatis scilicet, teneretur.* Nescit penè ab hominibus aliter exerceri iudiciũ; omnia affectus iudicat, quos fratres, quos amicos, quos filios habemus, Deus bone, quàm sicut nosmetipsos amamus, eorum etiam turpissima facinora putamus lusum, nihilque in eis inuenimus examinationis dignum. At erga alienos, à nobisque dissitos districtissimè agimus, omnia illorum sunt apud nos facinora, & crimina, vehementissimèq; zelamus Dei, virtutisque honorem in illis. Pro quo sapienter D. Bernard. serm. 4. de Aduentu, ait: *Alij tàm vehementer contra aliorum debita zelantur, vt videri possent esurire, & sitire iustitiam, si esset apud illos de suis quoque peccatis idem iudicium: sed nunc pondus, & pondus, vtrumque abominatio est apud Deum.* Fœlix ille esset vir,

1. Reg. 19

1. Co. 13

Basil.

Bernar.

qui

qui non solùm seruos ad rationem reddendam vocaret, sed simul & se, & filios, & amicos adduceret in idem periculum, vt quod de suis faceret iudicium, illud idem, & minimè aliud faceret de alienis delictis. Imò aliena sic suis permisceret, vt minimè inter vtraque distingueret, sed eisdem trutinis aliena pensaret, quibus sua.

§. III.

Mansuetudo, & suauitas, non strictus rigor, præstantes elicit, & alit virtutes.

FLoridissimum cæli regnũ, in quo virtutũ præstantissimarum segetes metũtur, meritò dicitur comparari homini Regi, non leoni Regi; non enim strictus rigor, & feralis laniena valet ad eliciendas, fouendasque præstantes virtutes, sed id præstant hominis suauitas, & mansuetudo. Quis nesciat nauiculã illam, in qua ibat Saluator, penè ventorum quassatam turbinibus, fluctuum assultibus verberatã, æstus inundationis superfluam, & penè obrutam, iam iam titubantem? Tunc ait Luc. 8. Lucas cap. 8. *At ille surgens increpuit ventum, & tempestatem aquæ; et cessauit, & facta est tranquillitas.* Non solùm cessat tempestas, sed noua, & inusitata exoritur tranquillitas. Sed mirandum, quòd adeò turbatum mare increpationẽ perhorrescat, & sese contineat intra carceres, quando vel infirmi seruuli dominorum increpationibus magis solent irritari, & vehementioribus iris rapi. Quî ergo fieri potuit, quòd increpatio sola Domini tã effe rum, & violentum seruum in tam bonã frugem subitò transmutaret? Non equidem sola increpatio id effecit, sed benignitas, & suauitas increpantis ab initio cõditionis nota, & manifestata in congre- Basil. gandis aquis. Aiebat acutè Diu. Basil. Seleuc. orat. 22. *Verbo minaci mare continet Deus, & modica voce ingens elementũ fræ nabatur. Recognoscebat enim veterem vocem, recordabatur antiqui præcepti: Congregentur aquæ in vnum locum, &c.* Suauitas, & benignitas Creatoris, qua ab initio locum, & sedem aptam prouidebat aquis: ea inter minas, & increpationes recognita valuit turbulentissimos fluctus frænare, & reducere in tranquillitatem. Non tàm strictus rigor, quàm suauitas potest rebelles mẽtes reducere in mores placidos. De summo omnium moderatore locutus Dominus ait. Ioan. 15. *Pater meus agricola est.* Quid agricola ad regnum? Agricola ad sturpandas spinas, eradicãdasque, ad vineas colendas, ad nemora plantanda, exigendaq; aptatur: verùm ad mores hominum componendos, quid potest agricola præstare? Sapienter D. Ambros. rem tractat, lib. 3. de virg. fatus: *Sæpè etiam relictis aratris, ipse validus agricolæ digito solùm scalpit, vt florum deponat radices, & asperis manibus, quibus luctantes inter vineta flectit iuuencos, molliter ouium pressat vbera.* Expende, quæso, pulcherrima verba, & pulchriorem mentẽ Ambrosij: duo officia exercet agricola, circa quæ etiã dupliciter se habet: proscindenda illi terra est, ferique iuuenci domandi; tum flores colendi illi sunt, lacteæq; diuitiæ fugendæ. Ad proscindendam terram dura ferri adhibet aratra: ad iuuencos domandos lacertosis, duritieque halantibus vtitur brachijs, asperrimisque manibus. Verùm vbi ad flores nutriendos ventum est, ad lacteas diuitias fugẽdas, non ibi aratri ferrea cuspis, sed digitus solùm scalpit; non lacertosa brachia, rigentesque manus, sed manus in mollitudinem efformatæ ouiũ vbera nouerunt pressare. Potest equidem ferrea cuspis spinas proscindere; potest lacertorum durities iuuencos luctantes cõprimere: at flores educere; lacteos succos ab vberibus exprimere nec potuit aratrũ, nec lacertorum durities, sed suauitas, & manuũ mollitudo. Quid pulchrius? Strictus rigor, & seueritas potest forsan scelerates cõprimere: at floridas virtutes, dulcissimos morum fructus educere omnino non potest: vt iuuencæ ferocia comprimatur, opus est violentiæ, & asperitatis, vt eiusdem vbera dulces succos emittant, nõ est opus lacertorum, sed manus molliter, suauiterque ductæ. Quisquis ergo effræna tos velit comprimere mores, regiam induat seueritatem, & agricolæ vtatur ferro; at qui velit præstantes virtutes producere, addat lenitudinem, & suauitatem hominis. Titum dum admonebat Paulus, capit. 2. ait: *Argue cum omni imperio*; at verò admonens Timotheum, cap. 7. fatur: Ad Ti. 2 *Argue, obsecra, &c.* In Tito solam regiam seueritatem requirebat: in Timotheo & Ad Ti. 1 lenitudinem amabat hominis, dum ait, *obsecra.* Quocirca D. Anselm. ait: *Quid est,* Anselm. *quod vni imperium, alij patientiam præcipit, nisi quòd vnum lenioris, alterũ feruentioris spiritus esse conspexit? Leni per authoritatem imperij iungenda erat seueritas verbi:*

verbi: is autem, qui spiritu fernebat, per patientiam temperandus fuerat, ne plus iusto inferuescens, non ad salutem vulneratare-duceret, sed sana vulneraret. Sanè vt aliquando stringendum est ferrũ ad proscindendas spinas, sic etiam cohibenda est, & dissimulanda austeritas, & rigor, vt spes salutis ad calorem charitatis oriatur.

Matth. 18. Et cùm cæpisset rationẽ ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.

§. IIII.

Non parua Dei misericordia fit illi, cui iudicij seueritas diuini non differtur.

VIx incipit Dominus iudicium facere, & ecce iudici sistitur decem millium talentorum debitor. Cur tanto debitori non largius spatium datur, vt sua cõponat? In iudicijs humanis solent in primis res minoris momenti discuti; quæ grauiores sunt, reseruantur in posterum, & præcipuè maioris summæ debitoribus lõgiores dantur indutiæ. Cur non sic in diuinis, sed tot millium talentorum debitor, recens sedenti iudicio iam sistitur? Nõ tribuas hoc crudelitati Regis suos debitores augentis ante sententiam, sed potiùs misericordiæ, eò citius vocanti ad iudicium, quem debitorem magis diligit. *Ezech.9* Apud Ezech. cap. 9. missurus suos ministros Dominus, qui rationes peccatorum sumerent, & inferrent supplicium, hoc illis mandat in primis: *A sanctuario meo incipite.* Septuagint. *A sanctis meis incipite.* Et quomodo iuberet sanctos suos in primis sub gladio poni, nisi hoc pertineret *Ambr.* ad misericordiam diuinam? Ait Diu. Ambros. in Psalm. 118. ferm. 20. *Quos miseretur enim, citò castigat, vt non diutiùs afficiantur futuri expectatione iudicij, non prolixiùs misera reatus sorte macerẽtur.* Quid inducię largiores efficiãt, nisi angustiam, & prolixum dolorem in his, qui habent, vnde timeant iudiciũ? Grauior ipsa morte censetur à plurimis mortis timor; & sanè suppliciorum expectatio vehementer *D.Petr.* angit impios. Vnde D. Petrus locutus de Angelorum rebellium supplicio, ait. 2. epist. 2. *Angelis peccantibus nõ pepercit; sed rudentibus inferni detractos in Tartarũ tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.* Nõ statim totum cum illis iudicium peregit; sed data ex tunc pœna grauissima damni, & ignis, adhuc iubet eos expectare damnationem æternæ reclusionis, quàm post hominum omnium iudicium ipsi postremi capiant. Sic Apoc. 20. de impijs homi- *Apoc.20* nibus inquit: *Et descẽdit ignis â Deo de cœlo, et deuorauit eos; et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnũ ignis, &c.* Priùs impij vorabuntur ab ignita Dei sentẽtia, deinde illorum seductor diabolus. Et cur hęc diaboli damnatio sic in posterũ reseruatur, nisi in maiorem dolorem, & tormẽtum diaboli, qui illius expectatione vehementissimè cruciatur? D. Ambr. ser. 20. in *Ambr.* Psal. 118. *Differtur diaboli iudicium, vt sit semper in pœnis reus, semper improbitatis suæ innexus catenæ, conscientiæq; suæ: vt in perpetuum sustineat ipse iudicium.* Dolor ille, quem auditio sententiæ causabit, etsi maximus, tamẽ breuiter finietur. hinc est, quòd vt Dominus aduersus nocentiores illum dolorem extẽdat, illum plus faciat ab impijs expectari, vt per expectationẽ, non instantaneã, sed quasi æternam, sustineant illam vocem damnationis suæ, & habeant iudiciũ, non vt cęteri in ictu oculi, sed in perpetuum. Quò spectant illa. *Differtur diaboli iudicium, vt in perpetuũ sustineat ipse iudicium.* Nouit hoc, qui clamabat, Psal. 118. *Iudica iudicium meum, et* *Psal 118* *libera me: propter nomen tuum viuifica me. Longè est â peccatoribus salus, quoniã iustitias tuas non exquisierũt.* In eo ponit salutem suam, quòd citiùs iudicetur; & in eo à peccatoribus longè facit salutem, quòd eis iudiciũ differatur. Ait enim ibi D. Am- *Amb.* brosius vbi supra: *Quorum serum est iudiciũ, eorum salus longè est.* Quomodo enim salutis habebit proxima gaudia, qui nõ cessat iudicij seueriſsimi expectatione vexari? Sanè hæc vna expectatio longè facit omnem salutis gustum ab anima. Huc traho dict. 3. tom. lib. 13. cap. 1. §. 3.

§. V.

Principum, & Prælatorum peccata, etiam quæ minima apparent, grauissima solent esse, grauissimamque Dei sententiam sustinent.

NOn immeritò, ex eo, quòd hic homo primus trahitur in iudicium, colligit

ligit Origen. per illũ debere intelligi Prælatos, quando solemne est Deo iudicium incipere à Sanctis suis; hoc est, à Prælatis, & Principibus populi. Ezech. 9. Sed notandum, quòd hic Prælatus dicatur debere decem millia talenta; quod enim minimum forsan apparet in Prælatis erratũ, id talentum est; hoc est, maximum peccatum, & grauissimũ. Orig. hom. 7. in Mat. ait: *Nihil modicum, sed omnia maxima, & pessima peccauit iste, qui oblatus est Regi.* Quantùm à denarijs talentum distat, tantùm distant à subditorum peccatis, etiam quæ in Prælatis apparent minima. Moyses de mandato Dei descẽdebat in Ægyptum. Israeliticum populum inde deductu rus, Exod. 4. *Cum esset in itinere in diuersorio occurrit ei Dñs, & volebat occidere eũ.* Quanta hęc mortis pœna? Quale peccatũ habebat Moyses, per quod fieret tãti supplicij dignus? Sanè qualecumq; esset illud peccatum, non magnum apparet; incredibile est enim, quod vir paulò antè ad visionem rubi ardentis admissus, colloquio Dei nobilitatus, populi sceptro insignit⁹, tàm citò crimen aliquod magnũ cõmisisset; quôd si propter humanã infirmitatem id commisisset, etiam videtur incredibile, quòd vir Dei colloquijs illustratus magnum aliquod crimen non recognosceret, non aduerteret. Ergo quando nõ aduertebatur quodcũq; illud esset, nõ magnũ apparebat, sed minimũ. Cur ergo Deus, vel ad minimũ peccatũ Moysis sic excandet? Cur tantã in illum mortis pœnam cõminiscitur? An quia in Prælatis, & Principibus etiam, quæ apparent minima, magna sunt, & grauissima? Ait Author quæst. veteris testam. apud August. q. 16. *Idcircò sic infestum Angelũ in se vidit Moyses, et paratum ad vindictam, quia viri sublimis culpa, graue peccatum est: quantò enim persona supplicior est, tantò magis leue delictũ eius. Quod verò â summo viro, vtpotè â ductore populi fit, acerbissimum est peccatum.* Acerbissimum est peccatũ, quod à ductore populi fit; quasi putet Author in peccatis Prælatorum non posse esse mediocre; & quidem quod aliàs cẽseretur minimum, in ijs longè maius suscipit incrementum. Propone tibi modò ob oculos præsentem huius parabolæ ministrum, scilicet hominẽ, qui debebat domino suo decem millia talenta, & simul ex Zachar. 5. fœminam super talentum plumbi sedẽtem. Ait enim cap. 5. *Ecce talentũ plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ. Et dixit: Hæc est impietas.* Ecce totam fœminæ huius impietatem, imò absolutam impietatem, & pessimam in vno talento plumbi expressam: & in homine illo decẽ millibus talẽtis vix exprimitur iniquitas. Cur ad expressissimam impietatis imaginem sufficit in Zacharia vnum plumbi talentum, & in Euangelio decem millia talentorum assumuntur? Rationem videtur insinuasse Interlinealis, aiens: *Per hãc amphoram ostendo tibi peccata populi.* Ostendebantur peccata populi in amphora Zachariæ, ad quorum ostendendam grauitatem satis plumbi talentum videbatur; at in Euangelio ostenduntur Prælati peccata, quæ vt maiora popularibus, sic non vnico, sed decenis millenis talentis exprimebãtur. Quò refero illud Ecclesiast. cap. 10. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum non dimiseris, quia curatio facit cessare peccata maxima.* Et quæ curatio facit cessare peccata maxima? Illa, quę facit hominem in subditi statu manere, ne ad dignitatum principatus profiliat. Sic Campensis Paraphrasis ait: *Si dominandi cupiditas animũ tuum inuaserit, locum priorem ne facilè deserueris; qui enim compescit in huiusmodi cupiditatibus animum suum, multa vitabit, et grauia peccata.* Hæc ille ait, quasi putans principatibus, & prælaturis assuta, non qualiacumque peccata, sed grauissima, sed maxima.

Origen. Exod. 4. August. Zach. 5. Interl. Eccl. 10. Campens.

§. VI.

Grauissimum hominis malũ est, quòd ipse ex se nullam memoriam habeat futuri iudicij: vbi & fœlicitas illius, qui sese iudicio frequenter sistit.

EXpende, vnde incipiat ostendi miserrimus hominis status; dicitur enim, quòd allatus est vnus, non quòd ipse venit, non quôd ipse iudicij locum voluit videre; sed quòd repẽtè, & coactè, & prorsus ignorans ipse allatus est. Quid in homine peius, quàm quôd ipse ex se totam iudicij curam abijciat? Quàm, quôd iudicium nesciat, nisi vbi velit, nolit, sistetur illi? Fallar, nisi hoc grauissimum sit malum in hominibus. Psalm. 9. de homine iam deplorato ait: *Non est Deus in conspectu eius, polluuntur viæ eius in omni tempore, auferuntur iudicia tua â facie eius.* Quid periculosius in homine, quàm faciem à iudicio Dei auertere? D. August. sermon. 120. de Tempore: *Irremediabile* peri-

Psal. 9.

periculum est, sic aliquem vitijs, & cupiditatibus fræna laxare; vt se ratione Deo non meminerit redditurum. Puto, quia magna sit iam peccati pœna, metum, ac memoriam futuri perdidisse iudicij. Et meritò iudicij obliuio, irremediabile periculum vocatur; vix enim apparet, vnde homini medicina veniat, si iudicij vltimi diem prorsus
Eccl. 5. à memoria sua segregat. Ad hæc Ecclesiastes cap. 5. *Est & alia infirmitas, quam vidi sub Sole, diuitiæ conseruatæ in malũ Domini sui.* Et quæ diuitiæ in malum Domini conseruantur? Diuitiæ, quæ tollunt iudicij memoriam, eæ sunt, quæ penè irremediabile malum causent. Sic Chaldæus Casti: *Et autem pernitiosum malum, quod vidi sub Sole, cui medicina non est: homo, qui diuitias congregat, neque eas ad pietatem confert, parùm sanè prævidens dierum finem. Hæc enim substantia illi in pernitiẽ venturo sæculo seruatur.* Ecce tibi pernitiosum malum, cui medicina non est, quod irremediabile vocatur à D. Augustino, nimirum malum, quo inter accepta mundi bona, minimè finis, & reddenda ratio videatur. Heu miser homo, qui illius diei lucem abnegat, qui refugit tanti
Psal. 33. examinis claritatem! Clamat Dauid Psal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Qui fieri potest, quòd peccatorum facies non confundantur, vbi sub luce Dei omnia opera sua appareant? Modum ostendit Psaltes illis verbis: *Accedite ad eum*, nimirùm, ne expectetis, vt vi, & coactè trahamini, vos ipsi accedite, & sæpè accedite ad tanti diei lucem, & nullum damnum, sed magnam vtilitatem capietis; ille solùm accipit damnum, qui nec amat iudicij recor-
Basil. dari. Ad hæc D. Basil. ibi: *Omnis, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt eius opera non manifestentur. Accedite igitur ad ipsum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Beatus, qui in die iusti iudicij, quando venerit Dominus ad illuminandum abscondita tenebrarum, & manifestandum consilia cordium, ausus erit sub luce illa redargutionum consistere.* Vt irremediabile penè malum est, vel à memoria iudicij abstinere, & fugere, & iudicium nequissimæ animæ, deploratæq; salutis: sic frequẽter accedere ad iudicium, cordis scrutinium, & reuelationem sustinere, iudici sese in dies sistere, indiciũ est hominis electi ad beatitudinem. Miser, qui affertur, qui trahitur inuitus ad illustrationem iudicij: fœlix, qui per se ipsum accedit, & examen sustinet. Quippè ait Psalm. 98. *Honor Regis iudicium diligit.* Psal. 98. Et quale iudicium bonus Rex diligit? Qui natus est Rex Iudæorum, qui crucem ascendens, titulum ibi Regis ostendit scriptum, quale iudicium diligit? An iudicium, ad quod miseri trahentur inuiti? Absit; minimè natus, & crucifixus Rex illud iudicium diligit; sed iudicium diligit, ad quod volentes accedamus, vt dum nos ipsos diiudicamus, liberemur à seueritate iudicij. Ait D Bernard. serm. 3. in Aduen-
Bernar. tu: *Diligit enim animam, quæ in conspectu eius, et sine intermissione considerat, & sine simulatione diiudicat se ipsam. Idque iudicium non nisi propter nos à nobis exigit, quia si nosmetipsos iudicauerimus, non vtique iudicabimur.* Hæc ille.

§. VII.

Summum hominis discrimen est, quòd vnicum sustineat iudicium diuinum.

TAntorum talentorum debitor nullum aliud dicitur sustinuisse iudicium, sed nunc primò, & vltimò se sistit iudici requirenti rationem muneris. Quid periculosius homini? Nescio si tanti discriminis sit tantum talentorum debitum, quanti discrimĩnis est, vnico semel tantùm Dei sisti iudicio. Sanè Sap. cap. 6. Sap. 6. loquens cum Principibus mundi, & cum Prælatis, ait: *Horrendè, et citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in his, quæ præsunt, fiet.* Sed scire cupis, ex qua parte erit durius, & horribilius iudicium faciendum cum præsulibus, quàm iudicium faciendum cum popularibus? An quia peccata Principum maiori examine discutientur, vel maiori castigatione mulctabuntur? Minimè gentium; omnium enim peccata pari discussione proponentur, & sub debita pœna plectentur, siue sint peccata popularis, siue Principis. Vnde ergo durius erit iudiciũ Principum? Ex eo, quòd Principes, & Prælati nullum aliud vmquam subierint iudicium, sed tunc primò, & vltimò aderint iudicio. Sic Galfridus apud Tilmannium Galfrid. in Allegorijs: *Iudicant quotidiè in Ecclesia Dei prælati subditos: semel veniet Dominus iudicare Prælatos. Quotidianũ monachis suis Abbates vidẽtur exhibere iudiciũ.*

Sed

Sed numquid melior est Abbatum conditio, qui videtur expectare nouissimum? Et quã miseri sunt, qui gloriantur, quòd videantur humanum euasisse; quàm trepidi venient ad diuinum? Quàm terribile illud capitulum erit, quòd semel, & nihil deinceps susceperint corrigendum? Sapienter equidem est dictum, quòd durissimum sit, & horribilissimum, quòd homines ad rem necessariam, & plenam periculi, & discriminis cogantur tantùm semel venire. Fœlix, qui non semel, nec tunc primùm sese iudici sistit, sed frequenter tribunal intrat, examen sustinet, sententiam subit, & pœna afficitur, hic nõ habet, quod timeat in
Ioan. 12 supremo iudicio. Aiebat Dominus Ioan. 12. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Et cur princeps mundi perijt tũc, & eiectus fuit foras? Inter alia plurima hæc causa insinuatur etiam ibi; *nunc iudicium est*, nimirùm, nunc primò in Dei iudicium venit, nullum anteà passus examen à se ipso, nec ab alia creatura passus iudicium. Ex quo
Bernar. monebat D. Bernard. serm. ad milites templi, cap. 8. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Erit iudicium cœli, quando ipsum vocabitur cœlum desursum, et terra discernere populum suum; in quo sanè timendum, ne proijciaris tu cum ipso, et Angelis eius, si tamen inuentus fueris iniudicatus.* Expende, qualem causam apponat timoris, nimirùm, si ad iudicium veneris iniudicatus; hoc est, nullum anteà expertus iudicium. Plena equidem timoris res est, si nullum expertus iudicium, diuino te sistas iudici, quando mũdi princeps nec à se, nec ab alio diiudicatus, in iudicio Dei causa cecidit. Vnde Pe-
Pet. 1. trus. 1. epist. 4. exhortans primitiuos Christianos, dum ad tribunalia traherẽtur, ait: *Tempus est incipere iudicium â domo Dei.* Et cur Dei domestici sic anticipata tribunalia, & iudicia sustinerent? Ait Diu. Ber-
Bernar. nardus, vbi suprà: *Propter hoc ergo iudicium incipit â domo Dei, vt suos, quos nouit Iudex, cùm venerit, inueniat iudicatos; et iam nihil de eis habeat iudicare.* Qui enim alia nouit subire iudicia, cùm ad diuinum venerit, vix inuenit, quid timeat.

***

Matth. 18. Cùm autem non haberet, vndè redderet, iussit eum dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

§. VIII.

Inde claret seueritas diuini iudicij, quòd nullum ibi manebit bonorum suffugium debitori.

MIserrimum est, quòd debitor Dei iudicio sistaris, nullum tibi manebit bonorum suffugium, de quo viuas; quando iudicante Deo, debitoris omnia venduntur, & vxor. Cur & vẽditur vxor? Nonne vxoris pars libera est, in quauis spoliatione, quæ iure propter mariti debita fiat? Hoc iubent Senatus consulta, hoc iustitiæ leges mandant, quòd vxorum dotes integræ sint, & intactæ, adeò vt in iudicijs debitor quisquis ad vxoris dotem respiciat, de qua postmodùm viuat. Sunt, fateor, vxorum dotes solatium, & suffugium debitorum in iudicijs humanis; at iudicante Deo, nullum suffugium manet improbis, & omnia bona, & filij, & vxoris dotes, & ipsa vxor perduntur. Propone tibi ob oculos primum illum Dei debitorem, nimirùm, Adamum, ex nomine vocatum ad Dei iudicium, Genesis. 3. non solùm paradisi hæreditate spoliatur, sed & ipse, & vxor venundantur sub peccato, & eorum possessio, terra subditur & maledictis, & spinis. Hoccine est Dei iudicium, in quo omnia debitoris bona pereunt cum ipsa vxoris dote, imò cum vxore ipsa, ne quid remaneat, vnde viuat. Ex quo lucem capit Tertullianus, Tertull.
lib. de pœnitentia, cap. 1. inquiens: *Deus, post tot, ac tanta delicta humanæ temeritatis â Principe generis Adam auspicata: post condemnatum hominem cum sæculi dote,*

post ejectum paradiso, &c. Expende verba illa, *post condemnatum hominem cum sæculi dote*; quippè Adam acceperat à Deo Euam in vxorem, simulque orbem vniuersum in dotem tanti matrimonij, qua conjuges viuerent, & in filios diuiderent, & nepotes. Verùm vbi miser Adam debitor apparuit in Dei iudicio, omnibus bonis spoliatus est, adeò vt nulli rei parceretur, nec etiam sæculi dotj, nec remaneret misero, vnde lætus viueret. De hac seueriſsima die meritò ait Ioel, cap. 1. *Propè est dies Domini, & quasi vastitas à potente veniet.* Vbi D. Aelredus in cap. 13. Isai. ait: *Hæc vtique dies tanquam vastitas à Domino veniet. Quid enim dies illa non denastat? Nudus egressus sum de vtero matris meæ, ait quidem sanctus, et nudus reuertar illuc. Vbi ergo diuitiæ, vbi lætitiæ, vbi pulchritudo corporis, vbi fortitudo? Omnia certè morientis vastantur.* Vbi ad Dei iudicium venitur, sic omnia debitoris bona vastantur, vt nullum videat, à quo valeat aliquam spem consolationis accipere, Vide apud Lucam Dominum petentem rationem à villico; ait enim: *Redde rationē villicationis tuæ; iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se: Quid faciam?* Expende illa verba, *ait intra se, &c.* Non cum alio aliquo loquitur, non consulit amicum, non vxorem, non filium. Et quis credat, quòd famosissimus villicus non multos haberet amicos, non multos seruos, non vxorem haberet, aut fratrem? Cur ergo non magis ad hos accedit? Cur solùm intra se loquitur? Habuisset amicos, & fratres, & vxorem villicus iste; at vbi ad reddendam rationem Deo Iudici sistitur, omnes illi euanent, & tolluntur, nec vllus remanet, à quo consolationem accipiat. Pulchrè Chrysol. serm. 125. inquit: *Quærit, inquit, intra se consilium, qui foris, vnde sibi iam succurreret, non habebat.* Is est rigor diuini iudicij, qui nulli externo bono parcat, qui nil patiatur subsistere, vnde debitores solatium possint habere; quinimò omnia illis conuertuntur in asperitatem, & duritiem, vt dicat Tertul. lib. de idololatria: *Nec illæ litteræ negatrices, vicariæ oris nostri in die iudicij aduersus nos proferantur signatæ signis, non iam aduocatorum, sed Angelorum.* Expende illud, *non iam aduocatorum*; aderunt Angeli Dei iudicio, sed nō qui aduocati sint, sed qui sint accusatores: proferentur nostrorum debitorum chartæ, & schedulæ; sed in quibus nulla subscripto, nullū signum appareat aduocati defendentis, sed sola ibi debita appareāt, & accusatio. Huc reuoca dicta tom. 3. lib. 13. cap. 1. §. 1. & alibi.

Aelr.

Chrysol.

Tertul.

§. IX.

Fœlix, qui in hac vita Deum iratum experitur; non enim ea ira, sed misericordia est.

MIrabar iudicem iubētem omnia bona debitoris, & filios, & vxorem venundari, & nihilominùs non dici tunc iratum iudicem. Paulò inferiùs dicitur, *& iratus Dominus tradidit eum tortoribus*, modò dicitur iussisse omnia eius venundari, & iratus non dicitur. Nonne ira est, sic perdere omnia debitoris? Ira est, sed ira, quæ misericordiam oleat, quę non perdat, sed faciat fœlicem; quæ non in gehennam abijciat, sed ad pœnitentiam adducat: quippè post illam iram ait. *Procidens autem seruus ille orabat eum, dicens, &c.* O quàm fœlix peccator, cui irascitur Dominus in hac vita, qui Deum irascentem experitur, hic non diu sub ira manebit, sed ocissimè ad gratiam ibit. Mellifluus totus factus est Bernard. serm. 42. in Cantic. inquiens: *Misereamur impio, dicit, et non discet facere iustitiam. Misericordiā hanc ego nolo. Super omnem iram miseratio ista, sapiens mihi vias iustitiæ. Satis profectò mihi, apprehendere disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et peream de via iusta. Volo irascaris mihi, Pater misericordiarum; sed illa ira, qua corrigis deuium, non qua extendis deuia. Illud tua nobis animaduersio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio.* Nescio, an homini in hac vita quid magis periculosum accidat, quàm quòd dum peccat, nihil à Deo recipiat mali, sed potiùs omnia benè habeat. Formidolosa est hæc dissimulatio, quæ homini damnationem prænuntiat maximam, & ostendit salutem penè deploratam. Satius, quòd irascatur Deus in erroribus nostris, & castiget in præsenti peccata nostra. De Deo charissimis locutus Psalm. 98. ait: *Deus, tu propitius fuisti eis, et vlciscens in omnes ad inuentiones eorum.* Quomodo propitius, si vlciscens? Ideò propitius, quia nullum peccatum dissimulabat, sed peccatis singulis vltio aderat, ex qua ratione reddebantur in mentem sanam. De quo Diuus Bernardus, vbi supra: *Hoc vocat propitiationem, quòd eorum Deus non peper-*

Bernar.

Psal. 98.

Bernar.

pepercit excessibus. Numquam Deus peccatori magis propitiatur, quàm vbi nullũ eius peccatũ inultum patitur. Vltio hæc, ira hæc Dei non perdit, sed coronat amicos. Per Isaiam, cap. 13. *Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloriâ.* Expende, qualiter trahat fortes suos Dominus ad gloriosam exultationem, nimirũ, *in ira mea.* Ira enim Dei, quæ in hac vita exercetur circa hominum peccata, non perditionẽ, sed coronas parit. Diu. Aelred. apud Tilmannum in allegor. ait: *Hîc vocatur ira Dei, qua electi puniti sunt, vt coronarentur.* Qui frequenter iram Dei sentit in erroribus suis, is se intra Dei domesticos, intra reseruatos ad vitam, & coronam annumeret. Ille metuat, qui dum totus est in peccatis, nihil à Deo experitur, non blandum, nõ beneuolum, non amicum. Quis magis in peccatis, quàm Iudas? Et tamen qui Petrum increpuit Dominus, & Sathanam vocauit, Iudæ nullum verbum asperum dixit, sed amicum se illi exhibuit; sed & buccella panis, & sacra mẽto sui corporis honorauit. Et cur non magis fuimen cõtorsit in Iudam, sed corpus suum illi præbere maluit? Hildebertus Episcop. epist. 64. ait: *Iudas priùs ad mortem saginatus est corpore, quod erat traditurus.* Et quidem cùm vitulus ad mortem destinatur, tota pastoris cura circa illum inuenitur, & cùm cæreros stimulis petat, cauet, ne hic malum incurrat, sed lætissimam pascuam accipiat, qua totus abeat in saginam. Sic Dominus, qui dilectos corripit, multa indulgebat illi, qui in diaboli macellum abibat. Quò spectabat Minutius Fœlix in Octauio, cũ impijs diuescentibus locutus: *Nisi fortè vos decipit, quòd Deum nescientes diuitijs affluant: honoribus floreant: polleant potestatibus. Miseri in hoc altiùs tolluntur, vt decidant altiùs, Hi enim vt victimæ ad supplicium saginantur, vt hostiæ ad pœnam coronantur.* Vt moris erat hostias coronari, & coronatas ad mortem duci; sic impios prosperitatibus coronatos designat iam mors futura.

Isai. 13.

Aelr.

Hildeb.

Minut.

Huc voca dicta. 1. tom. lib. 3. cap. 7. §. 9. & tom. 2. lib. 12. cap. 5. §. 1.

***

Matth. 18. Misertus autem Dominu serui illius, dimisit eũ, & debitum dimisit ei.

§. X.

Qui à primordio iustus fuit, etiam post ingentia peccata, si conuertatur, promptiorem, & facilioremDei misericordiam inuenit.

DEcem millia talẽta qui debebat, iam iã puniendus humili corde procidẽs, vnum verbum pœnitentiæ dixit, & ecce tibi absque mora, *misertus dominus serui illius, dimisit eum, &c.* Et cur tàm facilè, tàm promptè misertus est dominus? Rationem inuenio in verbis illis, *misertus dominus serui illius*: fuerat equidẽ hic debitor vnus ẽ seruis, è domesticis Dei, & dignus habitus apud illum, cui tot crederentur talenta, & negotia virtutum: quæ etsi dissipauit, etsi perdidit omnia, tamen compunctus facilem, & promptum ad miserandũ Deum inuenit. Is enim est Deus, qui facili negotio, & absque mora currat ad illos, quos à primordio charos habuit, si vel post ingentia peccata conuersi veniam requirant. Matth. 3. venit Iesus ad Ioannem, vt baptizaretur ab illo: *Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cæli: & vidit spiritũ Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Triginta annos vixerat Iesus in mundo, nec vmquã ostendit hominibus cælum adeò facile, & promptum ad se aperiendum, nec Spiritum sanctũ sic de cælis ad nos volantem, vt ostendit modò, cùm aquas tangit vmbratilis baptismi. Et cur ad has aquas sic omnia cælestia, & facilia, & prõpta ostenduntur? Sanè aquæ à primordio Deo se subiecerunt, ait enim Genes. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: & quæ à primordio Deo seruierãt, vel post longissima tempora, si ad idem reuertantur seruitium, & prompta, & facilia cælestia omnia, & Dei aduolantẽ inueniunt spiritum. Pulchrè aiebat Tertul. lib. de baptism. *Tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata, & benedicta corpora libens à Patre descendit super baptismi aquas, tanquam pristinam sedem recognoscens conquieuit.* Expende illa verba, *pristinam sedem recognoscens*: non

Matt. 3.

Gen. 1.

Tertull.

longinquitas temporis, non interpositæ tantorum annorum noctes, non homicidia in aquis perpetrata, non latronũ, seu pyratarum classes currentes per vndas, potuetunt obliterare pristina aquarum seruitia, vbi aquæ sese Iesu submittunt, sed absq; mora in illis diuinus Spiritus recognoscit pristinam suam sedem, & aduolat requieturus in illa. Fœlix quicumq; à primordio sedem fecit Deo in animo suo; is vel post turpissima facinora, & antiquata scelera, si cõuertatur, si pœnitens sese Deo sistat, omnia cæleſtia prompta, & aperta inuenit, & Dei spiritus recognoscens pristinam suam sedem, occissimè volabit ad illam. Notissimũ fuit Ionathę facinus, quo abiuratum à patre ieiunium violauit; imò & Dei offensio propter illud facinus est notissima, quam vt tolleret Saul, sententiam mortis tulit aduersus peccatorem designatum à Domino; designauit Dominus Ionatham, qui de peccato accusatus ait. 1. Reg. 14. *Gustans gustaui in summitate* 1. Re. 14
virgæ, quæ erat in manu mea paululũ mellis, & ecce ego morior. Vix hæc confessionis, & compunctionis verba fecerat, & à Deo motus clamat populus: *Ergo ne Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? Hoc nefas est; viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie.* Nemo non sciebat præclara facta Ionathæ, & quòd secũ habuisset in illis Deum; sed hæc facta per peccatum abolita erant, & Deus adeò offensus, & auersus à Ionatha, vt illum manifestaret ad mortem. Cur ergo post Ionathæ confessionem, & cõpunctionẽ, sic Deus inspirat populo, vt pristinas Ionathæ virtutes proponat, eiusdẽque cum Deo recolat familiaritatem, nisi quia in compũctis peccatoribus plurimũ valent pristina seruitia, vt facilẽ, & prõptum Deum faciant suppliciorum remissorem? Ait enim ibi Glossa: *Multũ prosunt transacta bona: nisi enim Ionatham prætetita bona iuuissent, imminentia mala non euasisset: non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur bonorum.* Nec scelera, nec peccata adeò obliterant pristinas virtutes, quòd vbi compunctio venerit, non meminerit illorum Dominus: quin potiùs pristina bona multùm conducunt, vt de pœnitentia comite Deum alliciant, & peccatorũ nexus absoluant. Chananæa fœmina multùm ad Dominum clamat, nec clamanti Deus respondit, sed taciturnus quasi contemnit voces; at vix filius ille prodigus in se reuersus ad patrem pergit, & ait Lucæ cap. 15. *Cùm adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, et accurrens, &c.* Nondum clamanti prodigo accurrit Dominus, & totam profundit misericordiam; & clamãti Chananææ obdurat aures, prætendit moras. Vnde hęc differentia oritur? Ipse ait Matth. 15. *Non* Matt. 15
est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Chananæa numquam inter Dei filios, nec inter Dei domesticos fuerat numerata; prodigus autem etsi nunc alienus, & adulterinus videbatur, tamen vnus è filijs fuerat, in domo Patris Dei natus, altus, & educatus, qui vel post tantam perditionẽ in se reuersus, de pristinarum virtutum commendatione, & facilem, & promptum, imò & sibi accurrentem inuenit patrem. Multùm equidem valent pristinæ virtutes, vt vel post peccata humiliato citissimam veniam trahant. De Iesu humilibus, & contritis veniam daturo ait Isaias, cap. 42. *Calamum quassatum* Isai. 42.
non confringet: & meritò attritum, & humilem post peccata intelligit Procopius ibi calamum quassatum. Et cur Iesus adeò facilis, adeò bonus exhibeatur humiliato post peccata? Rem insinuat Hieronymus Hieron.
ex illo verbo, *calamum quassatum.* Quippè ait epist. ad Algasiam, quæst. 2. *Calamum fractum non conteret. Calamus fractus, qui fuit anteà vocalis, & in laudes Domini concinebat.* Sic post peccata humilitas pristina virtutibus commendata Deum nanciscitur, & benignum, & facilem.

Matth. 18. Egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens. Redde, quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abijt, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

§. XI.

§. XI.

Mortis, iudiciique memoria sic continet hominem, vt minimè illum sinat vel inimicis nocere.

EGressus autem seruus ille inuenit debitorem suum, quem apprehendens suffocabat pro debito, nec vllis precibus illi parcere volebat. Et vnde egressus ad talia venit? Equidem egressus à conflictu iudicij sui, egressus à iudicis diuini cõspectu, in suum debitorem exardescit; nũquam enim talia auderet, si à conspectu iudicis non fuisset egressus. Quisquis illam postremam horam mente versat; quisquis nescit egredi à consideratione vltimi illius conflictus, sed totus in illo est, fallar, nisi amet parcere etiam hostibus vniuersis. Vidisti aliquando Deum ipsum iratum in homines rebelles, homines sibi inimicos, quos diluuio perdidit, & post perditos infensissimos hostes illos, prænoscens alios nascituros in terra. Gen. 9. *Dixit Dominus ad Noe, et ad filios eius cum eo: Ecce ego statuam pactum meum vobiscum: nec erit deinceps diluuium dissipans terram, &c.* Cur sic mansuescit Dominus in homines futuros? Nonne & ipsi futuri erant etiam hostes, & rebelles? Quòd si rebelles, & hostes futuri erant, cur promittit Deus se nõ vindicaturum de illis? Rem insinuat lectio Græca apud D. Chrysost. vbi habet: *Ecce statuo testamentum meum vobiscum: nec erit deinceps diluuium.* Et quidem vbi testamentum meminit, & mortem meminit subeundam, quam semper designat testamentum, nec potuit cum memoria mortalis illius conflictus, non aboleri totum vindictæ desiderium. Vtinam homines sic se considerarent, quasi iam accedẽtes ad testamentum condendum, numquam sanè meminissent vindictæ etiã de infensissimis hostibus sumendæ. Barbarissimi Ægyptij barbarissimè tractabant Israelitas, propter quos durissimas plagas sustinebãt à Deo, imò dilectissimos filios mortuos videbãt. At inter hæc tantum abfuit, vt Ægyptij insurgerent in Israelitas, quos malorum tantorum causas sciebant, quòd potiùs illos ad fugam, & profectionem hortarentur. Dicit Num. 33. *Profecti igitur de Ramasse mense primo, quinta decima die mensis primi, altera die Phasse filij Israel in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptijs, & sepelientibus primogenitos, &c.* Quid miraculosius? Israelitæ post contritam Ægyptum, post spoliatos singulos Ægyptiorum, aureis spolijs onusti egrediebantur videntibus Ægyptijs, nec reclamantibus, nec persequentibus, sed ad profectionem hortantibus. Vnde tàm sedatus animus, & amicus ortus fuit in barbarissima natione erga suorum causas malorum? Nonne illos egredi videbant, cur non magis in illos insurgebant? Videbant illos egredi, sed & eisdem oculis simul videbant sepulturas suas adapertas, dum primogenitos sepeliebant; ait enim textus: *Videntibus Ægyptijs, & sepelientibus primogenitos*: mors autem ob oculos posita, non ad vindicandum, sed ad dimittendum illos promptos reddebat. Procopius ibi ait: *Plaga imminens eorum refrænabat audaciam, promptosque ad dimittendos eos fecit.* Nequit equidem simul stare memoria mortis cum vindictæ desiderio, quin potiùs vbi illa est, statim inuenitur iniuriarum obliuio, & indulgentia. Nullus duriorem hostem passus fuit, quàm patiebatur Dauid Saulem, inter eius hostiles incursus, occasionẽ se vindicãdi nactus, ingreditur Dauid hostis tentorium intempesta nocte, hominem dormientem inuenit; & lanceam ad eius caput. Quid tunc Dauid? An arrepta lancea confodit hostem, suosq; finiuit labores? Absit, imò socium cupientẽ percutere cohibuit. 1. Regum. 26. *Et dixit Dauid ad Abisai, ne interficias eũ*: & simul ait: *Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christũ Domini.* Quis in Dauide tam iustam vindictam de infestissimo hoste cohibere potuit? Pulchrè aliô datus Chrysostom. homil. de Dauide, & Saule, ait: *Dauid intuitus inimici dormientis faciem, hinc maximè sumpsit animũ philosophicum. Cõspiciebat illum dormientem, et de morte omnibus communi philosophabatur.* Non potuit vel à somno vmbra mortis eam non ebibere philosophiam, qua indemnem, & prorsus liberum dimitteret etiam hostem. Ideò monebat Ecclesiasticus, cap. 28. *Memento nouissimorum, & desine inimicari.* Huc traho dicta tom. 3. lib. 14. cap. 7. §. 10.

Gen. 9.

Chrysos.

Num. 33.

Procop.

1. Reg. 26.

Chrysost.

§. XII.

Nimia festinatio in proximorum causis damnandis, & à malo venit, & nimis periculosa est.

EXpende notam damnosissimi exactoris in debitis fratrum, nimirum. *Tenēs suffocabat eum, dicens, redde quod debes*, nullas suppetias, indutias nullas misero debitori prestabat, nec manum paulisper ab illo retrahebat, sed magis augebat, suffocabat, omnia spatia præcidens respirandi. Sic damnosissimi homines sunt in causas fratrum; sic multos agit diabolus in fratres; numquam enim â Deo, sed à diabolo venit, hæc nimia, & præceps festinatio in debitis exigēdis à fratribus. Nouit aliquādo Saul filium suum Ionatham reum sacramenti violati, & clamans ait. 1.Re.14 1.Reg.14. *Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia morte morieris, Ionatha.* Græcus addit apud Chrysost. *quia morte morieris hodie.* Quis non miretur religiosissimum Saulem, qui pro sacramento violato, nec proprio filio parcit? Nonne hæc erat Saulis religio, quæ illum impellebat ad tātam vindictam de Dei offensa sumēdam? Absit; non enim religio, nec virtus, sed diabolus mouebat hominem; quod vt pateat, expende illa verba, *morieris hodie*: numquam equidem vera virtus tàm præceps est, & festina in exigendis debitis proximorum, quòd omnes inducias amputet. Id solùm potest venire de furore diaboli. Chrysost. homil.14. ad popul. ait: Chrysost. *Non simpliciter dixit, non morieris, sed hodie. Festinabat enim diabolus ipsum in hāc impiam agere cædem, & impellere. Propterea nec sententiæ studium adhibere permittit, ne qua ex mora mali fiat correctio.* Omnes indutiæ, omnia defensionis, siue emēdationis spatia tolluntur, festinatissimè mors Ionathæ tractatur; faciebat hoc non religionis amor, nō Dei offensi dolor, sed diabolus; quippè ait, *festinabat diabolus*, rarò enim, aut numquam tanta festinatio castigationis ab alio venit, quàm à diabolo cupiente profusionem sanguinis humani. Vt meritò dicat Tertull. lib. de patient. Tertull. *Igitur natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo*: diabolicum consiliū est, quòd nimis properè, & festinanter curramus in correctionem fratrum, nec inde aliud potest elici, nisi sanguis. Aiebat Eccleiast. cap.28. *Certamen festinatum accendit ignem: & lis festinans effundit sanguinem.* Quod est certamen festinatum? Carthusian. ibi ait: *Increpatio impetuosa inflammat ignem, furorisque impetum.* Maximè cauendi sunt impetuosi motus, & nimis festinantes in fratres, vt qui ingentes irarum flammas soleant excitare. Sunt in litibus vniuersis sua decreta spatia, certæ induciæ datæ, in quibus & aduocatorum cōsultationes fiunt, & causæ pondus accuratiùs perpenditur, examinatur, quæ spatia si præ festinatione tollantur, nullum bonum iudicium potest sperari. Sic prorsus accidit in quauis causa, quam cum proximo habeas, si certes cum illo, si litiges sine temporis spatijs, sine indutijs, sine morosō consilio, largissimā materiam ignibus dabis; proximi, imò Iesu prodiges sanguinem. Præclarè ait Tertul. lib. de patient. Tertull. *Nihil impetu actum, non aut offendit, aut corruit, aut præcepsabit.* Hinc Psal. 7. de Deo puniente peccata, ait: *Deus iudex iustus, fortis, & patiens*: Cauit meritò iudicem iustum proponere, nisi & patientem adderet. Et cur necessum fuit punitiuæ iustitiæ patientiam addere? Pulchrè Cassiodorus ibi: *Quia vbi est feruida vindicta, non est temperata iustitia.* Cassiod. Et quas iustitiæ leges, & charitatis non conculcat feruidum cor, abruptumque ingenium in proximorum erroribus tractandis?

§. XIII.

Patientia expectantis dat, fratres posse lucrari.

VNam hanc cōditionem petit homo, nimirūm, *Patientiā habe in me, et omnia reddam tibi*: dum enim exactor patientiam habeat, & sciat expectare, fallar, nisi omnium lucrum faciat. Ad hæc eleganter Tertull. lib. de patient. Tertull. *Erroneam ouem patientia pastoris requirit, & inuenit. Nam impatientia vnam facilè contemneret. Sed laborem inquisitionis patientia suscipit, et humeris insuper aduehit bajulus patiens peccatricem derelictam. Illum quoque prodigum filium patientia patris, et recipit, et vestit, et pascit, et apud impatientem fratrem excusat.* Nec bellua, nec homo est, quem patiētia non acquirat Deo; nisi Deo patientia esset, quomodo erratilis quis non periret, cùm primùm fugit?

Quo-

Quomodo filius in substantiæ dissipatione non dissiparetur & ipse? Tolle patientiam, & perit filius viuendo luxuriosè, & perit ouis errabunda, imò vix vnus manet agnus, qui ad dexteram Dei consistat. Sic Oseas. 4. vbi numerosissimum populũ accipit Dominus regendum ferrea virga, ait: *Pascet eos Dominus, sicut agnum in latitudine.* In verbo illo, *Pascet*, summum Pastoris Dei rigorem, & iram intelligunt Theophylactus, Cyrillus, Theodor. Antioch. Hieron. & meritò vbi Deus inducitur irascens, & peccatores feriens, vix è numeroso populo agnum numerant. Rarus esset, aut nullus, qui cum hœdis non periret, si Deus statim peccatores puniret, & non magis circa illos patientiæ, & longanimitatis ostentaret diuitias. Præclarè Paul. ad Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducet.* Præclarè D. Bernard. serm. 9. in Cant. verborum consequentiã in eo ponit, quòd ex eo, quòd Deus sit diues in patientia, non statim puniens, sed expectans permulta tempora, sequatur, quòd homines sese recipiant ad pœnitentiam. Et cur vocat diuitias patientiæ, & longanimitatis? Equidem patientia, & longanimitas, duo sunt diuitiarum diuinarum fontes affluentissmi, quando ea faciunt animarum lucra, quibus Deus nõ potest non apparere ditissimus. Rem explico ex Psalm. 68. vbi ait Dominus: *Pauper, & dolens ego sum.* Pauperem se Deus vocat, dum inter locupletissimos cæli thesauros esset; quod si scire cupis, in quo cõsistat illa Dei paupertas, ait Chrysost. in Psalm. 9. *Pauper erat, quia nos esuriebat:* quasi tota Dei paupertas in eo esset, quòd raras ad se trahebat hominum animas. Qui ergo ignorat Dei paupertatem consistere in raritate animarũ acquisitarum, ille & ignorabit patientiæ, & longanimitatis diuitias, quandoquidem patientia, & longanimitas ingentia lucra, animarũ faciunt. Et à patientia habet Deus tot lucra animarum, quibus non pauper, sed ditissimus appareat. Quicumque enim peccatores post pœnitentiam cælum replent, id patiẽtiæ diuinæ debent referre. Naum, cap. 1. *Deus æmulator, & vlciscens Dominus, vlciscens Dominus, & habens furorem, discens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis. Dominus patiens, & magnus fortitudine.* Inter tot exaggerationes diuini furoris, statim diuinã patientiam proponit: quòd si quæras, cur vbi tot iræ Dei ponderantur, patientia etiam proponitur? Sapienter respondet Rupert. lib. 1. in Naum, cap. 1 *Vt omnis pœnitens id, quod saluatur, debere se sciat expectantis patientiæ, & nullus impœnitens in damnatione sua derogare valeat, quasi festinantis impatientiæ.* Duo asserit doctus Pater, ob quæ fuit necesse inter iras diuinas ostentatas, etiam ostentare patientiam: alterum, ne reprobi damnationem suam tribuerẽt Dei festinatissimæ iræ, ferumque vindictæ: alterum, vt pœnitentes scirent, cui salutem suam debeant, nimirum patientiæ. Et verè cunctatio patiens multa mala corrigit, multa bona seminat. Ideò iram illã Saulis in filium, qua dicebat. 1. Reg. 14. *Morieris hodie*, diabolo attribuit Chrysost. citatus. §. præcedenti. illis verbis: *Festinabat diabolus ipsum in hanc impiam agere cædem, propterea nec sententia studium habere permittit, ne ex mora muli fiat correctio.* Nouerat malus, quot curationes malorum ex mora, & cunctatione consilij prodierint.

Rom. 2.

Psal 68.

Chrysost.

Naum. 1

Rupert.

1. Reg. 14.

Chrysost.

§. XIIII.

Impœnitentibus detrimentosa est Dei patientia.

NOn paruam pœnam super se petit, nisi resipiscat, qui Dei patiẽtiam petit, dicens: *Patiẽtiam habe in me, &c,* patiẽtia enim Dei valdè formidabilis est, & tremenda ijs, qui nullam habent curam obtinendæ salutis. Psalm. 7. *Deus iudex iustus, fortis, & patiens, numquid irascitur per singulos dies?* Hæc vltima verba sine interrogatione leguntur in Hæbræo, & sine interrogatione transferuntur à pluribus. Aquila sic vertit: *Deus iudex iustus, fortis, et patiens, comminans, & infrendens in omni die.* Deum proponit nobis patientem, & simul dicit, quòd comminatur, & infrendet in omni die. Si singulis horis, & momẽtis comminatur, & infrendet, quo modo dicitur patiens? Sanè patientia Dei ea est, quæ impœnitentibus hominibus grauissimam intonet comminationem, & iudicium intolerabile. Aiebat D. Hieron. *Pulchrè ait comminans, & infrendens omni die. Qui enim propter patientiam suã ita delicta non punit, quasi iratus, & comminatus, diem vltionis expectat.* Patientia Dei in rebellium, & impœnitentium delictis ferendis iram sapit, & futuram vltionem,

Psal. 7.

Hieron.

eô

cò grauiorem, quò tardiorem. Quò spectat illud Prouerb. 5. *Non dixeris, peccaui, et quid accidit mihi triste? Altissimus enim est patiens redditor.* Ex eo, quòd peccatis pœnam Dominus reddat, meritò vocatur redditor; sed illud notandum in hoc redditore, quòd vt peccatores perterrefaciat, dicatur patiens redditor; quasi in Deo puniturò delicta, metuenda sit patientia impœnitentibus. D. Gregor. homil. 13. *Patiens redditor dicitur, quia peccata hominum et patitur, et reddit. Nam quos diu, vt conuertantur, tolerat, non conuersos durius damnat.* Cui consonat Psal. 9. *Exacerbauit Dominũ peccator, præ magnitudine iræ suæ nõ quæret.* Quæ verba sic ponderat D. Augustin. serm. 37. de verbis Domini. *Irritauit Dominũ peccator, vis nosse nulla pœna, quanta sit pœna? Irritauit Dominum peccator. Quare hoc dixisti? Quid enim vidisti? Præ magnitudine iræ suæ non requiret. Ideò non exquirit, quia multùm irascitur. Magna est ira eius, parcendo sæuit, et iustè sæuit.* De hoc sæpe aliàs, vide suprà. §. 9.

Psal. 5.

Gregor.

August.

Matth. 18. Videntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt valdè, & venerunt, & narrauerunt domino suo omnia, quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum remisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit misereri te conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadvsque reddat vniuersum debitum.

§. XV.

Præiudicia proximis facta, in iudicio Dei summum subeunt discrimen.

QVi tot sibi debita talenta facilè dimisit Dominus, vbi crudelè proprium iniuriarum vltorem nactus est hominem, illum irremissibiter tradit tortoribus. Væ tibi, homo, qui seuerus es in vindicandis iniurijs tibi illatis à proximis; in iudicio diuino nullum inuenies solatium, sed durissimum experieris Deum vindicatorem. Tecum loquitur Psalm. 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum. Dilexisti malitiam, super benignitatem, &c.* Hæc misero opponuntur crimina, quòd nimirùm abiecta omni benignitate, & mansuetudine, totam malitiam exerceat aduersus suos iniuriatores. Quid tunc? *Propterea Deus destruet te in finem: euellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.* Propter quod tot mala veniunt in hominem ex Deo? Propterea solùm, quòd diligitur malitia super benignitatem, quòd abiecta benignitate, non cessas iniurium tibi percutere fratrem. Pulchrè ad hæc aiebat Diu. Athanas. in vita S. Syncletiæ, quam ê vetustissimo Codice Græco apud Cænobiũ D. Laurentij Regalis manente translatam in sua bibliotheca habet cultissimus, & studiosissimus iuuenis D. Franciscus Brabo de Acuña. Quippê ait ibi Athanas. *Iniustitiam cogitauit lingua tua, quia non cessas conuitijs onerare fratrem tuum, ideôq; iustum tibi iudicium per eumdem Psalmistam ab Spiritu sancto imponitur. Propterea Deus destruet te in finẽ, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Hæc sunt liuidi hominis, & iniuriarum sempiternam memoriam retinentis munera,* Hæc mala parit liuor; hæc munera, siue has ruinas ex Deo omnipotente habet iniuriarum propriarum recordatio. Hoc sanè præ omnibus debes timere iudicium, nimirùm, quod tu intuleris fratribus. Sapienter Dauid Psalm. 118. ait: *Iudica, Domine, iudicium meũ, & libera me.* Nihil sollicitus est de adulterio, nec de homicidio à se perpetrato, nec illorũ meminit, dum meminit se iudicandum, & in iudicio Dei petit liberari à malo; sed tantùm ait, iudica iudicium meum, nõ adulterium, non homicidium, sed iudicium, & libera me. Quasi iudicando homini illud maximè sit timẽdum iudicium, quod fecit ipse de iniurijs sibi illatis. Diu. Ambros. serm. 20. in Psalm. 118. *Grauior nobis causa est dicenda de iudicio nostro, quàm de errore. Erranti enim facilius datur venia, quàm improbè in alium iudicanti. Necesse est enim eam formam in te redire iudicij,*

Athan.

Psa. 118.

Ambr.

dicij, quàm in alium ipſe diſcernendam putaueris. Caue, homo, ſeuerè in fratrem tuum animaduertere; caue diſtrictum iudicem erga fratris iniurias tibi illatas agere; niſi velis in Dei iudicio miſerè periclitari. Qui enim ſeuerus vltor iniuriarum exiſtit in fratres, nihil ſibi relinquit, ex quo poſsit ſibi in iudicio Dei euaſionem autumare. Iacob, Geneſis. 49. dum multas benedictiones filijsſuis precatur, durè admodum aliquos tractat. Rubeno dicit: *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, et maculaſti ſtratum eius. Simeon, & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum nō veniat anima mea, & in cœtu eorum non ſit gloria mea, quia in furore ſuo occiderunt virum, et in voluntate ſuffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura.* Sic & Rubeno, & Simeoni dira precatur bonus pater; verùm poſt hęc Moyſes, Deutheronom. 33. dum eoſdem Iacobi filios ad benedictionē vocat, ſic cauſam Rubeni meliorans incipit: *Viuat Ruben*, & ſingulos benedictionibus annumerans, ſolùm Simeonem miſſum facit, nec illum nominat. Et cur Rubē maledictus à patre, benedicitur à Moyſe, & Simeon in maledictione relinquitur? Ruben maximum commiſit crimen, dum cubile paternum violauit, ſed aliquin manſuetiſsimus fuit erga omnes fratres, quæ manſuetudo maledictionem in benedictionem commutauit. At Simeon, etſi in caſtitate nō peccauit, ſeueriſsimus fuit vltor iniuriarum à Sichimitis illatarum, homines crudeliter abſque vlla miſericordia interficiens, quo nō habuit anſam, vnde ſibi benedictionem cōciliaret. Theodoret. in Deuth. quæſt. 76. *Quamobrem nō benedixit Simeoni? Fraternus amor Rubeni fuit illi benedictionis occaſio. Nam illius ergo liberatus eſt â maledictione. Porrô Simeon nullam habuit anſam maledictionis, vt benedictionem conſequi deberet.* Tota maledictio Simeonis erat de furore cōcepto in proximos, de vindicta ſumpta propter ſibi iniurias illatas, quæ nullā habebat anſam, vt poſsit in benedictionem commutari. Maledictio pro ſtupris, pro inceſtis, & alijs facinoribus, dum inter illa inueniat fraternum amorem, & benignitatem, habet, vnde in iudicio Dei poſsit mutari; verùm maledictio pro vindicta iniuriarum, nullam relinquit anſam benè ſperandi.

Gen 49.

Theod.

§. XVI.

Tanta eſt Dei ſeueritas in caſtigandis iniuriatoribus hominum, vt inde teneamur minimè de vindicta tractare.

NOndum queritur ille, qui in carcerē miſſus eſt, nec verbum facit apud Deum, & ecce tibi Deus iraſcitur, & ſeueriſsimè plectit eum, qui conſeruum ſuum miſit in carcerem. Cur, ô Deus, non magis cohibes iram tuam? Cur ante omnem patientis querelam, in oppreſſorem eius tam ſeuerè animaduertis? Nonne optimi iudicis eſt expectare oppreſſorum voces, & querimonias? Cur tu ante ipſas querimonias iam plectis oppreſſorem? Sanè ante patientis querimonias Deus iraſcitur, quia tota diuina ſeueritas eò tendit, vt præoccupet omnem querelarum locum, vt nulla ſit inter homines querela, ſed in pace, & dilectione ſint omnes. Hinc illæ Dei Patris ad Filiū voces, Pſal. 4. *Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuum, potentiſsime.* Qui enim creabatur Rex totius orbis, non ſine cauſa gladium portat, ſed ad vindictam malorum. Sed miraris, quòd iubeatur gladium portare, qui veniebat in mundum prædicaturus dilectionem erga ipſos hoſtes: quippè ait Matth. 6. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* Si ergo dilectio etiā ad hoſtes prædicāda erat, ad quid gladium ipſe portat? Sanè quò Deus ſeſe paratiorē oſtendit ad vindictam, eò firmiùs tenetur ſeruari dilectio inter homines; eò enim tendit diuina ſeueritas, vt omnem vindictæ locum præoccupet. Ait Diu. Paſchaſ. in dictum Pſalm. *Imperatur â Patre, vt accingatur gladio ſuæ fortitudinis ad vltionem inimicorum, ad ſeruanda rerum omnium iura, vt in pace ſint omnia, quæ poſsidet. Nec vllus de vindicta cogitet ſeruorum, dum viderit præliantem Dominum mucrone vltionis accinctum.* Qui tàm ſollicitum, & ſeuerum Deum vindicē iniuriarum nouit, impius eſt, ſi ipſe de vindicta cogitet, ſi vni Deo non credat vindictam iniuriæ propriæ. Sapienter monebat Paul. ad Rom. 12. *Non vos metipſos defendētes, chariſsimi, ſed date locū iræ; ſcriptum eſt enim: Mihi vindictā, & ego retribuam.* Expende illud, *date locum iræ.* Cui iræ, niſi diuinæ? Equidem iniurius eſt Dei iræ, qui ſe vindicare præſumit,

Pſal 44

Matth. 6

Pſchâ

Rom. 12

mit, nec satis nouit, quàm aptiùs, & meliùs Dei ira vindicabit illum. Ibid. Chrysostom. aiebat: *Date locum iræ. Cui iræ? Dei. Nam si te ipsum nõ feceris vltus, Deus erit, qui te iuuando vlciscetur. Permitte itaque illi, vt aduersarium tuum in ius vocet.* Stultissimus est, & iniuriosus Deo, qui de alio vltore iniuriarum cogitat; ipse, ipse nouit vltionum modum, ipse amat per se omnes exercere vltiones; væ tibi, si illi non credis honorem tuum, tuam satisfactionem: ex quo enim ipse in vindictas accingit, omnes iubet supersedere à vindictæ rigore. Chrysost.

CAPVT IX.

De incidente in latrones.

INTERROGAT Legisperitus, quis sit suus proximus? Cui Dominus respondet, docens opera, ex quibus censendus sit proximus quisque. Nõ equidem proximus per patriam, nec per cognationem, nec per amicitiam, nec per sectam, nec per religionẽ; sed per misericordiam impendendam indigenti debet definiri. Et si cętera desint, munus proximi impletur, vbi indigenti cuique homini subuenitur. Dum habes hominem misericordiæ tuæ indigẽtem, habes & proximum, & cui te proximum exhibeas. Hunc sensum facilè in præsenti parabola inuenies conspicuum.

Luc. 10. Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho, & incidit in latrones.

§. I.

Hominis cogitatio in Deum eleuata, omnimodam parit securitatem: ad terram inclinata, ruinam parit.

TOta ruina hominis miserabilis, quòd ab Hierusalem in Iericho descendat; hoc est, à pacis, Deiq; visione, ad curas veniat carnales: dum enim per Hierosolimam intelligit ascendentes ad Deum cogitationes, pulchrè in præsenti elicit Theophilactus: *Nisi quis â cogitationibus sublimibus deciderit, non incidit in dæmones.* Securissimum, & penè inuulnerabilem seruat hominem suum alta, & sublimis ad Deum cogitatio. Quis Deum præ oculis habet, & vulnus accipit? Hinc est, quòd nihil magis curet Dominus, quàm hominum & oculos, & cogitationes ad se rapere, vt sic in tuto homines afferãtur. Ad Philipp. 2. ait Paul. *Propter quod & deus dit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, &c.* Quantulus hic honor ad Filium Dei? Siquidem omnes creaturæ ad Deum comparatæ quasi nihil habentur, quid magni est, quòd omnium genua Filio Dei fiantur? Sanè non hunc honorem iubet Deus exhiberi Filio suo, propter eius emolumẽtum, sed propter creaturarum vtilitatem, quando dum Deo prosternuntur, eumque in mente habent, non est, vnde possint sentire inimicorum iaculum. Pulchrè Arnob. lib. 1. aduersus Gentes, ait: *Non ipse desiderat supplices nos esse, aut amat substerni tot millium venerationem videre: vtilitas hæc nostra est, & commodi nostri rationem spectans. Nam quia proni ad culpas, & ad libidinis varios appetitus vitio sumus infirmitatis ingenitæ, patitur se semper nostris cogitationibus concipi: vt dum illum oramus, & mereri eius contendimus munera, accipiamus innocentiæ voluntatem, & ab omni nos labe delictorum omnium amputatione purgemus.* Expende ab illis verbis: *Patitur se nostris cogitationibus cõcipi, &c.* Nihil non agit Dominus, vt nostris sese inserat cogitationibus, ratus, inde posse constare totam hominis incolumitatem: ex quo enim homo cogitationes suas in Deo fixas habet, gustum innocentiæ capit, & omne inimici vulnus cauet. Deuth. 27. ait Moyses: *Si audieris vocem Dei tui: vt facies, atque custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodiè, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gẽtibus.* Hoc magis miraberis, si præcepta legis Moysis memineris, quæ minutissima erant, circa ciborum electionem, circa vasculorum omnium mũditiem, circa frequentes manuum lotiones. Nihil erat in vsibus humanis adeò minimum, quod non esset cautum in lege Moysis. Et quomodo per has præceptorũ minutias posset conferri tanta celsitudo homini? Tàm grata erat Deo vasculorum mundities, cibo- Theoph. Phil. 2. Deut. 27

ciborum delectio, manuũ lotiones, vt per has ſic extolleret hominis ſui gloriam? Non equidem Deus ſibi gratas habebat has minutias, ſed illas omnes ſub lege poſuit, vt dum homo quidquid videt, quidquid tractat, ad Dei legem pertinere nouerit, in omni actione ſua ſemper Deum habeat præ oculis, quo maneat ſuperior omni hoſti. Ad hæc Tertul. lib. 2. in Mar. *Sacrificiorum quoque onera, & operationum, & oblationum negotioſas ſcrupuloſitates nemo reprehendat, quaſi Deus talia ſibi propriè deſiderauerit. Sed & in ipſis commercijs vitæ, & conuerſationis humanæ domi, ac foris, advſque curam vaſculorum omnifariam diſtinxit, vt iſtis legalibus diſciplinis occurrentibus vbique, neque momento vacarent â Dei reſpectu. Quid enim faceret beatum hominem, quàm in lege Domini voluntas eius, & in lege Domini meditabitur die, ac nocte?* Huc ſolùm ſpectabat prolixa illa lex circa omnes hominum actiones, vt concurrentibus vndique tot legalibus diſciplinis, nec momento à Dei cóſpectu vacarẽt humanæ cogitationes, quo in ſumma fœlicitate aſſererent hominem. Cogitatio enim hominis fixa in Deo, hominem reddit omni inſultui ſuperiorem, vt illa, quæ à Deo deſcendit, & ſeparatur, hominem ſuum penè irremediabili tradit perditioni. Aiebat Sapiens, cap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animã, & terrena inhabitatio deprimit mentẽ multa cogitantem.* Expende totas & carnis, & mundi impugnationes, aduerſus quã mentem prævalere poſsint; nimirùm ait, *Deprimit mentem multa cogitantem.* Mẽs enim, quæ vnum Deum cogitat, nullis externis corruptelis deprimitur; illa deprimitur mens, quæ ab vno Deo diuiſa, multa cogitat, multitudini negotiorum ſuas tradit cogitationes. Hęc eſt perditio penè irremediabilis hominis. Id pulchro exemplo exprimit D. Athanaſ. in vita S. Syncleticæ, nuper Latinis donata ex Regali S. Laurentij Cœnobio: quippè ait: *In tẽpeſtatibus, quæ ab externis fluctibus incumbunt, ad nautarum voces ſæpè â vicinis nauibus auxilium adeſt: at ſentina nautis dormientibu, marique quieto nauim ſæpè ſubmergit, eoſque nec opinantes opprimit. Eſt igitur aduerſus cogitationes diligentior cura adhibenda.* Quid pulchrius? Componit ſanctus Doctor hominem cum naui, & vt nauis tempeſtatibus acta ſalutem poteſt negotiari ſuam, ſiuè nautarum diligentia, ſiuè nautarum clamoribus petentibus auxilium à ſimul nauigantibus. Sic homo dum ab externo impugnatur, non difficilè poteſt liberari, & incolumis euadere. At ſicut nauis, dum tranquillo vtitur curſu, fluctibuſque pacatis gaudet, niſi magna diligentia ſentinæ vacuandæ adhibeatur, etiam dormientibus nautis, & nihil ſentientibus, ſolet ſubmerſioni appropinquare. Sic homo, niſi internis cogitationibus conſtringendis, & à mundi fæce vacuandis maximè inuigilet, inſenſibiliter naufragium incurret penè ineuitabile.

§ II.

Qui anguſtas cæli vias vel ſemel arripit, caueat ad latitudinem mundialem deflectere, ni velit perire.

AB Hieroſolymorum virtute deſcendens in Iericho, hoc eſt, in mũdanam latitudinem, cur in latrones non incideret, à quibus lethalia vulnera reciperet? Ijs equidem ſemper eſt latitudo mundana lethalis, qui aliquando triuerunt anguſtam cæli viam. Threnor. 2. de valentioribus adoleſcentibus Hieroſolymæ dicitur: *Matribus ſuis dixerunt; vbi eſt triticum, & vinum? Cùm deficerent, quaſi vulnerati in plateis.* Expende, vbi miſeri Hieroſolymitæ deficiebant vulnerati, nimirùm, in plateis. Qui in arcto, & anguſto templi cuſtoditi erant, vbi illas perteſi anguſtias, latiores viuendi campos amabãt, ibi lethaliter vulnerabantur. Ad hæc D. Paſchaſ. ibi: *Noſtra Hieruſalem amara plorat, quia numeroſior eius pars vulnerata in plateis exhalatur, cùm relicto anguſto itinere, vias arripit latiores.* In latioribus viuẽdi campis vulnera inueniet, & mortem, quiſquis ab anguſta cæli via deflectit. Nidum tuũ aliquando in altis poſuiſti, Chriſtiane, vt anguſtam cæli viam calcares, caue ne deorſum reſpicias, ne ad latioresmũdi vias deſcẽdas, niſi velis mille latronum iaculis trãſuerberari. Hierem. 2. *Quare ergo Iſrael factus eſt in prædam? Super eum rugierunt leones, et dederunt vocem ſuam: poſuerunt terram eius in ſolitudinem, ciuitates eius exuſtæ ſunt, & non eſt, qui habitet in eis. Numquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum Deum tuum, eo tempore, quo ducebat te per viam?* Ductorem nactus Deum in cæleſti via, viam reliquit Iſrael, vt in latitudinẽ mũdialem abiret, & factus eſt in prędã leonibus, & perijt cõſumpt⁹ igne. Quid aliud inueniret, qui relicto

relicto angusto cæli itinere, vias arripit latiores? Pro deploratis Iudæis orat Dauid
Psal.73. Psal.73. *Vt quid auertis manum tuam, et dexteram tuam de medio sinu tuo vsque in finem*? In dextera manu egredientè de sinu Dei intelligit Psaltes populum Israeliticum à Deo deficientè, vt mundi bona possideat. Id quod, Exod.4. significabatur similiter per manum Moysis egredientè de sinu, & sese extendentem in tantum, vt leprosa fieret. Quo posito, notandum est, quòd Dauid non solùm deplorat populũ à Dei sinu egressũ, sed simul reputat æternam, & irremediabilẽ egressionem illam. Quippè ait: *Auertis manum dexterã tuam de medio sinu tuo vsq; in finẽ*. Sed vnde colligit Dauid, quòd egressio illa, & separatio populi à Dei sinu vsque in finem erit, æterna erit? Nonne à sinu Moysis extrahebatur manus, & leprosa fiebat, & statim in eumdem reuocabatur sinũ, quo manebat munda? Cur non idem sperabatur in Dei populo egredièt à Dei sinu, quòd statim rediret? Cur magis irreuocabilem putat populum à Dei sinu egredientem, quã manum egredientem à Moysis sinu? Equidẽ qui in Dei sinu fuit aliquãdo, in arctaq; eius mandatorum via constitutus, si inde deflectat, vt sęculi terat vias, certissima inueniet mortis pericula; latrones crudelissimos incurret, à quibus sic spolietur, & deturpetur, vt permittatur à Deo in æter-
Pasch. num abire exterminiũ. D. Pasch. lib.2. in Thren. ait: *Idcirco, quia desinu Dei egressa foris anima, vnâcũ Dina, vt videret filias regionis huius sæculi, vulnerata est à diabolo, & in mẽbris eius compacta: iam in furore suo auertit Dominus manum suam, Iudæos videlicet abire permisit in exterminiũ*. Vix est reuocabilis egressus, qui ab arcta cęli fit via, ad vias mundi; vbi quis sinũ Dei, angustum cæli iter relinquit, & spatia quærit latioris vitæ, vt instar Dinæ, cũ filiabus regionis huius sæculi lætetur, heu quæ pericula incurret! quot latrones inueniet, quot spoliationes patietur, quot vulnera excipiet! Quibus sic nudus, & fœdatus appareat, vt iratus Deus illum permittat abire in ęternum exterminium. Ideò pul-
Athan. chrè monebat D. Athanas. in dicta vita S. Syncleticæ: *In sensus nostros, nobis etiã nolentibus, fures obrepunt; qui enim fieri potest, vt fumo foris excitato, domus nostra, si fenestræ pateant, nõ denigretur? Quare omnes in forum egressiones prorsus sunt euitandæ*. Et meritò euitandæ sunt omnes egressiones in forum, nimirũ, egressiones, quibus à Deo egredimur, vt fori otiosos conuentus, latioresque vitæ plateas teramus; in his enim vijs, etiam nolentibus nobis fures obrepunt, qui sensus spolient, interna fœdent. Rara equidẽ virtus est, & præstantissima, quæ inter mundanorum conuentus latronum vulnera non recipiat. Id quod notãs Petrus Damianus in Apolog. Damian. cap.28. ex.4. Reg. 4. inquit: *Quòd autem Elisæus ad resuscitandum Sunamitis filiũ de montana remotione descendit, huius temporis Monachis potiùs est venerationi habendum, quàm imitandum. Liceat sanè Monacho ad sæculum ex voluntate recurrere, quoties mortuum hominem ad vitam potuerit suscitare. Illud namque propheticũ iter omninò cognoscitur virtute plenum per resurrectionis humanæ miraculum*. Vix alius ab arcto vitutis itinere, & à sublimi perfectionis ad latiores sęculi vias securus respicit, nisi ille, qui vel mortuos posset in vitam afferere.

§. III.

Qui à proximorum pace, & concordia discedit, totus fit inconstans, & mutabilis.

HIerosolyma idem est, ac visio pacis; Iericho autẽ significat Lunã: meritò ergo iste homo descendens ab Hierosolymis, veniebat ad Iericho, quando qui à pace proximorum discedit, totam recipit Lunę mutabilitatem, & in constantiã. Ad hæc aiebat Nazianzen. orat.32. *Idem* Nazianz. *homines hodiè, eiusdem nobiscum throni, fideique sententiæ sunt, si ita nos duces, & antistites nostri tulerint: eras contrariæ sedis, & sententiæ, si spiritus rapuerit. Odiũ, atque amicitiã nomina comitantur: nec, quod grauissimum est, apud eosdẽ auditores contraria loqui erubescimus: nec nobis ipsis cõstamus, subinde nos immutante contentione. Dicas Euripos quosdam esse, nunc exũdantes, nunc reciproco fluctu subsidentes*. Sanè exundantes, & subsidentes Euriporum fluctus Lunam imitantur, sequuntur; videbis enim ad auras matutinas mouente Luna, mare horridum dorso purpureo, cæruleoque spectãtibus obijci, nec violenter propinquam terram pulsat, neque penitus quiescens, sed pacificis quibusdam amplexibus littora salutans, arenam operit, & aridam conuertit in pontum. At post paucas horas, ad semetipsum resilit, & resiliẽs arentia manentia littora quasi ridet. Sic varij, & inconstantes homines, quod hodiè amplexantur, & cõmendant, post pa-

rùm damnant, abominantur; & vnde hoc
Nazian. prouenit? Præclarè Nazianz. ibi ait: *Immutante eos contentione*, vbi cõtentio exoritur, vbi discordia incipit, non erubescimus contraria loqui apud eosdem auditores. Hanc inconstantiæ notam in suis sectatoribus maximè cauet Dominus, Matt.
Matt. 11 11. *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es?* Quã Ioannis interrogationem vbi Iesus coram muititudine excepit, sic statim ad multitudinem loquitur: *Cæpit dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? Arundinẽ vento agitatam?* Cùm interrogatur à Ioanne, an sit ipse Messias, nihil magis facit Dominus, quàm notam mutabilitatis, & inconstantiæ depellere à Ioanne, prædicans illum non esse arundinem vento agi
Hieron. tatam. Id quod notans D. Hieron. epist. ad Algasiam, quæst. 1. ait: *Nũquid ad hoc existis in eremum, vt videretis hominem instar arundinis ventorũ flatu in partes varias inclinari, vt quẽ anteà laudauerat, de eo nunc dubitet; et de quo priùs dixerat: Ecce Agnus Dei, nunc interroget, vtrũ ipse, an alius sit, qui vel venerit, vel venturus sit? Absit.* Sanè cum Ioannes iam semel Iesum prædicauisset Agnũ Dei, poterat præsens interrogatio apud ignaram multitudinem, aliquam mutabilitatis notam incurrere. Quod vehementer in amico suo Dominus cauit, & meritò prædicat non eum esse Ioannem, qui semel àse laudatum, postea vituperaret, & semel cognitum, postea ignoraret, quod maximè abhorret à Dei assecl is. Et huius indolis mutabilis genium quando vel in vmbra non fuit Deo
Deut. 23 exosum? Deut. 23. *Non ingredietur mazer, hoc est, de scorto natus in Ecclesiam Domini.* Et cur meretricum filios sic Dñs ab Ecclesia sua eliminat? Filius meretricis, vt non habet certum patrem, sic pro temporum, & necessitatis, & vtilitatis occasione parentes variat, modò hunc patrẽ vocãs, modò illum relictum, imò despectum faciens, ali sese accõmodans sibi vtiliori. Sic semper Deo abominabiles sunt, quicũq; in nulla re, siue doctrina firmi sunt; sed prout res tulerit, vel hanc, vel illã colunt; vel hunc magistrũ, & parẽtem, & Deum, vel alium prorsùs diuersum, & cõtrarium
Clem. Alex. vocant. Clemens Alex. ad Gentes ait: *Vides Moysem iubentẽ, vt non ingrediatur in Ecclesiam is, qui ex meretrice natus est, significat autem eum, qui pro vno solo, qui est Deus, multos falso nomine Deos sibi adscribit, sicut is, qui natus est ex meretrice, multos adscribit sibi patres, propter veri patris ignorationem.* Equidem adulterinum genium est illud, quòd tanta inconstantia laborat, vt pro vtilitatis occasione, Deos, & patres, & patronos, & amicos mutet; & quos modò colit, postmodùm vituperet, & vocet in abominationem. Absint vtinã ab Ecclesia Christiana illæ adulterinæ factiones, quibus diuisi populi iam hũc magistrum, iam pestẽ vocant, præsertim cùm vnus debeat esse nobis Magister Christus Dominus. Vnde sapienter Nazianz, orat.
Nazian. 32. sic ad sapientum virorum congregationem loquitur: *Quousque enim hæc audientur: Meus, et tuus, antiquus, et nouus, multitudine opulẽtior, aut tenuior? Senectutis meæ pudet, cùm aliorum nomine censeor, qui à Christo salutem accepi. Non fero circos vestros, et theatra, atque æmulum hunc, tàm in sumptibus, quàm in animorũ studijs, furorem.* Adeant hunc præstantissimum Magistrum iuuiores, & abominentur sub Doctorum nominibus factiones, & diuisiones nutrire in Ecclesia Christi, & censeri sub alio nomine, qui à Christo salutẽ acceperunt. Quin potiùs vniuersas has factionarias voces adulterinas reputẽt, quæ facili negotio, data occasione vel vindictæ, vel lucri maioris, ad alios migrabunt, relictis amicis prioribus. Qui enim relinquunt Hierosolymas; hoc est, qui Dei amorem, & proximi non habent præ oculis, necessum est, vt descendant Iericho, nimirùm, vt subsint Lunæ mutationibus.

Luc. 10. Qui etiam spoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto.

§. IIII.

Virtutum opera custodiunt hominem ab hostium iaculis.

NOn priùs infligũt plagas latrones hi, quàm spolient hominem à virtutum ornatu; dum enim virtutum adesset ornatus, dum adessent virtutum opera, vix nullus relinqueretur locus plagis latronum. 2. Esdræ. 4. *Et reuersi sumus omnes ad*
2. Esd. 4. *muros, vnusquisque ad opus suum. Et factum est in die illa, media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media pars erat ad bellum, et lanceæ, et scuta, et arcus, et loricæ, et Principes post eos in omni domo Iuda ædificantium in muro, et portantium onera, & imponentium: vna manu suum faciebat*

tiebat opus, & altera tenebat gladium. Expende modò, quid faciebant ædificãtium manus; equidem altera manus gladiũ habebat, quo ferire posset hostes. verũ dextera manus instans operi, muros construebat, quibus ipsi prorsus inuulnerabiles redderentur hostibus. Quid plura? Quæ opẽ ribus virtutum instat manus, inexpugnabiles muros construit, ne vllus pateat locus iaculis latronum. Ad hæc Ruricius Epi- *Ruric.*
scop. lib. 2. epist. 14. *Scutum fidei læua contra aduersarios prætendentes, & dextra bonorum operum, tanquam lapidum compositorum mœnia construentes, &c.* Sic quô plura à nobis fiunt virtutum opera, eò altiora, & inexpugnabiliora mœnia exigũtur, sub quibus tuti simus ab omni incursu latronum. Et adeò nobis pro muris sunt virtutum opera, vt si hæc deficiant, statim *Matt. 21*
pateat ruinæ locus. Matth. 21. ficui virentibus pulchrè folijs ait Dominus: *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuò ficulnea.* Nõ iussit Dominus, quôd ficus arefieret, sed quôd infrugifera maneret, cur ergo statim arefacta est ficulnea? Vbi ficus sterilis facta est, ab omnique fructu in perpetuũ spoliata, statim non potuit non patere ruinis, non patere & igni, & ariditati. Ex
Galfrid. quo Galfridus apud Tilmannum in allegor. ait: *Maledicta aresçit ficus, in qua Deꝰ fructum non inuenit. Sic illis euenit, qui non præmittentes fructus dignos pœnitentiæ, ad sterilem ante tempus festinant deuotionem. Nec immeritò etiam siccitas sequitur, vbi sterilitas inuenitur.* A virtutũ fructibꝰ caueat sterilis inueniri, quisquis metuit aridus fieri, vt in ignem mittatur, sequitur enim ruina sterilitatẽ; adeò vt vix inueniri possit operum cessatio, quin simul & ruina accidat. Bis missos nuntios inuenio in Euangelio, semel ad Iesum, & semel ad Ioannem: ad Iesum misit Ioan-
Matt. 11 nes, Matth. 11. discipulos, vt interrogarent: *Tu es, qui venturus es?* Quibus Iesus respondit: *Euntes renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis; cæci vident: claudi ambulant, &c.* Ad Ioannem autem mittunt
Ioan. 1. Iudæi Sacerdotes, & Leuitas, Ioan. 1. vt interrogarent: *Tu quis es?* Quibus Ioannes respondit: *Ego vox clamantis in deserto, &c.* Quo circa sapienter Origenes addubitat, cur Ioannes testimonium vocis solùm reddidit, dicens: *Ego vox clamantis:* Iesus autem non solùm vocis, sed & virtutum reddidit testimonium, aiens: *Renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis; cæci vident: claudi ambulant.* Rationẽ crediderim redditam ab ipso Ioanne, Ioan. 3. dicentem de Iesu: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Et quidem qui minuendus erat, cui instabat occasus, meritò explicatur, non per testimonium operum, sed vocis tantùm, quando defectum operum semper comitatur occasus. *Ioan. 3.*

§. V.

In proximis numquam sunt sola per se mala spectanda, sed simul cum bonis.

ECce tibi bonus morum humanorum Magister, dum hominem spoliatum, & latronum plagis percussum, dicit noluit & occisum, & mortuũ appellare, sed magis nominat semiuiuũ. Et quis inter tot lethalia vulnera, aliud, quã mortẽ clamaret, nisi Iesus, qui vt verus hominũ Magister, docuit nos in proximis nostris non solùm ponderare, quæ mortis sunt, sed & quæ sunt vitæ? Hunc ebibamus omnes Iesu spiritum, & minimè proximorum videamus mala, quin & bona videamus simul. Tertullian. lib. de carnis resur- *Tertull.*
rect. dum pro carnis gloria strenuè dimicat, sic ait: *Tenes scripturas, quibus caro infuscatur? Tene etiam, quibus illustratur. Legis cùm, quando derimitur? Adige oculos, cùm, quando releuatur. Omnis caro fœnum, non hoc solùm pronuntianit Isaias, sed & omnis caro videbit salutare Dei. Notatur in Genesi, dicens: Non manebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt. Sed et auditur per Ioelem: Effundam de spiritu meo in omnem carnem. Itaque si ignominiæ carnis resurrectionem eius expellunt, cur non dignitates potiùs inducent?* Fœlix, qui (vt Tertullianus de carne philosophatur) ita de singulis suis proximis dicit, in quibus nec videre, nec audire velit mala sola, sed simul cum bonis coniuncta, vt quem propter sola mala visa repelleret, de bonorum cõmendatione in amore retineat. Præclarè, qui amabat Deũ Christum, D. Hilar. lib. aduersus Arrianos, dum *Hilar.*
sibi & mortem, & ignominias obiectas videt, inquit: *Non ego audio; Christus ex Maria natus est, nisi & audiam. In principio erat Verbum, et Deus erat Verbum. Non audiam, mortuus est, nisi audiam, resurrexit. Nihil solitarium ex diuinis sacramentis ad suspicionem audientium, et ad occasionem blasphemantium proferamus.*

Et

Et prudentissimè sanctus Pater, vel in Christo sola abiecta, & despecta proponere cauet, ne humanis iudicijs errorem inseminaret. Cuius enim vel sanctissimi viri obscura, & despecta omnia solitariè cernantur, quæ despectionem illi, & damnationem non afferant? Propterea verus proximorum amator, hanc nitatur regulam imitari, ne quid obscurum, & inconditum à proximo peractum audiat solitariè, sed simul cum obscuris cõponat semper res præclaras. Quæstio aliquando agitabatur de Dauide, cur Deo adeò placuit? Cur tanta beneficia à Deo recepit? Nonne homo adulter fuit, & homicida? Sed & de Saul nullum adulterium sciebatur, nullum homicidium, cùm iam Dei sententia à regno pellebatur. Cur ergo Dauid adulterio, & homicidio fœdatus, sic placuit? Non consideranda sunt Dauidis peccata solitariè, sed simul cum illis ponderanda sunt eiusdem facinora virtutum, quæ simul considerata, tot, tantaque sunt, vt meritò ex beneficio Deo possent tanta beneficia sibi comparare. Procopius in Glossa, ad 2. Reg. 7. fatur: *Deus nihominùs Dauidem elegit, qui erga alias mulieres cõtinenter vixit: imperium intrepidè gessit: cultum diuinum exercuit: intentus orationi, psalmodiæ, diuinæ dilectioni, & salutis totius populi magnam curam habuit. Præterea erga amicos fidus fuit, gratus erga benefactores, non crudelis in eos, qui iniuria aliqua eum affecissent. Deinde si quisquam alius vmquam, certè hic pauperes amplexatus est, ob quas res homo secundùm cor Dei esse dicitur. Cæterùm, si quando humanum aliquid passus errauit, castigauit eum Dominus; non auersatus est bonum alioquin existentem, paucis exceptis, vt qui ad iustam stateram exigens, plura benefacta, quàm malefacta reperit.* Procop.

Ecce tibi diuini iudicij moralissimam formam in expendendis humanis factis; non solitariè respicit mala, sed bona, & mala coniungens sub eadem statera diligenter vtramque spectat partem, nec permittit à paucis malis ingentia bona obnubilari. Hanc & nos Dei stateram capiamus, nec vmquam fratrum errores solitariè ponderemus; sed vbi oculi erroribus instant, simul illos ad benefacta conuertamus, nec de illis, sine ijs sententiam feramus. Quis est, qui nõ condemnetur, si eius errores solitariè vocentur in examen? Huc reuoco dicta tom. 2. lib. 6. cap. 3. §. 46. à loco Isaiæ. 66.

Luc. 10. Accidit autem, vt Sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo, præteriuit. Similiter & Leuita cum esset secùs locũ, & videret eum, pertransiuit.

§. VI.

Nullus crudelior, & durior in proximos, quam Sacerdos, qui à Deo deficit, vt vitijs seruiat.

QVis posset videre hominem animã media in via agẽtẽ absque eo, quòd aliqua compassione tangeretur, ali quodq; illi officium exhiberet? Sanè vnus Sacerdos, qui similiter ab Hierusalem in Iericho descenderet; hoc est, qui à Deo, ad vitia properaret. Non inuenit Dominus hominem, cui parabolam crudelitatis, & immisericordiæ aptaret, nisi Sacerdoti à Deo deficienti; & ideò solus Sacerdos, & Leuita proponuntur descendentes ab Hierosolymis, & declinem peccatorum viam terentes, qui nulla tanguntur misericordia, & cõpassione proximi morientis. Sunt equidem in viris Ecclesiasticis hæc duo adeò connexa, vt pene videãtur inseparabilia, nimirùm, & vitiorũ seruitus, & incredibilis in proximos crudelitas. Videbis plurimos è sæcularibus hominibus, qui vitijs seruiant, qui multis constringantur sceleribus, sed qui simul circa misericordiæ opera promptissimi sint. At ex Ecclesiasticis nec vnum vidi vitijs seruientem, qui durissimus non sit, & crudelissimus in proximos egentes. Zachar. capit. 7. dicitur: *Factum est verbum Domini ad me, dicens: Loquere ad omnem populum, & ad Sacerdotes.* Et cùm statim subijciantur, quæ annuntianda essent omni populo, post hæc secundò ponuntur, quæ sint dicenda Sacerdotibus. Qualia hæc? *Iudicate iudicium meum, & misericordiam, et miserationes facite vnusquisq; cum fratre suo, & viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari, et vir fratri suo malum non cogitet in corde suo; & noluerunt attendere, et verterunt scapulam recedentem, et aures suas aggrauarunt, ne audirent, & posuerunt cor suum adamantem.* Zach. 7.

Expende pulchrum epilogum malitiæ sacerdotalis, & incredibilis eorum duri-

tiei in proximos, illis verbis, *Posuerunt cor suum adamantē.* In adamāte duo inuenies coniuncta, nimirùm, summam duritiem, & mollitiem summam. Durissimus est adamas, & inflexibilis prorsus, nec vlla vi potest frangi, & simul adeò blandus est, & mollis, vt si sanguine hircorū perfundatur, ipsa cera inueniatur mollior. Non equidem est hæc mollitudo in adamante sine illa duritie; nec similiter in Sacerdote datur mollitudo vitiorū, qua sanguinibus seruiat, quin simul detur incredibilis durities, & crudelitas in proximos.

Rupert. Pulchrè Rupert. lib. 3. ibi: *De adamante illud mirandum, quòd cùm tantæ sit duritiæ, solo perfusus sanguine hirci, quod animal libidinosum est, statim dissoluitur. Vnde congrua similitudo est valde: & cor suū posuerunt adamantem, quia cùm durissimæ ceruicis, & cordis indomabilis essent contra Deum, mollissimi erant in omnium libidinum fluxum, vt meritò in illos Isaias dicat: Audite verbum Domini, Principes Sodomorum.* Non sunt hæc duo in Principibus Ecclesiæ, & Sacerdotibus separabilia, & durities, & mollitudo; quanta fuerit mollitudo ad vitia, tanta in eis erit durities, & crudelitas ad opera misericordiæ, vt inde pateat, quàm rectè æmulentur adamantis naturā. Hos proculdubio respiciebat Hie-

Thren. 4 rem. Thren. 4. inquiens: *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti. Paruuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis.* Fateor, iuxta primitiuam litterā, ibi Prophetā locutum de Principibus populi Iudaici, de Sacerdotibus, & Scribis; verùm nemo est, qui possit negare ea ad Sacerdotes, & magistros nostri temporis vsque peruenire. In quibus, postquam se captiuos vitijs tradiderunt, maximè viget crudelitas in proximos suos. Proquo di-

Pasch. cebat D. Paschas. ibi: *Quæ enim filia populi mei, nisi Ecclesia plangitur? Sed talibus, et huiusce modi inuoluta more bestiali peccandi vsibus, crudelis quasi struthio in deserto efficitur, nihil nisi præsentia cogitans, nullā filiorum habens sollicitudinem.* Quòd si solemne sit in scripturis, vniuersos peccatores bestijs terræ, marisque comparare, vt iumentis, vt equis lasciuientibus, vt piscibus; vt passim videre licet. At Hieremias vbi Ecclesiasticos magistros brutescere vidit in cupiditatibus suis, nulli illos pecori comparat, nisi struthionibus, & lamijs, quas crudelitate vincant; innuens, quàm sint cum Ecclesiasticorum vitijs conexa crudelitas, & immanis durities. Inde post aliqua ipse Paschasius dicit: *Multi Doctores impietate sua pellecti, crudeliores iure lamijs censentur, & negligentibus struthionibus: quoniam etsi lamiæ crudeliores videantur, nudant tamen mammam, et lactant catulos suos. In quorum profectò comparatione, quia sectantur, & terrena quærunt, atrociores meritò plangūtur, &c.* Hæc ille.

Luc. 10. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secùs eum: & videns eum, misericordia motus est. Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum, & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit.

§. VII.

Filij Dei spiritus ille est, cuius beneficentiam remotissima, & prorsus inaccessa loca sentient, si ibi fuerit egens aliquis.

COncors est Patrū sententia, per hunc Samaritanum intelligēs Dei Filium, verum hominem, custodem iam pridem à Iobo, & Prophetis vocatum. Sed quì fieri potest, quòd filius Dei terat viam hominis descendentis in Iericho, & incidentis in latrones? Non id te moueat, ò bone; vbi enim fuerit corpus, ibi & congregatur aquila; & vbi fuerit egens, licèt in recessibus terræ, ibi & Dei Filius nouit appropiare. Imò inde sese extollit Filij Dei beneficētia, quòd nullum prætermittat horroris locum, dummodo in illo sit aliquis, cui benefaciat. Petrus adhuc rerū diuinarum ignarus, Mat. 17. visibili Tha- Matt. 17
boris gloria captus, clamabat: *Bonum est nos hic esse: Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, Eliæ vnum:* Sic amans Iesum, vt simul vellet Moysem, & Eliam habere cum illo; quam Petri insciatiam vno verbo refutat Euangelista; multis, & præclaris D. Proclus, probans nec Moysem, nec Eliam necessarios, vbi Iesus Dei Filius adest. Quid Moyses ad Dei Filium? Quid Elias? Vnius Dei Filij est,

descen-

descendere in omnia loca, etiam horribilia, & inaccessa viuis, si in illa aliquis cadat beneficentiæ capax. Ait Proclus sermon. de Transfigur. *Elias precatus farinam viduæ multiplicauit, eiusdemque filiũ â mortuis suscitauit; Iesus verò postquam â piscatione te, Petre, vocasset, quinque chiliadas satiauit, et ad inferos vsque penetrauit, omnes, quicaptiui ibi tenebãtur, eduxit.* Nullum prætermisit locum Iesus, quò nõ penetraret, vt egentibus benefaceret, inferna ipsa loca viuis inaccessa ipse calcauit, quia inibi tunc erant eius beneficentiæ capaces. Descẽdat egens nõ in Iericho solùm, sed in terræ viscera descendat, ibique latronum carceribus adstrictus teneatur, diriſsimèq; vapulet, dummodo medicinæ sit capax, non relinquetur à Filio Dei, sed ibi eum consolabitur. Ioan. cap. 16. aiebat Dominus ad discipulos suos: *Modicum, et iam non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem.* Quia ad Patrem ibat, quia sese ostensurus iam erat dignum Filium tanti Patris, expende, quid dicat: *Modicum, et non videbitis me, &c.* Subtrahendus erat ad modicum viuentium oculis, morti tradendus, sepulchro corpus eius claudendum, & anima diuinissima inter iustorum animas in Limbo locanda. Et cur necessarius fuit etiam ad modicum tantus descensus Filij Dei, vt se sisteret Patri? An non posset ire ad Patrem, nisi vsque ad illa infima loca descendisset? Equidem non plena Filij Dei misericordia ostẽderetur, nisi vniuersa loca peruaderet, in quibus erant egentes eius auxilij. Quippê ait D. Cyril. Alexand. lib. 11. in Ioan. cap. 3. *Sic enim plena misericordia ostenditur, si non solùm viuis in hoc mundo, verùm etiam morte oppressis, & in tenebrosis abyssi recessibus sedentibus dimissionem prædicauerit.* Tunc plenariè se Dei Filium ostẽdit Dominus, suoque simillimum Patri, quando nulli loco, nullis tenebris se subtrahit, in quibus possit egentibus benefacere. Nec miror Filium Dei nullum locum prætermittere, vt benefaciat, quando eius aduersarius diabolus vt malefaciat, in horrentia cadaueribus loca, se claudit. Matth. 8. dicitur de Iesu: *Et cùm venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, &c.* Dæmones in monumentis habitabant, quibus liberũ erat habitare in paradiso; & quidem antiquitùs in paradiso erant, & arboribus inserti mortem conciliarunt humano generi. Quomodo ergo modò non paradisos incolunt, vt capiant Euas, vt impugnent Susannas, sed horrentia habitant monumenta? Tanta est malignitas dæmonis, qui inter mortuorũ horrorem deget, dummodo noceat humano generi. D. Paschas. lib 5. in Matth. *Attende, quæ sæuitia dæmonum, quivè furor, aut quæ rabies erga humanum genus, dum ferre nequeunt mori homines, qui viuos gestiunt sepelire, & se ipsos sepulchris mandant, vt homines redigant in sepulchra.* Non horret dæmon sepulchra intrare, dum homines percutiat; & horrebit Dei Filius descendere vsque ad mortuos, vsque ad inferni intima, vt egentibus proficiat? Absit; imò hoc certum sit, quòd vbicumque fuerit inops, & capax misericondiæ diuinæ, eò descendet Dei Filius.

Proc. Ioan. 16 Cyril. Alex. Matth. 8 Pasch.

§ VIII.

Qui peccatori medelam afferre velit, non tot adhibeat remedia abstera, quot mitia, & suauia.

HVc conueniant, qui animarum saluti operam impendũt, & videant, qualia diuinus Samatitanus adhibeat remedia peccatorũ vulneribus. Vinum equidẽ adhibet, quod mordax est, & absterũ; sed & oleum, & alligaturas adhibet, & deinde ponit infirmum supra iumẽtum, & quẽ tripliciter fouet per oleum, per alligaturas, per impositionem supra iumentũ, semel per vinum mordet, & ferit. Sic quisquis plagis peccatorum medetur, pluries vtatur mitibus remedijs, quàm absteris. Paul. 2. ad Corint. 4. *In virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* Ex vna parte virgam nominat, & ex altera charitatem, & spiritum mansuetudinis, binas lenitatis species vni opponẽs absteritati. Ibi D. Ambros. *Quid vultis, inquit? In virga veniam ad vos, an in mansuetudinis spiritu, & in charitate? Semel virgam dixit, bis mitiora subiecit, adijciens mansuetudinem charitati.* De rigoris thesauro vnam apponit virgam; at de lenitatis arcano binas subijcit species, & charitatem, & mansuetudinem, vt omnes discant sese in lenitate erga errantes proximos abundantiores exhibere. Quam superabundantiam misericordiæ in Iesu agnoscebat illa, Cant. 1. aiens: *Meliora vbera tua vino*: mordacem increpationẽ per vinum

2. Cor. 4 Ambr. Cant. 1

vinum explicat, per vbera miserendi fontes; vbi autem increpationem, & rigorem meminit, singulariter vinum nominat; verùm ad expressionem misericordiæ, non singulariter, sed pluraliter vbera proponit. Nescit enim misericordiæ, & lenitatis affectus, nisi de duplici gurgite prosilire in effectum. Ait Diu. Bernard. serm. 10. in Cant. *Duo sponsi vbera, duo in ipso sunt ingenitæ mansuetudinis argumẽta, quod patienter expectat delinquentem, & clementer recipit pœnitentem. Gemina, inquã, dulcedo suauitatis exuberat in pectore Domini Iesu.* Bina semper à Iesu spiritu veniunt fluenta lenitudinis; nec nisi de multiplici gurgite charitatis vena profunditur, quãdo rigor vix oriri permittitur ab vno. Hinc Isaiæ. 61. *Spiritus Domini super me, eo, quôd vnxerit me: ad annuntiandũ mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro.* Expende illud, *annum placabilem, & diem vltionis*; quippè ira vindex vnius diei clauditur spatio, mansuetudo placabilis annum implet: & cur sic angustat iram, qui in tantum misericordiæ dilatat campos? Ipse ait: *vt mederer contritis corde*: vbi infirmi sanandi sunt, vbi miseri errones in bonam frugem reuocandi, rigor aliquis forsan erit necessarius; at mansuetudinis, & lenitatis fontes semper supra rigorem debent multiplicari: nescit enim aliter mederi Spiritus Christianus. De ipso item Iesu Isaias ait, cap. 11. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Hæc tot dona habet Iesus, nimirùm, sapientiam, intellectum consilium, fortitudinẽ, scientiam, pietatem, timorem Domini; ê quibus, duo tantùm video aliquid triste hominibus renuntiare; timor enim, & fortitudo nescio quid præseferunt tristitiæ, & insuauitatis; reliqua quinque dona multiplicem ostendunt suauitatẽ. Et cur duo solùm apparent insuauia; quinque autem dulcedine videntur redundare, nisi quia de Iesu spiritu venit, quòd plura sint argumenta mansuetudinis, in vulneribus peccatorum curandis? Ait D. Bernard. ser mon. 16. in Cant. *Vides, quot phialas plenas odoramentis cælestis medicus præparanit ad sananda vulnera? Attulit spiritum sapientiæ, & intellectus, spiritum consilij, & fortitudinis, spiritum scientiæ, et pietatis, et spiritum timoris Domini, Septẽ sunt numero; ex his profectio infudit oleum meis vulneribus; infudit et vinum, sed minùs quàm oleum. Sic nempè congruebat infirmitatibus meis, vt misericordia superexaltaret iudicio, quemadmodum oleum vino superfertur infusum. Attulit proinde quinq; cados olei, vini non nisi duos. Vinum siquidẽ timor tantùm, et fortitudo fuere, reliqua quinque oleum propria suauitate designant.* Sic semper in mansuetudinis, & lenitatis argumẽtis abundet, quisquis cupit in proximis curare peccatorum vulnera.

Bernar. Isai. 61. Isai. 11. Bernar.

§. IX.

Deum decuit, nihil vile, & iniuriosum non perpeti, sed omnia subire.

MIrabar Dauidis humilitatẽ, qua clamabat, *iumentũ factus sum, &c.* Sed vt mirere magis, Dei Filius celsissimã humanitatem suam velut iumentum fecit, vt seminecem hominẽ proprijs sustollat humeris: quippê ait, *Et imponens illum in iumẽtum suum, duxit in stabulum.* Vbi ferè vniuersi Patres per iumentũ hoc intelligunt Christi humanitatẽ, quæ iuxta Isaiam, dolores nostros tulit, & verè lã guores nostros ipsa portauit. Sed cur, Domine, sic altitudinẽ tuam exinanis, vt vel instar iumenti fias in comportandis hominibus? An aliquid est iumento seruilius, & vilius? Docet equidem infinitam, increatamque Dei virtutem, quôd sicut in altitudine sua nihil altum, & illustre præterit, quod in se non contineat, sic & in demissione, nihil imum, & vile refugiat, quod non sustineat. In omnibus enim debet patere virtutum diuinarum infinitudo: & vt ex limitatione creatæ virtutis prouenit non omnia sustinere; sic ex illimitatione, & infinitudine increatę virtutis venit, quòd se dimittens Deus, omnia vilia sustineat, & nihil refugiat. Ad Philippenses 2. ait Paulus de Iesu: *Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Sanè obedientissimũ sese Dominus posset exhibere Patri, etiam mortis illius ignominia sublata, cur ergo maluit non solùm Patri obedire, sed etiam obedire ei in sustinenda morte plena acerbitatis,

Philip. 2.

tatis, & ignominiæ? Ex quo Deus seſe dimittens, formam ſeruitutis ſuſcepit, nihil ſeruile, etſi humile, & ignominioſum detrectare decuit, ſed omnia ſuſtinere. Ait
Chryſoſt. D. Chryſoſt. ſerm. 6. de paſsione: *Quare totius Dominus creaturæ formam ſeruitutis intraret, niſi vt totas ſeruitutis iniurias ſuſtineret?* Cur aliquod ſuſtinere refugeret infinita virtus ſuſtinendi? Vt nullũ eſt attributum diuinum, quod non comprehendat omnia ſui generis obiecta; ſic nec diuina eſt patientia, quæ nõ ſuſtineat om-
Luc. 18. nia genera patiendi. Apud Lucam, cap. 18. ait Dominus: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ dicta ſunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conſpuetur, &c.* Suſtinuiſſet Filius Dei crucem, ſuſtinuiſſet mortem; quid neceſſum erat ſuſtinere tot genera irriſionũ, & opprobria, tot ſputa? Quia ſuſtinebat Filius Dei, cuius infinitæ virtutis erat, nullũ genus prætermittere ſuſtinentiæ, vt ſic illimitata eius poteſtas illuceſ-
Chryſoſt. ceret. Chryſoſt. ſermon. 6. de paſsion. ait: *Non ſufficit paſsio communis, non mors ſecreta, non mors ſimplex; niſi vt quanta erat patientia ſingularitatis, tanta eſſet & ſingularitas paſsionis. Actum eſt, vt Author ſæculi, ſæculo teſte moreretur; et â mundo, mundi Dominus antè per pœnam, quàm per gloriam cognoſceretur.* Singularitati patiẽtiæ ſingularitas paſsionis debuit reſpondere, ne dum aliquid paſsionis ſubtrahitur, aliqua ſuſpicio contra infinitudinem patientiæ generetur; quin potiùs dum omnia acerbitatis, & vilitatis genera accipiũtur, omnipotens Dominus in illis accipiendis clariſsima ſuæ virtutis argumenta edat. Memini aliquando illud Eccleſ.
Eccl. 1. 1. *Qui addit ſcientiam, addit & laborẽ*; quæ verba expendens Hugo Cardin. ait: *Siuê homo ſit, ſiuê Deus, qui addit ſcientiam, addit & laborem.* Et quidem in Deo, & ſcientia, & laborum ſuſtinentia pari paſſu currunt; vt enim Verbum diuinum omnia dicendo, & repræſentando, infinitudinem paternæ ſapientiæ manifeſtat, ſic idẽ Verbum omnia ſuſtinẽdo in mundo, & nihil vilitatis refugiendo, infinitudinem paternę oſtendit patientiæ. Quò ſpectans Diu.
Cyprian. Cyprian. de patientia, ait: *Quia ad hoc deſcendiſſe ſe dixerat, vt voluntatem Patris faceret: inter cætera admirabilia virtutum ſuarum, quibus iudicia diuina maieſtatis expreſsit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore ſeruauit.* Tolerantiæ tenor exprimebat in Ieſu paternam, & diuiniſſimam patientiam, quæ vt diuina, & infinita erat, ſic eodem tenore tolerantiæ ad vniuerſa ferebatur mala. De quo Paul. ad Hæbræos, cap. 4. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſsit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia.* Tolle peccatum, & nullum tentationum, & acerbitatum genus inuenies, quod Ieſus meus nõ fuerit paſſus; cuius infinitam patientiam non minùs dedeceret, aliquam acerbitatem ſubterfugere, quàm eiuſdem ſapientiam dedeceret, ſi aliquam non calleret veritatem. Decuit ergo Dei Filium, ſicut omnia noſcere, ſic per omnia tentari, vt dicat Diu. Cyrill. Hieroſol. cathech. Cyril. 4. *Cùm abſoluiſſet Ieſus curſum patientiæ, aſcendit tandem ad cœlos.* Abſoluit curſum patientiæ, quia quidquid patientia diuina poteſt, omnia in ſingulis generibus ſubiuit.

Hæbr 4.

Luc. 10. Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcumque ſuper erogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi.

§. X.

Non ſine magno laborum pretio ſalus eſt comparanda.

AVdis Deum de infirmo ſuo cum ſtabulario paciſcentem; duxerat enim infirmũ in ſtabulum. Cur non magis duxit infirmum in xenodochium, & ibi egit de infirmo ſuo cum xenodotheti, ſed maluit ducere in ſtabulum, & agere cum ſtabulario? In xenodochio gratis prorſùs curantur infirmi omnes; in ſtabulo autẽ illi infirmi curantur ſolùm, qui pro cura accipienda exhibent pretium. Huc cõueniant peccatores, & diſcant, vnde curam debẽt requirere ſuis vulneribus; nõ equidem ex xenodochio, ſed ex ſtabulo, non gratis, nec ſine operum ſumptu, ſed magno exhibito laborum pretio. De ſeruo ſuo dicit Dominus. Iſaiæ. 42. *Lignum fumigans non* Iſai. 42. *extinguet.* Et quantum hoc ad Dei ſeruũ, quòd non extinguat lignum fumigãs? Sanè ex ligno fumigante non facilè excitatur clara ignis flamma, ſed difficilè, & ægrè, & multis à fumo priùs extractis lacrymis,

crymis, adeò vt propterea rarus sit, qui tanto lacrymarum sumptu velit instare fumiganti ligno, & non magis illud extinguat. Qui autem lignum fumigans nō refugit, nec extinguit, sed magis illi instat, vt flammam excitet, is non amat habere sibi vltrò oblatam flammam ignis, sed magno lacrymarum sumptu comparat illam: Quid plura? Dei serui vt in se excitent diuinum salutis ignem, non fumigans lignum, hoc est, non molestias operum repellunt, sed per lacrymas, & labores illum excitare nituntur. Ad hæc ait Athan. Athanas. in vita D. Syncleticæ nuper trās lata: *Magnus labor ijs, qui ad Deum primū accedent, propositus est, sed inenarrabilis posteà manet eos lætitia. Quemadmodum enim qui ignem suscitare volunt, fumi molestia lacrymas ab eorū oculis excutit, deinde quod quærebant, consequūtur. Sicquoque diuinus ignis in nobis lacrymis, & laboribus accendendus.* Non vltrò accenditur flāma salutis, sed lacrymis à fumo extractis, & laboribus plurimis excitanda est. Turpiter equidem errat, qui tantam animæ salutem comparare præsumit, & nullum laborum sumptum prætendit. Matth. 20. Matt. 20 aiebat Dominus: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, et Scribis, et condemnabunt eum morte, et tradēt eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, &c.* Vix ascensus in Hierosolymam proponitur, & filius hominis ostenditur sub flagellis, sub morte; numquam enim cælestis ciuitatis ascensus habetur absque magno externi hominis dispendio, & laborum pretio. Isaac. Quippè ait Abbas Isaac hom. 1. apud Tilmamnum: *Ad pacis visionem properantibus (hoc enim Hierosolyma) tradendus est filius hominis: homo exterior gentibus alienus, id est, abstinentiæ, vigilijs, cineri, & cilicio, laboribus, & alieno imperio, vt ab his affligatur, & cruci affigatur, donec fundit⁹ â proprio sensu, & veteris vitæ consuetudine moriatur.* Ciuitatem cælestem, salutem æternam ille peccator videbit, qui sese tradit laboribus pœnitentiæ: à mortificatione, & carnis maceratione habebis posse ascendere in cælestia. Nec vllus est filius hominis, qui sine laborum, operumque sumptu, & pretio peccatori comparauerit vitā æternam. Imò de similitudine filij hominis hoc venit, quòd non rapina, sed magno laborum pretio salus comparetur. Paul. cap. 8. ad Rom. Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, et quos vocauit, hos et iustificauit; quos autem iustificauit, illos et glorificauit.* Vidisti homines à Deo prædestinatos; & vocatos, & iustificatos, & glorificatos; sic Deus illis & iustitiam, & gloriam impertiuit gratis? Sic absque vllo labore suo, absque vllo pretio operum exhibito vsq; ad gloriam peruenerunt? Sanè vocatos, iustificatos, glorificatos ibi audio; & vbi dicuntur laborantes? In illis verbis gloriæ pretium innuitur, nimirùm, *Conformes fieri imagini filij sui*; in quibus enim aliqualis similitudo, & conformitas cum Filio Dei est, nōn potest non esse laborum tolerantia, & passio ad salutem comparandā. Sic nascens Dominus in Bethleem, salutem dum coæuis infantibus præparat, illos ferro, mortique tradit. Et cur largiturus salutem pueris; non largitur illam, nisi truci occisione mediante? Erant pueri Dei Filio similes ætate temporali, & quia similes Filio Dei, sine tanti laboris pretio salutem nō debuerunt comparare. Ait pulchrè D. Leo, serm. 7. in Epiphan. Leo. *Vt imitatoribus suis, quid gloriæ pararet, ostenderet, ortus sui tempore editos martyrio consecrauit, vt in Bethleem geniti per communionem ætatis, consortes fierent passionis.* In quibus fuit conformitas cum Dei Filio, vel in ætate, non debuit non esse conformitas passionum, & laborum, per quos intrarent in regna cœlorum.

§. XI.

Mundanæ amicitiæ omnes deficiunt; Christiana charitas veteribus donis semper noua addit.

PRoh charitas à Iesu mundo illata! feminecem hominem videt: curandum suscipit: oleo delinit: ligaturis fouet: ducit in stabulum: stabulario denarijs datis obligat, & insuper promittit alia, aiens: *Cùm rediero, reddam tibi.* Et cùm redierit, reddet, quando ergo finem faciet præstandi? Ea est, mihi credite, sola Christi charitas humanis cordibus inseminata, quæ nullum vmquam præstandi finem faciat. Cant. 1. *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te.* Cant. 1. Christianam charitatem vberibus cōparat, & prophanas amicitias vino; & quò

quò vbera excedunt vuas, eò Christiana charitas mundiales excedit amicitias. Sed vuæ pretiosiores sunt, & ditiores, & gratiores hominibus, quàm vbera, in quo ergo vuæ possunt superari ab vberibus? In eo maximè superantur ab vberibus vuæ, quòd vuæ facilè expoliantur omni succo, & prorsùs aridæ relinquuntur ad ignē; vbera autem numquam valent exhauriri, sed nouis quotidiè augmentis ora sitientia rigant. D. Bernard. serm. 9. in Cantic. *Pulchrè vino comparat carnalem affectum. Vt enim vua semel expressa non habet iam quòd denuò fundat, sed perpetua ariditate domatur; sic caro impressura mortis ab omni prorsus sua delectatione siccatur, nec vltrà reuiresc it ad libidines. Verùm vbera nō sic. Hæc enim cùm exhausta fuerint, rursus de fonte materni peccatoris sumunt, quòd propinent sugentibus. Meritò proinde meliora carnis, sæculivè amore asseruntur vbera sponsæ, quæ nullo vmquam lactentium numero arescunt, sed semper abundant de viscеribus charitatis, vt iterùm fluāt.* Quis carnalis amor, non tandem vel in morte siccatur? Quæ mundialis amicitia non exhauritur vel in pressuris vt vua? Vna est charitas Christiana, quæ nescit exhauriri, nescit præstandi finem; siuè in lætitia, siuè in pressuris vetera dona nouis obscurat. Propone tibi ob oculos adolescentem illum filium, Luc. 15. dum à patre discedit, mille carnales obit amicitias, & post paululùm *omnia consumpsit, viuendo luxuriosè*, in summam paupertatem redactus, cupiebat ventrem implere de siliquis, *& nemo illi dabat.* Vbi amici, vbi dilectæ? Sanè nemo illi dabat, omnia fuerāt iam exhausta. In se reuersus ad patrem festinat: quid tunc pater? *Misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum.* Insuper ad seruos dicit: *Citò proferte stolam primam, et induite illum; date annulum in manu eius, et calceamenta in pedes eius: et adducite vitulum, &c.* Suf feciſſet filio, quòd pater illi misericordiā faceret; cur post hanc addit tot dona, & amplexus, & oscula, & vestes, & calceos, & vitulum? Sanè filio ea misericordia prima sufficiebat, qua admitteretur in domo paterna; at diuinæ charitati non sufficiebat vna misericordia, sed nouis semper muneribus manifestanda erat, nec exhaurienda. Præclarè ad hæc Ruricius Episcopus, lib. 1. epist. 2. ait: *Ea misericordia sufficit hæredi, quin etiam paternæ clementiæ venia sola nō sufficit, quòd vlnis fouet, quòd gratia permulcet: nisi & munera larga mul tiplicet. Dat annulum, ne rursus â patrē, perfidia duce, discedat: calceamenta dat pedibus, quò faciliùs ardui itineris aspera, et dura contemnat; dat & ipsam primam stolam, &c.* Nec vllum finem ponit largiendo, quæ à cœlis venit clementia, & charitas. De hac dicebat Apost. 1. Corinth. 13. *Charitas numquam excidit*; hoc est, perpetuis viret operum augmentis, in eodē semper vigore est, vt benefaciat. Fulbert. Carnotensis epist. 70. ait: *Verè viuit hic, et fulgurat illa fortis, et speciosa charitas, quæ secundùm Apostolum patiens est, benigna est, et cuius vigor numquam excidit.* Nullis effusis donis nouit arescere charitas Christiana, sed semper sub eodem vigore ad largiendum perseuerat, vt illi optimè quadret, quod diuinæ bonitati aptatur, nimirùm ait D. Basil. Seleuc. orat. 2. *Diuinæ bonitatis imber delatus posterioribus donis obscurat priora.* Sic charitatis imber numquam non effundit illustriora dona.

Bernar. Luc. 15. Ruric. 1. Cor. 13. Fulbert. Basil.

Luc. 10. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vide, & tu fac similiter.

§. XII.

A quocumque fiant, siuè vicino, siuè extraneo opera salutis, per se spectanda sunt, & imitanda.

A Samaritanorum cōuictu, & operibus maximè Iudæi omnes abhorrebant, & quidem meritò, quandò alienissimos ab illa vera religione mores habebant. At vbi inuentus est Samaritanus, qui fecit misericordiam in hominem percussum à latronibus, statim Dominus monet Iudæū: *Vade, & tu fac similiter.* Cur, Domine, non magis caues Samaritanorum mores? Cur proponis sequendum Samaritani exteri, & infidelis opus? Erat opus misericordiæ, & quæcumque salutis opera non à quo fiant censenda, sed per se spectanda, & imitanda sunt. Rem pulchra ratione conficit Theodor. serm. 1. de fide: *Atque alibi quidem videre est, eos, qui singularum*

Theod.

larum artium quærunt fructus percipere, minûs esse sollicitos, qua elocutione, quovê idiomate sint illorum artifices. Neque enim Aticos esse sutores curant, neque fabros ferrarios, neque architectos, neque pictores, non ipsos denique factores nauium, non gubernatores. Verum siuê Scythæ, siuê Sauromatæ, siuê Hispani sint, siuê Ægyptij, summa cũ voluptate vtuntur eorum artibus, solam ab his fidem, diligentiamq; poscentes; minûs autem ægrê ferunt gentiũ, locorumq; differentiam. Item qui citharædi fidibus oblectantur, solã audire vocum consonantiam quærunt, neq; sit ne is Græcus, aut Barbarus scisciatari contendunt. Et tamen in solo perdiscendæ virtutis studio, non curiosi, ac non solliciti esse non possunt, sed ignominiam fieri sibi, probrumq; existimant, si quis homo externus eos ad veritatem erudiat. Et quando omnium artium opera à quouis fiant, siuè extero, siuè vicino, per se ipsa spectantur, quærũtur, suspiciuntur; cur nõ etiam per se spectentur, & suscipiãtur opera salutis? Hæc equidẽ ratio euidentissimè conuincit Gẽtiles; aliam proponit ad Christianos Na-
Nazian. zianzen. orat. 25. aiens: *At etiam peregrinum, et exterum præconem habemus, dicet fortaßè quispiam ex his, qui nimis circumscripti, & carni diditi sunt? Quid? Nonne Apostoli peregrini fuerunt? Nonne multarum nationum, atque vrbium hospites? Audi, quid Paulus dicat, vt nos, inquit, ad gentes, illi autem ad circũcisionem. Sit sanê Petri Iudæa, quid Paulo cum gentibus cõmune, Lucæ cum Achaia, Andreæ cum Epiro, Ioanni cũ Epheso, Thomæ cum India, Marco cum Italia?* Et quis præconem salutis, quia exterum repellat, & non magis accipiat? Et verba, & opera bona etiam exterorum, & peregrinorum potestatem habent præstandi suscipientibus salutẽ. Pro
Ion. 3. pone tibi ob oculos Ionam, cap. 3. *Et cæpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius: et clamauit, et dixit: Adhuc quadraginta dies, et Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ, &c.* Sanè exterus erat, qui ruinam minabatur, & tamen Niniuitæ salutarem timorẽ ebibunt, quo mercati fuere salutem. Id quod ponderat D.
Basil. Basil. Seleuc. orat. 12. inquiens: *Commina-tur extraneus, et ad eius orationem mores commutat ciuitas vniuersa: extraneus loquebatur, ac veluti demissum cælitûs oraculum pertimuerũt, et ad vnam vocem luctui indulgebant.* Et quidem sapientissimè; res enim tanti periculi, in cuiusuis ore erat timenda, & à quouis diceretur, obligabat sapientes, vt haberent rationem salutis,

§. XIII.

Opera misericordiæ ab infidelibus facta, summæ efficaciæ sunt, vt fideles trahant in sui imitationem.

SAmaritani misericordia proponitur; & statim ait Dominus Iudæo; *Vade, et tu fac similiter.* Et cur fidelis homo nõ faciat bona, quæ vel ab infidelibus fieri videt? Equidem efficacissimæ sunt infidelium misericordiæ, vt misericordes, & humanos fideles efficiant. Elias dum populum dura fame percutit, nec fructus, quibus vescantur miseri, generari finit, & ipse etiam famẽ incurrit, Cui Dominus ait.
3. Reg. 17. *Surge, et vade in Sareptã Sidonio-* 3. Re. 17.
rum, et manebis ibi; præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te. Sidonij Gentiles erãt, & infideles, similiter & vidua illa erat Gẽtilis; cur ergo Dominus voluit, vt Elias acciperet cibum à Gentili? Pulchrè D. Ba-
Basil. sil. Seleuc. orat. 11. *Viduam, et pauperem, ac prætereâ Gentilem nominat, vt vel inuitus Elias maneat humanus.* Videns enim viduæ Gentilis in se humanitatem, lapideus esset prorsus Propheta, nisi & ipse humanus erga suos fieret. Valent etiam infidelium bona opera, fideles, licêt inuitos, ad similia trahere. Notissimus est ille Cẽturio Romanus, cuius fides visa fuit admirationem facere ipsi Christo. Is cùm audisset de Iesu, Luc. 7. *Misit ad eum Senio-* Luc. 7.
res Iudæorum, rogãs eum, vt veniret, et salnaret seruum eius. At illi cùm venissent ad Iesum, rogabant eum sollicitè, dicentes ei: Quia dignus est, vt hoc illi præstes; diligit enim gentem nostram, et Synagogã ipse ædificauit nobis. Iesus autem ibat cũ illis, &c. Annuit Iesus Iudæorum votis, & cum illis ibat ad Cẽturionem; cur cum illis voluit ire? Aliàs omnes dimittere consueuerat, aliquod miraculum patraturus: & maximè cauebat Iudæis etiam petentibus ostendere signa. Cur modò tot Senioribus Iudæorum comitatus pergit daturus puero Centurionis salutem? Equidem non cũ illis ibat ad miraculi effectionem, sed magis illos ducebat ad videndã Gentilis Centurionis virtutem, quæ vel deberet cõuertere Iudæos obduratissimos. Pulchrè ait
Chrysolog. serm. 102. *Videtis, quia Chris-* Chrysol.
tus ducebat magis Iudæos, quàm adduceretur â Iudæis; vt audirent esse penes Centurionem

rionem diuinitatis reuerentiam, penes Gentilem legis cultum, penes militem ſtipendiũ gratiæ, penes Romanum fidei doctrinam, in frigore pagano Chriſtianum calorem, in terreno pectore cæleſte ſecretum, et notitiã totam dominationis ſupernæ in tota ſæculi ſeruitute. Et quis fidelis de hoc exemplo nõ exardeſceret? Quis ad ſimilia peragenda non raperetur, quando illa videt peragi ab homine ethnico? Iudæorum religio cùm florebat, & Iudæi à Gentilium conuictu ſeſe amouebant, magnis quotidiè criminibus conſtringebantur, Prophetas occidebant, filios, filiaſque dæmonibus li tabãt, & alia, quorum vel recordationem animus perhorreſcit. Poſt Chriſtum prædicatum, & gentes in Eccleſiam Dei admiſſas, nil tale in Iudæis etiam perditiſsimis auditur. Vnde Iudæi rebelles adhuc poſt Chriſtum ſe ipſis meliores facti ſunt? Sanè ex quo viderũt Gẽtes doctrina Chriſti ci curari, & in miſericordiæ operibus exerceri, quæ anteà ſine Deo, ſine lege, & ſine humanitate erant, ſic affecti ſunt ipſi Iudæi, vt ſi nõ fidei, ſaltem melioribus moribus adhærerent. Chryſoſtom. in Pſalm. 8. ait: *Quandiu legem habuiſtis, et occidebatis, et filios mactabatis, et adulterabatis. Poſtquam autem illuxit Sol iuſtitiæ, de veſtris malis multum deceſſit, & moderatiũs vitam inſtituiſtis, correcti per veſtram in nos æmulationem. Propterea vos diſperſit, vt ſciretis quantam in terris plantarit rempublicam, vos vel inuitos à vitio abducens.* Non potuerunt vel perditiſsimi Iudæi vitia non relinquere, quæ videbant quotidiè relinqui à Gentilibus, dum conuertebantur ad Chriſtum. Sic infidelium virtutes poſſunt ad ſe trahere etiam obduratiſsimos.

Chryſoſ.

CAPVT X.

De diuite feracem agrum habente.

DIVITIARVM Creatarum vanitatem, pulchra parabola Dominus oſtẽdit, dum agrum feraciſsimum, ditiſsimumque proponit, qui eam frugum abundantiam produxit, quæ multos poſſent annos fœlicitate implere, ſed nec vnã noctem ſecuram poſſeſſori reddiderunt. Quis iam diuitijs credat, inter quarum cumulos, & ita abſumitur, & occior mors venit?

Lut. 12. Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit.

§. I.

Infœliciſsimus homo eſt, quem ditant ſolæ creaturæ, & non Deus.

NOtanter dicitur hominis iſtius ager fructus tuliſſe, & non magis Deus eorũ productor exprimitur; vt miſeri inſinuetur infœlicitas ſumma, quẽ creatus ager, & non increatus Deus ditat. Paulus. 1. Corinth. 12. explicans dona cõmunicata hominibus à primordio Eccleſiæ, quibus donis maximè nobilitantur Chriſtiani primitiui, ſic inquit: *Vnicuiq; autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritũ datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſciẽtiæ, ſecundũ eumdem ſpiritum. alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonũ. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis, prout vult.* Cur Paulus poſt ſingula dona enumerata tàm anxiè curauit apponere illorum authorem ſpiritum? Vel cur in enumerandis donis tunc Eccleſiæ conceſsis nec ſemel præteriuit eorum authorem, ſed ſingulis verbis ſpiritum apponebat? Sanè iam tunc diuinitatem Spiritus ſancti aſſerebat; niſi enim Deus eſſet Spiritus, non toties diceretur author donorum, quibus nobilitabatur Eccleſia, quando dona non à Deo, ſed à creatura orta potiùs hominem fœdant. Ad hæc aiebat Chryſoſt. ibi, homil. 29. fatus: *Si minor ſpiritus, & alterius eſſet ſubſtantiæ, nihil conſolatio profuiſſet, neque audire eumdem ſpiritum. Qui enim à Rege accipit, multi id facit, quòd à Rege accipit. Qui autẽ à ſeruo, tunc magis dolet, quando id ſibi in memoriam reducitur. Itaque hinc conſtat, quòd non ſeruilis, ſed regiæ ſubſtantiæ Spiritus ſanctus eſt.* Non multùm equidem curaret Paulus ſingulis donis Spiritum ſanctũ apponere authorẽ, ſi Spiritus ſanctus ſeruus eſſet, creatura eſſet; quando dona, quæ à ſeruis veniunt, & non à domino,

1. Co. 12.

Chryſoſ.

ingenuos viros magis solent fœdare. Nec ingenuus est, sed vilis, & valde miser, qui non dolet, quoties meminit, se, suaq; omnia deberi non domino, sed cõseruo. Nobilis ille fidelium pater Abraham, Genes. 14. Sodomitæ Principi offerenti munera, sic respondit: *A filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ nõ accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas: ego ditaui Abram.* Sed cùm sic recusat muneribus huius ditari, simul dicitur: *At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, &c.* A Melchisedech prolatum panem, & vinum minimè recusat Abraham, quin potiùs & panem, & vinum accipit libens. Cur ergo, qui adeò cauit prima munera accipere, & illis ditari; non recusat accipere hæc secũda? Rationem insinuat textus de Melchisedech, dicẽs: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi;* resplendebat enim Deus in muneribus Melchisedech, & ideò Abraham non veretur illa accipere, quin potiùs amat ditari de manu Dei, qui prudentissimè refugit & dona, & diuitias habere, quæ non à Deo veniant. Chrysost. hom. 36. in Genes. *A Rege Sodomorum accipere nihil voluit; accepit autem ea, quæ à Sacerdote Dei sunt oblata. Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Ea sola amat habere munera, quæ videt in se à Deo venire per manus Sacerdotis Dei summi; reliqua omnia abijcit, indignum reputans ingenuo viro, quòd aliquid non à Deo, sed à conseruis accipiat. Quòd si vel à conseruis habere bona indignum reputant sancti viri, quid dicerẽt, si à peccato illa accipias? Fallar, si quid in hac vita infœliciùs accidat homini, quàm quòd à peccato habeat bona sua. Iob cap. 1. aiebat primus cladiũ nuntius: *Irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio.* Quid ad hæc vir sanctus, & nobilis, & tunc adhuc diues, & potens? Qualem parat vindictã? Quale malum minatur hostibus? Hoc vnum, & quidem grauissimum, nimirùm, quòd sibi habeant ea bona, quæ cum peccato acquisiuerunt. Quippé ait Origen. homil. 1. in Iob: *Sine illos possidere hæc cũ iniquitate, nobis verò dabit Deus alia sine peccato.* Nullum maius damnum temporale potuit euenire Dei hostibus, quàm quòd ex peccato, & iniquitate habeãt bona sua; ingenuique viri, ea à se deprecantur bona, & sola illa cupiunt, quæ ex Deo accipiant. Huc reuoca dicta tom. 7. lib. 9. cap. 2. §. 32.

Gen. 14.

Chrysost.

Iob. 1.

Origen.

Luc. 12. Et cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos.

§ II.

Vna Dei prouidentia est, quæ omnia necessaria prompta, & parata habet: creatæ omnes prouidentiæ mille experiuntur defectus.

EXpende hominis auarissimi, & diuitiarum auidissimi verba, quibus dolet, quòd non habeat, quò congreget fructus suos. Nonne cùm diuitias cogitabat, cùm semina iaciebat, cùm arua colebat, eo studio, vt fructus cogeret, simul & prouidebat horrea, quibus fructus immitterentur? Equidẽ prouidebat; sed quantula est hominis etiam oculatissimi prouidẽtia? Incertæ sunt omnes prouidentiæ nostræ, & post omnem curam adhibitã, post vigilias plures, post præparata omnia, cũ ad rem ventum fuerit, etiam potentissimus, & oculatissimus, se aliquid necessarium non habere intelligit. Eccles. 9. *Verti me ad aliud, et vidi sub Sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bella, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus, casumque omnibus.* Collige in vnum vniuersas naturæ humanæ dotes, siuè velocitatem, siuè fortitudinem, siuè sapientiam, & industriam simul cum potentia, siuè artes omnes, & disciplinas, omnes hæ in occasione deficient, & clamabunt, se, id quod sunt, non habere. Instante necessitate: nõ habebit cursum velocissimus: nec fortitudinem fortissimus: nec artes, nec disciplinæ, nec industriæ emolumentum. Id in præsenti considerans Olympiodorus, & verè, & religiosè loquitur: *Aliud contemplatus sum, quòd vincere in cursu, non sit cuiusque leuis, et expediti ad currẽdum; neque omnium, qui potentes sunt, egregios, ac inuictos se præstare in bello: neque ad prudentes, sapientesque viros, atque industrios diuitias deuolui; sed nec eos, qui multa nouerunt, gratiam consequi: casus enim omnibus communes contingunt; hoc est, incerti rerum euentus; nihilque est hominibus tamquam satis, nihil vndique perfectum, nihil æquale, omniaque ferè dissimili fine terminantur.* Quid verius? Fatuus est, qui in

Eccl. 9.

Olymp.

omni

omnì prouidentia humana, etiam quæ videbantur & certissima, & paratissima, nõ videat deficere. Imò ex eo præcipuè ostenditur prouidentia diuina, quòd ipsa sola omnia sibi necessaria parata habeat, quin experiatur defectum vllum. Recolite ex
Luc. 10. Luc. 10. hominem illum ab Hierusalem descendentem, quem latrones spoliant, & vulneribus confossum, semiuiuum relinquunt. Quid tunc? *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secùs eum: & videns eum, misericordia motus est. Et approprians alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum, &c.* Mirabar ego sæpè, quòd viatori homini in deserto itinere tã prompta, & parata essent omnia vulnerato inuento commoda. Esto, quòd viator deferret secum vinum; at oleum vnde habuit? Sed forsan mos erat tunc viatorũ etiam secum oleum deferre; sic enim Ia-
Gen. 28. cob, Gen. 28. cùm solus viam ageret, *erexit lapidem, fundens oleum desuper*: tulisset ergo secum deuiatorum more Samaritanus ille vinũ, & oleum; at ligaturas vulnerum vnde tàm citò habuit in loco deserto? Sanè non homo erat Samaritanus ille, sed Deus, id quod vel eo solo claret, quôd omnia necessaria vulneri prompta, & parata inuenit; humanæ autem prouidentiæ vel omnia, vel plura deficerent in
Origen. ordine temporis. Sapienter Origen. homil. 34. in Luc. ait: *Vt autem scias, quòd iuxta prouidentiam Dei Samarites iste descenderit, vt curaret eum, qui inciderat in latrones, manifestè doceberis ex eo, quòd secum habebat alligaturas, secum oleum, secũ vinum.* Vni diuinæ prouidentiæ hæc omnia etiam in deserto loco non potuerunt deficere, quę vel in medijs vrbibus non adeò præ manibus essent creatæ industriæ. Propone tibi ob oculos Apostolos missos à Iesu sine sacculo, sine pera, ab omniq; humano subsidio destitutos; & eosdẽ habentes peram, & sacculos, & artis industriam, qua sibi victum, vestitumq; conquirerent
1. Cor. 4. medijs vrbibus. Sic Paul. 1. ad Corinth. 4. *Laboramus operantes manibus nostris, &c.* Sed qui sine artis industria, sine victus cura, sine humano subsidio in vijs, & oppidis erant, interrogati à Domino, Luc. 22. an aliquo caruissent; constanter respondent, in omnibus se abundasse. Verùm qui operam, & industriã apposuerunt, vt sibi necessaria conquirerent, clamant vixisse,
1. Co 11 2. ad Cor. 11. *In fame, & siti, in frigore, et nuditate.* Et cur illi in tanta omniũ abnegatione, nihil non promptum, & paratũ inuenerunt: hi autem tot necessariorum sustinuerunt defectus? Pulchrè Euthim. in cap. 22. Lucæ. *Primùm quidem ipse tenebat illos, non sinens, vt aliquo egerent; postmodùm verò dimisit ipsos, vt sibi ipsis essent auxilio. Tunc nullo indiguerunt, vt Dei potentiam, et gratiam agnoscerent, nunc et esurierunt, et sitierunt, et nuditatem pàssi sunt.* Euidentissimè equidem sese discernunt diuina, & humana prouidentia in copia, siue inopia rerum. Vbi omnia abundant, ibi Dei prouidẽtia cognoscitur, quæ sola potens est omnes defectus prœuenire: nulla prouidentia creata sine aliquo defectu inuenitur; quæ defectus omnes excludit, & in ipsa penuria necessarijs habendis habet promptitudinem, hæc prouidentia est diuina. Fœlix qui sub illa viuit, omnia sibi & prompta, & parata in quouis loco potest inuenire. Euth.

§ III.

Vbi temporalibus niteris, non effugies penuriam, milleque defectus; omnium habebis copiam, si solo niteris Christo.

VT bona tẽporalia creuerunt diuiti isti, sic statim in illo vox egentis auditur; quippè anxius clamat: *non habeo, quò congregem fructus*: quasi nesciant in homine saparari, & amata temporalia, & vox indigẽtis. Hoc certòsciant homines, quòd à temporalibus fiduciæ nostræ fulcris, mille penuriæ prosilient; ille magis abundat, qui nititur solo Christo. Luc. 22. ait Do-
Luc. 22. minus: *Quando misi vos, sine sacculo, et sine pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil. Dixit ergo eis, sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram, &c.* Si quando nec sacculum, nec peram habuerunt, nullum defectum experti sunt, nullam senserunt penuriam; quid necessum est iubere illis, vt modò & sacculos habeant, & peram emant? An habentes sacculos pecunijs plenos, & peras cibarijs onustas, magis expellent penurias rerum, quàm anteà expulere sine istis? Absit; imò quia oblatis omnibus temporalibus, & vni fidentes Christo, nullam potuerunt sentire penuriam; cupiens Dominus, quòd penuriam, & egestatem paterentur, illis permittit habere sacculos pecuniæ, & cibariorum peras, sciens tot fontes oriri penuriæ, atque egestatis, quot apponuntur temporalium bonorum fiduciæ. Ait Diu. Chry-

Chrysost. sostom. in Cat. D. Thom. *Quando nec calceamenta, nec zonam habebant, nec baculũ, nec æs, nullius passi sunt penuriam; vt autem marsupium concessit eis, et peram, esurire videntur, sitire, et nuditatem pati. Ac si diceret Dominus: Hactenus cuncta vobis vberrimè affluebant, nunc autem volo, vos & inopiam experiri, ideoq; non addico necessitati pristinæ legis, sed mando sacculum habere, et peram.* Nec certiùs possent homines subijci penuriæ, & egestati, quàm vbi ab vnius Dei descendentes fiducia, permittuntur & sacculos habere, & operam conquirete. Cum sacculorum, & operarũ augmentis venit simul penuria, & egestas. Vtinam hanc veritarem non adeò euidentem Hispani homines inuenirent, ex quo enim Indiarum thesauros cæperunt habere, quis numeret eorum egestates, & penurias? Non fuit atauis nostris tantum argenti, nec auri, nec pretiosæ supellectilis; sed nec illis fuerunt tot suspiria à defectu rerum necessariarum extorta. Creuit Hispanorum substantia in argento, & auro, in pretiosis supellectilibus, in censualibus redditibus, & cum eorum augmẽtis, & voces non habentium necessaria augentur quotidiè. Hæc pereant, & crescat nostra in solo Christo fiducia, qua nihil nobis non promptum, & paratum aduenier. Marc. 6. niet. Marc. 6. loquens de Apostolis ad prædicandum missis, ait: *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm; non peram, non panem, neque in zona æs.* Non solùm eos pecunia exonerat, sed & panem eripit illis, solamq; virgam haberi permittit. Et cur ablatis alijs omnibus bonis, sola permittitur haberi virga? Virga permissa illa est, quæ egressa fuit ex radice Iesse, nempè Christus, cui soli si inhitamur, omnia bona nobis abundantissimè Pasch. suppetent. Ait D. Paschas. lib. 6. in cap. 10. Matt. *Nihil ferendum in via, nisi virga tantùm mandatur, ex cuius profectò potestate, quæ necessaria sunt, ad futura, nulli fidelium dubitandum. Ipsa est enim virga de radice Iesse, quam Moyses olim secum tulit, et in cuius potestate plurima signorum gessit.* Fœlix ille est, cui datur hac vna niti virga, & illi dulcia mella petræ dabunt, oleumque durissima saxa. Sub hac virga & Sirtes ipsæ, & inhospitalis locus necessaria omnia suppeditabunt.

§. IIII.

Bona temporalia longè ablegãt Deum à mente hominis.

EXpende, quid efficiant in diuite isto vberes agelli fructus; ait textus: *Cogitabat intra se, &c.* Non Deum, sed se vnũ ad consilia capienda meminit: ea enim sunt bona temporalia, quæ Deum longè ablegent ab humana mente. Mat. 22. *Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei, Dauidis. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede â dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat respondere verbum.* Ecce tibi tota Iudæorum sapientia oppilata est, nec quid supra Dauidẽ in Christo meminisse potuerunt. Illis oppo nite modò rudem piscatorem Petrum, is similiter de Christo interrogatus, Matt. 16. clamat: *Tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es, Simon Barjona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, &c.* Cur sapientissimi illi, & oculatissimi nil supra Dauidem in Christo meminere, rudis autem piscator sic supra Dauidem, & omnes creaturas euolauit, vt Filium Dei in Patris sinu pertingeret? Causam insinuat Dominus, dicens Petro: *Caro, & sanguis non reuelauit tibi*: nullũ carnale, & temporale bonum non euanuit ab oculis Petri; at Pharisæorum oculos tenebat regius Dauidis temporalis splẽdor, quo presi Deum meminisse nequiuerunt, Sapienter Diu. Leo, sermon. de Natiuitate, ait: *Intercluditis vobis, ô Iudæi, intelligentiæ viam, & dum solam naturam carnis aspicitis, tota vos veritatis luce priuastis. Expectantes enim secundùm vestræ persuasionis fabulosa figmẽta, Dauid filium de sola stirpe corporea, dum spem vestram in homine tantùm constituistis, Deum, Dei Filium repulistis.* Quid carnalia, & temporalia bona ob oculos posita aliud prius efficerent, quàm Dei repulsam? De Pharisæo illo, qui temporalem gloriam captabat, dicit Luc. cap. 18. *Pharisæus stans, hæc apud se orabat.* Expende, apud quem orat homo temporalis, *apud se*, inquit. Vbi D. Basil. in Caten, Diu. Thom. ait: *Dicit, apud*

Matt. 22

Matt 16

Leo.

Luc 18.

Basil.

apud se orabat, quasi non apud Deum. Nec miror, quòd temporalis gloria locum negaret orationi ad Deum, quando & omnimodam Dei obliuionem parit. Paulus
Galat. 4. ad Galat. 4. notans occasionem aduentus Dei in mundum, ait: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Et cur non anteà misit Filium, nisi quando venit temporis plenitudo? Nũquam Filius Dei magis exclusus à mundo intelligi potuit, quàm vbi temporalia omnia ingenti ap-
Bernar. plaudebant plenitudine. Sic D. Bernard. serm. 1. Aduentus, inquit: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filiũ suum; nimirùm, plenitudo, & abundantia temporalium obliuionem, & inopiam fecerat æternorum.* Hæc pariuntur à bonis temporalibus, nimirùm obliuio æternorum, obliuio Dei. Quot homines in rerum penuria strenui Dei existebant cultores, qui ad temporalia culmina euecti, & Dei, & æternitatis profundissimam habuerunt obliuionem? Hos numeret, qui terræ puluerẽ numerare nouit: hinc mirabundus D. Ba-
Basil. sil. Seleuc. Dauidem extollit, cui nullam Dei, virtutisque memoriam abstulere illa ipsa culmina, quæ Saulem prorsus Dei fecerant obliuiosum. Quippè de Dauide fatur orat. 17. *Sublatum Saulem calenter ad modum lugebat Dauid, illustrabat tumulo, tumulum lamentis ornabat, & hæres sceptri morum non adibat hæreditatem.* Miraculum sanè potentiæ Dei; quòd Saulis regnum totum ad Dauidem veniret, & quòd nulla Dei obliuio, nullus præceptorum diuinorum contemptus illum tangeret. In Saule fuerunt iuncta obliuio Dei, & temporalia culmina, vt ferè in omnibus iuncta esse solent; at in Dauide potuerũt esse culmina temporalia sine Dei obliuione.

Luc. 12. Et dixit, hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam.

§. V.

Solent peccatores ipsi sibi supplicium inferre, dum cupiditates adimplent.

SVpplicium, & pœna est non parua auaro homini, horreorum destructio, & pecuniarũ cõsumptio; quam pœnam ipse sibi auarus diues infert, dũ seruit auaritiæ, aiens: *Distruam horrea mea, & maiora faciam*, sic miser volũtariam horreorum destructionem, & dispersionem pecuniarum in ædificijs cogitur eligere. Quid peccatore miserius? In ipsa suarum cupiditarum persecutione, & adimpletione, supplicium, & pœnam peccato debitam sibi infert. Esau cupiens sibi habere Iacobi ædulium, Genes. 25. etiam primogenitũ Gen. 25.
vendidit, vt vesceretur illo; quippè ait textus. *Et vendidit primogenita. Et sic accepto pane, & lentis ædulio, comedit, & bibit, & abijt, parui pendens, quòd primogenita vendidisset.* Et cur permissus à Deo est in tantam deuenire stultitiam, vt pretio vilis ædulij primogenita vendiderit? Sanè decretum hoc malum est à Deo peccatoribus, quòd in adimpletione suarum cupiditatum debitum in mundo peccatis supplicium sibi inferant. Aiebat D. Isidor. Pe-
Isidor. lus. lib. 2. epist. 47. *Quoniam primogenito, & regnum, & sacerdotiũ debebatur; porrò virtute iste vacuus erat, idcirco in eam necessitatem redactus est, vt etiam sua sponte id venderet, quo etiam inuitus spoliari merebatur.* Quod merebatur supplicium, nimirùm, spoliationis pœnam, hanc ipse sibi intulit, dum nititur suas cupiditates adimplere. Sic multi peccatores durissimè se castigant, dùm suas cupiditates exercent. Alius in ludo sese bonis spoliat: alius in Venere salutem dilapidat: alius in duellis vitam perdit. Iepthe stultum fecit votum Deo, Iudic. 11. quo vidit se obstrictum, vt filiam litaret; quid magis stultũ? Filiam vt litaret, gladium exerit, nec à Deo, nec ab Angelo tenetur, sed filiam iugulare permittitur. An Deo talis hostia placebat? Quòd si Deo non placebat, cur permittitur homo tantum facinus adimplere? Vt stultum votum minimè impunitum maneret, sed in sui adimpletione durissimum supplicium inferret. Ait D.
Augustin. Augustin. quæst. 49. in Iudic. *Hæc pœna patri fuit retributa, ne impunitum talis voti relinqueretur exemplum.* Et hæc pœna solet esse peccatoribus, ne impunitæ eorum cupiditates videantur, quando earũ adimpletio non fit sine damno salutis. Nonne facinorosorum solet esse pœna, quæ solis pecunijs constet, alia, quæ damno corporali? Sed lasciuus homo, quot incommoda corporis pendit, vt fœmineis fruatur amplexibus? Sed aleator vt operam det talis, quot spoliatur aureis? Propone tibi ob oculos prodigum illum suis cupiditatibus permissum, quòd substantiam consumit, quòd vili pecori adhæret, quòd fame perit, quòd maius supplicium expe-

ctaret à prætore propter homicidium, quàm est id, quod ipse sibi intulit, dũ suas cupiditates perficit? Clamat auarus iste: *Destruam horrea mea.* Cui statim D. Basil. ait: *Isti ego sanè dicerẽ, bene facis. Nam iniquitatis horrea proculdubio digna sunt, quæ diruantur. Euerte miser tuis ipse manibus, quod malè ædificasti.* Non alio eget tortore peccator, ipsa illa manus, quę opẽ ram dat sceleribus, & dat operam pœnæ, dissipans bona eius. Nequeunt vitia aliquid aliud præstare sectatoribus suis, quã mortem, quàm ruinam. Matth. 8. dicitur: *Et cùm veniſſet Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, &c.* Miraberis, quôd dæmon sic habitationem suam faciat in sepulchris, cui liberum erat, in quouis amæno terræ loco esse. Cur non magis habitat inter flores? Cur non magis inter humanas pulchritudines? Sanè ex quo dæmon totus est in persuadendis vitijs, nihilque agit, quod vitium non sit, non potest fugere habitationem sepulchri, quando vitia semper grauitant in mortem, in destructionem, in sepulchrũ. D. Paschas. lib. 5. in Matth. inquit: *Digna quidem vtrorumque conditio, vt qui cælo præsidere noluunt, pascantur cadaueribus, & saginentur putredine: delicientur fœtore, quibus tota voluptas est vitijs deseruire.* Non aliud nouerunt parere suis affectis vitia: & immortalis natura, si seruiat vitijs, licêt mori non possit, saltem cogetur habitare in mortis, & ruinæ domicilijs. Sic semper vitia vltionem inferunt peccatoribns. Iob. 24. de impijs locutus ait: *Sicut summitates spicarum conterentur.* Vbi ex Græco dicit: *Emarcuit sicut malua in æstu, aut sicut spica, quæ de culmo sua sponte cecidit.* Expende illud, *sua sponte*, hoc est, ipsa sibi exitium inferens. Pro quo Auctor Catenæ Græcæ: *Contabescit autem spica, vbi à ferente, & sustinente illam culmo fuerit excussa, neque ex terra humorem amplius, adipemque, quibus nutriebatur, haurire potuerit. Interit etiam impius, cùm ab ea, qua is irrigabatur, virebatque fœlicitate, deciderit. Rectissimèque dictum est, sua sponte; vnusquisque enim suum, ac proprium peccatum habet vltorem.* Sic ibi. Vide infrà, lib. 18. cap. 1. §. 22.

(*.*)

Luc. 12. Et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, & epulare.

§. VI.

Hominis illa vera fœlicitas, quòd non ipse solus bona possideat, sed & alij per ipsum,

HAec miserrimi hominis vox: *Illuc cõgregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & dicam animæ meæ.* Hæc, inquam, vox hominis est miserrimi, omnia vni sibi congregantis, quando fœlicitas vera hominis ex eo magis constaret, si non vni sibi omnia vellet, sed per se multa cuperet ad alios transire. Sic ad Noe aiebat Dominus, Gen. 9. *Ecce ego statuam pactum meũ vobiscum, & cum semine vestro post vos: et ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum tâm in volucribus, &c.* Non solũ beneuolentiæ firmitatem promittit Noemi semini, sed & omnibus animalibus; & quid intererat Noemo, quòd & cæteris animalibus Deus suam benignitatem promitteret? Non nesufficeret illi, si ipse Dei benignitatem haberet securam? Profectò magna illi struebatur fœlicitas, si non soli, sed & cæteris animalibus per ipsum Domini exhiberetur benignitas. Ait Chrysost. homil. 28. in Gen. *Et homini solatio fuit, quòd non solũ in se collocentur beneficia, sed propter se, & in alia animalia extendatur liberalitas.* Huc spectet homo, qui fœlix cupit haberi in mundo à Deo, & hominib⁹. minimè omnia bona vni sibi velit, sed magis amet, quôd propter se alij plures multa etiã bona participent. Hoc est hominis fœlicis, hoc est hominis, qui apud Deum habetur fœliciſsimus. Bonus Loth cùm Sodomorum effugit discrimen, Genes. 19. audit ex Deo: *Ne stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac.* Vix sibi salutem in monte promitti audit, & statim summa cordis anxietate supplicat, ne sibi mandetur salus in monte, sed in ciuitate parua,

Basil.

Matth. 8

Pasch.

Iob. 24.

Chryſoſt.

Gen. 9.

Gen. 19.

parua, quæ propè erat, & inquit: *Est ciuitas hæc iuxta, parua, et saluabor in ea; numquid non modica est, & viuet anima mea? Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es. Festina, & saluare ibi.* Bonus renuit salutem habere in monte, magis illam amauit habere in vrbe; dū enim in monte esset, ipse solus potiretur salute; at si vrbem teneret, salus ibi & sibi, & propter se, alijs plurimis obueniret, quod & fœlicitatem, & meritum prædicaret viri. Id pulchro carmine cecinit Claudius Marius Victor lib. 3. in Gen. inquiens: *Claud.*

Ipse Segor lacrymis petijt, secura recessus
Antra sui; lacrymas autem non sensit inanes,
Concessumque sibi donum speciale salutis
Pluribus impertit, meritumque è munere fecit.

Sanè donum speciale salutis non æstimat vir diuinus, nisi dum illud valet & pluribus impertire, vt sic ex donis suis, dum ea alijs communicat, merita ipse faciat, quibus prædicabilis reddatur Deo, & hominibus. Hanc ebibant mentem omnes, qui se munerari velint in Dei familia, nulla bona recipiant, quæ non velint proximis esse communia. Post defunctum Lazarum venit Iesus in Bethaniam, vt illum vitæ restitueret. Quid sorores eius fecerunt ad aduentum Iesu? Ioan. 11. *Martha ergo vt audiuit, quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat. Dixit autem Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hîc, frater meus non esset mortuus, &c.* Hæc Martha fecit verba cum Iesu, à quo fraternæ resurrectionis accipiens pignus, *abijt, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. Illa vt audiuit, surgit citô, et venit ad eum.* Expende modò, quòd Martha prima vice audiens Iesum venisse, non vocat sororē, nec verbum illi fatur de Iesu; postmodum autem & sororem vocat, & cum illa venit ad Iesum? Et cur quæ sola venit sine sorore, sola etiā non vult permanere sine illa? Quā do primò venit, putabat se venire, vt tristia nuntiaret, tristiaque de orbitate sua audiret; quæ autem tristia erant, cauit communicare sorori, sed sibi soli ea assumit; postmodùm autem, vbi pignus accepit fraternæ resurrectionis, tantum bonum noluit vni retinere sibi, sed statim currit, *Ioan. 11.*

vt illud sorori communicet; quippè ait D. Basil. Seleuc. serm. 40. *Cur verò sororem non assumit, in occursum Christi itura? Vult eum seorsum nanciscì, quodque euenerat renuntiare. Vbi autem eas in spes meliores induxit Christus, tunc abijt Martha, & vocat Mariam, et occurrit Christo.* Meritò Christi discipula noluit vllum bonum habere soli sibi, sed vbi meliorem spem concipit, statim illam sorori communicare festinat: tunc verè fœlix, si & alij propter se bona participent. *Basil.*

§. VII.

Qui animus sic hæret carnalibus bonis, vt ab illis nequeat diuelli, is prorsùs brutescit, & animalis fit: spiritualis autem, quando facili negotio carnalia expuit.

ANimæ suæ dicit iste, requiesce, come de, bibe, & epulare; at comedere, bibere, epulari, corporalis, & carnalis substantiæ sunt proprietates, non spiritualis. Cur miser nō paras animæ tuæ alia bona, nisi illa, quæ & animalibus, & pecoribus parari solent? Sic tota hærebat eius anima carnalibus bonis, vt quasi tota carnea esset, & animalis, in illis solet amaret manere, in quib⁹ pecora esse possunt. Vis nosse, quàm hæreret carnalibus? Dicitur illi: *Habes multa bona in annos plurimos.* Non solùm carnalia diligebat, sed & nolebat putare fore, vt aliquando ab illis secerni possit. Quid carnalius? Quid magis pecuinū? Carnalis est, animalis est, pecuinus est ille animus, qui carnalibus sic adhæret, vt nūquam inde vellet euelli; spiritualis autem, qui facilis est, & in prōptu, ad omnia carnalia deponenda. Meritò D. Augustinus quæst. 73. in Genes. duos vterinos fratres Esau, & Iacob ponit in signū duorum populorum, alterius, qui sit carnalis, alterius, qui sit spiritualis: quippè ait: *Carnales, qui sunt in populo Dei, significantur per maiorem filium, spirituales per minorem.* Et cur ille carnalis, & hic spiritualis? Esau pro terrena benedictione totus in lacrymas ibat, magno eiulatu, & fletu curabat, ne ab illa reijceretur; Iacob licèt benedictionem, & primogeniū accepisset, tamen facili negotio adducitur, vt relictis omnibus à domo excedat paterna, & lon- *Augustin.*

gam peregrinationem suscipiat, vt habes Gen. 27. Meritò ergo Esau carnalis dicitur, & pecuinus, vtpotè qui sic terrenis adhærebat, vt egerrimè ferret priuari illis: Iacob spiritualis, qui nullo bono terreno tenetur, sed facilè omnia relinquit. Non enim quærendus est homo adeò spiritualis, qui prorsùs à se omnia carnis bona excludat; sed qui ita habeat bona carnalia, vt facilis sit, & promptus ad omnia dimittenda pro Deo, & virtute. Vt daretur Adamo sponsa, tulit Deus costam de Adami latere, Genes. 2. *Ædificauit Dominus Deus costam, quã tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Et vt Christo daretur sponsa, non educitur ab illo costa, sed ê percusso latere aqua, & sanguis exiuit, quibus Ecclesia ædificatur, vt concors est omnium Patrum sententia. Cur non etiam costa aliqua Christi assumitur ad ædificandam eius spõsam, vt assumpta fuit Adami costa ad ædificandam Euam? Costa ossea est, & dura, multùmque ictibus resistens, & ægrè, & difficulter à carnibus educitur; aqua autem, & sanguis liquores sunt promptissimi ad effusionẽ, si vel minima detur scissio venæ, aut parua alia percussio, statim sanguis prosilit, carnem deserit, & profunditur. Ideò quia dum Eua fiebat, sponsa Adami creabatur carnalis, meritò ex costa fit, vt vel ex primo sui fundamento constet, quàm inhæreat, & immergatur carnalibus, à quibus ægerrimè feret separari. At dum Ecclesia fit, nõ carnalis sponsa, sed spiritualis sponsa aptabatur Christi, & ideò ex sanguine, & aqua profluente â percusso latere constitui tur; consistit enim hoc, quôd quis spiritualis sit, non in eo, quòd prorsùs sit alienus à carnalibus; sed in eo, quôd velut sanguis, & aqua in promptu sit, ad hoc, vt vel ad minimam Dei pulsationem, vel ictum carnalia relinquat, & profundat. Huc spectat D. Zeno, serm. de duplici circumcisione, inquiens: *De Christi latere in ictu lanceæ non costa diuellitur; sed per aquam, & sanguinem, quod est baptismus, atq; martyrium, spirituale corpus spiritualis fœminæ effunditur.* Et meritô ad spiritualis fœminæ formationem, non costa assumitur; quæ nimis carnalibus immergitur, & ægrè euellitur inde; sed assumitur sanguis, qui promptus est, vt carnem deserat, & se effundat. In hoc enim consistit tota hominis spiritualis ratio, quòd ita carnalibus bonis vtatur, vt videatur esse in procinctu ad deserenda, & profundenda illa, vbi & virtus, & Deus iusserit. Ostensurus Moysespopulum Israeliticum iam paratum, & quasi in procinctu ad egrediendum de Ægypto, ait, Exod. 1. *Erant igitur omnes animæ eorum, qui egressi sunt de fœmore Iacob, septuaginta: Ioseph autem in Ægypto erat, &c.* Expende illud, *omnes animæ*, id dicit, quasi in illis hominibus nil carnis esset, sed toti essent anima, & spiritus. Et cur sic numerantur, quasi toti spiritus essent, an quia nil carnis habebant? Absit, quin potiùs fatentur ipsi se adeò carnales in Ægypto extitisse, Exod. 16. vt dicant, *sedebamus super ollas carnium.* Cur ergo qui super ollas carnium sedebant, modò non de carne, sed de spiritu censentur? Meritò de spiritu censentur, qui iam expediti, & in prouinctu visebantur ad egrediendum de Ægypto, & omnia Ægypti carnalia relinquenda, & arripiendam etiã per desertum Dei sequelam. Ex quo pulchrè elicit Diu. Ambr. serm. 4. in Psalm. 118. *Ergo illi, qui habitabant cum Ioseph, & de Ægypto exierunt, animæ sunt.* Non caro, sed anima est, & spiritus, qui in procinctu cernitur, vt carnalia deserat; quam distinctionem, fallar, nisi Dominus docuerit, Matth. 26. vbi passionem deprecans ait: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Pertinet equidem ad spiritũ promptitudo, & facilitas ad carnalia omnia pro Deo, & virtute effundenda. Vide homo, quo possis ad spiritualem gradum peruenire, si promptus sis ad relinquenda opera carnis, & quò in hac parte promptior, eò eris spiritualior. Vnde monebat Diu. Ambros. serm. 4. in Psalm. 118. *Non ergo fiat anima nostra caro, hoc est, vt dicamur caro, sicut & illi, qui in diluuio perierunt, de quibus dictum est: Quia caro sunt, sed magis caro nostra obediens animæ gubernaculo, fiat anima, et hoc appellari mereatur nomine, sicut appellata est familia Iacob, & generationis eius sancta posteritas. Sic enim scriptum est: Hi filij Balæ, quam dedit Laban Rachel filiæ suæ, peperit hæc Iacob animas septem, &c.* Fœlix, qui sic de solo spiritu censeri valeat.

Gen. 2.

Exod. 1.

Exo. 16.

Ambr.

Mat. 26

Ambr.

Zeno.

Luc. 12. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuã repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deo diues.

§. VIII.

§. VIII.

Sapiens non credit bonis, quæ nouit posse deficere.

MEritò stultitiæ conuincit Deus hominẽ, qui adeò credebat bonis minimè in æternum duraturis, sed vel post paululùm fluxuris. Quando enim iste magis æstimabat bona sua, seque totum illis tradebat, non ausus est præsumere illa in æternũ duratura, sed in annos plurimos, vt qui singulis diebus illorũ cõsumptionem spectabat. Et quis non stultus sic sese credat rebus caducis? Qui sapiẽs est, vnum cùm videt rerum finem, minimè se illis credit. Cùm Israelitici populi egrediebantur de Ægypto, Ægyptij facultatis datæ pœnitentes arma capiunt, fugientes persequuntur, mare diuisum intrant. Exod. 14 Quid tunc? Exod. 14. *Liberauitque Dominus in die illa Israelem de manu Ægyptiorum. Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, &c.* Mare diuisum virga incolumes fecit esse Israelitas, & Ægyptios perdens, illos mortuos obiecit oculis Israelitarum. Sed cur Deus permisit Ægyptios sic in Israelitas commoueri, vt in prosecutione inimicitiæ funditùs perirent? Deo disponente aliquando Ægyptiorum corda, sic mutata sunt in Israelitas, vt illis omnia pretiosa sua commodarent, imò & anxiè procurarent, quòd exirẽt de Ægypto. Cur ergo non seruauit Deus hunc affectum in Ægyptijs, vt gauderent in exitu Israelitarum, & prosequerentur illos, in tympanis, & hymnis? Cur magis voluit, vt Ægyptij persequentes Israelitas, ante eorum oculos perirent? Id Deus faciebat, ne Israelitæ videtes Ægyptiorum finem, aliquid inde Ægyptiorum diligerent. Quomodo ergo sapiens homo appetat nimis, quod scit & posse, & debere finiri? Basil. Aiebat Diu. Basil. Seleuc. orat. 9. *Sic igitur Ægyptios Deus vlciscitur; at Moyses populi magister creatus diuinæ cognitionis documenta tradit. Volebat enim egressos de Ægypto nullum impietatis Ægyptiacæ secum exportare viaticum.* Meritò in Ægyptiorum fine diuinę cognitionis documenta tradebat, qua nulli Ægyptiorum inde crederetur; qui enim res cognoscit, & non penitùs est stultus, non potest amplius credere rebus, quas noscit frequenter ire in ruinam. Huc voco totam Sansonis historiam ex Iud. cap. 17. is dum capillos Deo sacratos de Nazareorum more haberet, ab illis tantam accipiebat fortitudinem, vt non solùm ipse maneret inuincibilis, sed & solus, exercitus fortissimorum hostium neci addiceret. Non potuit vinci Sanson dum capillos seruat integros, at capilli coniugis astu potuerũt mutilari; quis nescíat mutilati Sansonis clades? quis ignoret eius ruinas? Tandẽ creuerunt capilli, iterum sacri, iterum integri, iterum fortitudinem ingerunt. Vbi autem Sãson integram recognouit comam suam, & expertus est reflorescentes vires, vt infideles Allophylos percuteret, Dagonisque templum proterneret, complectens columnas eius, Deum inuocat: quippè ait textus: *At ille inuocato Domino ait: Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, &c.* Sciebat equidem sibi cum capillis venire fortitudinem; sciebat sibi capillitium renatũ; cur præterea Deum precatur sibi restitui pristinam fortitudinem? Sufficiisset petere, quòd sibi capilli seruarentur illæsi, cur non meminit capillos? Cur maluit à solo Deo venire fortitudinem? Sapiens vir, ex quo nouit capillos potuisse perdi, nihil æstimat capillos, & nihil æstimat ab illis ortam fortitudinẽ, sed ad Deum confugit, qui solus non potest deficere. Pulchrè in præsenti Caietan. ait: Caietan. *Non confidit in auctis capillis, qui obsecrat supplex pro robore hac vice.* Et meritò non confidit in capillis, quos aliquando vidit scissos, ne quis sapiens rebus confidat, quas scit posse, & debere finiri.

§. IX.

Magna stultitia est, quòd Deo non offeramus vltrò, quæ ipse potest auferre, vel inuitis.

NOta insignem hominis stultitiam, nimirùm, quòd vni sibi volebat retinere bona sua, negans Deo, quæ Deus pro potestate sua auferre poterat, & de facto erat statim ablatur[9]. Ait enim: *Stulte, hac nocte animam tuã repetunt à te, &c.* Et nisi stultissimi essemus, minimè negaremus Deo, quæ ipse vel inuitis nobis potest eripere. Abraham litaturus filium, rẽ minimè explicat vxori, & dilectissimæ, & sanctissimæ, quin potiùs Gen. 22. *De nocte consurgens strauit asinum suum, &c.* Et Gen. 22.

cur

cur nocturnis tenebris cælas vxori facinus adeò lacrymabile ipsi? Qualem consolationem poteris afferre matri post mortem tanti filij? Aut qua ratione te apud illam excusabis, eius dolorem mitigans? Vnam equidem rationem habebat Abrahã, quæ omnimodam excusationem, & consolationem attulisset, nimirùm, mactaui filium meum, petente illo, qui pro potestate sua, & citiùs, & acerbiùs posset mactare illum. Sic ipse Abrahamus apud D. Basil. Seleuc. orat. 7. *Ego post iugulationẽ lamentantem fœminam alloquar; ego colam plorantem hisce verbis: Desine lamentari, ne fle puerum ipsa iugulatione cohoneſtatũ. Qui tibi aluo effœta matrem esse conceſsit, & puerum iugulatum remittet ad vitam. Quodque adſolatiũ valet plurimum, ô mulier, is, cuius in poteſtate eſt filius, vt mactaretur, flagitauit.* Quis non stultus renuat vltrò rem offerre illi, in cuius potestate est, illam inuitis etiam auferre? Dauidi petenti cincto exercitu, & petenti panes homuntio inermis Nabal negat. 1. Reg. 25. quod noscens prudentissima vxor eius Abigail lautissimis assumptis cibis obuiã iuit Dauidi irato, & minanti omnium exitium, & inquit: *Ne ponat Dominus meus Rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal, quoniã ſecundùm nomen ſuum ſtultus eſt, et ſtultitia eſt cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, Domine mi, quos miſiſti: qua propter ſuſcipe benedictionem hanc, &c.* Et cibos offert Dauidi, & mariti sui negantis illos profitetur stultitiam. Multus est Abul. quæst. 10. in inuestiganda ratione, cur hæc fœmina maluerit vocare maritum suum stultum. Vocasset iniquum, aut ingratum, quæ optimè illi conuenirẽt; at vnde apparet stultus fuisse? Sanè ex quo vidit à Nabale inermi homine negatos panes Dauidi petenti potentissimo, & multis, & fortibus cincto militibus, qui possent omnia facili negotio capere sibi, non dubitat viri prædicare stultitiam. Solus enim stultus, & demens negat rem petenti homini, qui posset liberè eripere illam. Qui autem sapiẽs est, eo ipso, quòd videat rem posse facilè auferri sibi per potentiorem Deum, non refugit vltrò illam offerre illi. Paratis iam Israelitis ad egrediendum de Ægypto, Exo. 12. Exodo. 12. *Factum eſt in noctis medio, percuſſit Deus omne primogenitũ in terra Ægypti, &c.* Et cur sic Dns ante oculos egrediẽtium Israelitarum percussit omne Ægyptiorum primogenitum? Ibidem, cap. 13. aiebat Dominus ad Israelitam; *Separabis omne, quod aperit vuluam Domino, et quod primitiuum eſt in pecoribus tuis: quidquid habueris maſculini ſexus conſecrabis Domino.* Qui sic amabat primogenita Israelitarum, vt illa sibi vellet offerri, cur ante oculos eorum percutit primogenita Aegypti? Percutit Dominus Aegyptia primogenita, vt dum hæc videntur auferri à Deo, discant Hebræi illi sua vltrò offerre; quis enim, si sapit, non vltrô offerat primogenitum petenti Deo, cuius potestatis est, & primogenita auferre parentibus etiam inuitis? Ad hæc Diu. Hieron. epist. ad Fabiolam, ait: *Ad extremum Dominus primogenita Ægyptiorum perdidit, vt primogenita Iſraelis Domino ſacrarentur.* Ne quis refugeret sacrare primogenitum suũ illi Domino, cuius in potestate est, omnia primogenita absumere.

Basil. Hieron.

CAPVT XI.

De ficu plantata in vineis,

VNVM Habet suffugium peccator, quo se defendat à diuina ira, si pœnitentiæ fructus emittat: hos expectat Dominus, quos dum non inuenit, peccatorem damnat. Id optimè exprimũt arbores ab hominibus plantatæ: excoluntur binis, ternisvè annis, etsi post culturam adhibitam, post longam fructuum expectationem, adhuc sine fructu appareãt, quis ferat illis terram occupari? Rapitur in ignem ficus, & post culturam sterilis, cuius instar & rapitur in ignem peccator, qui pœnitentiæ fructibus caret.

Luc. 13. Arborem fici habebat quidam plãtatam in vinea sua, & venit quærere fructum in illa, & non inuenit.

§. I.

Magnum beneficium confertur homini, qui ſanctorum eſt filius.

NOn inserto, & inculto campo, sed in fertili, cultaque vinea Dei nascitur hæc

hæc ficulnea; nec enim paruum beneficiũ eſt arbori, quòd in ſterili, & culto ſolo naſcatur; ſicut non paruum, ſed magnum eſt homini beneficium à ſanctis parentibus oriri? Et quantum homini beneficium eſt ſanctos parentes habuiſſe? Accipe Exod. 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorũ, qui oderunt me: & faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.* Ecce tibi vſquequo extendantur bona diligentium Dei; quippè ait: *Faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me*, poſt mille generationes inueniunt nati emolumentum ſanctitatis auitæ. Id quod notans D. Auguguſt. in queſt. veteris teſtamenti. 14. ait: *Et faciens miſericordiam in millia millium ijs, qui diligunt me: vt bonum patris non vſque ad pronepotem, ſed vſque ad millia millium reddat. Vt puta ſi quis ex ſemine Dauid diligat Dominum, quem conſtat vtique porrò ante mille annos fuiſſe: huic additur miſercordia Dei, vt in neceſsitate duabus ſuffragantibus cauſis, miſericordiam accipere mereatur: quia & ipſe Dei cultor eſt, et ex eius ſemine eſt, qui amauerit Deum.* Nullus annus, nulla ætatum interualla impediunt, quominùs parentum virtus maximum emolumentũ pariat bonis filijs. Sed quid ſi filij boni nõ ſint? Ea eſt etiam parentũ virtus, quæ non vacua apparet fructu aliquo, etiam in filijs adulterinis. Ait Gen. 6. *Gigantes erant ſuper terram in diebus illis; poſtquam enim ingreſsi ſunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi.* Fuerunt filij Sethi ob conſpicuam parentis iuſtitiam, & ſanctitatẽ vocati filij Dei, quaſi eorũ Pater Seth Deus eſſet, ij tamen cupiditate victi adhęſerunt filiabus Caini, ex quorum complexu nati ſunt gigantes, viri potentiſsimi, & famoſiſsimi. Et quæres, vnde hi gigantes, & famoſi viri habuerunt ſic poſſe naſci, vt & proceritate, & robore, & opinione omnes coætaneos vincerent? Id præſtitit illis aui iuſtitia, & virtus, quæ non potuit nõ plurimùm prodeſſe ortis inde filijs. Huc voco D. Cæſarium Nazianzeni fratrem, dialog. 1. *Rectè igitur filij Sethi, et Enoti, filij Dei intelligendi ſunt, qui per libidinem capti ad filias Caini ingreſsi ſunt, ex quorũ mutua contaminatione nuptiali in vitam editi ſunt gigantes, propter iuſtitiam quidem robuſti, propter Cainum autem mali.* Ab vtriſque auis profectus fuit ſuus effectus in nepotes; à peſsimo Caino non potuit non proficiſci malitia, quæ nepotes fœdaret; verùm à iuſtiſsimo Seth, non potuit non magnum aliquod emolumẽtum nepotibus communicari, vt ſaltem robore, & fama coæuos ſuperarent. Numquàm non aliquando commodum à parentũ virtutibus proficiſcitur in filios, Matth. 1. dũ Saluatoris genealogia narratur; dicitur, *Ioram autem genuit Oziam; Ozias autem genuit Ionatham:* in quibus prætermittuntur tres Reges, nam Ioram non genuit immediatè Oziam, ſed genuit Ochoziã, Ochozias autem genuit Ioam; Ioas autem genuit Amaſiam; Amaſias autem genuit Oziam, vt ex libris Regum patet legenti. Quare ergo hi tres Reges prætermittuntur? An quia & ipſi mali? Sed & plures alij ponuntur ibi, qui mali, & idololatræ fuerunt; nonne Salomon malus, & idololatra? Cur ergo ſoli illi tres à genealogia Saluatoris excluduntur? Fateor & alios Reges malos numerari ibi, ſed qui ſanctiſſimos habuere parentes, de quorum merito, hoc ipſi recepere beneficium, vt poſſent in Chriſti genealogia conſcribi. At illi tres, & ipſi peſsimi cùm fuiſſent, & peſsimos habuerunt parentes, quare vel paternæ virtutis ſuffragio carentes, meritò à Chriſtiana genealogia fuerũt excluſi. Ait D. Auguſt. in quæſt. ex nouo teſtam. 85. *Non immeritò hi ab Euangeliſta ſublati ſunt de numero cæterorum. Sic enim horum continuauit impietas, vt malignum eorum nullum interuallum haberet. A Ioram autem cæptum malignum, ſic perambulauit vſque ad Oziam filium Amaſiæ, vt nullius lateris eſſet ſuffragium, quo ex parte meriti patris aliquis horum remaneret in numero Regum. Nam Ioram malignè agens, merito Ioſaphat remiſſus in numero eſt. Salomõ quoq; merito patris remiſſus eſt.* Illi pereũt à computatione progenitorum Chriſti, qui nec patres ſanctos habuerunt; quibus autem patres ſancti fuerunt, non potuit tantùm illorum malitia, vt hoc beneficium non acciperent, vel parentum merito.

Matt. 1.

Auguſt.

Auguſt.

Luc. 13. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?

§. II.

§. II.

Deus in peccatis castigandis illa magis solet respicere damna, quæ alijs inferuntur: homo magis respicere ea, quæ sibi sunt damnosa.

INfrugiferam ficum succidi iubet Dominus; & cur eam succidi mandat? An quia sibi aliquod damnum importat? Absit, sed quia terræ detrimẽtosa est, illam inutiliter occupans; quippè ait: *Vt quid etiam terrã occupat?* Non punit Deus sontes vt homo; homo enim sontium supplicium magis metitur ex damno sibi illato, quàm ex illato alijs. Ionas meritam peccatis ruinam minaturus, Niniuem adit, cap. 3. *Et Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum. Et cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, et clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Septuag. posuere: *Adhuc tres dies, & Niniue subuertetur.* Nusquam inuenies à Deo determinatos dies, post quos subuertenda Niniue erat: cur Propheta tres dies præire subuersioni clamat? Vnde elicere potuit, quòd terminus euertendæ vrbis tribus diebus clauderetur? Erat sibi terenda ciuitas per spatium trium dierum, quando eius magnitudo itinere trium dierum claudebatur. Vnde Ionas ex mensura laboris sui in deambulanda ciuitate, supplicium minatur, & ingeminat. Pulchrè Origen. homil. 16. in Num. ait. *Obserua igitur, quòd non inuenitur in sermonibus Dei, quibus ad Prophetam locutus est, quia adhuc tres dies, et Niniue subuertetur; sed Ionas, cùm ingrederetur ciuitatem, quasi iter dierum triũ, ipse dixit, quia adhuc tres dies, et Niniue subuertetur.* Non Deus, sed Ionas tres tantũ dies euersioni præposuit, & eos præposuit, cũ iter susciperet trium dierum, non aliunde metiẽs supplicium inferendum, quàm de suo incommodo in labore itineris inuento. Vtinam nõ tam manifestum esset hoc hominum ingenium, qui vix æstimant dãnum, quod sibi non infertur; & tunc solùm ita exardescunt in reos, quando sibi, suisque nociuos sentiunt, vt proprium suum damnum solùm mesuram statuat pœnæ infligendæ. Alienissimum à Deo est hoc humanum ingenium, Deus enim in peccatis puniendis non tàm propria, quàm aliorum incommoda respicit. Psalm. 105. *Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, Domine: non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ. Et irritauerunt ascendentes in mare, mare rubrum. Et saluauit eos de manu odientium: & redemit eos in manu inimici. Et operuit aqua tribulantes eos: vnus ex eis non remansit. Et crediderunt verbis eius, & laudauerunt laudem eius. Citò fecerunt, obliti sunt operum eius, & non sustinuerunt consiliũ eius. Et concupierunt concupiscẽtiam in deserto, & tentauerunt Deũ in inaquoso. Dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas eorum. Et irritauerunt Moysem in castris: Aaron sanctum Domini. Aperta est terra, & deglutiuit Dathan: & operuit super congregationem Abiron, &c.* Quid Deo magis familiare? Dum ipse irritatur, parcit, imò benefacit; dum autem Moyses, & Aaron irritantur, tunc Deus irascitur, & vindictã sumit de peccantibus. Pulchrè D. Chrysostom. hìc: *Nec cùm Deum in mari rubro ad iracundiam prouocassent, nec cùm eumdem in deserto tentassent, is, de ipsis supplicium sumpsit; imò verò cupiditates eorum expleuit. At cùm Dathan, & Abiron Moysem ira commouissent, dicentes: Numquid Moysi dumtaxat locutus est Deus, & non etiam nobis? Eos cum vniuersa familia dehiscenti terræ tradidit, &c.* Sic Dei spiritus proprias dissimulans iniurias, illas, quæ alijs nocent, statim punit. Cantatissimum est Adami, & Euæ aduersus Deum facinus, quo mortis incurrerant sententiam; dicitur enim, Genes. 2. *In quocumq; die comederis, morte morieris.* Et comederunt, & non mortui sunt statim, sed viui euaserunt, & Deum pœnitentia placarũt. Non sic eorum posteri, de quibus, Gen. 6. ait Dominus: *Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate â facie eorum, et disperdam eos cum terra.* Vniuersos homines tradit morti diluuium inducens; & cur quam remouit â primis peccatoribus mortem, illam modò vniuersis hominibus infert? Faciliùs tunc duo occidi possent, quàm modò penè innumeri, cur ergo qui duobus illis primis pepercit, ne morerentur, tàm ingentem multitudinem hominum irremediabiliter vocat in ruinam? Rationem textus insinuat, cùm ait: *Repleta est terra iniquitate â facie eorum*: siuè vt explicatiùs ponit Oleaster: *Corrupta est terra coram Domino, et impleta est violentia, aut subuersione.* Eò deuenerat malitia hominũ, vt vel terram ipsam infice-

Ion 3.

Origen.

Chrysost.

Psal. 105.

Gen. 2.

Gen. 6.

inficeret, & omnes opprimeret homines: vnde non miror, quôd Deus, qui mortem dissimulauit inferre primis hominibus sibi odiosis, postmodùm tantam multitudinem mactet, quæ vel terræ ipsi erat iniuriosa; Deus enim promptior, & seuerior ostenditur in vindicandis alienis iniurijs, quàm proprijs.

Luc. 13. At ille respondens dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum: sin autem in futurũ, succides eam.

§. III.

Validissimus ad virtutem pene inamissibilem capessendam illex Christi Domini passio ob oculos posita.

EXpende, quale remedium adhibẽdum promittat, vt arborem ad fructus edẽdos trahat, ait: *Fodiam circa illam, &c.* Id est, fossuram circa illã ponam. Et quidẽ fallar, si vel homo sterile lignum factus ad fructus virtutum edendos, non rapiatur, si circa se fossam illam Filij Dei humũ positam habeat. Clamabat Isaias cap. 2. *Abscondere in fossa humo â facie timoris Domini.* Et quæ fossa humi est, in qua à Deo irato abscondamur? Aliter clamabat Dauid Psal 138 Psal. 138. *Quô â facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.* Non superna, nec inferna, nec terra, nec mare est, in quo à Deo nõ inueniamur: quæ ergo erit illa humi fossa nos à Deo irato abscondere valens? Fossa humus est Christi humanitas, quæ quot vulnera, tot nobis apponit fossas, in quibus ab omni ira diuina protegamur, & sanitatem firmissimam recipiamus. D. Bernard. ser. 62. in Cant. *Etsi intelleximus fossam humum, illã, quæ ait: Foderunt manus meas, et pedes meos, non erit ambigendũ de salute in ea citiùs adipiscenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur.* Fœlix anima, ante cuius oculos ponitur fossa hæc humus, circa quam fossuræ à clauis peractæ in Christo Iesu constituuntur, de harum fossurarum vicinio, & conspectu, nõ mirer, si in ingentem, & penè inamissibilem crescat salutẽ. Quis ignoret vberrimos illos salutis fructus factos ab Israelitis illis primis, quos Iesus elegit, vt prima sue Ecclesiæ fundamina ponerent? De illis Oseas cap. 9. *Quasi vuas in deserto inuenit Israel: quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum.* Quæ verba sic legit D. Cyril. Alex. lib. 3. in Iulianum: *Quasi botrum in deserto inueni Israel, et vt fructũ in ficu præcocem vidi patres eorum.* Præcoces ficulneæ fructus notissimi sunt, qui primo vere apparent, quorũ plurimis immaturis decidentibus, rari perseuerant vsque ad plenam maturitatẽ. Et qui perseuerãt, illi soli sunt, qui de medio duarum virgularum clauiculo breui erumpente promergunt. Pulchra ergo similitudine electi à Christo ex populo Israelitico in Euangelium vocantur fici præcoces, vt qui perseuerantem gratiã, & eius penê incredibile augmentum duarum virgularũ medio debeant, nimirum crucis, & legis. Vbi enim crucis fossuræ circa positæ apparuerunt, qui anteà steriles, & penè euanidi videbãtur, statim dulcissimos gratiæ succos reddiderunt. Ad hæc D. Amb. lib. 13. in Luc. *Primi tamẽ ex Israel, quos naturæ validioris ramus extulerat, sub vmbra legis, et crucis, in vtriusque sinu, succo gemino colorati grossi maturescentis exemplo, pulcherrimorum gratia fructuum, cæteris præstiterunt, quibus dicitur: sedebitis super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.* Sanè Apostoli sub lege steriles, & nullius momenti homines, & penè euanidi instar primi fructus ficulneæ, vbi crucí accesserunt, & illam præ oculis habuerũt, instar maturi, & pretiosi fici in magnam gratiæ dulcedinem effusi suam salutẽ stabilierunt. Et quis non frugifer fiat, dũ circa se videat fossuram passionis Christi? Mat. 17. requirebant tributũ à Iesu, quod Mat. 17 solueret Cæsari; Iesus autem asserens se nõ debere tributum vllum, quia Dei erat Filius, nihilominus ait Petro: *Da eis pro me, & pro te.* Nõ petebatur tributũ ex Petro, sed ex Iesu; cur Iesus vbi pro se dare iubet tributum, simul & à Petro tributũ extorquet? Nõ hærebat Dñs in illo æris tributo Cæsari dando, sed altiùs aspiciens considerabat etiã in illo tributum mortis, quã ipse indebitè, voluntarius tamen subibat? erat. Quã Christi mortẽ si ante oculos haberet Petrus, consequens erat, vt ad similes fructus edendos ipse viuificaretur. Ait Diu. Zeno, lib. 2. ser. 8. de somnio Iacob: *Dabis autem pro me, & pro te; hoc est, meam*

prædicabis crucem, sed & tu crucis tuæ similiter dignitate gaudebis. Et quis crucem Christi præ oculis habeat, qui non gaudeat in se tollere similis fructus ramos? Sanè ab eius vicinio, & conspectu, similis vbertas in nobis nascitur, & in vbertate robur, & perseuerantia. Iam iam cõprehendendus Iesus pro peccatis mundi, sic de discipulis suis imperat carnificibus, Ioan. 18. *Sinite hos abire, vt impleretur sermo, quem dixit: Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Itaque ne perderentur à Iesu, curat, ne Apostoli comprehendantur tunc temporis; sed Apostoli tradendi erant & carceri, & verberibus, & morti, & in ijs triumphaturi erant. Cur ergo modò cauet, ne comprehendãtur, ne eorũ perditioni occasio detur? Nõdum erat Iesus passus, nondũ fossuræ passionis Christi erant positæ ante oculos discipulorum, & de quibus timeri posset ruina ante visam passionem Christi, post hanc visam, idem ipsi securissimè omnia pro salute sustinerent. Pulchrè Philippus Abbas epist. 14. ait: *Vt igitur sermo, quem de illis nõ perdendis dixerat, impleretur, refrænato persecutore, illorum quispiam non tenetur; sed pro saluandis illis prior elegit ipse mori, vt post modùm facti fortes idem referant Saluatori.* Priùs fossuræ passionis Christi præcedant ob oculos, & post has circa se visas, quis non contemnat mortem? quis virtutum difficultates non ebibat omnes?

Ioan. 18.

Philipp.

§. IIII.

Dei beneficia bonis sunt adiumenta vitalis progressus: malis autem conuertuntur in mortem, & sepulchrum.

EXpende, quale beneficium adhibeat sterili ficulneæ bonus Cultor; quippè ait: *Fodiã circa illam:* fossam illi apponit pro beneficio, vt per hanc cœlestes rores possit accipere, quibus reddatur fœcunda. Sunt, quæ à Deo proficiscuntur beneficia, talis formæ, talisque naturæ, vt succulentis, & vitalibus germinibus, virendi, & fructificandi occasionem tribuãt; aridis, & sterilibus fossam exhibeant, & sepulchrum. Notissimum est illud à Deo dilapsum beneficium in Israelitas, quando egrediebantur ex Aegypto. Leuauit Moyses manum, & percussit virga mare, & ecce tibi fugientibus aquis in dexteram, & sinistram, vastissima apparet vorago, per quam possent exercitus transire. Israelitæ transeunt, & pertranseunt; ascendunt Aegyptij, & audent voraginem intrare; quid tunc? Exod. 14. *Reuersæ sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: neque vnus quidem superfuit ex eis. Filij autem Israel perrexerunt per medium sui maris, & aquæ eis erant quasi pro muro, &c.* Vna, eademque maris vorago obiecta fuit Aegyptijs, & Israelitis, sed quanto cum discrimine sortis? In illa inuenerunt Aegyptij sepulchrum, Israelitæ iter, quo tenderent in vitam. Rem sic pulchrè ponderat D. Basil. Seleuc. orat. 9. *Virga percussum mare his iter, illis sepulchrum fuit; et mare continentis instar viam Abrahamitis aperuit, cæteros fluctus hausit.* Sibi à diuinis beneficijs metuat, qui sterilis, & aridus est; quot enim putat bonorum occasiones per illa recipere, tot circa se fossas inuenit, quibus maneat miserè sepultus. Vt enim per diuina beneficia bonis panditur iter vitæ, iter salutis, sic malis, & impijs occasiones sunt quibus labantur in sepulchrum. Huc respiciebat Paul. 2. ad Corinth. 2. inquiens: *Christi bonus odor sumus Deo, in his, qui salui fiunt, et in his qui pereunt.* Quis neget Apostolicam culturam bonã fuisse Christianis vitibus? Imò illam pro summo Dei extitisse beneficio? Sed & tanta, & tàm benefica cultura non prorsùs perditionem eliminat, sed in illa multi salui fiunt, & multi pereunt; sanè qui bonam voluntatem habent, in illa cultura proficiunt in vitam, qui mali sunt, abeunt in ruinã. Ex quo monebat Diu. Augustin. lib. 2. in Exod. quæst. 24. *Non dixit Christi se bonum odorem esse ijs, qui salui fiunt; malum autem ijs, qui pereunt, sed tantùm bonum odorem se dixit. Illi verò tales sunt, vt bono odore pereant, secundùm sui cordis qualitatem, quæ mundanda est bona voluntate in Dei gratiam, vt incipiant ei prodesse indicia Dei, quæ malis cordibus nocẽt.* In ipsa bonitate, & beneficentia, & misericordia diuina inueniunt mali & ruinam, & sepulchrum sibi; qui autem iusti sunt, & vitales, maxima inde capiunt augmenta vitæ, qua fructus gloriæ possint edere tempore suo.

Exod. 14.

Basil.

2. Cor. 2.

August.

§. V.

§. V.

Non minus diuinæ poteſtatis argumentum eſt, poſſe à peccatis hominem in ſalutem venire, quàm à ſepulchro in vitam.

NOn otioſè pro fœcunditate ficulneæ ſterilis ait diuinus Cultor, ſe illi foſſam adhibiturũ, dũ inquit: *Fodiã circa illã.* Et cur ex innumeris remedijs, hoc maluit apponere, niſi vt ſimul erigeret poteſtatis ſuæ inſigne, cui non minùs erat animam à vitijs reuocare in bonam frugẽ, quàm corpus à foſſa, vel ſepulchro trahere in vitam? Et quidem crediderim faciliùs eſſe Deo, nos à foſſa in auras vitales reuocare, quàm à vitijs in virtutem. Nouimus Nabuchodonoſorem ab hominibus eiectum, in beſtiam tranſiſſe, ſeptemq; annis latuiſſe beſtialiter viuentem, & poſtea in hominem redijſſe; ait enim Dan. 4. *Poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cælum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi.* Quantum hoc miraculum? Profectò qui ex beſtia in hominem ſe reduxit, non mirarer, ſi ex mortuo rediret in vitam. Accipite D. Auguſtinum citatũ à Pamelio in commentario, cap. 16. lib. de anima, apud Tertul. quippè ait loquẽs de varijs tranſmutationibus: *Quod minùs mirabitur, qui in ſacris litteris legerit Nabuchodonoſorem Regem mutatum in bouẽ, & ſeptem annis fœno victitaſſe, tandẽ Dei miſericordia in hominem redijſſe. Cuius corpus poſt mortem filius dedit in eſcam vultu ribus, ne reſurgeret à mortuis, qui iam de beſtia redierat in hominem.* Nec immeritò qui de beſtia redierat in hominem, timetur, ne à mortuis reſurgeret, quando maioris virtutis eſt beſtialem exuere vitam, quàm relinquere ſepulchrum. Non deſinit mirari Chryſoſt. Dauidis virtutem, & poteſtatem, qui furentem Saulem in hominem mitem conuertiſſet. Dum enim Sauli parcens oram eius clamydis reſcidiſſet, poſt tergum egredientis clamabat, & ora oſtenſa veſtimenti, ſuum ſimul proteſtabatur animum benignum. Ad quæ reſpiciens Saul ait. 1. Regum, cap. 24. *Cùm autem compleret Dauid, loquens ſermones huiuſcemodi ad Saul, dixit Saul. Numquid vox tua eſt, fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem ſuam, & fleuit.* Expendite modò verborum Dauidis efficaciſsimam virtutem, quæ furentem hoſtem Saulem ſic commutarunt, vt ab illo vocaretur filius: & lapideum cor ad lacrymarum traxerunt blanditiem. Quantum hoc facinus? Pulchrè Diu. Chryſoſtomus ait homilia de Dauide, & Saule; *Etenim ſi Saul fuiſſet homo moderatus, & æquus, non admodum magni erat negotij ad ſolitam reuocare virtutem. At efferatum, et ad extremã prouectum malitiam, iamque ad cædem properantem breui temporis momento ſic afficere, vt omnem illam amaritudinem euomat ex animo: quem non obſcuret omnium, qui vmquam ſupra philophiæ doctrina clarum promeruere nomen.* Philoſophiæ omnem ſuperat cognitionem, & virtutem, quòd quis, efferatis moribus dimiſsis, conuertatur in hominis mãſuetudinem. Imò faciliùs credant Philoſophi, poſſe mortuum trahi in vitam, quàm poſſe vitijs immerſa corda trahi in virtutum facinora. Huc reuoca dicta tom. 2. lib. 9. cap. 1. §. 9. & tom. 3. lib. 14. cap. 22. §. 2.

Dan. 4.

Tertull.

1. Re. 24

Chryſoſt.

§. VI.

Quæ à Deo venit in præſenti ſeueritas, non ad perditionem venit.

ADhibendum ferrum ficulneæ cultor parat, ſed quod intrinſecùs nõ feriat; ait enim: *Fodiam circa illam*, hoc eſt. ferrum appropinquabo, non infigam; ſic vicina tangam, vt intrinſecùs non feriam. Bonus cultor apertiſsimè ſe Deum manifeſtat, quando in præſenti ferri ſeueritatem applicat; ſed non ferit. Dum Moyſes paſceret greges ſoceri ſui, Exod. 3. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, et non combureretur.* Vndique rubum flamma cingebat, ſed rubum non exurebat. Et cur adeò vicina flamma non exurebat rubum? Cùm Deus ardenter in præſenti in peccatores venit, flammas apponit, ſeueritatem, & rigorem applicat; ſed qui minimè feriat, ſed extrinſecùs ſiſtens integra omnia interna reſeruet. Pulchrè Diu. Ambroſius in Pſalm. 43. inquit: *Ideò rubus vrebatur, et non exurebatur, quia terrã iſtam, quæ nobis ſpinas generabat, et ſentes, diſponebat vrere per cõtinentiæ diſciplinã, non conſumere per mortis ærũnam.* Ignem adhibuit circùm circa, qui tamen nihil

Exod. 3.

Ambr.

nihil exureret, nihil consume ret, sed omnia seruaret integra, & à perditione libera. Huc enim peruenit asperitas ex Deo, vt spicula approximet, non tamen illa infigat; nec damnum ruinæ, sed vtilitatem emendationis procuret. Sic fugitiuo, & rebelli Ionæ ferrum applicat, à quo sanetur, non à quo interficiatur. Iam enim forte deprehensus erat, iam aderat mittendus in mare, quin potiùs iam in furentes vndas
Ion. 2. fuerat iactus: quid tunc? Ionæ cap. 2. *Et præparauit Dominus piscem grandem, qui deglutiret Ionam.* Quid agis, Domine? Nõne misero rebelli tuo, & peccatori sufficiebat, quòd inter furentes fluctus maris mitteretur, cur insuper paras feralia piscis viscera, quibus in eludatur? Vbi sunt vniuersi fluctus maris in ipsum commoti, quid nec cessum est piscis ventrem adddere? Permiserat, imò iusserat Dominus fluctibus, quòd irascerentur, quòd sæuirent iuxta rebellem Ionam, vt sic eum adbonam frugem traherent: & ne fluctus sæuitiæ metas excederent, & quæ circa illum erant, prætereuntes, vsque ad intima penetrarent, & hominem suffocarent, præparatus est à Domino piscis, cuius aluus metã prefigeret fluctibus, & omnia circa Ionam turbans, ipsum daret in columitati. Id pe-
Sedul. nè cecinit Sedul. lib. 1. Pasch. aiens.

Ionas puppe cadens, ceto sorbente voratus,
In pelago non sentit aquas, vitale sepulchrum,
Ne moreretur, habens.

Totus rigor, & asperitas excitata in Ionam, eò tendebat, vt viueret, & quà à Deo in rebellem parabatur, debebat sic hominem inuadere, ne hominem mactaret, sed in vitam seruaret. Ex quo lucem capit locus
Sap. 1. Sapient. 1. vbi sic: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorũ. Creauit enim, vt essent, omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra.* Non solùm dicitur Deus amare vitam hominum, & velle, quòd omnes salui fiant; sed & naturam illorum ita aptauit, vt à quocumque peccati vulnere per pœnitentiã sanari possent, sic dicuntur sanabiles factæ omnes hominum nationes. Rursus ab ipso Deo parata sunt remedia, & medicamenta, nimirùm, fomenta, scissiones, &c. quibus sanari homines possent. Et qualia hæc medicaméta à Deo sunt nobis parata? Pulchrè ait: *Non est illis* (nempè à Deo) *medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra.* Dura equidem, & aspera sunt medicamenta, quę pro corporea salute adipiscenda adhibentur, amaræ potiones, scissiones venarum: quæ cum omni sua duritie & hoc habent, quòd non semper vtilitatem afferunt, sed sæpiùs inferunt mortem, & quæ putabantur medicaméta, sunt venena, quę infirmos affligant, & vitam exterminent. Non sic quæ à Deo dantur peccatoribus medicamenta; non enim sunt medicamẽta exterminij, nec eorum asperitas, & rigor inutilis est, & nociua; similes enim asperitates, & rigores, qui inutiliter noceant, ad infernũ pertinent. Deus autem interni proprietates non ponit in terra; sed ea adhibet ex se medicamenta, quæ pungant, quæ affligant, sed non exterminent; non perdant; quin potiùs in columitatem reddant. Et potiones, & scissiones à Deo peccatoribus prouisæ in terra, non sunt medicamenta exterminij, sed medicamenta salutis, qualia nulla nouit infernus. Vis videre asperrimum Dei medicamentum peccatori adhibitum? Ait Genes. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quid durius? Quid asperius? Sed quid salubrius? Diu. Bernard. in serm. S. Mar-
Bernar. tini, ait: *Pepercisti ergo creaturæ tuæ, Domine, pepercisti goriæ nominis tui, & propter hoc cùm iratus fuisses, misericordiæ meministi, non damnans hominem in loca perditionis, sed in loca afflictionis humilians. Quid causaris homo? Quid sententiam quereris duriorem? Terræ addictus es, factus es è terra, vt ipsa tibi sit patria, quæ materia fuit.* Posset mittere in perditionem, sed maluit in afflictionem mittere, quæ non exterminium, sed medelam peccatori parturiret. Hùc enim spectat tota Christi œconomia, vt peccatores in loco sint afflictionis, nec locum perditionis videant; vt affligantur extrinsecùs, dum intrinsecùs viuant. Ioann. 8. ait Dominus: Ioan 8.
Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit, et gauisus est. Sed quando Abrahã vidit diem Christi? Quã do strinxit gladiũ in filium, quem tamen minimè percussit; tunc plenissimè diem Christi vidit, à quo venit, quòd gladij asperitas, & rigoris seueritas applicétur, nõ tamen cedant, nec percutiant. Non lõgè abest D. Basil. Sel. ora. 32. *Abrahã, inquit,* Basil.
desideranit videre diem meum: et vidit, et gauisus est. Qui senio curuatus intrepida manu charissimæ proli gladium intentat, et imperantis Dei charitate vincit natu-

ræ

turæ difficultatem, vt hostia minimè cæsa Domini sacrificium imitaretur. Expende, in quo dies Christi dicitur ab Abrahamo visus, nimirùm in eo, quòd sub stricto gladio *hostia minimè cæsa* existat, nullo enim magis explicantur tempora Christi, quàm vbi ostenditur gladius, qui affligat, sed non qui percutiat.

CAPVT XII.

De cœna magna.

QVI Hominum Deus salutarē finem non prouidit? Ecce tibi à Deo cœna magna paratur; ne sola Aurora, & meridies, sed ipse diei finis viaticum habeat salutis. Hoc perdunt ambitiosi, dum dominatus terminis extendendis inuigilant ementes villas. Auari, dum terram sollicitant, vt diuitias acquirant: Lasciui, dum se carnalibus immergunt delicijs. Nec ideò cœnatoria mensa inuenitur vacua conuiuis, quin potiùs alij plures vndique quæruntur, qui venientes diuinis assident mensis, cœlestiaque absumunt conuiuia.

Luc. 14. Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.

§. I.

In fine vitæ ditiores virtutum sumptus elucere debent.

MAgnitudo conuiuij meritò seruatur ostendenda in cœna, quę fit post finitum diem; semper enim in fine vitæ maiores sunt explicandi virtutum sumptus. De fœliciſsima Christi Sponsa
Psal. 44. ait Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*: insuper post pauca addit: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* Expende, quòd vestitus dicatur deauratus, fimbria autem non deaurata, sed tota aurea, & varietatibus plena. Et cur fimbria, quæ infima pars est vestis, & humi reptat, ditior, & pulchrior sit cæteris partibus? In fimbria finis vitæ exprimitur, in quo & ditiores, & opulentiores debēt esse sumptus virtutum. Ait D. Paschas. ibi:
Paſch. *Per fimbriā vita hominum significatur extrema, quā non deauratam, vt suprà vestis, fuisse monstratur, sed aureā esse totam debere ostenditur. Quia in fine vitæ tota perfectio amoris quæritur. Circumamicta tamen varietate propter varias virtutes fidelium.* Non quælibet virtus exhibēda est in fine vitæ, sed omnes virtutum diuitiæ sunt ostendendę, vt qui in vita deauratus apparet, in fine non deauratus, sed totus aureus videatur. Vita Christiani commendetur de vno, aut alio virtutis opere; at Christiani mors de insignibus operibus virtutū, charitatisque debet commendari. Ex prouerbijs diuinis illud inuenio apud Saluianū, lib. 4. ad Eccles. Cathol. nimirùm: *Sapientia in exitu canitur*: quasi tota sapientiæ Christianæ festiuitas, & lætitię plenum cō uiuium ad vitæ exitum debeat seruari, vt tunc præcipuè diuini amoris, aliarumque virtutum diuitiæ pateant. Quis adeò auarus est in occultandis pecunijs, & asseruā dis, qui illas omnes in hora mortis nō manifestet, & declaret? Sic virtutum diuitiæ tunc maximè ostendendæ sunt, cum morti appropinquamus. Sic Saluian. vbi
Saluia. sup. *Quid est, quæso, sapientia Christiani? Quid nisi timor, et amor Christi? Itaque si sapientia Christiani timor est, atq; amor Domini, ita demū verè sapientes sumus, si Deū semper, ac super omnia diligamus: et hoc cū omni tēpore, tùm præcipuè in exitu nostro, quia sapiētia in exitu canitur.* Huc tota spectet sapiētia Christiani, vt in exitu vitę diuini amoris thesauros patefaciat; licèt enim omni tēpore documenta virtutū nobis exhibenda sint; at tēpore mortis ditiores debent illarum ostendi gazæ. Non longè abest illud Iob, cap. 6. testimoniū: *In-*
Iob. 5. *gredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo.* Vatablus in annotationibus legit explicatiùs: *Sicut succiditur aceruus, aut messis in tēpore suo.* Tygurina: *Quemadmodum frugum aceruus increscit.* Vbi pulchro exēplo explicatur virtutum abundantia, quæ ostendenda est tempore mortis; vt enim tēpore messis omnia sub falce sunt, & falcis beneficio frugū aceruus passim increscit, & qui principio vix vnius culmi erat, hinc inde iactis culmis in molem exurgit grandem. Sic dū homo mortis appropinquat falci, de beneficio mortis appropinquātis, hoc habeat, vt multiplices virtutū manipulos congerat, ditissimosq; diuini amoris aperiat thesauros. Audiui à quodā virtutis studioso, quòd aliquando se per somnium crederet morti approximare, ex qua persua-

persuasione sic inmutabatur, vt etiã somnians ad innumera virtutum exercitia simul præstanda festinaret, & scuticam arripiebat, & cilicium applicabat, & humi prosternebatur, & pectus percutiebat, & ore clamabat, & Deiparam, & Sanctos sollicitabat; nec vllum erat virtutis exercitium, quòd tunc temporis festinatissimè non faceret. Facit hoc præsentanea mors, vt ad omnes virtutes curramus, & ditissimam illorum segetem exhibeamus. De Eucharistica mensa locutus Dominus, Luc. 22. ait: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscũ, antequam patiar.* Nec desinam mirari, quòd adeò desideratã cœnam Dominus differret vsque ãd mortẽ. Cur quàm vehementer desiderabat, non festinabat perficere? Cur illam vsque ad mortem distulit? Sanè non nisi sub mortis falce debebat crescere frugum aceruus tantus; non nisi de mortis instantis beneficio debebat effundi tantus diuitiarũ diuini amoris thesaurus. Pulchrè ait Concilium Tridentinum, sess. 13. cap. 2. *Ergo Saluator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc instituit, in quo diuitias diuini sui erga homines amoris velut effudit.* Non terit Dominus mortis limina, quin amoris erga homines diuitias totas effundat, intrans vitæ suæ finem, velut aceruus tritici infertur tẽpore suo. Vt meritò dicat Ioan. 13. *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Quid est, in finem dilexit? In fine vitæ & coronidem, & culmen amoris exhibuit. Similiter aiebat Sidon. Apol. lib. 3. epist. 1. amico suo. *Et quod fatendum est, diu erectis vtrinque amoris machinis, ipse culmina posuisti.* Diu dum esset apud homines Iesus, amoris machinas erigebat, dum peruenit ad finem vitæ cœnam Eucharisticam instituens, amoris posuit culmina.

Luc 22. Concil. Trid. Ioan 13. Sidon.

§. II.

Eucharistiæ beneficium instituit Dominus, vt mortis calamitatem in hominibus leniret.

SEntentia eorum, qui hanc cœnã magnam ab homine factã, putãt Eucharistiã paratam à Christo. Et cur Eucharistia non pro meridiano prandio, sed pro cœna sumitur? Cur non magis prandium dicitur, quod meridiè celebratur, quam cœnam, quæ in fine diei ponitur, quando iam homines dormire festinant? Proponitur equidem Eucharistia pro cœna in diei fine ante somnum, vt ostendatur instituta ad leniendum horrorem, & dolorẽ, qui ex vitæ fine, & dormitione mortis aduenit hominibus. Huic excogitationi lucem affero ex ponderatione Diu. Nazianz. in orat. 10. vbi ponderans, quòd frater Cæsarius priùs salutem diuinitus accipiens, postmodùm correptus morte fuerit, inquit: *Cum autem Nicææ terræmotus post hominum memoriam maximus, exortus, omnes penè inuasisset, atq; vnâ cum vrbis pulchritudine deleuisset, solus ipse ex illustribus viris, aut certè cum admodum paucis è periculo saluus, & incolumis euadit, id que modo quodam incredibili, hoc est, ipsa ruina protectus, ac paruas quasdam periculi notas referẽs. Verùm terræmotu quidem superior fuit, morbo verò non item, homo enim erat. Atque illud proprium illi fuit: hoc cum alijs commune, illud pietatis, hoc naturæ. Atque consolatio calamitatem anteuertit, vt ipsius morte concussi, ob admirandum salutis genus gloriemur.* Quid pulchrius adduci potest ad rem præsentem, de Eucharistia mortẽ præueniente? Mortem nullus hominũ fugiet, sed ante mortem mirabilem Eucharistiæ cœnam parat, & offert Pater cœlestis. Cur tanta ãnte mortem cœna? Pulchrè dixerim: *Consolatio calamitatum anteuertit, vt mortis falce penè concussi, ob admirãdum salutis genus,* in præcedenti Eucharistiæ mensa exhibitum, *gloriemur.* Nulla asperitas, nullus in morte conflictus non sapitur, vbi cœna Eucharistica præcedit. Cui meritò refert D. Paschas. de corpore, & sanguine Domini, cap. 10. illud Psalm. 147. *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuũ Sion: qui posuit fines tuos pacẽ, & adipe frumenti satiat te.* Ponuntur iustis viris fines, & vitæ exitus pacifici, quieti, omni periculoso conflictu carentes, sed hoc de cælestis frumenti præmissi beneficio; quippè ait: *Et adipe frumenti satiat te.* Ideò vsque ad saturitatem præmittit cælestem illum cibũ, vt in fine vitę nullus sentiatur conflictus, sed omnia mortis heberentur spicula. Apud Luc. cap. 22. ait Dominus: *Desiderio desideraui hoc pascha mãducare vobiscum.* Cur singulariter illud præsens pascha mãducare sic ardenter optauerat? Chrysost. homil. 82. in Matth. ait: *Quare hoc pascha, id est, hoc anno, comedere pascha desiderauit? Quia videlicet tunc salutem orbi allaturus esset, tunc mysteria traditurus, & dolo-*

Nazian. Paschas. Luc 22. Chrysost.

res

res mortis oppressurus. Et quidē ideò exoptabat tradere diuinę mensæ mysteria, quia sciebat illis hebetari posse mortis spicula. Nec miror, mortis spicula hebetari ab hac mensa, cùm & Iesus post tantum cibum datū doleat, adhuc necessum esse in mortem ire. Immediatè enim post vltimam cę nam factam, & cœlestem hunc cibum exhibitum, surgit Iesus, & pergens in villam Gothsemani, ait discipulis suis, Matth. 26. *Matt. 26* *Tristis est anima mea vsque ad mortē.* Adhuc escæ erant in ore eius, & ecce tristitia; adhuc calebat lætificans illud vinum Eucharistiæ in discipulorum pectoribus, & totus traditur Dominus tyrannidi tristitiæ. Cur non magis post tàm cœlestē potum lætatur? Cur post escas adeò exoptatas nō magis gaudio afficitur? Tristabatur vidēs damnum pristini cibi, cùm post cœlestem hunc exhibitum, adhuc necessariū sciebat, quòd homines in mortem irent. *Ambr.* Ait D. Ambros. lib. 10. in Luc. *Ideò tristis est, quia post Adæ lapsum tali transitu nobis erat ex hoc sæculo recedendum, vt mori esset necesse. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, et ideò fastidit, quod ipse non fecit.* Meritò dolet Dominus, quòd post gustatum cœlestem cibum, adhuc sit nobis necesse mori, quòd primi cibi venenum non penitùs extirpetur vel dapibus cœlestibus, sed & post has mors restet.

§. III.

Potens est Deus vel in hora mortis multorum annorum fames implere.

POst portatum pondus diei, & æstus, in fame, & siti, in frigore, & nuditate accedit Deus magnam paraturus cœnā; magnam, inquam, cœnam in fine diei paraturus, vt qui sciat multorum annorum fames in vno appropinquātis mortis momento cumulatissimè implere. Quò respi *Eccl. 11.* ciens Ecclesiasticus. cap. 11. ait: *In die malorum ne immemor sis bonorum, quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundùm vias suas.* Nullum bonum iustis perit; etsi tempora euolent in egestate, & tristitia, non desperet iustus, quando vel in die obitus, vel in vltimo vitæ momento potens est Deus multorum annorum bona retribuere. Imò hoc est proprium, & singulare iustorum donum, quòd spei suæ adimpletionem cumulatissimam in ipso mortis vicinio repositā habeant. Sic bellicosissimus ille Dauid cùm sibi à bellis minimè vacare cerneret, certus clamabat. Psalm. 4. *In pace, in idipsum dormiam, et requiescam. Quoniam tu Domine, singulariter in spe, constituisti me.* La tissimam pacis ętatē sperat in vicinio dormitionis, hoc est, in vicinio mortis. Et vnde credit in tam arcto tempore posse haberi pacem, quam per tot annos vitæ nec videre quiuit? Ipse ait: *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.* Sciebat singulare esse sibi, & cuique iusto ex Deo id habere donum, quòd spei cumulatissima adimpletio in vicinio mortis comparetur. Theodorus apud Catenam Lyppom. in Psalm. ait: *Cùm enim plerique hac* *Lyppō.* *præsenti vita fœliciter egerint, ab iniustis, ac perditis hominibus attriti calamitatibus, ex hac vita decedunt, nullum quamlibet parum auxilium assecuti; hos magnus Dauid docet, non oportere aliqua molestia affici, vt qui spem morti coniunctam habeant.* Et meritò iubentur nulla molestia affici, qui ærumnis pleni, nec vlla bona recipiētes in vita ad mortem accedunt, quando impletio spei à Deo in mortis vicinio est. In ipso mortis limine datur locus longissimæ spei, quā Dominus impleat. Id quod ad magnam timentium Deum commendationem conducit: namq; Isaac electus à Deo, vt pater esset populi Israelitici, habens hanc spem in sinu suo, tamen ad cōfinium mortis peruenit, stricto gladio, & iam cędenti ceruicem parat; sed tunc totius spei adimpletionem inuenit, & fœcū dissimam incolumitatem recipit. Vnde Isaac in arcto mortis positus tanta potuit ex Deo capere beneficia? Præclarè D. Ze *Zeno.* no, serm. 5. de Abraham, inquit: *Ecce meritum principale, diuinam indulgentiam meruisse sub casibus.* Quòd locus detur diuinæ magnificentiæ in confinio mortis, non id casu euenit, sed ingentis meriti opus solet esse.

§. IIII.

Felix, quem nulla fames temporalitatis in morte premit. Vbi quàm pessimùm sit in moribundis iudicium, si adhuc terrena esuriant.

POst finitum diem cœna magna paratur hominibus iustis, ne temporalitatis

tatis fames tunc illos agitet, sed magis recreet omnium saturitas. Sic de Isaaco, Gen. 35. Genes. 35. *Et completi sunt dies Isaac centum octuaginta annorum, consumptusque ætate mortuus est, & appositus est populo suo, senex, & plenus dierum.* Vbi Onkelus legit, *senex, & satur.* Fœlix Isaac, qui ad mortem pernenit satur, nullius temporalitatis fame detentus, quando qui tunc temporalia famescunt, non paruum suæ perditionis præbent argumentũ. De se aiebat Iob Iob. 7. cap. 7. *Dies mei velociùs transierunt, quàm à texente tela succiditur, et consumpti sunt absque vlla spe.* Græcus in Cat. legit: *Perij autem in spe vana.* Consumpti ponuntur dies absque vlla spe, & simul se perijsse in spe vana. Si in spe vana perijt, quomodo dies eius periere absque vlla spe? An potest quis perire in spe, & in spe simul non perire? Crediderim ibi à Iobo duorum hominum vitas repræsentari, & mortes etiã; alteram, qua moritur electus; alteram, qua reprobus perit. Ille ad finem, & consummationem dierum peruenit sic satur, vt nullam spem, nec cupiditatem nutriat tẽporalitatis. Hic in ipso mortis limine est, & vanissimas bonorũ temporalium spes alit, & pro illis suspirat, & angustiatur, illorum sustinens etiam tunc rabidissimam Gregor. famem. Pulchrè enim ait D. Gregor. lib. 8 Moral. cap. 7. *Electi igitur, quia præsentis vitæ momenta decurrere sub festinatione conspiciuntur, nequaquam in hoc tantæ nobilitatis itinere, cordis intentione figuntur. Vnde subditur: Et consumpti sunt absque vlla spe. Reproborum mens, erga dies vitæ præsentis tanto amore constringitur, vt sic semper hic appetant viuere: quatenus si valeant, viuendi cursum desiderant numquam finire. Vnde fit, vt sæpè iam corpus molestia quatiat, & vicina mors virtutem vitalis spiritus incidat; nec tamen curare, quæ mundi sunt, desinant.* In mortis sunt falce, & miserè affliguntur fame, & siti rerum mundialium, quibus auidissimè inhiant, etiam dum agnnt animam. Quis istis miseris bonum aliquid præsagiat, cùm videat illos in fine vitę non saturitatem cœnę ex Deo habere, sed famescentes pro temporali- Hierem. bus micis clamare? De illis aiebat Hierem. Thren. 2. *Matribus suis dixerunt, vbi est triticum, et vinum, cùm deficerent vulnerati in plateis ciuitatis; cùm exhalarent animas suas in sinu matrum suarum?* Sanè in fine diei homo, nempè æternus Pater cænam magnam parauit, quam electi omnes haberent præ manibus. Cur isti miseri non cænam à Patre paratam requirunt, sed panem, & vinum petunt à manibus, hoc est, non à Deo, sed à carne? Reprobi sunt, & ideò etiam dum agunt animam, nesciunt non famescere temporalia. Diu. Paschas. lib. 2. in Thren. ait: *In carne torpentes ab illa ista petunt; idcirco in sinu carnis intereunt.* Quo tempore Deus saturitatem habet paratam suis iustis, isti infœlices carnalibus immersi, carnalia famescunt, inter quarum fames, & penurias intereunt. Quod sibi metuebat villicus ille, Luc. 16. dum sese vicinum rationi reddendæ agnoscit, tunc ait: *Mendicare erubesco:* nullam rem sic expauit, vt mendicorũ famem, & indigentiam habere tunc temporis. Vbi Chrysolog. ait serm. 125. *Miser, quem tẽporalitas habuit diuitem: mendicum sempiternalitas possidebit.* Et quidẽ summa est hominis miseria, quòd æternitati approximet, adhuc tunc bonorũ temporalium fame pressus.

§. V.

Qui simul cum cibis ingeritur affectus, aut rarò, aut numquam tollitur.

NEminem hic homo vocat, nisi prius paratam exhibens cœnam; fortissimi enim sunt, & validissimi affectus, qui ingeruntur simul cum epulis. Propone tibi ob oculos vniuersos illos affectus, quibus humana natura trahitur, siue in bonũ, siue in malum. Validissimos plures inuenies, & tàm fortiter inhærentes visceribus, vt vix maneat spes illos inde abstrahẽdi. Sed nihilominùs quilibet affectus, etsi validissimus, potest mutari; at affectus, qui simul cum cibi quæstu venit, aut rarò, aut numquam mutatur. Post vituli adorationem, Exod. 32. accessit Moyses, *arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel.* Exo. 32. Quid tunc? Armantur Leuitæ, & à porta in portam currentes, quotquot inuenirũt, perimũt, adeò vt penè innumerabilis fuerit occisorum multitudo. Quis non crederet hoc supplicio idololatriam penitùs extirpatam fuisse à Dei populo? Quis in populo sic percusso propter adoratum idolum vituli, crederet, fore ampliùs vitulos in honore? Sed & 3. Reg. 12. Ieroboam *fecit duos vitulos aureos, et dixit eis: Nolite vltrà ascendere in Hierusalem. Ecce dij tui* 3. Reg. 12. *Israel,*

Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti. Iterùm aurei vituli, iterùm diuinitatis acclamatio, iterùm idololatria in populo Israelitico. Et cur primo illo, & seueriſsimo ſupplicio non penitùs extinctus fuit affectus populi ad vitulos? Ipſe textus inſinuat, inquiens: *Sperſit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel.* Biberunt Israelitæ auream illam aquam pretioſi vituli puluere conſperſam, & quem cum potu conceperunt affectum, nulla diligentia potuit eripi illis. Aiebat D. Bruno citatus à Tilmanno in allegor. *Bibunt aurum Iudæi, quia cupidi ſunt, & auari. Bibunt aurum idoli, quia idololatræ, & ſacrilegi. Sic enim hæc mortifera potio, hæc doctrina idololatriæ eorum viſcera penetrauit, vt vix aliquando ab idolorum cultura potuerint auelli.* Quæ doctrina cum potu ſimul ingeſta fuit, hac penè indelebiliter miſer populus retinuit. Væ tibi, homo, ſi malitia, prætextu cibi habendi, in te coaleſcat, neſcio an valeas illam à te excutere. Quæ à luxuria contrahunt homines peccata, ſaltem vel moribundi dimittũt: ſimiliter, quæ ab inuidia, ſiuè vanitate incurrunt; at illa, quę contrahunt ſpecie acquirendi ſibi, & familiæ cibos, vix in aliquo inuenies dimiſſa. Paul. 1. ad Corinth. 15. de morte aſſerit: *Nouiſsima autem inimica deſtruatur mors.* Cur mors adeò reſiſtens inuenitur, & potẽs, vt nequeat deſtrui, niſi poſt omnium ruinas? Primò diabolus eijcietur foras, & mundi gloria euanebit, & peccatum extinguetur, & poſt hæc omnium poſtrema deſtruetur mors inimica. Cur hæc poſtrema? Hæc præ omnibus magis peculiariter illata fuit cũ primi eſu cibi, ait enim Geneſ. 2. *Quacumque die comederis ex ea, morte morieris.* Cætera mala per alias cauſas potuerunt intrare in mundum; mortis aduentus ſingulariter annexus fuit vetito cibo, hinc habuit mors, quòd minimè expellatur à mundo. Pulchra ſunt verba D. Zenonis in rẽ preſentem: is namque lib. 1. ſer. 6. de patient. ait: *Vbi Adam ſacræ arboris pomum malè dulcè delibauit, lachrimas reperit, dolores, et gemitus: vltimoque ſudore turbatus, poſteris hæreditatem indigeſtæ mortis dereliquit.* Expende illud, *indigeſtæ mortis*: quippè mala, quæ prætextu cibi naſcuntur, prorſùs indigeſta videntur, & adeò indigeſta, vt vix poſsint extrahi ab intimis. Quòd ſi mala ſic firmantur per cibos, qua liter etiam bona firmabuntur, dum viuifico, & cœleſti nitantur cibo? Iſaac, Gen. 17. miratus benedictionem ſibi ereptam à filio iuniore, ait ſeniori filio: *Comedi ex omnibus, priùs quàm tu venires, benedixique ei, & erit benedictus.* Dolò quæſitam benedictionẽ nouit, & tamen illam confirmat, cur non magis pro benedictione maledictionem fulminat in furem? Ipſe ait: *Comedi ex omnibus, et benedixi*: nouit in eſca ſua ſacramentum diuinum, à quo profectæ benedictiones reuocationẽ non admittunt, ſed firmitudinem. Quò forſan reſpexit D. Auguſt. apud Lyppom. in Caten. aiens: *Non ſe deceptum eſſe conqueritur, imò confeſtim reuelato ſibi intùs in corde magno ſacramento, denitat indignationem, confirmat benedictionem.* Vbi viuifici ſacramenti lux apparuit, debuit benedictio confirmari, non aboleri. Id quod paulò poſt affirmabat ipſe Iſaac, eodem cap. 27. aiens. *Frumento, & vino ſtabilini eum.* Ecce ſtabilitas, & firmitudo benedictionum cœleſtium, vt nitantur conuiuio cœleſti. Vbi Lyppom. ait: *Sic etiã filij Dei benedicti ſunt â Dño benedictione irreuocabili, vt domini ſint huius mũdi, & omnis creatura eis ſeruiat, et nulla re neceſſaria ad corporis, animæ vè ſalutem careant, pane verbi Dei ſtabiliuntur, & vino exhilarante conſcientiam â ſpiritu ſancto.* Venit equidem à pane, & vino cœleſti ea firmitas, & ſtabilitas, qua cœleſtes benedictiones propè fiant irreuocabiles.

Bruno. 1. Co. 15 Gen 2. Zeno. Gen. 17. Auguſt. Lyppo.

§. VI.

Ad Euchariam ſic accedere debemus, quaſi immediatè poſt ipſam, morti occumbendum ſit.

NOn otioſè cœnam magnam factam inſinuat Dominus; ſed vt qui cœnãt, ſtatim ſomno ſeſe tradunt, ſic nos ita epulas ſumamus diuinas, quaſi immediatè poſt ipſas in dormitionẽ mortis ituri. Bona illa vidua Eliæ cibum petenti, ſic fatur. 3. Reg. 17. *Viuit Dominus tuus, quia nõ habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululùm olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar, et faciam illud mihi, & filio meo, vt comedamus, & moriamur.* Simul cibos parat, & ad mortem ſe accingit, quam credit ſibi imminere immediatè poſt prandium. Id quod pulchris verbis exprimit Diu. Baſil. Seleuc. orat. 11. aiens: *Vitæ modus farinæ pugillus nobis conſtitutus eſt, vnum, idemq; cibi,*

3. Reg. 17. Baſil.

cibi, & mortis tẽpus præstolamur, post hanc escam mortis pabulum erimus. Proh vitam halans consideratio! Vtinam Deus hanc mentem dederit omnibus Christianis, qui putent, vitæ modum cœlestis farinæ pugillum sibi cõstitutum esse; vnum, idemque diuini cibi, & mortis tempus præstolentur. Sicque comesturi Christi corpus adsint, quasi immediatê post, ipsi habendi sint mortis pabulum. Matth. 26. missurus discipulos, qui cœnaculũ pararet, vbi paschalia cœlestis panis sacramenta perficeret, ait illis: *Ite in ciuitatem ad quemdã, et dicite ei: Magister dicit. Tempus meũ propê est, apud te facio pascha.* Nec otiosê vbi cœlestem cibum meminit, statim edidit illud, *tempus meum propê est*, quo signabat instantem mortem suam, vt innueret, & cibi diuinissimi, & mortis tempus idem debere esse, & sic debere pascha sumi, quasi simul esset statim mors excipienda. Chrysost. homil. 82. in Matth. ait: *Tu autẽ perpende rursũs, quomodo virtus eius appareret. Non enim solũm dixit, apud te facio pascha; sed illud proposuit, tempus meum propê est.* Non equidem solitariê sumendus est cibus diuinus, sed cum additamento instantis mortis, ac si post buccellã migraturus esset à terra. Hinc Matth. 6. iuberis petere: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiê*: non petis panem ad omnem vitam, sed solùm ad hodiernũ diem. Sed maior esset fœlicitas, si non solùm haberes panem ad vnum diem, sed & ad plures annos, qua sibi blãdiebatur ille, qui vberes frumenti fructus acceperat, dicens animæ suæ, Luc. 16. *Habes multa bona in annos multos.* Cur ergo non liceat petere panẽ in annos plurimos, sed solùm in præsentem diem? Erat sermo ibi de pane supersubstantiali Eucharistiæ, qui sic sumendus est, quasi post illum nulli restent dies vitæ. Quò acutê respiciens Chrysol. serm. 68. ait: *Quotidianum, & in diem vult nos in sacramento sui corporis panis viaticũ postulare.* Vt accipitur à morituris viaticum, sic & sani debemus semper diuinum panem participare, quasi statim debeamus à vita migrare. Sic Exod. 12. iubetur sumi Agnus paschalis: *Sic autem comedetis illũ: renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus*; ne vlla intersit mora, sed post buccellam in procinctu sint ad migrandum. Imò dum iubetur agnus parari, ait: *Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum: et seruabitis eum vsque ad quartã decimam diem mensis, &c.* Et cur litandus agnus in profectione iubetur per tot dies seruari apud Israelitas? Pulchram rationem excogitauit Rupert. in Exod. lib. 2. cap. 3. *Vt quid tamdiu ante tolletis, tanto tempore seruaturi? Videlicet, vt dum ille præstò est, causa quoque eius vestra corda sollicitet, ne sitis immemores, vel imparati, quia transeũ dum est: dũ ille tot ante diebus de profectione paranda vos admonet. Quoties enim ille balatum emittit, toties quasi tubæ sonitus, exituras castrorum acies excitet.* Quid pulchrius in rem præsentem? Habemus præ oculis Dei agniculum, seruatũ in Eucharistia, vt sollicitet corda nostra, vt diem exitus, & migrationis è vita annuntiet, ne imparati simus; vt quoties balatum edit, quoties se nobis præbet, quoties sese oculis offert in cimbali signo, putemus intonare nouissimam tubam, & instare iam migrationem à vita.

Luc. 14. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia.

§. VII.

Deum ad homines accedentem multa præcedunt eius in homines beneficia.

QVot beneficia à Deo in nos profecta præcedunt eiusdem aduentum? Et vocationes, & inspirationes, & impulsus præmittit, qui animam alliciãt, & incendant. Ad te venturus est Dominus, & ante quàm veniat, iam illius donis impleris. Aiebat illa Cant. 5. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo; manus meæ distillauerunt myrrhã, et digiti mei pleni myrrha probatissima.* Nondũ ianua aperta fuerat Domino, nondũ intrauerat ipse, & ecce manus Sponsæ plenæ apparent pretiosis vnguentis. Vnde manus Sponsæ implẽtur? Non equidem ex vendentibus, sed ex ipso Deo mittente, qui antequam intret humana corda, præmissis beneficijs illa præuenit. Ex quo D. Ambros. lib. 3. de virgin. post medium, ait: *Surge, aperi, ad ianuam Christus est, visibula domus tuæ pulsat; si aperueris, introibit, & introibit cum Patre. Nec solùm cùm ingressus fuerit, mercedem relinquit, sed etiam priùs quàm ingrediatur,*

Rupert.

Cant. 5.

Ambr.

diatur, mercedem præmittit. Adhuc anima turbatur, adhuc parietes domus suæ palpat, adhuc ostium quærit, vbi Christus est, adhuc Christus fores pulsat. Manus, inquit, meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni, &c. Nondum intrò habet Sponsum, & iam de donis eius diteſcit. Is enim eſt Dominus Deus noſter, qui neſciat non præmittere innumera beneficia, quibus impleantur illi, ad quos decernit venire. Nota eſt Zachæi hiſtoria, de quo Lucas cap. 19. ait: *Quòd quærebat videre Iesum, quis esset, & non poterat præ turba, quia pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum, quia inde erat trā siturus. Et cùm venisset ad locum, suspiciēs Iesus vidit illum: & dixit ad eum. Zachæe, festinans descende, quia hodiè in domo tua oportet me manere.* Aſcenderat puſillus homo arborem, vt videret Ieſum, & adhuc non videbat, ſed cum nondum ipſe videret, viſus à Ieſu eſt, & vocatus. Cur Domine, non magis expectas, vt ipſe videat te, & oret? Cur vel eius oculos præuenis, videns illum ante, & vocans, vt ad te deſcendat? Ipſe Saluator ait: *Quia in domo tua oportet me manere*; vbi enim decreuerat Dominus illius intrare domum, ea munera præſtat, quibus homo inueniatur præuentus. Chryſoſt. homil. de patre, & duobus filijs, ait: *Cùm desiderasset videre Dominum, & ob hoc in arborē ascendisset, præueniente Domino conspicitur, & vocatur, & illicò in domo eius ad conuiuandum, ipse declinaturum se esse promittit.* Expende illud, *præueniente Domino*, neſcit quippè Dominus non preuenire muneribus illū, cuius domum intrare deſtinat. Id quod in præſenti Luc. 14. capite, dum ſeſe edendū proponit pluribus, ait ſeruo ſuo: *Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc hùc.* Si debiles, & infirmi ſunt, ac claudi, qualiter adducendi, & introducendi ad diuinam cœnam? Nō claudi venient, nec cæci; ex quo enim Deus ſeſe illis in cibum præbet, priùs & præmittit, & firmos pedes, & oculorum claritatem. Ait D. Ambroſ. lib. 6. in Luc. ad cap. 9. *Qui vocantur ad cœnam, priùs vocando sanantur. Si claudus fuit, gradiendi facultatem, vt veniret, accepit. Si lumine oculorum priuatus, domum vtique Domini, nisi refusa luce intrare non poterat.* Vocationem ad Dei cœnam multa comitantur beneficia à Deo profecta, quæ homines ditent, & expediores reddant ad veniendum.

Luc. 19.

Chryſoſt.

Luc. 14.

Ambr.

Luc. 14. Et cæperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam, rogo te, habe me excuſatum.

§. VIII.

Cum quibus posset quis Deum habere, inexcusabilis est, dum mauult habere diabolum.

PRoh egregiam excuſationem hominis prorſus inexcuſabilis: Villā emit, & quia emit villam, à vocatione Dei ſe excuſat, quaſi & eſſe in villa, & cū Deo non poſſet. Et quidem ab excuſatione ſua omninò redditur inexcuſabilis, quando cum ipſa villa, per quam à Deo diſcedit, poſſet & ipſum Deum comparare. Componite namque hunc hominem dicentē: *Villam emi, & neceſſe habeo exire, et videre illam, rogo te, habe me excuſatum*: & alia ex parte componite Sponſam aientem Cant. 7. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Ille, quia in villam vadit, Deum dimittit: hæc quia in villam vadit, Deum allicit. Illum villa eripit Deo; hanc villa Deo aſſerit. Cur Domine, non magis à villa caues, quando vides propter villam emptam deſpici ab homine conuiuium immortale? Cur pateris ab Sponſa in villam vocari, & illic commorari amas? Amat Dominus cum Sponſa in villa commorari, vt oſtendat, quàm inexcuſabilis ille eſt, qui propter villam à Deo diſcedit, quem ſibi per villam poſſet comparare. Et quis non amens per illas ipſas res à Deo diſcedat, per quas poſſet illi appropinquare? Geneſ. 8. Noe poſt diluuium, *ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.* Mirabar, vnde in mentem iuſti potuiſſet venire, quòd animalium oblationes, & ſacrificia placitura eſſent Deo. Equidem Deus, vt ait ipſe Ioann. 4. ſpiritus eſt, & adoratores in ſpiritu amat, cur tunc temporis voluit adorari in carne animalium? Accipite D. Chryſoſt. homil. 27. fantem: *Quia homines à vero Dei cultu defecturi erant, et proprios Deos effecturi, quibus ſacrifi-*

Cant. 7.

Gen. 8.

Chryſoſt.

crificia immolarent, priùs voluit, vt sibi dona offerrentur, vt vel sic â proposito pelleret pernitioso. Et quidem à proposito pellitur pernitioso deficiendi à Deo ille homo, qui videat per earumdem rerũ sumptus, quibus deficit, posse Deum comparare. Quis bona temporalia insumat, vt perditionem habeat, videns per eosdem, & minores sumptus se posse, & salutem, & Deum mercari? Quis ouem mactet diabolo, quam potest Deo mactare? Quis honores, dorminatus, & diuitias acquirat, vt pereat, cùm easdem possit habere, vt fiat saluus? Sanè non linquitur excusatio peccandi, imò vix peccandi linquitur potestas, vbi in eisdem sibi complacet Deus rebus, è quibus sumit malus materiam peccandi. Id quod expressiùs dixit Tertull. lib. 2. in Marc. dum enim sacrificiorũ veteris legis insinuat causas, ait: *Illam Dei industriam senti, qua populum pronum in idololatriam, et transgressionem, eiusmodi officijs religionis suæ voluit astringere, quibus superstitio sæculi agebatur, vt ab ea auocaret illos, sibi iubens fieri quasi desideranti, ne simulachris faciendis delinqueret.* Dũ Deus illis eisdem rebus sese dedit, quibus perditio comparatur, quis perditionem comparet, & non magis Deum? Astrictus est Deo seruiendo, omni excusatione deposita, quisquis per eadem ipsa potest seruire, per quæ discedit. Tertull.

§. IX.

Inexcusabilis est, qui sola sublimia, & excelsa prospicit, non humilia.

EMptæ villæ videndæ prætextu, in qua dominetur, celsitudinemque habeat super omnes (vt notat D. Augustin.) immaculati Agni cœnam iste despicit; & se haberi excusatum rogat. Vana profectò rogatio est, quando inexcusabilis omninò redditur, qui solam celsitudinem, & sublimitatẽ habet prę oculis. Paul. ad Roman. cap. 1. aiebat: *Inuisibilia Dei â creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, et diuinitas, ita vt sint inexcusabiles, &c.* Expende, vnde inexcusabilitas pereuntium nascatur, ex eo, quòd illis pateat sempiterna Dei virtus, & diuinitas. Et quomodo ex prospectu supernæ illius virtutis inexcusabiles redditi sunt pereuntes? An quia malum sit Dei sublimitatem videre? Absit; non enim malum est, quòd Dei sublimitatẽ absolutè videas, sed quòd illam solam ames videre, nihilque patiaris cernere, quod non excellens sit, atque sublime. Id quod meditatus D. Bernard. ait, serm. 8. in Cant. *Audi denique, quid eis de Deo reuelatum fuerit; sempiterna, ait, virtus, et diuinitas. Vides, quia quod sublimitatis, quod maiestatis est in præsumptione spiritus, non Dei, sed sui, rimati sunt; quòd autem mitis sit, & humilis corde, non intellexerint.* Ad Dei celsitudinem anheli, humilitatem eius fastidiebant: quidquid celsum, & sublime in Deo odorabantur, facilè capiebant, vt celsitudinis, & dominatus studiosi; humile autem, & dejectum prorsùs expuebant, quo inexcusabiliter pereunt apud Dominum. Iunior ille filius apud Luc. cap. 15. à Patre Deo petit substantiam suam, ait enim: *Pater, da mihi portionem substantiæ meæ, quæ me contingit*: quam vt accepit à patre, perdidit, dissipauit. Et cur tanti Patris, nempè Dei bona data filio tàm facili negotio perduntur, & filium trahunt in miseriam vltimam? Filius in accipiendis illis solum quod præstans est in Deo considerabat: nihil infirmum, nihil humile, nihil mortale voluit percipere, ex quo in penè vltimã calamitatem ruit. Acutè, & eleganter Chrysol. serm. 1. ait: *Cœlestem Patrem sciebat nullo claudendum fine, concludendum tempore nullo, nulla mortis potestate soluendum. Et ideò cupit viuendi libertate gaudere, qui ditari noluerat facultatibus decentibus.* Boni filij vt bona possideant, parentum spectãt infirmitates, parentum funera obseruant, vt sic de parentum puluere bonorum segetes sibi acquirant. Prodigus iste non parentis infima, & humilia voluit spectare, nec ditari de morte, vel de puluere, sed sola lucida, & præstantia prospexit, cæteris præstare cupiens, & inde inexcusabilis venit in ruinam. Saniori consilio ille, Psal. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum*: sic ascensum meditabatur, vt minimè excluderet lacrymarũ vallem, sed simul & humilia lacrymarum, & alta virtutum mente tractabat. Inde Iesus regale conuiuium parans, ait apud Paul. 1. ad Corinth. 11. *Quotiescũque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Cur non magis iubet annũtiari diuinitatem, dominationem? Ne ad solos honores, & suauitates raperentur Christiani, hoc curat, vt & infirma Dei, & mortalia annuntient, & Bernar. Luc. 15. Chrysol. Psal. 83. 1. Co. 11

præ

præoculis habeant. Quapropter Dei a-matrix, Canticor. 5. ex lectione Diu. Ambrosij, lib. 5. de sacrament. cap. 3. ait: *Manducaui panem meum cum melle meo.* De
Pasch. quo Diu. Paschasius, lib. de corpore, & sanguine Domini, cap. 10. inquit: *Comedi panem cum melle meo, quoniam in illo diuinitatis dulcedo, & humanitas prædicatur*: ne quis ad diuina, & celsa tendens solùm, deiecta, & humilia prætereat humanitatis.

Luc. 14. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa; rogo te, habe me excusatum.

§. X.

Nisi spiritualibus ardenter inhient iusti, in asperitate, & macerationecarnalium, à peccatoribus, & infidelibus superantur sæpissimè.

HVc veniant viri pij, qui de carnis maceratione gloriantur: quis iustus quinque boum iugis carnem suam domauit? Vnum lego iugum à Christo Domino suis sequacibus ostensum, cùm ait: *Iugum meum suaue est*: at iste vt à Christo fugiat, quinque iuga boum subit voluntarius. Et quidem nisi spiritualibus inhiemus, in maceratione carnis etiam strictissimi Religiosi à peccatoribus
1. Cor. 7. superantur. Paul. 1. ad Corinth. 7. inquit: *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei.* Mirabar Paulum sic circumcisioni iniurium, vt dicat, illam nihil esse. Nonne circumcisio asperrimum est opus macerationis? Nonne per illam caro Deo mactabatur? Cur illam nihil æstimat Paulus? Dum Paulus in circumcisis nullam esse videbat famem spiritualium, nullum desiderium ad inuisibilia tendens, meritò despicit carnis circumcisionem, etsi asperam, quando in asperitate carnali etiam ab infidelibus superabantur. Id quod notans Diu. Zeno, lib. 3. sermone. 8. sic inquit: *Zeno.* *Circumcisio est in damnum, vulneris ferro circumlata cicatrix. Quam, si Iudæus existimat gloriam: maior est eius, qui in honorem Deæ suæ, sanè anus turpis, atque amatricis non paruam cutem eiusdem membri, sed ipsum membrum radicitùs abscissum ministerijs turpioribus immolauit.* Quam æstimet gloriam in sola carnis percussione, qui nouit infideles, & peccatores sese mactare pro turpissimis idolis, pro voluptatibus habendis, & mundialibus bonis? Maior aliquando gloria est in percussione carnis apud infideles, apud peccatores, quàm apud strictissimos Religiosos, si hæc censeatur esse gloria. Huc referam Tertulliani verba, quibus duritiem continentiæ Christianæ viduitatis emollit, dum illam ostendit deuictam Ethnicæ virginitatis rigore: etenim ait libro. 2. ad vxorem: *Durum planè, & arduum satis continentia sanctæ fœminæ post viri excessum, Dei causa, cùm Gentiles Sathanæ suo, & virginitatis sacerdotia proferant? Romæ quidem, quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auspicia pœnæ suæ cum ipso dracone curantes, de virginitate censentur. Achææ Iunoni apud Ægium oppidum virgo sortitur; & quæ Delphis insaniunt, nubere nesciunt. Hæc Diabolus præcipit, & auditur: prouocat nimirùm Dei seruos continentia suorum, quasi ex æquo: ô continentiam gehennæ sacerdotem!* Non equidem est, cur glorietur Christianus in sola exteriori carnis pressura, quam strictiorem sustinent infideles, & peccatores: dum per vigilias, per fames, per labores innumeros suas nituntur implere cupiditates. Vide ipsum Tertullianum, vt Christianis martyribus proponit mille alios Gentiles, qui antè idolorum aras suæ carnis acerbissimas perpessi sunt strages. Non ergo in sola carnis macerationegloria nostra est, nisi & cum hac adiungamus ardentissimam famem rerum spiritualium. His dum instas, longè vincis omnes pressuras carnis. Apud Matthæum, cap. 20. ac- *Matt. 20.* cessit mater filiorum Zebedæi ad Iesum, & adorans ait: *Dic, vt sedeãt duo filij mei, vnus ad dexteram, alius ad sinistram in regno tuo.* Non terrenum aliquod, & mundiale regnum spectat, vt putat Chrysostomus, sed sublimius quid, & à sensibus remotum, nimirùm regnum Christi spirituale, & cœleste. Pro quo etiam latro in cruce positus clamabat: *Memento mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum.*

tuum. Hoc affectabat latro inter mortalia vulnera iam agens animam: idem petebat mulier, nullo vulnere accepto; imò nondum videns stadium. Cur fœmina non expectas plura pati? Cur ante vulnera coronã cupis trahere? Erat illi vehemens desiderium rerum supernaturi alium, quod vbi adest, superat omnes pressuras, & conflictus carnis. Quô respiciens D. Basil. Seleuc. orat. 24. ait: *Anteuertit, vt apparet, latronis votes mulier. Ille in cruce orationes fundebat: Memento mei, cũ veneris in regnum tuum. Hæc ante crucẽ pro regno supplicabat: Dic, vt sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram alius ad sinistram in regno tuo. Odesiderium passione maius.* Et quidem desiderium efficax æternorum in hominibus iustis longè superat vniuersas passiones, & macerationes carnis, cùm perillud iusti viri supra perpessores ignium, & crucum extollantur.

§. XI.

Qualis exhibetur homo, vt à Deo fugiat, talis exhibendus est, vt Deum acquirat.

ECce tibi mensuram officij exhibendi Deo, vt illum acquiras, nimirum id, quodpateris, vt ab illo deficias. Quinque subis iuga boum, vt magnam Dei cenam despicias, totidem subire teneris, vt illam æternitatis cænã accipias. Qui per quinque sensuum pressuram Deum fugis, Dei mensæ halanti vitam, nisi quinque sensus mactans nõ accũbes. Ea est lex Leuit. 22. *Qui comederis de sanctificatis per ignorantiam, addet quintã partem cum eo, quod comedit, & dabit Sacerdoti in Sanctuario.* Vbi ignorantia fuerit diuinarum epularũ, statim tenetur quis addere quintam partem cum eo, quod comedit. Et cur ignorantiæ diuini cibi addenda quinta pars? Ignorantia cibi omnes quinque sensus occupauit, non enim ignorantia esset, si aliquis sensus non falleretur; ideò quinta pars addi iubetur, vt etiam quinque sensus in eodem sumendo cibo occupentur. Quô spectat Diu. Paschasius, lib. de Sacramento Corporis Christi, cap. 2. inquiens: *Quinta igitur pars illius tunc rectè â nobis superadditur ei, quòd per ignorantiam accipiebatur, si quinque sensus corporis intus ad intelligibilia conuertantur. Quia si rectè sapimus, diuinus spiritus, qui in nobis est, etiam per eamdem gratiam ampliatur, eosdemque sensus nostros ad ea percipienda instruit, & componit: ita sanè, vt non solùm gustum interiùs ad mystica perducat, verùm & visum, atque auditum, nec non odoratum, et tactum, ita tenus quodam modo illustret, vt nihil in eis, nisi diuina sentiantur, nihilque nisi cælestia.* Et meritò à diuino Spiritu constringuntur sensus quinque ad hoc, vt in cælesti epulo sola sentiant diuina, & supernaturalia, quando ipsi effusi ad terrena æternorum fastidia generarent. Quô etiam spectat tota Eucharistiæ œconomia, in qua exhibetur panis, qui non panis, sed filius Dei credatur, dum volunt homines in obsequium fidei intellectum suum captiuare. Sed cur necessum fuit adducere intellectum humanum, vt credat, Filium Dei subesse speciebus panis? Quia etiam intellectus humanus adductus fuit, vt crederet diuinitatem inesse cibo scientiæ boni, & mali. Rem acutissime ponderans Rupertus libro. 12. de victoria, capit. 12. sic inquit: *Quia, cùm non viderent nisi pomum, quantumlibet suaue, aut visu pulchrum, crediderunt, in illo esse diuinitatis effectum, crediderunt diabolo dicenti: Si comederitis, eritis sicut Dij. Contra cibum illum, qui cibus fuit mortis, dictante ratione iustitiæ, dari oportebat cibum alium, qui esset cibus vitæ, & simili ordine, vt scilicet inesse illi mens crederet, quod oculus non videret, crederet esse cibum, & potum veraciter communicandæ diuinitatis. Per hanc fidem sibi Deus ab homine satis factum esse iudicat, dum non minùs sibi credit, quàm diabolo crediderat.* Semper Deus hoc curauit, ne minùs facerent homines in Dei causa, quàm in causa diaboli, & peccati. Vnde ad Philippenses, cap. 2. de Dei Filio veniente in hunc mundum, dicitur: *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod dedit illi Dominus nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c.* Aligno pendenti Deo omne genu curuatur; sed scire cupisti, cur se Deus exhibuerit adorandum à ligno pendens, & non magis sedens in throno maiestatis? Pulchram rationem in rem præsentem affert Tertullianus, libro. 4. in Mar. fatus: *Meritò se, pro suo homine deposuit, pro imagine, & similitudine sua, non aliena: vt quoniam homo non erubuerat lapidem, & lignum*

Rupert.

Philipp.

Tertull.

num adorans; eadem constantia, non confusus de Christo, pro impudentia idololatriæ, satis Deo faceret per impudentiã fidei. Nõ minùs subeundũ est homini pro Deo habendo, quam subijt pro peccato, si Deo satisfacere cupit. Nec ratio, nec æquitas permittit, quòd Deus Optim. Max. suæ gloriæ thesauros præbeat illis, qui multò maiora subiere pro diabolo, & vitijs: sem per enim esset, vnde magis aduersus Deũ diabolus superbiret, quod maiora sibi exhibuerint obsequia, quàm Deo etiam ipsi cœlestes principes.

§. XII.

Temporalibus hominibus annexa mendacia.

HOra cœnæ vocabantur isti, & egregiam confingunt excusationem: *Iuga boum emi quinque, et eo probare illa.* Cœnæ hora dicit se ire probare empta iuga boum; quod apertius mendacium? Hora cœnæ à rure veniunt homines domum, cùm iam non liceat per noctem rusticari; cùm soluuntur iuga ad cœnam, vadis tu ad probanda iuga? Sed sanè tempo rali homini nil magis familiare, quàm mẽ
Num. 27. tiri. Numer. 27. accesserunt filiæ Salphaad ad Moysem, cùm distribueret terram filijs Israel, atque dixerunt: *Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ concita est contra Dominum sub Chore, sed in peccato suo mortuus est: hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habet filium? Date nobis possessionem, &c.* Hæ solæ fœminæ inueniuntur pro terrenis bonis litigasse apud Moysem: quod notans Diu. Am-
Ambr. brosius lib. 3. de virg. ait: *Terrenam possessionem sibi Salphæ filiæ postularunt, sed quia Salphæ filiæ. Salphæ autem filiæ, quid sunt, quæ terrena petunt, nisi vt interpretatio docet, oris obumbratio? Quæ vtique in illis est, quibus non est verbum in ore ipsorum, nec in sermone eorum veritas.* Cum terrenarũ possessionum cupiditate connexa veniũt mendacia; quot sunt homines terrenis bonis habendis insudantes, tot sunt filiæ Salphæ, hoc est, tot sunt, in quibus sit oris obumbratio, à quorum ore vix audiatur aliud, quàm mendacium. Id quod notabat
Psal. 4. Dauid Psalm. 4. *Filij hominum vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, et quæritis mendaciũ.* Expende, ex quo principio oriatur mendacium, primò ponit, quòd diligant vanitatem, & statim, quòd quærant mendacium, quasi mendacium ex dilectione vanitatis nascatur. Sed quæ est illa vanitas, quæ præcedit mẽdacium?
Aug. Diu. Augustinus explicat, aiens: *Vt quid ergo temporalium rerum amore detinemini? Vt quid tanquam prima, extrema sectamini, quod est vanitas, et mendacium.* Hæ duę sunt temporalium rerum affectæ, & vanitas, & mendacium. Hinc Psal. 70. ex dis-
Psal. 70. punctione Cassiodori ait: *Os meum annuntiauit iustitiam tuam; tota die salutare tuum. Quoniam non cognoui literaturam.* Alij legunt: *Quoniam non cognoui negotiationes.* Expende causam, cur in ore eius iustitia, & veritas fuerit, nimirùm, qui sæculares bonorum cogitationes ablegauerit. Ex quo pulchrè ait Cassiodorus: *Ne-*
Cassiod. *gotiatores ergo illi abominabiles æstimantur, qui iustitiam Domini minimè considerantes per immoderatum pecuniæ ambitum polluuntur, merces suas plùs periurijs onerando, quàm pretijs.* Quasi inseparabilis est à negotiatione temporali, & falsitas, & periurium. De quo plura tom. 2. lib. 6. capit. 2. §. 8. & hoc tom. 3. lib. 14. cap. 9. §. 2. & cap. 13. §. 7.

Luc. 14. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideò non possum venire.

§. XIII.

Libidinosi homines omnium impudentissimi, & rusticissimi.

DVo priores homines sic à cœna Dei recedunt, vt inuitatori aliqualem reuerentiam habeant, dum dicunt illi: *Rogo te, habe me excusatum.* Hic postremus solus nihil reuerentiæ, nihil boni respectus, nihil comitatis prætendit, sed omni eo, quod ad reuerẽtiam, & comitatem conduceret, prætermisso, tantùm ait: *Nõ possum venire.* Quid impudentius? Quid magis rusticũ, & inhumanum? Quòd si tãtæ impudentiæ, & rusticitatis quæras causam, illam ipse prætermisit, aiens: *Vxorem duxi*; quibus verbis impudicitiæ, libi-

dinisque excessus notatos putant communiter, & Patres, & expositores sacri. Nec miror, quòd ab excessu libidinis tanta impudentia nascatur; sunt enim libidinosi homines omnium impudentissimi, rusticissimi. De primis hominibus
Gen. 3. post peccatum patratum, ait Gen. 3. *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi, vocauitq; Dominus Deus Adam, & dixit ei; Vbi es? Qui ait: vocem tuam audiui in paradiso, & timui.* Quibus verbis meritò notat Lyppomanus impudentiam, & rusticitatem Adami ortam à peccato, quando locutus cum Deo è latebris, nullũ præmittit honoris titulum, non ait, Fortissime, Potentissime, Clementissime Deus, sed omni honoris, & comitatis vocabulo prætermisso, simpliciter, & intrepidè dicit: *Vocem tuam audiui, &c.* Vnde Adamus adeò impudens, & rusticus? Quid erat in latebris illis, à quo tantam biberet impudentiam, & rusticitatem? Textus ait: *Abscondit se Adam, & vxor eius*: & quidem vt peccatum eius venit ab excessu fœmineæ dilectionis, sic illi & impudentiam ingessit, & rusticitatem, quando nemo impudentior, & rusticior inuenitur eo, qui excedit in fœmineis flammis. Ait D. Petrus
2. Pet 2. 2. epist. cap. 2. *Qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, &c.* Apud Oecumenium expressiùs in rẽ
Oecum. præsentem. *Qui carnem sequentes in concupiscentia pollutionis ambulant, ac dominationem contemnunt, audaces, præfracti, qui splendores non verentur conuitijs incessere.* Nihil reuerentiæ, nihil comitatis, nihil pudoris, & boni respectus inuenies in ijs, qui se dedunt amoribus carnalibus, sed audaciam, sed impudentiam, sed contemptum omnium, vt nullum reuereantur, nulli etsi clarissimo, & splendidissimo reuerentiam habeant. De illis meritò ait ipse Oecumenius: *Nil mirum quòd huiusmodi sint audaces, & præfracti; hoc est, insequentes sibi placentia. Sed & conuitiatores dicit. Nam qui ex contemptu dominationem non timent, quid mirum, si aduersus omnem splendorem intrepidè persistant?* Nullus splendor, nulla dignitas in honore est apud huiusmodi homines voluptuosos, & carnales. Genes. 9. dum propter incognitam, & inexpertam ebrietatem iaceret nudus Noe, ait textus: *Quod cùm vidisset Cham pater Chanaã, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiauit duobus fratribus suis foris.* Cur non maiorem reuerentiã præstat parenti nudato? Cur non magis operit eius pudenda, sed impudens publicat, & despicit? Notanter ab Spiritu sancto tantæ impudentiæ, & procacitatis causa notatur, vbi dicitur, *Cham pater Chanaã*, quasi insinuetur pater Chanaam factus illo ipso tempore diluuij; vt qui adeò fuerit incontinens, qui nec inter tot angustias appetitus cohiberet carnales. Quare non mirandum, quòd in carnali homine ea impudentia extaret, qua nullam reuerentiam exhiberet patri. Chry-
Chrysost. sostomus ibi inquit: *Quare dic mihi, & hoc loco filij vocabulum assignat? Vt discas, illum fuisse intemperantem, & incontinentem; & mente, qua in tanta perturbatione procreandæ proli vacabat, eadem etiã nunc in contumeliam patris prorrupit. Et nuntiauit, inquit, duobus fratribus foras. Fortassis autem, & irrisit, ac subsannauit patrem, turpitudinem illius nuntiando.* Quis magis ab omni pudore, & humanitate alienus? Quæ in illo feruebat cupiditas carnalis, eumdem sic audacem, præfractum, & impudentem fecit, vt nulli splendori, nulli dignitati, nec parenti optimo reuerentiam præstaret. Prouerb. 9. introducitur sapientia ædificans domum, ponens mensam, & mittens ancillas ad inuitandum; & statim è regione sapientiæ, vt placet Caietano, constituitur voluptas diuertens à sapientia inuitatos, & ad se trahens.
Prou. 9. Et qualis hæc voluptas? Ait textus: *Mulier clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens.* Septuag. legunt: *Et non nouit pudorem*: quasi hæc sit propria voluptatis passio, nimirum pudoris exclusio, qua nihil vereatur, nullique dignitati parcat. Exquo Diu. Zeno, sermone de pudi-
Zeno. citia, impudicam mentem describens ait: *Discurrit quippè vesana per populos, hominumque lubricas mentes libidinum flagrantibus stimulis præcipitat in furorem, non sexui parcens, non ætati, non pietati, non sibi: quia pudorem alienum qui appetit, primò suum perdidit.* Non pudor, non comitas, non humanitas inuenienda est in animis lasciuis, sed summa impudentia, qua nullam dominationem, nullam dignitatem in honore habeant. Huc refer dicta infrà, cap. 15. §. 5.

(·.·)

Luc. 14.

Luc. 14. Et reuersus seruus nuntiauit hæc domino suo. Tunc iratus pater familias dixit seruo suo: Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait seruus domino: Factum est, vt imperasti, & adhuc locus est.

§. XIIII.

Inter ipsas iras accessibilis est Deus, vt bona faciat.

CVm iratus Deus ostenditur, iam putabam conuiuium dissoluendum, imò mensas ipsas euertendas, obseruãdas fores, ne vlli pateat locus roganti. Sic facere solẽt homines irati: sic de Nabal aiebant serui. 1. Reg. 25. *Ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui.* Nesciunt iracũdi homines moderationem seruare, sed vbi irascuntur in aliquem, prorsùs inaccessibiles ad vniuersos manẽt. Non sic Deus irascitur, quin potiùs inter iras non obliuiscitur benefacere; iratus in vnum, sese misericordẽ præbet alij. Quid terribilius Deo, vbi Ægyptios omnes in profundum deijcit maris? At tunc inter ipsas iras salutem Israelitis parat per medium sicci maris. Exod. 14. *Reuersæ sunt aquæ, et operuerunt currus, et equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem superfuit ex eis. Filij autem Israel perrexerunt per mediũ sicci maris.* Iratus Deus in illos, maria voluit, ne qua salutis via pateat, & simul in hos blandus latissimos in mari aperit salutis campos. Salutis viam obstruebant impijs fluctus iram Dei portantes, & simul salutare, & securum iter præbebant sanctis. D. Hilar. in Psalm. 144. ait: *Terribilis fuit virtus Dei cum ingressis in maris iter impijs, vbi fuerat salus religiosorum, ibi pœnam constituit impiorum. Circumstant alios firmitate muri solidatæ vndæ, alios refusæ illæ ipsæ, quæ constiterant, absorbent. Ad istos pelagus naturam suam nescit, hos per naturam suam punit.* Non sic irascitur in illos, vt non suauis sit, & blandus alijs; nescit enim Dei ira exardescere, quin misericordiæ venæ scaturiant. Psalm. 134. *Edu*

cens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit. Proh Dei irati genium! Quando iracundior Deus ostenditur, quàm vbi obducens cœlum nubibus, clasicum tonans vndique, ardentibus iaculis terram fulminat? Ecce Deus adest fulmina vibrans, an non perdet omnia potentissimus fulminator? Absit; fulmina enim in pluuiam facit, simul fulminator, & rigator terræ ostenditur; dum enim quatit fulmine turres, arentia arua pluuia rigat, & fœcundat in fructus. Hæc est ira Dei instar fulminantis, & pluentis nubis, à qua & iaciuntur fulmina, & cadit pluuia, vtraque simul. Quippè mirabundus D. Chrysost. in præsenti ait: *Vide rursus aliud miserabiles, & diuersas naturas conuenientes. Neque enim fulgure est quicquam magis igneum, neque aquis est aliquid frigidius, ea tamen miscentur, nec confundantur, sed vtraque æquè conseruat fines suos. Manet enim ignis in aqua, & aqua in igne.* Ignis quidem manet in aqua, & aqua in igne, nec adeò exardescit ignis, vt non relinquat locum fecundissimæ pluuiæ. Sic Dei ira numquam exardescit, numquam aduersus aliquos fulminat, quin simul misericordiæ fontes emittat, quibus arentia corda fructiferos succos imbibant. Quò spectans Psalm. 28. ait: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Quomodo intercidit flammam ignis Dominus, nisi dum simul iram accendit in aliquem, & misericordiæ pluuia irrorat alios? Sic Diu. Basil. ibi: *Intercidit flammam ignis Deus, secundùm historiam trium puerorum apud Babylonem, quando fornax supra cubitos quadraginta nouem effusa, eos, qui circumstabant combussit omnes. E diuerso autem eadem flamma Dei præcepto intercisa recipit in se spirantem auram, refrigerationem pueris illis tribuens.* Interdicitur semper flammas Dei ira, vt dum alios vrit, alijs rorem misericordiæ infundat. Quod miraculum in Dei ira stupebant Azotticorum diuini. 1. Reg. 6. vbi ex lectione D. Chrysostom. in Psalm. 135. aiunt: *Hic est Deus fortis, qui percussit Ægyptum, & quando illuxit eos, tunc ipsos,* scilicet Israelitas, *eduxit.* Non equidem parùm Dei fortitudinem commendat, quòd simul possit irasci in aliquos, & inter irascendum possit alijs benefacere. Sic tunc temporis irascebatur in Ægyptios vsque ad eorum internecionem, & quando irascebatur, simul Israeliticis salutem dabat. Quid fortius? Huc respiciebat Moyses, Numeror. cap. 16. sic Deus ob Chore offensam iratum in

omnes emolliens: *Fortissime Deus spiritu omnium vniuersæ carnis, num vno peccante, contra omnes ira tua desæuiet?* Absit hoc à fortissimo Deo, cuius fortitudinis proprium est, inter irascendum aduersus aliquem, aliorum procurare tutelam. Nulli enim in ira parcere, fragilitatis est humanæ, non fortitudinis diuinæ.

§. XV.

Dei gratiæ minimè obest humanæ fortunæ vilitas, & abiectio.

ET pauperes, & debiles, & cæci, & claudi iubentur adduci diuinæ mensæ; animas respicit Dei gratia, nō fortunas; & vbi apta anima inuenitur, vilitas fortunæ nihil obest. Multæ, & proceræ, & pulchræ arbores erant in deserto Sim, diuini tamen ignis splendor in rubo sedit. Ait enim Exod. 3. *Apparuitque ei Dominus in flāma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non comburebatur.* Non cedrus, non palma eligitur, quæ diuinum sustineat ignem; sed vilis rubus: quando enim rubus is est, qui virere possit inter ignes, minimè Dominus eius vilitatem excludit. Vnde ait Diu. Basil. Seleuc. orat. 9. *Ecce ignem monstrat in rubo ardentem ignis effectu sepositio, quippè flos igne coronatur, viliſque planta succensæ flammæ obsistit.* Dimissis pretiosis lignis, vilis rubus assumitur, qui thronum præbet inter flammas apparenti maiestati; dum enim gratia inueniat indolem, in qua sese ostendere possit, non respuit ab humanis iudicijs profectam vilitatem. Abiectus erat, & vilis Dauid puer inter fratres suos, & adeò abiectus, vt dum fratres gloriam militarem ostentarent, ipse pro se ait. 1. Reg. 17. *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, &c.* Pugnabat Dauid, non pro ciuitate obtinenda, non pro principatu, non pro regno, sed pro oue, vt solet vilis pastor pugnare; & strenuos pugnatores dimittens Dominus, hunc adlegebat diuina gratia. Quare non magis allicit auratos equites, duces cantatissimos? Quare mauult rudē, & obscurum pastorem pugnantem cum lupo in syluis? Pulchrè Diu. Basil. Seleuc. orat. 15. *Tales animas legere nouit gratia: quare & cura gregis distentum vocauit ad regnum. Nam cognita animi mente, minimè erubescit artem. Placet sibi Deus, abstrusum in despecto corpore margaritū conspicatus.* Non vilis ars, non abiectio personæ obest, quominùs à diuina gratia eligaris, quando hæc non erubescit artem, nec vilitatem personæ à fortuna ortam, quando indolis, ingenijque animaduertit præstantiam. Et expende illud. *In despecto corpore margaritum conspicatus.* Inspicienda enim est in omni electione pretiositas ingenij, & pro hac despicienda vilitas artis à fortuna orta. Cui excogitationi lucē addit illud à Platone excogitatum. 3. de Repub. vbi fatur: *Deus informando vos, qui ad imperium nati estis, aurum in generatione immiscuit. Quapropter honoratissimi estis. Eis verò, qui ad auxilium ferendū præstant, argētum. Agricolis autem, et reliquis opificibus, æs, et ferrum. Proinde vt qui cognati omnes estis, plerumque similes vobis generatis. Quandoque tamen ex aurea sobole generari poterit argentea, & ex argentea, aurea; et reliquæ omnes eodem modo, et ex alijs viciſsim. Principibus igitur & primū, et maximè præcipit Deus, vt nullius rei ita boni custodes sint, neque quicquam ita obseruent, quàm quid in animis filiorum suorum ex illis immixtum sit. Etsi filius eorū subæratus, aut subferratus sit, nullo modò miserabuntur, sed conuenientem naturæ honorem tribuentes, ad agricolas, aut opifices ipsum detrudent. Et si rursus ex opificibus, aut agricolis nascatur quis subauratus, aut argentum immixtum habens, honore delato hunc deuehent, ita vt tales partim inter custodes, partim inter auxiliarios referāt.* Pulchro, & eleganti commento bonus Philosophus ostendit, quid sit in hominibus seligendis spectandum; non extrinsecus splēdor, aut vilitas, sed internum aurum: vbi autem aurum, siuè margaritum, hoc est, pretiositas ingenij etiam in despecto corpore, inter viles artes inuenitur; tota hæc fortunæ externæ vilitas, & despectio non obest eligenti gratiæ. Placet enim sibi Deus abstrusum in despecto corpore margaritum conspicatus. Hinc Num. 27. ait Dominus ad Moysem: *Tolle Iosue filium Num, virum, in quo est spiritus Dei, & pone manum tuam super eum.* Quæ verba sic legit Diu. Augustin. lib. 3. quæst. nonum in Num. quæst. 54. *Accipe ad te ipsum Iesum filium Naue, hominem, qui habet spiritum in se ipso, &c.* Ecce tibi, quid conspiciat Dominus in suis electis, non quòd habeāt fortunas, non quòd pecunias habeant, nec pulchritudinem, nec nobilitatem, sed

Exod. 3. Basil. 1. Reg. 17. Basil. Plato. Num. 27. August.

sed quòd habeãt spiritum in se ipsis, quòd habeant mentem, & genium ad munera aptum, cętera parui facient. Placet enim sibi Deus abstrusum in despecto corpore margaritum conspicatus.

§. XVI.

Paupertas, & nuditas Christiana aptior ad magnalia patranda.

NOn otiosè vocat Dominus pauperes, sed vt qui aptiores sint ad magnalia patranda. Omnium bonorũ tẽporaliũ amissionem, & ruinã sic leniebat Iob, cap. 2. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ.* Et qualis hæc consolatio? Imò quia nudus egressus est, ideò magis deberet dolere de perditione rerum temporalium. Nonne damnosior est oblatio pallij, ei, qui non habet aliud, sed nudus manet? Qualis ergo erat illa consolatio in omniũ perditione? Magna equidem, quando nuditas, & paupertas aptior est, vt homines magna nouerint comparare. Chrysost. in Cat. Græca fatur: *Nudus procreatus est homo, vt, eodem studio adhibito, videret quẽ admodum imbres declinaret: quemadmodum sapienter frigus arceret: quemadmodũ ad repellendos ictus muniretur: quemadmodum terram coleret: quemadmodum feris, ac belluis metum incuteret: quemadmodum robustiora, ac valentiora se animalia domaret. Quamobrem aqua madidus, pluuiaque perfusus tecta fabricauit: refrigeratus vehementiùs indumenta excogitauit: ictus, ac vulneratus thoracem inuenit: cùm manus in agricolatione occupatæ spinis cruentarentur, rustica instrumenta quæsiuit. Quia nudus erat esca belluis, artificiosam rationem, ad eas, quæ terribiles sunt, exterrendas cõparauit. Nempè igitur aliam ex alia solertiam nuditas genuit. Vt iam nuditas donum sit, munusque imperatorium.* Quæcumque magna sunt inter homines, ea nuditas hominis perfecit, vt discas, quàm aptior sit diuitijs paupertas Christiana, ad magna quæque peragenda, comparanda. Iam antiquitùs à mundi diuitibus obijciebatur Christo Domino, quòd pauperes, & debiles adsciscceret in suam scholam, quibus & abstrusissima doctrinæ suæ mysteria traderet. Cur non magis diuitibus, & nobilibus? Horũ ora præclarè obstruit Minutius Fœlix in Octauio, fatus: *Et quoniã meus frater erupit, ægrè se ferre, stomachari, indignari, dolere, illiteratos pauperes, imperitos de rebus cælestibus disputare: sciet omnes homines sine delectu ætatis, sexus, dignitatis, rationis, & sensus capaces, & habiles procreatos: nec fortuna nactos, sed natura insitos esse sapientiam; quin ipsos etiam Philosophos, vel si qui alij artium repertores in memorias exierunt, priùs quàm solertia mentis parerent nominis charitatem, habitos esse plebeios indoctos, seminudos; adeò diuites, facultatibus suis illigatos, magis aurum respicere consueisse, quàm cælũ: nostrates pauperes, & commentos esse prudentiã, & tradidisse cæteris disciplinam.* Sic diuitiæ potiùs illigant, impedimentoq; sunt, paupertas verò expeditiores reddit, & promptiores animos ad magna patranda.

Iob. 2.

Chrysost.

Minut.

§. XVII.

Etiam in latitudine sæcularis vitæ possunt inueniri, qui superent homines religiosos, & strictioris status.

DE plateis iubet Dominus vocari pauperes, qui paratam Dei magnã cœnam accipiant; solent enim inueniri homines in habitudine vitæ sæcularis, à quorũ deuotione etiam religiosi vincuntur. Aiebat illa Dei amatrix, Cant. 3. *Per vicos, et plateas quæram, quem diligit anima mea.* Non mirarer, quòd quæreret dilectum suum feruentissima amatrix, verùm illud valde miror, quòd dilectum in plateis quęrat. Fieri ne potest, quòd Deus adeò conspicuus sit in plateis mundi, vt ibi possit à quærentibus inueniri? Quomodo ergo sponsa quærit in plateis dilectum suum? Cur non magis quærit in mona steriorũ clausturis? Cur non quærit in religiosorum septis, sed amat quærere in plateis? Scit, etiam posse in plateis mundi aliquos inueniri, in quibus Deus manifestior vigeat, quàm in clausuris. Ait Gillib. Abb. serm. 5. in Cant. *Non dedignatur etiam ab his, qui foris sunt, qui nulla arctioris vitæ regula constringuntur, mutuari virtutis insignia, reputans feruentiorem ibi frequenter affectum, vbi inferior fuerit ordinis gradus.* Non semper virtus cadit in plateis, euenit aliquando; quòd medijs mundi plateis, in tota illa latitudine sæcularis vitæ inueniantur aliqui ita virtutum studiosi, & pietatis zelatores, vt in feruore, & deuotione

Cant. 3.

Gillib.

strictissimæ religionis homines vincant.

Gen.4. Gen.4. de duobus illis primorum hominum filijs ait: *Fuit autem Abel pastor ouiũ, Cain agricola. Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino; Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & adipibus eorum. Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius non respexit.* Ecce tibi Abel placet Deo, & Cain natu maior displicet: sed & Cain strictioris vitæ normam sequebatur sollicitandæ terræ addictus ex præscripto diuino. Dixerat enim Deus: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, quod præscriptũ sic accepit Cain, vt ab illo minimè deflecteret; imò toto conamine curaret implere illud factus agricola. Cur ergo strictioris vitæ normam secutus minùs placuit, quàm ille, qui ab omni præscripto liberã agebat vitam? Equidem iam tunc ostendebatur, quòd religiosi viri poterant in deuotione superari ab his, qui latiorem viuendi normã erant secuturi. Meritò enim

Lyppo. ait Lyppom. in Cat. *Fit igitur Abel pastor pecorum, Cain agricola. Ambo quidem habent sancta exercitia, sed Abel sine mandato Dei, vt videri poterat. Cain operã dat obedientiæ, sanctius agit iuxta rationem operis, non tamen electionis. Reinecessariæ operam dat, puriora tractat, grauiùs laborat, pœnam humano generi decretam diligentiùs sustinet, sed fide, ac deuotione minor fuit, quæ Deus intuetur.* Conueniant huc viri religiosi, & discant, quo timore debeant suam operari salutem, ne superentur in Dei approbatione ab hominibus sæcularis vitæ. Viri religiosi, fateor, obedientiæ operam dant, puriora tractant, grauiùs laborant, sub disciplinæ strictione viuunt; sed cùm hæc ita sint, tamẽ fieri potest, quòd in mundi plateis inueniantur aliqui, qui fide, & deuotione totas illas status religiosi strictiones vincant.

Luc. 14. Et ait dominus seruo: Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt gustabit cœnam meam.

§. VXIII.

Pœnæ in vitijs inuentæ, à vitijsque ortæ maximè homines in salutem impellunt.

CÆteros omnes inuitari iubebat Dominus; at hos, qui è vijs, & sepibus colligebantur; compelli mãdat. Et quem non compellant ad Deum ire vitiorũ difficillimæ viæ, spinosæ peccatorum sepes? Sentiantur vel semel spinæ, & ærumnæ, quas vitia trahunt, & fallar, si quis non cõpellatur viam salutis procurare. Ecce tibi Ionas à Deo fugit rebellis, & ne Niniuem ciuitatem vel pulset, naui se committit, & securissimo somno tradit. Iam somno sepultus nauigabat, quando à frementi mare petitus excitatur, fluctibus iactandus. Nec fluctus dignantur rebellem suscipere, sed immanis bellua adest, quę miserum deuorat, & nigro sepelit ventris carcere. Quid plura? Tertio die euomitus in se reuersus, Dei præceptis obsequentissimus Niniuem adit. Ait textus cap. 3. *Et surrexit Ionas, & abijt in Niniuem, iuxta verbum Domini: & Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum. Et cæpit Ionas introire ciuitatem itinere vnius diei, & clamauit, &c.* Itinere vnius diei peruadit Ionas ciuitatem adeò magnam, quæ erat itineris trium dierum. Quomodo trium dierum spatia vnico solo die potuit Ionas peragere? Quis sic vatem impellebat, vt necessum esset, non tàm currere, quã volare, vt tàm citò ciuitatẽ peruaderet? Cur non magis lentat gressus? Equidem naufragium inuentum in fuga sua sic illũ impellebat, vt non posset cohibere impetũ, quo iam volabat in executionem diuini mandati. Ait D. Hieron. in Gloſſa: *Tàm ampla erat Niniue, vt vix posset circumiri itinere trium dierum; at ille memor præcepti, & sui naufragij, iter trium dierũ festinatione vnius diei compleuit.* Tàm potẽs erat naufragij in fuga facti memoria, vt nullam sustineret memoriam, nec permitteret paulisper quiescere, sed illum cogeret volare in Niniuem, vt discas, quã longè ex tunc aberat ab excusatione adimplendi mandati. Nec miror, si enim peccatores vniuersi suis delictis debitam penderent pœnam, si vel eorum amaritudinẽ in supplicio probarent, vix inueniretur, qui vellet ampliùs peccare. Nouisti Lucifer

Gloſſa.

Isai. 14. feri audaciam? Is ait, Isaiæ cap. 14. *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, &c.* Hos thronos dum sibi mente voluit, adest diuinus gladius, deturbat miserum ab astris, infernisque addicit flammis. Inde egressus coluber tortuosus hominem aggreditur, & vt Gen. 3. illum sui similem faciat. Genes. 3. ait: *In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum.* Non ait, ascendetis in cælum, super astra Dei exaltabitis solium, sed, eritis scientes bonum, & malum. Et cur non magis suggerit tẽtationem de solio cœlesti acquirendo, quàm de scientia? Sanè tentatio de acquirendo solio, quàm vehemẽs esset, & ipse in se expertus erat; cur ergo ad illam non recurrit? Non adeò perditus est, vt audeat meminisse tentationem, cuius causa tàm immane supplicium ipse accepit; vix solium meditabatur, & Dei fulmine percussus decidit in infernum, quo minimè audet recurrere ad idem tentationis intentum. Ad hęc D. Bernar. Bernard. serm. 4. de Ascens. ait: *Post casum suum inuidia cruciante, Sathanas malè sollicitus de supplantando homine, illius tamen montis ascensum nullatenus ausus est ei suadere, in quo nimirùm pro inani ascensu tàm immane præcipitium cognosceretur ex pertus.* Cauet vel ipse diabolus iterum in memoriam trahere illud, pro quo tàm diras sustinet plagas, & non cauebit homo repetere peccatum, quod sibi doloris, & lacrymarum nescit fuisse causam? Vtinã præsentaneam semper pœnam afferrent peccata; vel nos illa ingẽti supplicio vellemus castigare; fallar, nisi ab illis maximè abhorreremus, & impelleremur ad salutem comparandam. Huc refero dicta. 1. tom. lib. 2. cap. 10. §. 12. & lib. 4. cap. 6. §. 5. & lib. 5. cap. 4. §. 9. quæ omnia facilè huc possunt reduci.

CAPVT XIII.

De Oue perdita.

QVIS Pastor ouem à grege separatam contemnat? Imò sæpiùs visitur, qui totum gregem in monte relinquat, vt vnam infirmitate detẽtam, vel errabundam inquirat: inuentam sustollat humeris, gregi associet non sine ingenti gaudio, & sociorum congratulatione. Hoc pastor efficit in oue, & Deus in homine suo: nullum contemnit, nec infirmãtem, nec refugientem; ad miserum, & infirmum, etiam præterieus valentes, festinat, nullique parcit incommodo, vt vel minimo peccatori obtinendæ salutis commoditatem tribuat.

Luc. 15. Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam?

§. I.

Maximè totam suam gentem Deo acceptam, & commendabilem reddit, quisquis à primis annis sese Deo sacrare festinat.

ACceptus semper inuenitur Deo grex ouium, & adeò acceptus, vt de illarũ nomine gratissimos sibi ob simplicitatem, & iustitiam vocet homines. Perlege euangelium, & passim inuenies ouium nomina dulcescere in Iesu ore. Et vnde oues tàm dulcem, & suauem recordationem receperunt in mente Domini, nisi ex agnis anniculis, qui primò in vitæ limine sacrabantur Domino? Quisquis enim se Deo sacrare festinat in vitæ exordio, potens est omnem suam gentem reddere Deo acceptã, & gratiosam. Nolo, vt hoc consideres in solis ouibus, sed in omni huius speciei grege, in quo nihil inuenies, siuè ouis sit, siuè aries, siuè agnus, qui non probetur Domino. Probatur aries, dum pro Isaac offertur; probantur agni, dum eorum quotidiè rigabatur templum cruore; probantur oues, de quarum nomine insigniuntur iusti omnes. Et quę virtus vniuersum hoc pecus sit commẽdauit Domino? Habes de mundi primordijs, Genesis. 4. *Fuit autem Abel pastor ouiũ.* & post Gen. 4. pauca iterum habes: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum,*

eorum, &c. E cunctis viuentibus festinauit Agnus ab Abele adductus ascendere aras, & Deo sacrari in mundi exordio, ex quo non miror, quòd totam suam gẽtem
Alcim. redderet Deo gratiosam. Ait D. Alcimus lib. 1. ad sororem.

Nulla Deo siquidem, est acceptior hostia, quàm quæ
Immaculata sibi primis offertur in annis.
Sic quondam cùm prima nouo splendesceret ortu
Terra nitens, pulchraque darent sua semina fruges,
Viuentem ducens ad sancta altaria fœtum,
Innocuum sonuisse Deo balatibus agnum
Insinuante Deo iustus cognouerat Abel,
Cum capite oblato placuit grex totus ab vno.

Ecce vobis totus grex placuit ab vno illo Agno, qui in primis & mundi nascentis, & vitæ suæ annis Deo sacratur. Magna equidem est virtus, & potestas festinantis ad aras, & adeò magna, vt valeat totam suam gentem reddere Deo commendabilem. Sterili Annæ vxori Manue appa-
Iud. 13. ruit Angelus Domini, Iudic. 13. & ait illi: *Concipies, et paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum.* Tale accepit de nascituro filio bona fœmina oraculum, & vt accepit, sic festinat narrare viro suo, inquiens: *Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Quem cùm interrogassem, quis esset, & vnde venisset, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere; sed hoc respondit: Ecce concipies; et paries filium; caue, ne vinum bibas, nec siceram, & ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer Nazaræus Dei ab iefantia sua, et ex vtero matris suæ, vsque in diem mortis suæ.* Hæc illa, &
August. tacuit: ad quæ verba D. August. quæst. 52. quæstionem facit, cur hæc mulier explicans omnia Angeli dicta viro suo, illud postremum tacuerit, nimirùm, *ipse incipiet liberare Israel?* Et quidem hoc maximè conduceret ad exhilarandum maritũ, cùm speraret sibi filium nasciturum, per quem tota Israelitica gens reconciliaretur Deo, & triũpharet de inimicis. At mulier solùm occupatur in explicanda pueri infantia, quòd à matris vtero Nazareus, hoc est, Deo sacratus futurus sit, & de Israelis bono per illum consequendo, nec verbum dixit. Et cur Deus, qui misit Angelum suum, vt prædicaret Israelis fœlicitatem ab illo puero exorturam, permisit, quòd mater eius illam præteriret, occupata in explicanda pueri infantia Deo cõsecranda à primis vnguiculis? Satis publicabatur Israelis fœlicitas, dum puer proponebatur, qui Deo sacraretur ab annis primis, horum enim tanta est potestas, & tàm conspicua virtus, quæ manifestissimè sufficiat, vt Deo reddat gratam, & acceptam vniuersam gentem suam. Huc cõueniant vniuersæ mundi familiæ, & discant, qua possint ratione æternare & splẽdorem, & gratiam suam apud Deum. Hoc est medium singularissimum obtinendæ à Deo tantæ gratiæ, quæ sufficiat facere Deo gratam totam familiam, si in ea nascatur filius, qui vel primo vagitu seseDeo sacratum exhibeat. Quod noscens Chry-
Chrysol. sol. serm. 10. aiebat: *Quomodo domum suã indicat ouile Dei, vbi non paschale germẽ Dei pecus dat balatum?* Quasi tunc maximè tota domus, & familia cernatur sub protectione diuina, quando in ea agnus anniculus, hoc est, puer aliquis filius gratam se Deo exhibet victimam. Ex hac enim præcoci victima, & parentes, & tota familia sibi Deum singulariter obstringunt. Quis nesciat illam matrem Samuelis, ante quam mater fieret? Quas preces, quas lacrymas ipsa in conspectu Dei non fudit? Quæ vota non fecit? Audiuit Sacerdos eius vota, & lacrymas, & preces, & ait illi. 1. Reg. 1. *Deus Israel det tibi petitio-* 1. Reg. 1
nem tuam, &c. Post annos redijt ipsa iam mater facta, & afferens filium, vt eum Domino sistat; quem filium sacratum Sacerdos habẽs sic dicit parentibus, cap. 2. *Reddet tibi Dominus semẽ de muliere hac, &c.* Expende, cùm gementem, lacrymantem, orantem, vouentem audit, solũ dicit: *det tibi Dominus*; cùm filium offerentẽ videt, iam dicit, *reddat tibi*, non det, sed reddat; tunc enim maximè obligatus constituitur Deus & parentibus, & toti familiæ, quando vidit infantem à primis annis consecrari sibi. Ait D. Chrysost. hom. de Anna, Chrysost.
& Samuele: *Initio non dixit, reddat tibi, sed det tibi Dominus: verùm postquam illa Deum debitorem fecerat, ait, reddat tibi, bonam de futuris spem ponens.* Iam ex filio infante sibi consecrato debitor constituitur Dominus & parentibus, & vniuersæ familiæ, cui bonas de futuris spes iubet habere.

§. II.

§. II.

Quò te magis ab hominum frequentia remoueris, eò minus negotium Deo in tui protectione dabis.

MIraris derelictas nonaginta oues à bono pastore, sed ne multùm mireris, cõsiderandus est locus, in quo derelictæ apparent, nimirùm in deserto; nõ sic relinquerentur in transeuntiũ frequentia; desertus enim locus vt remotior est ab hominibus, sic minùs negotij præbet diuino pastori, vt oues in tuto habeat.

Hier.31 Verissimum est illud Hieremiæ. 31. *Inuenit gratiam in deserto populus, qui remanserat gladio.* Non frequentia hominũ, sed desertum, sed remotio, & fuga à popularibus conuentibus reddit iustos viros penè inuulnerabiles. Securissimus est à peccatorum iaculis quisquis sciuit hominum frequentias fugere, & sibi, & Deo vacare studet. Fallar, si hunc virum mortale posset vulnus attingere. Quò respiciẽs Oseas,

Oseas.13 cap. 13. ait: *Adducet Dominus ventũ vrentem, de deserto ascendentem, & siccabit venas eius.* Vbi Interlinealis explicat: *& siccabit venas mortis.* Afflatur enim desertum illis ventis, quibus mortis venæ, & viæ siccentur, & euanescant. Fœlix, qui desertum incolis, qui hominum fugis frequentias, non corruptas, & venenatas ebibis auras, quibus peccatorũ contagia sentias. Sunt in deserto, in sęcularium fuga salutares auræ, quæ mortem exsufflent, & eius venas penitùs exsiccent, ne quid maneat, quod remotos à sæcularium contagio possit offendere. Audisti sæpiùs Eliam à Iezabel fugientem, in desertum declinasse, vbi cælesti cibo refectus.

3.Re.19 3. Reg. 19. *Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb.* Quid est, quòd deserti cibus Eliam vsque in Horeb impellat? Horeb est idem atque exsiccatio, desertum autem, & fuga frequentiarũ nil priùs facit, quàm perducere hominem ad eum statum, in quo quidquid mortiferæ contagionis est, penitùs desiccetur, &

Ambr. exsuffletur. Vnde D. Ambros. de fuga sæculi, cap. 6. ait. *Vtique non mulierem fugiebat Propheta tantus, sed sæculum; nec mortem timebat, sed fugiebat sæcularem illecebram, & conuersationis maculosæ contagionem, & impiæ, atque prævaricatricis nationis sacrilegia. Fugiebat mulierem Iezabel, ideſt, effusionem vanitatis, & fugit ad montem Horeb, quod significat exsiccationem: vt siccaretur in eo carnalis profluuium vanitatis, & cognosceret plenius Deum.* Huc deducunt hominem aurę deserti, nimirùm in Horeb, in exsiccationem mortalis venæ, quando quidquid mortiferum, & contagiosum ex corruptela hominum nascitur, neque attinget illum, qui anxiè fugit hominum frequentias. Has fugiat, quisquis sapit, & protectus erit contra omnia tela maligni. Cùm Iesus comprehensus duceretur, Marc. 14. *Adolescens quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, et tenuerunt eum. At ille, relicta sindone, nudus profugit ab eis.* Sic adolescens hic, qui Ioannes putatur, comprehendentium Iesu frequentias fugit, non sic Petrus, qui potiùs illos secutus vsque intrò in atrium summni Sacerdotis, ibi semel, & ter negauit Magistrum. Quid tunc? Post Iesu resurrectionem Petrus, & Ioannes nauim ascendunt, piscationi incumbunt, & inter piscandum sese illis manifestauit Iesus, Ioan. 21. *Simon Petrus cùm audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se, erat enim nudus.* Cum comprehenditur Iesus, Ioannes nudus dicitur; cùm resurgit Iesus, iam non Ioannes, sed Petrus inuenitur nudus. Et cur modò solus Petrus inuenitur nudus, & non Ioannes? Quia solus Petrus inuenitur non fugisse, sed amasse Iudæorum frequentias, inter quas Iesum negans miseram nuditatẽ incurrit. Ioannes autem, quia fugit Iudæos, fugit consortia persequentium Christum, ipsa sua fuga protectus fuit, ne quid damni reciperet. Quippè ait Diu. Petrus Chrysologus ser. 78. *Mirum, fratres, cùm cõprehenderetur Dominus, Ioannes abiecit sindonem, & Petrus inuentus est nudus, quia Ioannem texit fuga, Petrum negatio sic nudauit.* Expende illud, *Ioannem texit fuga:* & quem non tegat, & protegat fuga conuersationis malignæ? Fuge perditorũ conuentus, & solus viue, & securissimam ab omni lethali malo duces vitam.

Ioan.21

Chrysol.

Huc reuoca dicta. 1. tom. lib. 3. c. 2. §. 14.

***

§ III.

§. III.

Muliebre ingenium pronius discessioni.

NOn aries, nec agnus introducitur, qui à grege discedat, & in perditionem abeat, sed ouis: & meritò ouis sola dicitur discessisse à grege, & erronea facta, quando muliebre ingenium promptissimum est discessioni meditandæ. Quis muliebre ingenium contineat, ne abeat, ne excedat, ne in præcipitia vadat? Gen. 2. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, et repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem: & adduxit eam ad Adam, &c.* Non miror, quòd Deus Adamo fiat præsens, quòd innocuè vnam illi auferat costam, quòd hanc ædificet in mulierem: sed illud maximè miror, quod addidit, nimirùm, *& adduxit eam ad Adam.* Qualiter adduxit eã? Nõne Adamo erat Deus proximus, nonne ibi iuxta Adam ædificauit costam in mulierem, nonne cum tũc ædificaretur mulier, præ manib' erat Deo? Quomodo ergo dicit, *adduxit eam?* Adducimus, quæ longè sunt; quæ præ manibus habemus, non adducimus: sed tale est muliebre ingenium, tàm pronũ discessioni, quod cùm putabatur præ manibus esse, eodem tempore, quo formata constitit, & fugit, & discessit, adeò, vt necessum esset, quòd Deus adduceret eam. Acutè, & pulchrè D. Anast. Sinait. lib. 9. Exam. ait: *Illud enim adduxit eam, significat, quòd postquam ipsa facta est, aliquò aufugit, et procul separata fuit à suo viro. Deinde Deus eã conuersam reduxit ad Adamũ.* Nec momento passa est consistere, sed eodẽ puncto, quo ex costa producta fuit, fugam arripuit, & discessit à Creatore suo, & à marito. Nescit mulier vel paulisper consistere. Iesu venienti, vt reuocaret in vitã amicum Lazarũ, Martha soror eius occurrit, & post pauca: *Abijt, & vocauit Mariã sororem suam silentio, dicens: Magister adest, et vocat te. Illa vt audiuit, surgit citò, et venit ad eum; nondum enim venerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha.* Quid est, quòd eodem loco Iesus immotus manet? Cur non magis festinat suscitaturus Lazarum? Festinus venerat, vt vocaret amicum in vitam, & modò moratur expectans fœminam sororem eius, vt illam consoletur, & instruat; cur non priùs iuit, vt mortuum à sepulchro traheret, deinde dolentis fœminæ mederetur lacrymis? Sanè mortuus in sepulchro manebat, & quocumque tempore accederet Saluator, immotum illum reperiret, & posset in vitã vocare: at de fœmina non tanta erat securitas, quòd ibi permaneret, & ideò illam curare volens Iesus expectauit, & distulit Lazari suscitationem, ne si hanc priùs efficeret, interim illa in perditionem iret. Quod attigit Chrysolog. serm. 64. aiens: *Hinc est, quòd in loco Christus restitit: expectauit Christus, quòd non intrauit ad turbas, quòd non contendit ad domum, quòd non ad sepulchrũ diuertit; quòd non ad Lazarum, propter quẽ venerat, festinauit: sed mulierem sustinet, mulierem remoratur: ne multis perijsset mulier, si ante ad vitam Christus Dominus peruenisset.* Priùs mœrenti fœminæ Dominus maluit succurrere, quàm mortuo Lazaro; nisi enim magis ad illam festinasset, sed paulisper differret, multis interea perijsset mulier ad multas occasiones perditionis distracta. Nouit hoc muliebre ingenium illa Dei amatrix, Cant. 1. dũ clamat: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Meritò nil priùs sibi metuit, quàm vagationem; nouit enim muliebre ingenium quietis impatiens, & promptissimum ad euagandum. Audio, Gen. 2. Adamũ sic sponsæ blandientem: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quam obrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ.* Hæc ille clamabat in consortem suam: quid tunc? Statim cap. 3. incipit: *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem, &c.* Vbi erat serpens, quando talia incepit fari, an erat in paradiso iuxta ipsum Adamum? Qualiter fieri posset, quòd serpens verba faceret Euæ, quando similiter illam alloqueretur Adamus, nisi & proximus esset serpens Adamo? Equidem non erat serpens proximus, sed longè aberat, siuè in paradiso, siuè extra paradisum; at fœmina quietis impatiens non mansit eodem loco cum Adamo, sed dum ille loquebatur, antequam sermones finisset, iam illa vaga discesserat, & serpenti appropinquarat. Vnde meritò ait Rupert. lib. 3. in Genes. cap. 2. *Mulier corpore, & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, fortè*

Gen. 2. — Anast. — Chrysol. — Cant. 1. — Gen. 2. — Rupert.

fortè prospectans, qualis extra paradisum mundus haberetur, locus diabolo datus est, et occasio porrecta, vnde tentaret. Sic vagantem fœminam in eodem loco detinere non potuit, nec mariti amor, nec verborum blandimenta, sed despectis illis, iam aberat, & occasionem inuenerat errandi.

§. IIII.

Omnium laborum, & detrimentorum compensationem habet bonus pastor in salute sibi creditæ animæ.

ECce terminus laboris suscepti à pastore in quærenda oue, nimirùm, *donec inueniat eã*: huc solũ spectat bonus pastor, vt amissam ouem inueniat, & præter hoc, nihil aliud. Perdantur omnia licèt bona temporalia; teratur corpus, & periclitetur salus corporalis, pro his omnibus dispendijs vna datur compensatio, si ouis inueniatur; hæc inuẽtio dum fit, nihil amplius manet, quod pastor requirat, etiam si omnia sua in quærendo perdiderit. Pater ille euangelicus, Luc. 15. dederat bonorũ substantiam filijs, cuius partem dissipauerat iunior, & per montes errat cupiens saturari de siliquis porcorum. Tandem nudus, famelicus redit ad patrem suum: *Cũ autem adhuc longè esset, vidit illum pater* Luc. 15. *ipsius, et misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum. Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam, &c.* Nec verbum de substantia dissipata facit, nec curat illam totus occupatus in recipiendo filio: & cur non interrogat de substantia, vt sciat, vtrum possit recuperare illam? Bonus pastor nihili facit damna sua, dum inueniat filium, in hoc vno compensat, quidquid aliud perdiderit. Ait Ruricius, lib. 1. epist. 2. Ruric. *Sic ille Euangelij indulgentissimus pater filium præceptæ substantiæ decoctorem læto suscipit amplexu, promptior gaudere de reditu, quàm imputare de lapsu. Denique nõ exprobantur facinora, non luxuria, non egestas; sola conuersi reuersio omnia damna compensat, quia maior fuit proculdubio patri facultas reditus, quàm rerum facultas.* Huc spectẽt vniuersi animarum pastores, & notent, quid debeant requirere etiã in detrimento substantiæ propriæ, nimirũ, vt, quæ perierat anima subditi, saluetur. In huius salute sola compensatio est omniũ detrimentorum: non sic temporalis honor, temporalis substantia ditat, & illustrat pastorem, vt ditat, & illustrat illũ reditus peccatoris. Remuneraturus Dominus illi, qui cũ decem mnis, alias decem ac quisierat, ait: *Eris potestatem habens super decem ciuitates*: adeò largè ciuitates suas donans, quasi amet sibi retinere nullã. Et cur sic omnes tuas tribuis ciuitates, Domine? Sanè bono patri tota facultas est in acquisitione perditi filij, cætera parui ducit. Ait D. Ephrem, serm. de pœnit. *Etiã, Do-* Ephr. *mine, argentum accipis, et ciuitates donas? Talenta dedisti, et ciuitates tradis? Etiam, inquit, ciuitates sunt pœnitentiæ agricultura. Quia vobis vestram comparatis salutẽ, et ego vos principes populorum constituo ad laudẽ, et gloriam. Benè ergo dixerimus quòd non marsupium Dei sit pœnitentia.* Sunt regia marsupia, & thesauri in ciuitatibus, & populis: at Rex cælestis libenter ciuitates donat, vt qui marsupium in pœnitentia habeat, & omnes diuitias. Maior equidem est patri facultas reditus filij, quã rerum facultas: omnibus licèt priuetur suis bonis bonus pastor, in hoc vno totus gaudet, si ouem in salutẽ asserat. Ijs pastoribus facem prætulit Paulus ad Rom. 9. Rom. 9. aiens: *Optabam enim ego ipse anathema esse â Christo pro fratribus meis, &c.* Quid non perderet libentiùs, qui & Christi societatem relinqueret, vt reciperet in salutẽ fratres? Maior equidem erat Paulo facultas salus fratrum, quàm etiam cælestis statim tenẽdi facultas gaudij. Quod miratus Na- Naziã. zianzen. apolog. 1. ait: *O ingentem animi præstantiam! O ingentem spiritus feruorẽ! Christum, qui nostra causa maledictum factus est, qui infirmitates nostras suscepit, & morbos portauit, imitatur; aut, vt moderatiùs dicam, primus post Christum eorũ causa, etiam tanquam impius aliquid perpeti non recusat, modò ipsi salutem consequantur. Hic enim spiritualis omnis imperij finis est, vbique priuata vtilitate neglecta, commodis aliorum consulere.* Ecce tibi quales fines sibi debeant spirituales pastores præfigere, nimirũ, quòd ouis salus possit inueniri, etiã si omnia sua commoda ipsi pastores perdãt; in hoc vno diuites, quòd dederint suas oues saluti. Nec vllũ aliud solatium potest esse pastori, quòd nõ fuerit cum ouium salute coniunctũ. Pro quo eleganter D. Bernard. serm. 42. in Cant. Bernar. inquit: *Dicas forsan mihi, quòd bonũ meũ ad me reuertatur, & quia liberaui animam meam, & mundus sum â sanguine hominis, cui annuntiaui, & locutus sum, vt*

auerteretur â via sua mala, & viueret. Sed etsi innumera alia addas, me tamen minimè ista consolabuntur, mortem filij intuentem. Quasi verò meam illa reprehensione liberationem quæsierim, & non magis illius. Quæ mater etiamsi omnem, quam potuit curam, & diligentiam ægrotanti filio adhibuisse se sciat, si demùm frustratam se viderit, & omnes labores suos esse penitùs inefficaces; illo nihilominùs moriente, propterea vmquam â fletibus temperabit? Et illa quidem hoc pro morte temporali, quantò magis me pro morte æterna mei filij manet vtique ploratus, et vlulatus multus, etiamsi nihil mihi conscius sim, quominùs annuntiauerim illi. Quàm rarus est animarum pastor, qui has veri pastoris æmuletur curas.

Luc. 15. Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.

§. V.

Peccatori reducendo prior benignitas exhibenda est.

POtuit inuentam oüem vel virga minari, vel ictibus ad gregem agere; sed his omissis, humeros parat; hoc boni, præclarique pastoris indicium præstans, quod priorem benignitatē obtulit erranti. Quò respiciens Ruricius lib. 2. epist. 22. ait: *Ipse est bonus pater, qui ouem perditā ad caulas dominicas mauult proprijs humeris reportare sollicitus, quàm stimulis vrgentibus reuocare districtus.* Non statim virgā, non statim stimulos mōstrauit; sed priùs humeros adhibuit, quibus lassa benignè sustentaret. De patre filium substantiæ dē coctorem recipiente, dicitur etiam Luc. 15. *Accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum; date annulū in manu eius, et calceamenta in pedibus eius: & adducite vitulum saginatum, &c.* Decoctori, & dissipatori substantiæ filio & delicatas vestes, & pretiosum conuiuium bonus pater præparat. Cur non magis cilicium, & ieiunia illi mandat? Pater est, & maluit priùs benignitatē exhibere. Quod notat Diu. Ephrem, serm. de pœnit. aiēs: *Cernis non priùs, quod austerum est, offerre peccantibus; verùm quod gratum, ac placidum est, simulque suaue, ac facili. Nō mox ieiunium imposuit, non abstinentiam, ac temperantiam poposcit; non vigilias demonstrauit, sed â leuioribus ducit principia.* Præcedat benignitas, & suauitas paterna, vbi cupimus ad meliorem frugem homines reuocare; hoc natura docet, hoc experientia clamat, hoc sæpè à Deo nobis insinuatur. Psalm. 100. ait Dauid. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi, Domine.* Expende, quid posuit primo loco, nimirùm misericordiam, vt quæ semper debeat precedere in negotio animarum. Pulchrè Diu. Ambrosius, lib. de Noe, cap. 3. fatur. *Principale est enim virtutis inchoare â beneficijs, & præseminare gratiam. Vnde & Dauid ait: Misericordiam, et iudicium cantabo tibi, Domine. Præcedit beneficij gratia, sequitur censura sobriæ disciplinæ. Diuinum est igitur, quòd bona præmittuntur.* Quæ ad beneficentiam spectant, priùs ostendenda sunt ab eo, qui gloriatur se spiritu Dei moueri; nihil enim priùs Deus exerit, quàm misericordiam, & beneficentiam. Et cur hæc non sit in Deo prima, quando & probatur esse ad trahendos homines fortissima? Vnde Isaias, cap. 41. clamat ad Dominum: *Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini. Consurge, sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum.* A Deo petit, vt induat fortitudinem suam, fortitudinem videlicet illam, quā initio in generatione sæculorum proposuit. At qui in generatione prima sæculorum totus Deus suauis factus, non tam fortitudinem ostendit, quàm benignitatem, quàm amorem. Tunc terram ditauit fructibus, paradisum condidit suo homini, illi animalia subiecit: formosissimam addidit vxorem. Nihil in illo initio orbis inuenio, quod non amorem, & charitatē sonet, vbi potiùs amantis teneritudo visitur, quàm fortitudo valentis. Vnde ergo sumenda fortitudo est, quam Deus constituat in prima suæ potentiæ fronte? An ex teneritudine amoris effusi in homines? Equidem effusio amoris, & charitatis, qua immerentes etiam implet Deus homines, hæc & prima valentiæ diuinæ frons, & fortissima est ad capiendos animos hominum. Rupertus, lib. 2. in Isaiam cap. 13. inquit: *Quid tamdiu te contines in sinu Patris, ô brachium Domini? Consurge,*

Ruric. Luc. 15. Ephrem. Ambr. Isai. 41. Rupert.

ſurge, & induere fortitudinem, induere pulchram, & fortem dilectionem, pulchram, & fortem obedientiæ charitatem. Ita conſurge, ſicut in diebus antiquis, in generatione ſæculorum. Non ita facilè amo fortitudinem Dei, quà perdidit orbem in diluuio, quàm illam, qua orbem condidit, beneficentiæ, & charitatis ſuæ theſauros exponens. Ad hanc fortitudinẽ cõfugit Deus, quoties velit triumphare de homine; quæ potentiſsima eſt, vt ſibi ſubijciat humana corda. Magnus ille Ioſeph, ſeruata frumẽta dum famelicis diſtribuit Ægyptijs, quid non comparat? Gen. 47. accedũt miſeri clamantes: *Et nos, & terra noſtra tui erimus: eme nos in ſeruitutem regiam, &c.* Seſe in ſeruitutem dant Ægyptij, dum accipiunt ex Ioſeph frumentũ. Id notans Nazianzen. orat. 20. inquit: *Ioſeph ex fame quæſtum captat, ac per benignitatem Ægyptum emit.* Et quem non emat, & ſibi acquirat benignitas: Hæc præmittatur, & fallar, ſi inueniatur illi aliquis rebellis.

Gen 47.

Nazian.

§. VI.

Lætiſsima ſunt portanti onera euntis in cælum.

INuentam ouem gaudens humeris ſuſtinet bonus Paſtor; nec miror, quando onera eũtis in viam ſalutis numquam non lætiſsima ſunt portatori ſuo. Apud Luc. cap. 16. habes pulchram hiſtoriam de purpurato diuite, & Lazaro mendico, & de hoc dicit: *Factum eſt autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Proh nobiles portatores! Diues nõ ſuſtinet vel videre mendicum, & Angeli currunt, vt eius onus manibus ſuis, & humeris ſuſtineant. Cur nõ magis mendici onus refugiunt Angeli? Cur nõ ſinunt, vt mendicus ipſe per ſe vadat? Nõ ne ſuffeciſſet, quòd Angeli ducatum præberent? Lego Tobiam iuniorem ab Angelo Raphaele ductum fuiſſe in ciuitatem Rages, non lego fuiſſe portatum. Cur modò Angeli non ſolùm ducunt, ſed & portant mendicũ? Portant equidẽ in Abrahæ ſinum, in viam ſalutis; euntis autem in ſalutem onus numquam nõ lætiſsimum eſt portatoribus ſuis. Chryſoſt. hom. de diuite, ait: *Non ſuffecerat ad portandum pauperem vnus Angelus: ſed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant. Et portaretur ab Angelis. Gaudet vnuſquiſque Angelorum tantum onus tangere, libenter talibus oneribus prægauantur, vt ducant homines ad regna cælorum.* Lætiſsimũ onus facit etiam Angelis, quiſquis ab eorũ humeris ad cælum tranſit: hæc onera nõ gemitus, ſed gaudia cauſant. Gemunt gigantes ſub aquis, ait Iob; verùm ſub ponderibus frumenti cœleſtia in horrea condendi quis non gaudeat? Euangelicos ſatores, vt putat D. Ambroſ. reſpiciebat Pſalm. 126. *Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.* Dũ onera vacuant ſeminantes, gemunt ſub aquis; dum autem portant onera, tunc gaudent, tunc exultant. Et quod onus tantam exultationem parit? Ait ipſe: *In exultatione portantes manipulos ſuos*: manipulorũ in horrea vehendorum onus gaudium, & exultationẽ parit portanti. Suſtinuit aliquando D. Franciſcus Xauerius, dum dormit, immenſum penè hominis Indi pondus? Quid tunc? Oneri ſuccubuit? An onus repudiauit? Abſit; imò ſurgens à ſomno nullũ ſibi diem lætiorem ſpectabat, quàm illum, in quo Indis ſalutis viã monſtraret. Hoc ſemper gaudium efficiunt onera ad cœlũ euolantium, quale efficiunt meſsis onera manipulos portantium. Quò ſpectans Iſaias c. 9. iuxta Septuag. lectionẽ, ait: *Plurimam partem populi deduxiſti in lætitia; et lætabuntur in conſpectu tuo, ſicut qui lætantur in meſſe.* Sto à ſententia D. Cyrilli, & D. Hieron. putantiũ hic deſcribi Apoſtolorũ gaudia in trahendis gentibus ad fidem. Lętabantur itaq; Apoſtoli, ſicut in meſſe; nõ ſicut in choreis ſolẽt homines lætari: quæ enim eſt in choreis lætitia, & exultatio, nec pallij onus ſuſtinet, nudant ſe, & veſtiunt: onera abijciunt homines, dũ in choreis ſaltant. At in meſſe vt exultatio venit à copia frugum, quò plura ſunt frumenti onera, eò maius eſt metentis gaudiũ, adeò vt non gratiùs amplexetur agricola dilectum filium, quàm ſaccum ponderoſiſsimi frumẽti amplexatur, vt in horrea vacuet. Sic Apoſtolicis viris gaudium ab oneribus prouenit humani frumenti in cæleſtia aſportandi; neſciunt enim hæc onera immẽſam lætitiã non cauſare. Ad hæc Hieron. *Tunc lætabuntur Apoſtoli, ſicut meſſores lætantur in meſſe, de quibus Dñs loquebatur: Meſſis quidem multa, operarij autem pauci.* Et quomodo pauci operarij ſub multa meſſe non potiùs fatigantur? Equidem ea eſt vis meſsis, quæ non fatigationem, ſed gaudium pariat; & quò maior meſsis, & magis excedit eius onus metentium vires, maiori illos lætitia afficit.

Luc. 16.

Chryſoſt.

Iſai. 9.

Hieron.

§. VII.

Væ pastori, qui onus refugit sibi commissarum ouium, honorem solum muneris capiens.

ECce obligationē boni pastoris, quòd nimirùm humeros adhibeat suos, vt portet onera ouis sibi commendatæ. Miser ille erit, qui onus refugiat, & solùm crediti muneris spectet gaudia. 1. Reg. 6. Arca Dei à Philistinis capta, plaustro imposita, cum muneribus reuertebatur vsque dum peruenisset ad agros Bethsamitarū.

1. Reg. 6. *Porrò Bethsamitæ metebant triticum in valle, et eleuantes oculos suos, viderunt arcam, et gauisi sunt, cùm vidissent.* Et post pauca addit: *Percussit autem Dominus de viris Bathsamitibus, eò quòd vidissent arcam Domini, et percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis.* Sic percutiuntur, qui gauisi sunt videntes Dei arcam. Et quale hoc crimen erat, propterquod sic Deus Bethsamites mulctaret? Tantum nefas erat, arcam Dei videri ab hominibus? Sanè multum nefas fuit, quòd Bethsamites gaudere vellent ad solum conspectum arcæ Dei, nec esset in illis, qui humeros subiecisset, vt arcam portaret, sed solùm gauderet de visu. Huc accedant pastores gregis Christiani, & timeant imminens mortis periculum, si recusato onere ad fulgidæ dignitatis conspectum gaudeant, tripudient. D. Gregor.

Gregor. lib. 3. ibi: *Quid est enim, viderunt, nisi quia eius gloriam videndo concupierunt? Nunc autem per orbem vniuersum sanctæ Ecclesiæ gloria est copiosa. Quæ profectò gloria, quia à reprobis Sacerdotibus sæculariter appetitur, Bethsamitæ viri arcam Dei exteriùs videndo moriuntur. Non enim spiritualem eius honorem pro interna virtutum gloria appetunt; sed vt arcæ Dei splendorē rapiant, et ecclesiasticæ prælationis fulgorem in flore sæculi suis cultibus ferant.* Cur non pereat, qui in Ecclesiæ munere, in pastorali officio honores, & lucra intuetur, illorumq; desiderio vehemēter afficitur: quod autē oneris est, & despicit, & tædio afficitur. Hæc illa notior vox in ore multorum pastorum, quam refert Zacharias

Zach. 11 cap. 11. *Benedictus Dominus, quia diuites facti sumus.* Hoc clamant, hoc æstimant reprobi pastores, rarò, aut numquam in ore eorum audies, Benedictus Deus, quia ouem perditam inueni, quia reduxi; quia sanaui; hoc nec tàm æstimant, nec suspiciunt, vt æstimant vberes anni fructus, quibus horrea impleant, & maiori ambitionis pompa effulgeant. Hos seuerè percutit Dominus, Ezech. 34. *Væ pastoribus* Eze. 34. *Israel, qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis.* Pastoribus dicitur væ, & vix inuenio peccatum dignum supplicio tanto. Nihil illis obijcitur, præter aliqualem incuriam in pascendis gregibus Dei. Et tanti est apud Deum incuria gregis? Equidem vbi incuria gregis coniuncta est cum sollicitudine ardenti de proprio pastu, de honore, de gloria propria sæculari, non mirer, quòd æternam damnationem afferat. Augustin. tractat. de pastore, cap. 2. & 3. *Quid ergo isti increpantur, vnde arguuntur? Quia, cùm, lac sumerent, et lanis se tegerent, oues negligebant. Qui præbet lac, victum præbet; qui præbet lanam, honorem præbet. Ista sunt duo, quæ à populis quærunt, qui se ipsos pascunt.* Lethalis est semper pastori sollicitudo de recipiendo honore, & victu à populis iuncta cum incuria, & negligentiæ ouis in salutem portandæ. Et quis non putet damnari pastorem, cui solùm sunt cordi lac, & lanæ ouium, vt & lautas mensas, & ambitiosas vestes habeat. Matth. 7. ait Domi Matt. 7. nus: *Attendite à falsis prophetis, qui veniūt ad vos in vestimentis ouium.* Expēde, quos prophetas iubet Dominus caueri, nimirùm eos, qui in vestitus simplicitate ouiū lanas æmulantur. Ex quo eleganter ait D. Paschas. lib. 4. in Matth. *Si ab istis cauendum est, qui & prophetiam prædicationis impendunt, et habitum sanctæ religionis gerunt, quòd vtique ab his, qui cultioribus sæculi se ornant vestibus, & mundi sectantur gloriam?* Si moderatus sumptus ab ouibus receptus, cum despectu earum formidolosus est; quis non formidet, purpureos ornatus, & splendentes glorias in ijs, qui molestè ferunt, vel audire ouium suarum balatum. Huc reuoco dicta. 2. tom. lib. 6. cap. 1. §. 11. & tom. 3. lib. 14. cap. 4. §. 15. & lib. 15. cap. 4. §. 2.

Paschas.

August.

§. VIII.

§. VIII.

Pastores hominum non vaticinijs particularibus credant ouium salutem, sed laboribus exanthlandis.

VEreor, ne in animis alicuius delicati pastoris tanta sit æstimatio cœlestium reuelationum, vt tempus insumant in audiendis pijs mulieribus, quod equidē salubrius esset & illi, & gregi, si laboribus impēderetur pro grege tutando. Hos docuit nobilis pastor, dum pro amissa oue neminem auscultat, nullum consulit oraculum, ex nulla pia prophetide responsum expectat, sed viam ipse arripit, & humeros parat, qui onere ouis premantur. Hoc requirit Dominus in pastore suo; illud vt facilius, & humanæ curiositati aptius fortè non amat. Apud Num. cap. 11. selegit Moyses septuaginta viros, quos obtulit Deo in pastores, & gubernatores
Nu. 11. populi: *Descenditque Dominus per nubē, et locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris. Cumque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt, &c.* Audis omnes istos electos in gubernatores. Dei spiritu correptos prophetasse in ipso muneris limine, sed illud valde notandum est, quòd posthac numquam audiantur prophetasse. Rē
Theod. pulchrè tractans Theodoretus, quæst. 20. ait: *Quamobrem suptuaginta statim vt præfecti sunt, prophetabant, posteà verò minimè? Non vaticinandi, sed gubernandi causæ proponebantur.* Tulit Dominus à gubernatoribus populi sui spiritum vaticinij, ne nimis intenti vaticinationibus, minùs laboris impenderent pro ouibus suis. Bonus illepastor Iacob inde suam curam
Gen 31. iactat, Gen. 31. *Die, noctuq; æstu vrgebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.*
Nazian. Quod meditatus Nazian. orat. 28. inquit: *Et perustus sum æstu diei, et nocturna glacie vexatus, inquit Patriarcha Iacob, cuius sunt oues illæ signatæ, et quæ in cœlestibus canalibus concipere didicerunt.* Non prophetidis consultatione, non vacans vaticinijs excipiendis, sed diei æstus, nocturnumque gelu sustinens, facit bonus pastor oues suas de cœlestibus canalibus concipere. Faciliùs, mihi crede, & gratiùs sedisset domi Iacob, piosque sermones sanctarum fœminarum exciperet, quàm per æstus, & gelu ouium salutem inquireret. Sed hoc ad pastorem spectat, illud mihi mē: & quisquis amat oues in salutem dirigere, sic pro illis insudet, ne sibi vacet aures nimium præbere vaticinijs. Præterquā quòd in negotio humanæ salutis, ad otium particularium reuelationum recurrere, æstimo periculosissimum. Scio Cornelio adhuc Ethnico Angelum apparuisse, Actor. 10. qui ait illi: *Corneli, mitte viros in Ioppem, & accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus: hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Cur non magis illi id dicit Angelus? Quid necessum est, Petrum trahi, vt doceat, quod posset etiā docere Angelus? Cauit semper Deus in negotio humanæ salutis introducere reuelariones particulares, quæ eripiant occasiones laborandi prælatis. Ait Diu. Isidorus
Act. 10.
Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 165. *Angeli ex prædicationis securitate tantam voluptatem capiebant, vt is etiam, qui ad Cornelium missus fuerat, magistrum indicaret, non autem sibi ipsi docendi munus permiserit.* Nescio, si adeò amant securitatem prædicationis, qui nimis credunt particularibus vaticinijs.

§. IX.

Qui vulneribus Christi passi adhæret, ad omnia etiam eius bona introibit.

AVdio ouem inuentam humeris pastoris substollii, sed nullum ei parari prandium video; & quidem Pater ille cœlestis, qui reuertentem filium excipit, & stolam ei, & annulum, & calceos exhibet, & prandium parari iubet, quo fames reficeretur recuperati filij. Cur similia bona non præparat pastor ouiculæ suæ? Cur vel famescenti pabulum non offert, quo vescatur, contentus offerre ei humeros, quibus adhæreat? Vide, quos humeros illi offerat, vt enim sapienter notat Nazianzenus, oration. 21. *Inuentam ouem eisdem humeris, quibus et crucis lignum, sustulit.* Quando ergo humeros crucis pondere & pressos, & percussos offert pastor ouiculæ, ibi omnia bona sua offert; qui enim adhæret vulneribus Christi, simul in omnia bona illius credi-
Nazian.

tur introductus. Nec stolam primam, nec immortalitatis prandiũ requiret, qui adhæret vulneribus Christi, ad omnia facili negotio introibit. Quàm difficile sit, quôd diuites huius sæculi in æterna gaudia intrẽt, pulchro exemplo explicauit Dominus, Matth. 19. inquiens: *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnum cælorũ intrare.* Eccè quò deducatur tota rei difficultas, nimirùm, quòd tunc intrabunt diuites in cęlũ, quando camelus in foramen acus intret. Cura, ô diues, sic extenuari, vt te foramen capiat acus, & te reputa ad omnia cæli gaudia introductum. Acus Dei Filius est, tot exhibens foramina, quot humanitatis vulnera: ijs foraminibus qui adhæret, securissimè peruadet ad omnia bona, ad quæ venit Dei Filius. Accipite D. Paschaf. lib. 8. in Matth. dicentem: *Acus geminam formam habet, priorem acutissimam, per quam cuncta perforat, ac penetrat, & aliam verô retrô, quæ perforata est, et post se fila trahit. Vnde nec immerito per acum ipse Christus intelligitur, perforatus in passione: per quod vtique foramen omnia ad se, et post se trahit. Cuius diuinitas penetrat omnia, pertingit ad omnia: cuius humanitas, quia passa est, trahit post se omnia. Per cuius vulnus passionis, gentes ingressæ sunt in vitã æternam. Et diuinitas eius, ac si prior pars cuncta nostra penetrat, & perlustrat interiora; â quo consuta est immortalitatis tunica, quæ olim concissa fuerat per Adam.* Ecce tibi & stola prima, & cælestia omnia parata, & patentia illi, qui se tantæ acus foramini immiserit. Dum sic te componis, vt vulneribus Christi adhæreas, instar fili in foramen deductus acus, omnia tenes, ad quæ diuinissima acus intrat. Quæ vt omnia cęlestia penetrat, sic tu in immẽsa cælitũ bona ingredieris post ipsum. Quò ingreditur acus, & non ingreditur filum eius foramini immissum? Sic nullò ibit Dei Filius, quô non eat ille, qui eius vulneribus incubat. Ne miremur, pastorẽ sola crucis vulnera obtulisse ouiculæ, quando in illis insidens ouis omnia à se dissipata bona recipiet. Similiter Ioan. 20. recuperaturus Dominus penè amissum discipulum, ait: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus, &c.* Dum alijs apparet Dominus discipulis, & prandet cum illis, & panem ipse frangit, & porrigit pisces, & fauos mellis; vni Thomæ sola offert foramina vulnerum: & cur sola foramina offert? Vt omnia in illis exhiberet discipulo; quid enim ostenderet acus filo introducendo in purpuram, quàm foramen, cui insit? Sic Thomas vt foramina tetigit, in omnia Domini gaudia introiuit. Diu. Beruard. serm. 61. in Cantic. *Dominus meus, inquit, et Deus meus. Vnde hoc reportatum oraculum, nisi ex foraminibus? In his passer inuenit sibi domũ, et turtur nidum, vbi ponat pullos suos.* Nihil est, quod non inueniat, & habeat, qui his se nouit inserere foraminibus. Hinc clamat ipse Dominus, Cant. 2. *Surge amica mea, soror mea, et veni; columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Non ad pastum, sed ad foramina vocat, in quæ si anima intret, & pabulum, & omnia bona inueniet. D. Gregor. Papa, ibi: *Benè columba in foraminibus petræ, et in cauerna maceriæ esse dicitur, quia dum in crucis recordatione, patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminib⁹, sic simplex anima in vulneribus, nutrimentum, quo conualescat, inuenit.* Sunt equidẽ & pabula, & omnia bona exhibita oui in vulneribus crucis.

Matt. 19

Pasch.

Ioan. 20

Bernar.

Cant. 2.

Gregor.

Luc. 15. Et veniens domum conuocat amicos, & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Dico autem vobis, quôd ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.

§. X.

Deus non aliena, sed sua opera reparare, & fouere gaudet.

EXpendendum maximè est, vnde Dei gaudiũ, & congratulatio crescat; quippè ait: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam*: ad hominis gaudiũ sufficeret, quôd ipse inuenisset ouem, quavel censum

censum posset augere: ad Dei gaudium id tantùm spectat, quòd suam ouem inuenerit. Sua enim, non aliena opera gaudet Dominus reparare, & fouere. Dæmon ille vi-
Marc 5. dens Iesum, Marc. 5. clamabat: *Quid mihi, & tibi, Iesu Fili Dei altissimi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Sic se Iesus sensit honorari Filij Dei appellatione, & per Deum adiurari, ne inferat damnum rogãti: & tamen sic rogantem, & adiurantem, & honorantem minimè audit, sed prorsus despicit. Alij clamabant: *Iesu Fili Dauid, miserere nobis*: & festinatissimè ad eorum preces currebat, illisque suam impertiebat benignitatem. Hic clamat, & Dei Filium prædicat, & supplex adorat, & repellitur. Quare? Quia non erat ex Dei ouibus, non iam pertinebat ad Dei moralia opera; Deus autem non alienum, sed
Chrysol. suum fouet opus. Ait Chrysolog. ser. 17. *Credit infœlix, vt eum, quem tẽtatione vincere, quem muneribus nequiuit inflectere, possit adulatione pulsare: sed ille consueuit vinctos absorbere, reuocare captiuos, nec acquisitos, sed conditos â se sibi restituere terminos.* Expende Dei consuetudinem, & morem in assumptis laboribus: non equidem Deus laborat, vt de alienis acquisitis suæ terminos extendat ditionis, sed de restitutione propriorum. Huc Dei labor, & cura, & sollicitudo spectat, vt sua sibi restituat opera, vt quod ipse condidit, & suũ habuit, id reparet, & foueat. Meritò apud
Isai. 57. Isaiam, cap. 57. *Quia hæc dicit excelsus, & sublimis, habitans æternitatem: et sanctum nomen eius in excelso, et in sancto habitans, et cum contrito, et humili spiritu: vt viuificet spiritum humilium, et viuificet cor contritorum. Non enim in sempiternum litigabo, neque vsque ad finem irascar, quia spiritus â facie mea egredietur, et flatus ego faciã.* Tota cura, & diligentia Dei circa spiritum humilium viuificandum, & nõ alia assignatur huius rei causa, nisi illa, quia nimirum, *spiritus â facie mea, &c.* Quia spirauit Deus spiraculum vitæ in Adamum, hoc est, spiritum humilem, milleque viuidis virtutibus ornatum illi de suo effudit; inde venit, quòd anxiè curet opus illud
Procop. suum fouere, & reparare. Inde Procopius in Glossa fatur: *Est enim, vt opificem decet, spiritus ille curæ, quem nobis ipse largitus est, quem cùm hominem crearet, in animam viuentem inspirauit.* Non alia curat Dominus, nisi opera sua, quæ ipse condidit, & promouit, etiam dilapsa reparat: perdita quærit: & in pristinam integritatem restituit. Vanè à Deo speras, reparari, & foueri opus, quod non ex Deo, sed ex diabolo, & appetitu tuo aggressus es; non enim ea opera curat Deus, sed solum illa, quæ ab eius spiritu proficiscuntur. Isai. 1. *Isai. 1.* Hierosolymæ penè euersæ ait Dominus: *Restituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, et consiliarios tuos sicut antiquitùs.* Et sanè in illa ciuitate fuerant Reges, quorum virtutem, & sanctitatem, & fortitudinem posset ciuitas desiderare, vt melius haberet. Fuit Dauid, qui victorijs, & diuitijs Hierosolymitanos implenit, Deo, & hominibus maximè gratus; huic nepotes successerunt & fortitudine, & pietate non prorsùs inæquales. Cur ergo Dominus Hierosolymitanos consolatus non ait: Restituã tibi Reges illos antiquos; sed Regibus prętermissis, ait: *Restituã iudices tuos, vt fuerunt priùs?* Regum institutio à rebelli populo dimanauit, quando clamantes ad Samuelem, Regem extorserunt: at iudicum administratio à Deo ipso fuerat & excitata, & ordinata. Deus autem nõ aliena, sed sua opera gaudet restituere in pristinam dignitatem. Ait Diu. Basil. ibi: *Cur omissis* *Basil.* *Regibus, meminit iudicum? An quia reipublicæ administratio per iudices fuerit liberior, quòd populus tunc solum Deum agnoscebat Regem? Tandem Regum institutio illorum temeritate successit.* Sic semper promptus ostenditur Deus ad sua opera reparanda. Ex quo illum vocat Abacuch, *Abac. 3.* cap. 3. *Domine, opus tuum in medio annorum, viuifica illud.* Et Psalm. 85. *Saluum fac filium ancillæ tuæ*: quippè filius ancillæ ad eumdem Dominum pertinet, quando, vt aiunt iurisconsulti, partus sequitur ventrem. Et clariùs Psalm. 18. *Tuus ego* *Psal. 18.* *sum, saluum me fac.* Habet enim hoc Deus, quòd ad reficienda sua opera libenter exiliat.

§. XI.

Quæ ex affectu carnali, & temporali bona quæruntur, vbi habentur, citiùs despectum, & fastidia generant.

QVæsitam diu, & inuentam ouẽ gaudens bonus Pastor suscipit, & gaudens refert domum, & conuocat amicos, & vicinos, & congratulationes sibi fieri postulat; totus plen⁹ lætitiæ. Quò tot gaudia de inuenta oue spectant? Ait: *Ità gaudium erit in cœlo, &c.* Cœlestia, & quæ

à Deo sunt gaudia, exprimuntur, non carnalia, & temporalia: quæ potiùs inuentis rebus desideratis, & anxiè quæsitis festinatissimè perduntur. Sola, quæ ex cœlesti desiderio quæruntur bona, solent inuenta lõgas parturire lætitias: quæ autem ex carnali desiderio inueniuntur bona, nil citiùs pariunt, quàm despectum, & fastidia. Habes apud Luc. cap. 23. clarissimum huius rei testimoniũ in Herode: is anxius quærebat videre Iesum; vidit tandem, & gauisus est. Quid tunc? Statim ibi dicitur: *Spreuit Iesum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba.* Quem anxius quærebas videre, & de cuius cõspectu gauisus es, tàm citò spernis, & fastidis? Qualiter diu desideratum potuisti tàm festinatè contemnere? Equidem desideria Herodis non cœlestia, sed carnalia erant; non à Deo, sed à temporali, & carnali affectu oriebantur, & ideò citissimè fastidiunt, & contemnunt bona, quæ iam habent. Pulchrè ad hæc Petrus Damian. in apolog. de contemptu sæculi, cap. 26. fatur: *Herodes, viso Iesu, gauisus est valde: erat enim ex multo tempore cupiens videre eum: eo quòd audierat multa de illo.* Sed videamus hoc tàm magnum, tàm diuturnum desideriũ, quod in absentem Dominum falsitas Herodiana tenuerat, in quem tandem exitũ, oblata vidẽdi facultate, cõcluserit: quod manifestè declaratur, cùm paulò inferiùs subditur: *Spreuit autem eum Herodes cum exercitu suo, & illuxit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum. Ecce quem vulpes illa malitiosa desiderauerat, spreuit: quem videre cupiebat, illusit: et quia vitam non pro viuendi amore quæsiuit, in impietatis suæ morte remansit.* Et quid aliud carnalis affectus generaret, quàm fastidium, & contemptum bonorum, quæ multo tempore anxiè quæsiuerat? Sic vniuersa bona, quæ non cœlesti, & à Deo orto desiderio quæruntur, statim cùm habentur, spernuntur. Elizabethæ matris Ioannis quis ignoret anxia suspiria pro habenda prole ex viro suo? Habuit tandem, & ipsa concepit in senectute sua. Quid tunc? Ait Luc. cap. 1. *Et celabat se mensibus quinque*: iam nequit videri esse mater, quæ tot anteà suspiriis quærebat filium. Hinc D. Chrysolog. ser. 92. *Modò fatigat conceptus verecundia, quam diu negati partus ærumna afflixit.* Quem filiũ sub diuturna afflictione quæsiuit, vbi habuit, iam nollet videri mater illius filij. Vt hinc discant homines minimè affectibus temporalibus duci, quando per illos obtenta bona, quo morosiùs inuẽta fuerunt, eò citiùs veniunt in contemptum, & fastidium. Non sic quæ ex Dei affectu desideria fluunt, quæ potiùs largiora solent efficere spatia inuentæ lætitiæ. Genes. 2. dicitur: *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum.* Dixerat anteà, fuisse in medio paradisi fontem; & quidem de hoc fonte egrediebatur fluuius hic: cur ergo non dixit, & fluuius egrediebatur de fonte, sed maluit dicere, egrediebatur de loco voluptatis? Hugo Victor. in Cat. Lyppom. ait id dictum: *quòd ibi ortus non statim exiret ad alia loca, sed ad irrigandum paradisum ipsum egrediebatur.* Vbi maximè expendendum est, quòd vt fluuius ille intelligatur non exire statim ad alia loca extra paradisum, sed manere diutiùs intra ipsum paradisum, illum irrigans, fœcundans, & lætificans, dicatur manasse, & oriri à loco voluptatis. Et quæ voluptas est, quæ potest sic impetum fluminis detinere, & cohibere, & nõ potiùs illum impellat, vt ad alia festinet? Non sanè voluptas temporalis, & carnalis id posset efficere, quæ præhabita bona festinatò fastidit, & contemnit, & depellit: id sola efficiet voluptas, quæ à Deo venit, & in Deo sistit, quæ sola potest facere, vt impetus fluminis diutiùs ciuitatem Dei lætificet. Ad hæc aiebat Cellensis Abbas, lib. de panibus, cap. 12. inquiens: *Locus voluptatis in Deo est, & Deus est. Neque vnam originem, neque vnum finem habent delectationes spiritus, & carnis: non patitur cohabitare summa illa voluptas cũ nostra infima: nam illa mundat, ista inquinat; illa Deo copulat, ista à Deo separat; illa semper sine fastidio, ista plena tædio.* Deus est solus, à quo affectus potest venire, qui bonum desideratum, & habitum non fastidiat, non contemnat, sed in illo nos faciat permanere cum ingenti lætitia. Quò spectans Psalm. 147. ait: *Lauda Deum tuũ Sion, quoniam cõfortauit seras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.* Non posuit satietatẽ frumenti aliũ de potuisse venire, nisi à Deo, quando alij non tam satietatem, quàm fastidium darent. Vnde D. Bern. serm. 33. in Cant. ait: *Quis non illic vehementer cupiat pasci, & propter pacem, et propter adipem, et propter satietatem? Nil ibi formidatur, nil fastiditur, nil deficit.* Stultus est, qui non ex Deo, & per Deum bona quærit; inueniet proculdubio illa, & inuenta nullum generabunt despectum, nullum fastidium.

Luc. 23.

Dam.

Chrysol.

Luc. 1.

Gen. 2.

Hugo.

Cellens.

Psal. 147.

Bernar.

CAPVT

CAPVT XIIII.

De drachma perdita.

AVARISSIMVM Est muliebre genus, paucos nũmos, quasi ingentes thesauros custodit, & de amissione vnius nummi ingentes curas suscipit, nec habet in tota domo, quod non euerset, quod nõ commoueat, vt nummulum perditum requirat. Facit hoc in muliere ingens amor pecuniæ; sed totum hunc affectum muliebrem vincit amor Dei erga homines, quorum vel vnum, & perditum vt quærat, totas naturæ leges cõfringit, & deiectus ad terras, magno cœlestium gaudio pauperem de puluere exsuscitat.

Luc. 15. At quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam?

§. I.

Vehementissimi hominum affectus circa lucra sua vincuntur à Dei amore circa homines.

QVid muliebris auaritia faceret pro drachma quærenda? Euertit domũ, omnia domestica commouet, & reuersat, accensa lucerna. Præclarè notabat Plinius: *Imus in viscera terræ, & in sedes manium, opes quærimus, illæ nos ad inferos agunt.* Hæc ille in proœmio, lib. 33. & deinde cap. 4. vbi agit de naturali ratione inueniendi aurum: *Eô tendit auaritiæ ardor, vt nihil immotum maneat, dum aurum innotescat, ipsos altissimos montes excauat, reuersat, naturæ leges euertit, sollicitat manium sedes, inferos ipsos pulsat, imô & premit.* Et quis affectus hunc auaritiæ ardorem superabit? Vnus sanè inuenitur affectus amoris in Filio Dei erga homines suos, qui auarorum ardorem in quærendo auro longè excedat. Ille ad viscera terræ peruadens, naturæ repagula rumpit, & penè ad sedes manium, ad inferos ipsos peruenit, vt aurum inde extrahat. Hic nostri Dei amor à cœlo descendit, in terris visus est, imò in corde terræ abditus, inuiolabiles Tartari leges euertit, vectes ferreos cõfringit, tenebrosis inferorum spelæis lumẽ infert, vt sibi inde acquirat hominem, qui perierat. Id quod Ecclesiast. cap. 24. clamat incarnata sapientia: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ: & inspiciam omnes dormientes: et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Numquam auaritiæ ardor peruenit eò, quò peruenit Dei Filius, vt hominem quærat, penetrat viscera terræ, verê it in sedes manium, & vacuat ipsas inferorum sedes, naturæ repagula, & leges euertens. De hoc diuini amoris ardore ait Ionas, cap. 2. *Pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium descendit: terræ vectes concluserũt me.* Vbi Glossa fatur: *In Christo homine, quasi caput fuit anima, quæ descendit ad inferiora loca, vbi animæ hominum sub diaboli potestate tenebantur. Isti sunt vectes, qui prohibent animas ab inferis exire; hos vectes frangit Dominus, & eos, qui clausi tenebantur, liberat.* O diuinissima Dei nostri auaritia, non pro auro, sed pro homine suo acquirendo penetrat omnes inferiores partes terræ: nigris Tartari spelæis lumen primus inuehit: omnia euertit repagula: extrema montium pulsat: vacuat inferorũ sedes. Nescio, si huc respiciebat Isaias, cap. 9. dicens: *Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidum, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Erat equidem apud veteres tritissima, & receptissima persuasio, quòd in spelæis, vbi aurum gignebatur, simul & dracones, & serpentes venenatissimi incubabant; neque adeò euidens periculum potuit ardorem auaritiæ restinguere, quando horrendos terræ hiatus, de draconum veneno suspectos, intrant homines, vt hauriant diuitias. Quantùm hoc ad Dei nostri amorem? Is innocentia infans aspidum foramina ludibundus intrat, vt detẽtos ibi sanctorum spiritus sibi acquirat. Rem pulchrè depingit D. Damascen. orat. in Sabbath. sanct. inquiens: *Natus, datusque nobis puer, in foramen aspidum descendens, vexat, interimit, perdit arrogantem illum, magnaque iactantia insolescentem. Nunc inferorum sedes cœlum quoddam efficitur: infima terræ*

Plinius. Eccl. 24 Ion 2. Glossa. Isai. 9. Damas.

luce

luce complentur: caligo, quæ anteâ illic insederat, nunc dissipatur, cæcisq; visus restituitur. Nullum draconum cubile, nullum aspidis foramẽ auaritia sollicitat, vt aurum extrahat, quo horribilius Filius Dei non intrat, vt suum hominem liberet, lucem ipsis inferorũ tenebris inuehens. Et quando auri sitis non vincitur, & superatur à diuina animarũ siti? Sanè video has duas sites, quasi æmulo volatu orbem percurrere, & in hoc prædico diuinam animarum sitim longè maiorem diuitiarum siti, quia super huius pennas euolat illa, & peruadit abstrusissima montium viscera. Remotissima, & inaccessa Orientis, & Occidentis claustra rupit Hispana auaritia, vt de montium visceribus, de præruptis, de spelæis draconum, de aquarum abyssu & aurum eriperet, & gemmas, & pretiosos lapillos. Quid plura? Dum inaccessas nationes auri causa peregrinarur Hispani, cælestis doctrinæ copiam remotissimis illis nationibus refundunt. Et visus est erumpere fluuius de fontibus Saluatoris inter eos, quos solus diteſcere cupiens animus inuisit. Huc refero locum ex Iob, cap. 28. vbi
Iob. 28. sic de diuina sapientia dicitur: *Tempus posuit tenebris, & vniuersorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis, et vmbrã mortis. Diuidit torrens â populo peregrinante eos, quos oblitus est pes egentis hominis, et inuios.* Duo in primis consideranda sunt data à Deo tenebris, & mortis vmbris, nimirùm & pretiosaquæque, siuè auri, siuè lapillorum, aut margaritarum in Orientis, Occidentisque latebris abstrusa, & simul incolarum Ethnicorum animæ, non absre ob ignorantiam, & etrorũ caliginem vocatæ lapides caliginis, & mortis vmbræ. At nec lapillorum pretiositas, nec Indorum illorum animæ perpetuis erant tenebris occultandæ; sed Deus illorum tenebris terminum posuerat, & infinita sapientiæ suæ vi ordinarat, quando sedentibus in regione vmbræ mortis lux apparitura erat. *Etenim tempus posuit tenebris, et vniuersorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis, et vmbram mortis.* Non discernit in sua consideratione Dominus tempus adducendi in lucem auri, lapillorumq; pretiositatem, & animas Indorum; sed simul vt à radicibus montiũ, à cubilibus draconum dedit posse trahi in lucem Orientales, Occidentalesque diuitias, & dedit ab vmbra mortis posse reuocari animas Indorum. Quid tuuc? *Diuidit torrens â populo peragrinante eos, quos oblitus est pes egentis hominis, et inuios.* Vel vt ex Hæbræo: *Erupit torrens â cum habitatore, vel peregrinante*: quem torrentẽ meritò refert Hugo Cardin. torrenti sapientiæ; quippè inter quærendas abstrusas Orientis, Occidentisque diuitias, sapientiæ Christianæ torrens erupit à populo peregrinante, nimirùm populo Hispano in illis regionibus peregrino, & aduentitio, qui fidei notitia discernit, & diuidit regionum incolas, eos nimirùm, quos oblitus est pes egentis hominis; hoc est, pes Apostolorum pauperum, de quibus Isaias, *Isai. 52.* cap. 52. ait: *Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis, et prædicantis pacem.* Vel vt ex Hæbræo legit cum Procopio, & Eusebio Leo Cast. *Annuntiantis, & prædicantis Iesum.* Hi pedes quasi obliti sunt Sinas, Iapponios, Peruanas, & alias remotissimas, & penè inaccessas regiones, præcipuè pauperibus hominibus. Quis spiritu pauper meminisset prima auri, diuitiarũq; incunabula. Et quis cẽsu pauper posset peruenire ad illas regiones, ad quas nõ peruenitur sine ingenti sumptu in nauibus comparandis? Equidem vbi tantũ fuit pes pauperis, oblitioni datæ sunt remotissimæ Orientis, Occidentisque regiones: at vbi pes diuitũ cæpit apparere; hoc est, vbi Hispani & censu, & animo, & cupiditate diuites apparuere, cæperuntque mundi inuestigare thesauros, omniaque naturæ euellere repagula, domare indomita maria, cubilia versare draconum, terræ viscera scrutari, & Solis cunas, & sepulchra lustrari, statim à peregrinãte hoc populo per mundi extrema, Christianæ sapientiæ torrens exundat, qui cum auro, & gemmis animas Indorum eruit à mortis vmbris. Sic non peruenit auri cupiditas, quò nõ peruenerit ingens Dei sitis de animarũ salute. Huc forsan spectat illud Gen. 2. vbi de fluuijs paradisi dicitur: *Nomen vni Phison: ipse est, qui circuit omnem* *Gen. 2.* *terram Euilath, vbi nascitur aurum. Et aurum terræ illius optimum est, ibique invenitur bdellium, & lapis onychinus.* Nec mysterio vacat, quòd de solo hoc fluuio locutus Moyses notet diuitias regionis, quam rigat; de aliarum regionum fructibus prorsus silet. Et cur de alijs silens, huius regionis notat diuitias? Phison, idem est, ac *os mutationis*, siuè *alterationis*, per quem significatur genita Dei sapientia, nimirùm eius filius, potens verbo virtutis suæ omnia ad se mutare, & conuertere: vnde meritò notãtur ab hoc iam flumine rigari omnes regiones auriferæ & pretiosorum lapillorum productrices, ne putetur

tur posse auaritia hominum peruenire ad locum, è quo torrens ille Christianæ sapientiæ nõ exũderet. Non multùm ab hoc abest Diu. Anast. Sinait. in Examer. lib. 8. *Dei Filius dicitur Phison, qui est os Patris, et mutauit genus nostrum â corruptione in corruptionem, & circuit, & custodit omnem terram Euilath. Quamobrem subduxit, dicens de hac spirituali Euilath, quod illic est aurum, &c.* Ex quo enim aurum, & gemmæ Orientis venerunt in notitiã, simul apparuit sapientiæ diuinæ fluuius regiones rigans in fructus vitæ. Nec potuit auaritia humana eò duci, quò non perueniret scaturigo Christianæ fidei.

Anast.

§. II.

In Principis animo nullis subditorum florentium copijs dissimulari debet remedium, vel minimi subditi periclitantis.

REgalissimus Dei affectus erga creaturas suas sub hoc vno nobis proponitur exemplo, mulieris nimirùm, quæ ob vnum è decem nummis perditum, tota insurgit in curas, & molestias, donec illum inueniat, nec nouem seruatis, inquisitio vnius potuit derineri. Quid auarius in fœmina? Quid regalius in Deo? Sanè quod auarissimo circa obolum accidit, id regalissimo circa minimum subditum accidere debet. Nullis florentissimorum subditorum copijs sopienda est in regali animo cura, & sollicitudo de remedio periclitantis seruuli. Notandus apud Matth. cap. 8. nobilis ille, & regalissimus Centurio, de quo ibi: *Cùm introisset Capharnaum Iesus, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur, &c.* Vnus eius seruulus iacebat, cùm centum alij milites sub eius potestate valerent. Quid ergo, quòd iaceat puer, dum tot valent, quorum comitatus satellitio clarescat? In nobili Principis animo tot valentibus militibus, nõ potuit sopiri cura, & sollicitudo vel vnius periclitantis pueruli. Vbi D. Basil. Seleuc. orat. 19. ait: *Non præ voluptate, quam ex numeroso satellitio capiebat, pueri immobilis oblitus est, verum obibat inuestigans periculo remedium. Nec â cura destitit, dum ipse in cu-*

Matt. 8.

Basil.

rationis fontem incideret. Hinc peruenit Principes in omnium bonorum fontem, si multitudine splendentium, valentiumquè subditorum minimè attoniti, adhuc miseri alicuius oppressionem diligenter inuestigent. De se Iob aiebat capit. 29. *Quando erat Omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei. Quando lauabam pedes meos butyro: & petra fundebat mihi riuos olei. Quando procedebant ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi.* Quid inter hæc adeò splendida, & glorioſa? Quid inter adeò fulgentes circumstantium phalanges? Statim ait: *Pater eram pauperum, & causam, quam nescie bam, inuestigabam.* Non sanè quiescebat in throno apparato sibi, in circumstante satellitio; sed & tunc totus erat in perueſtigando oppresso, & ibat inuestigans, si quis miser iaceret, cui opem præstaret suam. Ex quo eleganter Diu. Chrysostom. in Cat. Græca inquit: *Neque enim expectabat, dum ad eum ij, quibus facta erat iniuria, accederent; verùm ipse præuertens lustrabat omnia, eos quærens, qui læsi essent iniuria, nec quoquomodo quærebat, sed multa adhibita vigilãtia. Nec enim dixit, quæsiui; verùm, causam, quam ignorabam, inuestigaui, scrutatus sum, studiosus disquisiui: omnia moui, vt calamitosos reperirem, nevè quispiam violatus iniuria vspiam lateret. Genus profecturæ vides, &c.* Hanc sibi præfecturæ doctrinã ebibant omnes Principes, persuasi, quòd inter vniuersas principatus glorias, hoc semper debeant agitari stimulo, hac sollicitari cura, qua omnia præuertant, omnia moueant, ne lateat vel vnus miser, sed quisquis sit, ad remediũ possit reperiri. Verè regius ille Theodori animus, qui aiebat apud Cassiod. 3. var. 20. *Inter glorioſas reipublicæ curas, quas perpeti cogitatione, Deo auxiliante, reuoluimus, cordi nostro est leuamen humilium: vt contra potentiam superborum nostræ pietatis erigamus obstaculum, nec liceat quicquam apud nos audaciæ, cuius est proposito superba calcare.* Verè Rex est, & verè Princeps, quem totum minimè occupant glorioſæ reipublicæ curæ, sed inter glorioſas scit sollicitari miselli cuiusque cura.

Chrysost.

Cassiod.

(·.·)

Luc. 15.

Luc. 15. Et cùm inuenerit, conuocat amicas, & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram. Ita dico vobis: Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.

§. III.

In terris nihil secretum inuenitur.

DE inuenta drachma expectat mulier amicarum, & vicinarum congratulationem; vt enim notat Salmeron, omnibus his patuerat & drachmæ perditio. Quale namque inter mulieres potuisset esse secretum? Imò dum in terris sumus, vix apud aliquem secretũ potest inueniri. De se ait Paul. 2. ad Corinth. 12. *Et scio huiusce modi hominem (siuè in corpore, siuè extra corpus nescio) quoniam raptus est in paradisum, et audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Ad verba arcana, & secreta audiẽda raptus est Paulus in paradisum. Cur necessum fuit in paradisum rapi? Cur in terris positus non exciperet illa eadem verba? Verba erãt arcana, verba minimè publicanda, sed profundo custodienda secreto; quapropter necessum fuit, quòd raperetur Paulus in cœlum ad excipienda illa, quando in terris nihil arcanum, & secretum potest custodiri. Ait S. Ambros. lib. 1. de interpellation. cap. 9. *Paulus audiuit aliqua secreta sapiẽtiæ, quæ prohibitus est alijs intimare, & ideò raptus est in paradisum, raptus est vsque ad tertiũ cœlum, vt ea audiret.* Non capit terra secretum, non est terrenæ huius infirmitatis aliquod arcanum, & secretum custodire, & meritò ad cœlestia rapitur ille, cui aliquod secretum debeat committi. Aiebat Isaias, cap. 26. *A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti: secretum meum mihi, secretũ meum mihi.* De laudibus iusti in terra auditis affert sibi mandatum secretum, insuper affirmat, se seruaturum secretum, dum inquit, *secretum meũ mihi*: sed pro illis verbis secretum sonantibus vertunt Vatablus, & Pagninus: *Macies mihi est*: & alij vertunt: *Tabes mihi est.* Ecce tibi sub eadem voce clamat: *Secretum meum mihi, & macies, & tabes mihi est.* Quare secretum, & tabes, & macies iunguntur? Expende illud: *A finibus terræ audiuimus*; quæ enim ex auditis in terra secreta mandantur, macies, & tabes sunt, quibus macrescunt, & contabescunt homines intimo dolore, donec ea edantur in lucem. Ad cœlum abeat, qui velit seruare secretum sibi commissum; terra nescit portare tantum onus, mille tormenta, mille cruciatus immittet, vt illud publicent. Imò, vt monet Ecclesiastes, cap. 10. *Aues cœli portabunt vocem tuam, et qui habent pennas, annuntiabunt sententiam.* Vbi acutè Titelmanus adeò irremediabilem secreti fractionem considerat, vt si reuelationis eius authorem quæras, nullum aliũ inuenias, quàm vel aues, vel terrã ipsam. Id quod notans Petrus Blesensis, epist. 59. confirmat ex Iuuenalis Satyr. 9.

O Coridon, Coridon, secretum diuitis vllum
Esse putas? Serui vt taceant, iumenta loquentur,
Et canis, & postes, & marmora: claude fenestras,
Vela tegant rimas. iunge ostia: tollito lumen
E medio: clamant omnes, propè nemo recumbat.
Quod tamen ad cantum Galli facit ille secundi.
Proximus ante diem caupo fiet.

Hoc facit terrena infirmitas, quæ impotens est, tantum depositum custodire; ex quo arcani seruatores alterius ordinis, alteriusq; virtutis, prædicans S. Antiochus, hom. 64. inquit: *Generosæ igitur, ac virilis animæ est, modis omnibus alterius secretum penes se recondere, nec vllam ob causam, aut inuectum tristitiæ nubilum prodere, et euulgare arcanum cum fiducia concreditum.* Hæc ille.

§. IIII.

Vt cœlestis, & angelicus est ille, qui in salute fratris lætatur, sic longè à sanctis, & cœlo distat, qui lætatur in ruina fratris.

DIgnum & cœlo, & Angelis gaudium, quod fit super peccatore reducto

ad

ad sanitatem de fratrum profectu qui gaudet, coram Angelis gaudet, angelicus est, cœlestis est, solus impius, & ab Angelorũ consortio longè separatus nescit gaudere in profectu, sed in causa fratrum. Gen. 9. quem numquam nouerat vini potũ, cùm bibisset Noe, ebrius factus, somno sepultus, turpiter nudatus iacebat humi. *Quod cùm vidisset Cham pater Chanaam, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiauit duobus fratribus suis foras.* Nec putes hoc à Cham nuntiatum fuisse simpliciter, sed cum risu, & gaudio. Et maximè notãdum est, vndè Cham sumpserit initium sui risus, & lætitiæ, post ingentem diluuij calamitatem, & tristitiam, nimirum ex turpi Noe nuditate. Tantam ne materiam risus offerebat Noemi per ignorantiam casus? Equidem vel leuissimi iustorum casus ingentem risus, & gaudij segetem suppetunt impijs, qui nescunt gaudere, & lætari in profectibus, sed in ruinis fratrũ: quippè ait D. Ambr. lib. de Noe, cap. 30. *Ridet igitur Cham nudatum patrem vidēs: omnis namque improbus, quoniam ipse, de ruinis disciplinæ est, aliorum lapsus nõ solùm prosui erroris solatio accipit, quòd consortes inuenerit culpæ, verùm etiam improbo lætatur affectu. Mala enim mens lætatur præter præpositum aliquid accidisse sapienti.* Materiam sumunt gaudiorum improbi à fratrũ lapsibus, & ruinis, vt inde pateat, qualis quisque sit, qui lætus, & gaudens ruinas aspicit hominum, impius est, à cœlo, & Angelis longè separatus; qui verò in salute, & incolumitate fratrum gaudet, is coram Angelis gaudet, angelicus est, cœlestis est. Ex quo lucem affero verbis datis Iudith, cap. 16. vbi post occisum Holophernem, post liberatam Bethuliã, & liberati Bethuliẽses, & omnis reliquus Iudæorum populus, venerunt Hierosolymam, vt gratias referrent Domino. Quid tunc? *Erat autem populus iucundus secundùm faciem Sanctorum, & per tres menses gaudium huius victoriæ celebratum est cũ Iudith. Post dies autem illos, vnusquisque redijt in domum suam, &c.* Expende illa verba: *Erat populus iucundus secundùm faciem Sanctorum*: hoc est, iucunditas, & lætitia perfundens nõ solùm Bethulienses, sed vniuersum populum, sic singulos efformabat, vt ex illa sancti apparerent, & cœlestes prorsùs homines. At scire cupis, vndè lætitia, & iucũditas hæc faciem cœlestium hominum referebat? Sanè vniuersus populus lætabatur, & gaudebat, visa Bethulienſium fratrum liberatione, & victoria: gaudium autem, quod est de fratrũ bono, in quocumque sit, illum euidenter demonstrat & cœlestem, & angelicũ hominem. Qui in salute recepta fratris gaudet, sic gaudet, vt gaudent Angeli Dei, iucundus, & lætans est secundùm faciẽ Angelorum. Nescit gaudium de fratrum salute esse in aliquo, quem non referat ad consortium Sanctorum, & Angelorum. Cantatissima est altera populi Israelitici liberatio, qua per Mardochæi, Estheriſque industriam, Assueri gratiam recuperans, à morte liberatus est: quippè ait, Esth. cap. 8. *Iudæis autem nouæ lucis oriri visa est, gaudium, honor, et tripudium. Apud omnes populos, vrbes, atque prouincias, quocumq; Regis iussus veniebat, mira exultatio, epulæ, atque conuiuia, & festus dies: in tantùm, vt plures alterius gentis, & sectæ, eorum religioni, et cerimonijs iungerentur.* Obseruandum maximè est, quòd gaudia, & lætitiæ populorum eò deueniebãt, vt multos Ethnicos ad veram traherent religionem, & fidelibus Iudæis adiungerent. Et vndè gaudia hanc vim habebant? In gaudijs, & lętitijs publicis citius ad errores, & peccata itur; quare hæc gaudia ad fidem magis ferebant? Gaudebant, & exultabant nationes de salute Iudæorum recuperata: nec miror, quòd gaudia de recuperata salute proximorum, in quocumque sint, illum in consortium Sanctorum traherent.

Ambr.

Iud. 16.

Esth. 8.

§. V.

Vnus virtutum studiosus Deo est pro ingenti multitudine.

TOta Angelorum, cœlestiumque in præsenti relata gauda vnus peccator ad pœnitentiam adductus facit; nec mireris, quòd sic cœlestia super vno conuerso gaudeant, quando vnus virtutum studiosus apud Deum pro numerosa multitudine valet. Postquam Loth discesserat ab Abraham, statim introducitur Deus cum ipso Abraham locutus, Gen. 13. *Dixitq; Dominus ad Abraham, postquam diuisus est ab eo Loth.* Et cur sic festinat Dominus loqui cum Abraham post Lothi discessum? Ne, dum Abraham videt se à nepote suo diuisum, putet, se solũ esse, quin potiùs nũquam minùs se solùm existimet apud Deum, quàm vbi tantum specimen

Gen. 13.

edidit virtutis. Est enim vnus virtutis studiosus Deo instar numerosissimæ prouin
Marius. tię. Ait Claudius Marius lib. 3. in Gen.

Tunc Deus hæc Abram mœstisque pectora firmans,
Ne moueris, ait, fratris quòd prole relicta;
Nunc solus videare tibi: innumerabile vulgus
Tu mihi solus eris.

Solus vnus, qui virtutibus habendis in cũbat, innumerabile vulgus Deo refert, estque illi instar clarissimæ, & numerosissimæ multitudinis. Monebat Dominus,
Exo 22. Exod. 22. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo, pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum, quasi exactor, nec vsuris opprimes.* Illud, *pauperi*, per expositionem additum est, vt explicet, quem vocat Dominus populum suum. Et meritò pauper quilibet, qui nobiscum habitat, velut populus Dei habendus est, quando vel vnus studiosus virtutum ingentem refert Deo multitudinem. Proh euangelicorum paupertũ gloriam! Quid ais, paupercule homo? Putas ne te solitarium, ab omnibus derelictum, & despectum? Eia fœlix homo, habes, vndè solitudinem tuam consoleris, virtuti habendæ da operam, & non es solitarius, sed innumerabile vulgus Deo ve-
Prou. 11 nis. Non longè abest Prouerb. cap. 11. vbi dicitur: *Vbi non est gubernator, populus corruet: salus autẽ, vbi multa consilia.* In Hæbræo, & Græco habetur: *salus autem in multitudine consiliarij*: quasi vnus sapiens, & consiliarius pro multitudine sit, & multorũ instar. Hinc est, quòd legem vniuersis popularibus promulgans Dominus ait Exod. 20. *Non occides, nõ mœchaberis, &c.* Non pluraliter loquitur, quasi ad multos; sed singulariter, quasi ad vnũ. Et cur, Domine, cùm populorum multitudini legẽ ponas, sic loqueris, quasi vnus singularis sit, qui illam accipiat? Sanè vbi Dei lex accipitur, & custoditur, vel vnus verus legis custos est Deo instar ingentis multitudi-
Philo. nis. Ait Philo lib. de Decalogo: *Quærat & aliud aliquis non immeritò, cur in concione tãm multorum millium, quodq; oraculum singulos appellat, non plures. Non mœchaberis, non occides, & ad eum modum cætera? Respondendum est igitur, ideò placuisse hanc formulã, vt lectores sacræ Scripturæ discerent quiddam valdè pulchrum, & necessarium, videlicet, vnumquemq; tantisper, dum Deo paret, ac legibus, honore æquari frequentissimo populo, vel potiùs omnibus gentibus, addo ampliùs, mundo vniuerso.* Quid pulchrius? Aiebat Dominus, Matth. 18. *Vbi sunt duo congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Cùm dicuntur congergati, multitudo ibi repræsentatur; vtimur enim sæpiùs congregãdi verbo, vbi multitudo est congregandorum: cur ergo duo dicuntur congregati, an duo multitudinem sonant, & non magis paucitatem? Equidem duo soli, dum secum Deum habeant, non paucitatẽ, sed innumerabilem referunt multitudinem. Vt dicat D. Chrysost. homil. 23. in Acta: Chrysos. *Vbi sunt duo in nomine meo, inquit Dominus, congregati, ibi sum in medio eorum. Vbi Christus medius, magna multitudo est.* Vel vnus Deum habens, pleno hominum regno comparari potest, vt habes tom. 3. lib. 14. cap. 4. §. 3. ex Marc. cap. 6 & tom. 1. libro. 1. cap. 2. §. 9. ex Dan. cap. 3.

Mat. 18

CAPVT XV.

De Filio prodigo.

NVLLVS Viam perditionis terit, quam si relinquat, ingentem Dei benignitatẽ non sentiat. Sed quomodo ouis, & drachma semel perdita, à perditione cauerent, nisi & pastor, & mulier magna sollicitudine ferrẽtur ad quærenda illa? Aliter filius hominis, qui mente, & ratiocinatione præcellit, is, dum se dat perditioni, non quæritur â parente, sed vix ipse paterni fauoris cogitatione excitatus, ad se reuersus viam arripit, qua in cęlestis patris domum recurrat; & ecce tibi pater cęlestis obuiam it reuertenti filio, quem gratijs, & beneficijs saturat, vel ante vituli saginati cœleste conuiuiũ. Patris est, ærumnosum filium non respuere, & inter degeneres habitus, degenereſque mores filij respiscẽtis voce moueri, vt regenerẽt gratia, quem priùs virtute genuerat. Quid ad hęc Pharisæus? negabit Deo, quod optimo parenti nemo negat, in quo vel perditissimi filij perditionis suæ habent remedium?

Luc. 15. Homo quidam habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam.

§. I.

Maiori cum discrimine tuo Deum offendis, vbi ab alijs honoratur.

TAcente filio maiori, imò renuente partem suam à bonis paternis separari, accedit adolescentior filius, & petit portionem suam, nolens habere aliquid apud patrem. Non adeò forsan offendisset patrem hæc iunioris filij audacia, nisi tunc prodiret, quando simul maioris filij erga patrem clarebat obseruantia. Vbi enim alter adeò patrem reueretur, magno suo discrimine eumdem offendit alter. Cantatissimi sunt Angeli illi, qui missi à Deo Sodomicam regionẽ dederunt flammis: ij venientes primò ingressi sunt Abrahæ tabernaculum, summaque ibi reuerentia, & obsequio à bono sene habiti, multa illi bona annuntiauerunt. Quid tunc? Ait textus, Gen. 18. *Cùm ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos cõtra Sodomam, &c.* Quare ab Abrahæ hospitio contra Sodomã insurgunt? Quare maluerunt priùs apud Abrahamum sedere, eiusque obsequia acceptare; deinde abituri Sodomam, vt illam flammis traderent? Sanè voluere Sodomitarum crimina in Deum tunc maximè periculosè ostendi, quando apparuerat Abrahami in Deum reuerentia, & obseruantia. Ait D. Ambros. lib. 1. de Abraham, cap. 5. *Quid sibi autem vult, quòd illi, qui ad Abraham simul cum Domino venerant, Sodomam petierunt viri, nisi vt acerbaretur crimen eorum, si quos iustus honoraucrat, his maiori sacrilegio impij vim conarẽtur inferre?* Mul tùm equidem crescit ad ruinam impiorũ offensa inter iustorum obsequia, & reuerentias. Et nescio, si vmquam peccator perditioni vicinior est, quàm vbi Deum offendit, eo ipso & loco, & tempore, quo illi alij præcipuam exhibent reuerentiam. De zizanijs ortis cum tritico offensi Dei

Gen. 18.

Ambr.

serui aiebãt ad Dominum, Matth. 13. *Vis, imus, et colligimus ea?* Quibus Dominus respondit: *Sinite vtraque crescere vsque ad messem; & in tempore messis, dicam messoribus: Colligite primùm zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendũ, &c.* Serui Dei solum petunt zizania colligi, nullum de combustione eius faciũt verbum: at Deus non solùm colligẽdam asserit, sed simul & alligandam, & parãdam flammis æternis. Vndè Deus sæuior apparet, quàm homines? Cur summè misericors, & benignus, se vinci patitur in benignitate à suis seruis? Illi auulsionem solam zizanijs decernunt; Deus non solam auulsionem, sed & ignem parat æternum. Quid habuere zizania, quo magis offenderent, & exacerbarent benignissimum Deum? Equidem zizania ab hominibus visebantur, cũ adhuc nullus esset fructus in terra; at eadem à Deo cogitabantur in tempore messis: vbi autem per vniuersos campos maturæ perstrepebant spicæ, diuitesque fructibus areæ cœlestia repleturæ horrea apparebant, quæ tunc prodibant zizania, non simplicem, sed æterno igne dignã incurrebant offensam. Hinc Principis Apostolorum iudicium seuerius ostenditur lenitate, & mansuetudine plenum. Is, Actor. 5. Ananiam, & Saphiram coniuges ob fallaciam quandam morte corporali plectit. *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, et spirauit.* Cur adeò seuerus es, ò Petre, in peccatores? Ter negasti, & primo in scelere Ananiam perimis? Cur non magis expectas, & differs vindictam peccatorum? Cauit Petrus vindictam differre in tempus, quo vberior Euangelij fructus meteretur, ne crimen, quod tunc primo exortu temporali solùm pœna posset deleri, postmodùm inter vberiores fructus, & inter ditissimas Christianæ religionis segetes apparens, æterno igne plectẽdum seruaretur. Aiebat D. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 181. *Cùm tunc Euangelij sementem Apostoli facere cæpissent, ac statim zizania enata conspexissent, sapienti consilio ea confestim euulserunt, ne vnâ cum tritico aucta, futuro igni ad exustionem seruarẽtur.* Quæ enim zizania inter purum, & aureum triticum nigricarent, vix fieri posset, quòd non offenderent patrem familias, adeò, vt igni æterno deputarentur. Huc reuocadict. 1. tom. lib. 5. cap. 1. §. 16. & tom. 2. lib. 6. c. 6. §. 27. & lib. 12. cap. 6. §. 2.

Matt. 13.

Act. 5.

Isid.

§ II.

Non est paternum, sed ominosum, quòd permittatur inter fratres diuisio.

Non dicit, quòd pater diuisit illis substantiam, sed notanter omittens patris suppositum, solùm, ait: *Et diuisit illis substantiã*: vbi enim diuisio inter fratres permittitur, nihil ibi paternum potest
3. Reg. 3. inueniri. Prudentissimus Salomon. 3. Reg. 3. cupiens agnoscere, è duabus fœminis vtra esset vera mater cuiusdam pueri, iubet gladio diuidi infantem. Respuebat mater diuisionem; *è contrario illa dicebat: Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur.* Quid tunc Salomon? A qua diuisionem admitti vidit, repulit, negans quid paternũ inueniri posse, vbi filij diuisio petebatur. Ad
Bernar. quæ eleganter D. Bernard. epist. 258. ait: *Vnum scio, non patris, non matris illa vox erit: Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur.* Nihil paternum putes, & fauorabile, vbi diuisio sonet, qua semper iniquitas triumphat; iustitia enim nescit triumphare, nisi vnitate. Propone tibi ob oculos ingens illud miraculum, quo Dominus deduxit populum suum per medium maris. Ait e-
Exo. 14. nim Exod. 14. *Diuisa est aqua, & ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris; erat enim aqua, quasi murus â dextera eorum, & læua. Persequentesque Aegyptij ingressi sunt post eos, &c.* Diuisio permissa, imò facta fuit in mari, vt per illam filij Israel persecutores Aegyptios non paterentur: an consecuti id fuerunt filij Israel per diuisionem ambulantes? Minimè; quin potiùs tunc audacior Aegyptiorum impudentia fit, tunc eorum offenditur rabies maior, medioque scisso mari sic insultant armati, vt potuerint tunc timeri ampliùs. Quid plura? *Cùm extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibusque Aegyptijs, occurrerunt aquæ, & operuerunt currus, & equites, &c.* Ecce tibi, vbi aquæ diuisæ adunantur, qui in diuisione aquarum insultabant Aegyptij, miserè suffocantur: & qui inter diuisiones adhuc trepidabant filij Israel, in concordia exultantes triumphant aquarum. Sic diuisio nescit quid fauorabile, nisi iniustitiæ parere, quando iustitia sola viuit concordia, & vnitate. Hinc aiebat Tertullian. lib. 4. in Mar. fatus: *Aspice mari rubro virgam Moysi imperantem, vt funditùs prociss̃um, & pari vtriusque stupore discriminis fixũ, sicco populum pede, inteſtino itinere transmitteret, rursùsque sub eiusdem virgæ nutum, redeunte natura, Aegyptium exercitum vndarum concordia obrueret.* Tertull. Expende, quæ res perimat exercitum iniustitiæ, nimirùm, *vndarum concordia*; dum dabatur diuisio, non poterat non timeri malignitas, adhuc florebat, & timebatur impietatis furia, quæ funditùs periit, vbi in concordiam rediere vndæ diuisæ. Nulla sanè temporalis res sic debet timeri à pijs viris, vt discordia, & diuisio. Paul. 2. ad Co-
1. Cor. 7. rinth. 7. aiebat: *Foris gladius, intùs autem timor.* Stringebatur equidem ab externis gladius aduersus gregem Christi; sed non vbi gladius sæuiebat, timebat discipulus Christi. Vbi timebat? Intùs autem timor, de intrinsecis, & domesticis fidelium discordijs solùm erat verus timor; quæ meritò debent timeri à viris iustis super omnia mundi terribilia. Chrysostom. homil. 1.
Chrysost. de Resurrect. ait: *Neq; hoc solum erat graue, quòd foris frequens bellum gerebatur, & continuum; sed quòd inter fideles ipsos exorta fuerunt nonnulla scandala, & lites, & contentiones, & æmulationes; quæ Paulus manifestat, dicens: Foris gladius, intùs autem timor. Verùm istuc ipsum bellũ an non atrocius erat & subditis, et præceptoribus? Profectò non tantùm inimicorum insidias formidabat Paulus, quantùm domesticas contentiones.* Timori erat bono parenti, ne inter filios adoptionis, quos ipse per euangelium parturiebat Deo, ingraueſceret diuisionis, & discordiæ malum, sciens nihil paternum, nec filiale esse posse, ablata per diuisiones vnitate. Dum Iesus transfiguratur in Tabor, ait Matt. ca-
Matt. 17. pit. 17. *Et apparuerunt illi Moyses, et Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est, nos hìc esse; si vis, faciamus hìc tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, et Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos, et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, et nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solùm Iesum.* Expende, quæso, vnus, & solus Iesus apparet, quando vox Patris intonuit, quando voce Patris declaratur. Et cur

etiam

etiam post hoc Patris signum adhuc non manet vel paulisper Moyses, & Elias; sed vnus, & solus Iesus ostenditur? Vbi Elias, & Moyses erãt præsentes, diuisionem Petrus meditabatur, cupiens tribus illis separata tabernacula facere; & ideò cum illis nõ potuit ostendi pater, ex quo enim paternum aliquid incipit monstrari, nullus diuisionis olor maneat, necessum est, sed omnia ostendantur redacta in vnitatem. Pulchrè aiebat D. Paschas. lib. 8. in Matt. *Non antè Iesus solus in monte monstratur, quàm nubes clara eum obtexit, & de nube, in qua Spiritus sanctus erat, vox Patris sonuit: Hic est filius meus, &c. Tunc siquidè nube desuper clarescẽte, cùm vox Patris intonuit per nubem, inuentus est Iesus solus. Et cùm tres essent, vt dixi, vnus est factus. Tres siquidem in principio videntur, et vnus in fine est Dominus Iesus Christus, qui omnia, quæ perfecta sunt, vnum facit.* Vbi ostenditur signum Patris, & Dei Filius declaratur, nihil ad diuisionem conducens debuit perseuerare, sed omnia ostendi sub perfectissima vnitate, qualis est illa, quam omnes res in Christo Iesu habent.

Paſch.

Luc. 15. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam, viuendo luxuriosè.

§. III.

Affectus carnalis concupiscentiæ totum hominem cum omnibus suis rapit.

COngregatis omnibus, adolescens proficiscitur, vt luxuriosè viuat; nequit enim concupiscentia carnis aliquid hominis alij affectui permittere, sed omnia, quæ hominis sunt, imò totum hominem rapit sibi. Pulchrè Claudius Mamertus, lib. 2. de statu animæ, hoc affectus pondus aduertit, dicens cap. 5. *Animæ verò põdus voluntas est eius, quæ propriè magis amor dicitur, quo scilicet vel se ipsam, vel quæuis alia amat. Item põdus, hoc est, amor animæ in id, quod diligit, et memoriam, & consilium secum cogit, quia nihil aliud vel meminisse, vel cogitare valet, nisi illud, cuius amore feruescit.* Ecce tibi, quidquid in homine est, & cogitatio, & memoria, & sensus omnes vt rapiuntur à concupiscentia hominis. Quò sese carnalis affectus porrigit, eò cogit ire omnia, quæ sunt in homine congregata. Clamabat Sichen, Gen. 34. ad filios Iacob: *Augete dotem, & munera postulate, et libenter tribuam, quod petieritis: tantùm date mihi puellam.* Filij autẽ Iacob petunt, vt circũcidatur, & circumciso puellam offerunt. Quid tunc, est aliquid, quod pro habenda puella adolescens non offerat? Nihil prorsus: ait enim textus: *Placuit oblatio eorum Hemor, et Sichem filio eius. Nec distulit adolescẽs, quin statim quod petebatur, impleret: amabat enim puellã valdè.* Quid, quòd amaret puellã? An ideò sese, & suos vulneri dare tenebatur? An nõ magis sibi debebat parcere? Absit; vbi enim amore carnali afficiebatur, in nullo sibi debebat parcere, sed totũ se periculo dare. Ait D. Chrysost. hom. 59. in Genes. *Placuit coram eis sermo, et nõ neglexit adimplere dicta adolescens. Deperibat enim puellã, inquit; hoc est, totum secũ puellæ amore effuderat.* Expende illud, *hoc est totum se, &c.* quippè idem reputat sanctissimus pater, quòd adolescens dicatur amare puellam, & quôd se totum effundere dicatur, quin sibi in aliquo parcat. Ait Prouerb. 24. *Per agrũ hominis pigri transiui, et per viam viri stulti. Et ecce totũ repleuerant vrticæ.* Et quæ vrticæ sic potuerũt totum agrum hominis occupare? Hugo ibi fatur: *Totum repleuerant vrticæ, id est, incentiua libidinis.* Nescit hæc flamma totum hominẽ non depascere, vt meritò dicat D. Cyprian. lib. de pudicit. *Impudicitia obscœnum ludibriũ reddit ministris suis, nec corporibus parcens, neque animis: totum hominem suum sub triumphum libidinis facit.* Nihil permittit homini, nec Deo in homine, sed totum, quod homo est, sibi libido rapit. Hinc Ecclesiast. cap. 7. *Inueni amariorem morte mulierem.* Vbi in rẽ præsentem Chaldæus fatur: *Inueni ego rem, quæ amara est super hominem, magis quàm amaritudo diei mortis.* Equidem si dies mortis, & libido in homine comparẽtur, hæc illa longè seuior, & voracior apparet. Mors corpus depascit: sensus internos, & externos populatur: omnibus bonis spoliat hominem, & deijcit exprobatum: vni animæ nouit parcere, quæ sola nescit timere mortis falcem. Libido nulli parcet,

Prou. 24

Cypr.

Eccl. 7.

Mam.

omnia hominis bona, & sensus, & potentias, & corpus, & animā populatur. Amarior equidem est super hominem libidinosus amor, quām amaritudo diei mortis. Quò respiciebat D. Augustinus lib. de ciuit. 14. cap. 16. inquiens: *Hæc libido sibi non solùm corpus totum, nec solùm extrinsecùs, verùm etiam intrinsecùs vendicat, totumq; commouet hominem.* Adeò omnia hominis congregat, & rapit ad se amor iste carnalis, vt vel eius imminens accessus temperatus totum hominem prosternat, & mortuo non absimilem iacere faciat. Genes. 2. *Immisit ergo Dominus Deus soporē in Adam, cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, &c.* Cur necessum fuit tām citò Adamū sepeliri somno? Paucis abhinc horis creatus fuerat, & in paradisum relatus, nondum plenè deliciarum hortum conspexerat, non satis orbis luminare fuerat miratus, & iam somno sepelitur, & velut mortuus iacere cogitur. Quare vtilissimus hominum sic traheris in imaginem mortis, nigro totus sepultus sopore? Imminebat iam illi adiungenda mulier, quam amaret, cuius amor quantūuis coniugio honestatus, quia tamen carnalis erat, vbi ad hominē approximat, totum ad se hominem rapit, negans illi aliud vel meminisse, vel cogitare; sed instar mortui iacere faciens. D. Ambros. lib. de Paral. cap. 11. ait: *Quis est iste sopor, nisi quia paulisper ad coniugium copulandum cùm intendimus animum, veluti intentos oculos ad Dei regnum inclinare, atque inflectere videmur ad quemdam somnū istius mundi, & paulisper obdormire diuinis, dum in sæcularibus, & mundanis requiescimus?* Præfert secum amor carnalis, quātumuis modestus, & temperatus sit, soporē quemdam, quo vniuersos hominis sensus, & potentias hominis depascit, ne liceat homini aliud meminisse, sed totum sese cū suis omnibus affectui tradat. Hæc facit carnalis amor, etiam ille, qui se intra regulas rationis continere prætendit: at qui exorbitat, non solùm omnia, quæ sunt hominis, rapit, sed & quæ sunt Dei in homine sibi seruire facit. Quippè ait D. Iudas epist. canonic. cap. 1. *Subintroierunt enim quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam.* Quasi rabidissimo luxuriæ affectui non sufficeret omnia hominis rapere, & memoriam, & cogitationē, & voluntatem, & sensus vniuersos, nisi etiam quæ sunt solius Dei, in homine rapuisset. Huc refertur Herodes stimulis agitatus luxuriæ, à quo dum petitur caput Ioannis interdicentis eius amores iniquos, dissimulat in vultu tristitiam, verùm vt ait Marc. cap. 6. *Propter iusiurandum, & propter simul discumbentes noluit eam contristare; sed misso speculatore, præcepit afferri caput, &c.* Nolebat miser in veritate contristare puellem, nolebat contristare suos amores; quid necessum fuit fingere iusiurādi causam? Qui amabat puellam, nulla alia ratione egebat, vt faceret homicidiū. Pulchrè enim ait Zorobabel apud Esdram, lib. 3. cap. 4. *Et accipit homo gladium suum, & vadit in viam facere furta, et homicidia, et mare nauigare, et flumina, et leonem videt, et in tenebris ingreditur, & cùm furtum fecerit, et fraudes, et rapinas amabili suæ affert.* Hæc est vnica, & efficacissima causa cuiuslibet facinoris, & homicidij, nimirùm, quòd homo placeat dilectæ suæ. Cur aliam causam Herodes requirit? Cur iusiurandum prætendit? Non contentus erat homo lasciuissimus, nisi & iusiurandi religionem faceret esse sub triūphum libidinis. *Vt luxurietur Herodes, ne catur Ioannes*, ait D. Fulgent. & Beda etiā inquit: *Scelus excusat iuramento, vt sub occasione pietatis impius fieret.* Heu quot etiam nunc inueniuntur, qui sic Dei nostri gratiam transferunt in luxuriam, & religionē, & pietatem, & Christi sanguinem, & Deum ipsum (si sic loqui fas est) suæ faciunt seruire libidini.

§. IIII.

Carnalis cupiditas longissimè facit hominem à Deo distare, adeò vt penitus ignoretur, vbi sit.

IN regionem longinquam dicitur profectus adolescens, dum traditur cupiditatibus suis; nec nomen regionis declaratur, sed solùm declaratur, quòd est regio longissimè distans. Et quidem in cupiditatis carnalis progressu euidētissimū est hominem à Deo maximè distare, & quàm longissimè esse; quæ autem regio illum teneat, penitùs ignoratur. Huc refero illud Prouerb. 30. *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitùs ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, et viam viri in adolescen-*

Ieſcentia. Ecce tibi quarta via penitùs ignorata etiam à ſapientiſsimo, nimirũ via viri in adoleſcentia; dum enim adoleſcẽs carnalibus cupiditatibus ſeſe tradit, ſcimus ab illo longiſsimam, & à Deo remotiſsimam viam teri: quæ autem ſit hęc via, vel per quam regionem fiat, prorſus ignoramus. Meritò Galfridus apud Tilmannum in allegor. ait: *Affectio deſiderij, ſicut efficacior eſt ad ſalutem, ſic ad pernitiem vehementer comprobatur. Ipſa eſt via viri in adoleſcentia poſt concupiſcentias ſuas eũtis, via quàm tenebroſa, & lubrica, perverſa, & auerſa à Deo, nec modò aliena à ſapientia, ſed vſquequaque remota, & penitùs ignorata.* Penitùs ignoratur via, & regio, per quam rapiant adoleſcẽtem hominem carnales cupiditates, & deſideria laſciua; hoc vnum ſcitur de illa, quòd remotiſsima eſt à Deo, quod longiſsimè diſtat à vera ſapientia: quæ autem ſit, & quod nomẽ habeat, penitùs neſcitur. Huc forſan reſpexit Eccleſiaſtes, cap. 7. *Cuncta tentaui in ſapientia. Dixi, ſapiens efficiar: & ipſa longiùs receſſit à me. Multò magis quàm erat, & alta profunditas, quis inueniet eã?* Quæ verba per Hippalagem intelligenda ſunt; hoc eſt, conuerſo ordine explicanda, vt non ſapientia dicatur fugiſſe, ſed homo intelligatur receſsiſſe à ſapientia; ex quo enim Salomon ſeſe voluptatibus dedit, magnum chaos inter eum, & ſapientiam firmatum eſt, vt alter ab altero longiſsimè diſtaret, immenſa interpoſita voragine. Id quod explicãs Taumaturgus ait in nomine Salomonis per voluptates infatuati: *Hæc omnia ego noram, ſapientiam à Deo conſecutus: qua deinde amiſſa, iam mei ſimilis eſſe nequibam: ſapientia enim à me in infinitam longitudinem fugit, & in immenſam profunditatem.* Immenſa eſt profunditatis vorago, & infinita longitudo inter voluptuoſum hominem, & veram ſapientiam, inter carnis cupiditates, & Deum. Alter ab altero fugit in infinitum; quò autem perueniat laſciuus, non explicatur, ſed ſola dicitur immenſitas diſtantiæ, quæ à Deo ſeparatur, regio, & via, per quam inambulat, minimè inuenitur. Nec ideò ſecurior laſciuus, quia eius ignoratur via; illi enim erit & notiſsimam, & certiſsimum nomen, per quod pateat eius via æterno iudici. Pulchrè D. Fulgent. Herodem, & Herodiadem pungit, dum illos videt ferro armatos in caput Ioannis Baptiſtæ. *Dicite mihi, quid habetis cum Ioanne Baptiſta Herodes, & Herodias; quos ad conſortium adduxit nominum impuritas cri-*

Galfrid

Eccl. 7.

Taum.

Fulgen.

minum? An hoc timetis, ne qui vobis vocabulis coniungimini, in luxuria forſitan ſeparemini? Eſtote certiſsimi, quia ſicut vno conſenſu caditis in luxuriam, ita vno nomine ſuſcipietis ſententiam. Anonimi licèt fuerint laſciui, anonimæ licèt fuerint eorum viæ, & regiones, vt inde videantur penitùs ignorandæ, mihi credant, ſuppetent illis & nomina, & vocabula, ſub quibus ſententiam damnationis ſuſcipiant. Certiſsimi ſint omnes laſciui, quòd ſicut vno conſenſu ad luxuriam currunt, ſic vno nomine vocabuntur, & afferentur ad ſeueriſsimi iudicis tribunal.

§. V.

Laſciuus homo ruſticiſsimus eſt Dei, & bonorum æternorum contemptor.

QVidquid petierat filius, pater liberaliſsimè donauit; quid tunc filius? Patri gratias agit de donatis? An profecturus, patrem adit, benedictionẽ petit? Minimè; ſed congregatis omnibus nulla habita memoria patris, profectus eſt in regionẽ longinquã. Prudentiſsima fœmina Rebecca, Geneſ. 27. & 28. conſulens filio ſuo Iacob profectionem, & fugam ê domo paterna, noluit tamen, quòd proficiſceretur filius, quin pater illi denuò benediceret: vocauitque Iſaac Iacob, & benedixit eum: & ſtatim poſt explicatã benedictionem ait: *Iacob profectus peruenit in Meſopotamiam Syriæ.* Non proficiſcitur etiam ad propinquos Iacob ſine petita patris benedictione: hic autem adoleſcens proficiſcitur in regionem longinquam, nihil æſtimans benedictionem paternam, nec volens, nec curans eam accipere. Vnde huic tanta obliuio, contẽptus tantus paternæ benedictionis? Explicat textus, vbi dicit: *Ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxuriosè*, ibat ſeſe totũ daturus luxuriæ; vbi autem luxuria regnat, inaudita gignitur ruſticitas, & contemptus parentis diuini. Apud Luc. cap. 14. dũ Dominus mittit ſeruum, qui vocet ad cæleſte conuiuium: *Cæperunt omnes ſimul excuſare. Primus dixit: villam emi, et neceſſe habeo exire, et videre illam; rogo te, habe me excuſatum. Et alter dixit: iuga boum emi quinque, et eo probare illa; rogo te, habe me excuſatum. Et alius dixit: vxorem duxi, et ideò nõ poſſum venire.* Duo primi

Gen 27. & 28.

Luc. 14.

excusationem prętendunt Deo inuitanti, illamque rogant admitti; tertius iste nullam prætendit excusationem, nihil rogat, sed totus rusticus, & inurbanus, & ferus inuitatorem Deum despicit. Vnde huic tanta rusticitas, & Dei contemptus? Ille explicat, dum ait, *vxorem duxi*, sese ostendens carnalibus voluptatibus prorsus imbibitum, quò fit Dei contemptor rusticissimus. Ibi D. Anselm. ait: *Per hunc designantur illi, quise luxuriæ, carnisque voluptatibus per omnia subijciunt: qui excusari non quærunt, quia solam hanc vitam diligentes, aliam parui pendunt.* Nihil boni respectus, nihil reuerentiæ, nihil comitatis, & humanitatis in homine lasciuo quærendum est, qui dum voluptatibus carnalibus inhiat, nihil supra carnem æstimat, imò & Deum, & patrem, & hæreditatem cælestem parui pendit: vt enim comitas, & humanitas coniuncta est cum castitate, sic cum luxuria venit rusticitas, feritas, Dei, parentisque, & omnis pietatis oblitio. Dum Saluatoris genealogiam exprimit Matthæus. cap. 1. ait: *Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Notanter adduxit Ruth in memoriam, vbi Obedi natiuitatem indixit; Obed enim idem est, quòd subditus. Et maximè miror, quòd dum Booz Ruth in vxorem assumit, subditum, & benè meritum de parentibus filiũ possit gignere. Booz Israelites erat, Ruth autem Moabites; & quomodo ab Israelita, & Moabitide matrimonium extitit, quòd filium subditum gigneret, & non potiùs in Deum, & in parentes suos contumacẽ, & rebellem? Num. 25. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum, initiatusque est Israel Belphegor, & iratus est Dominus, &c.* Et post pauca, adhuc bestialiora ponit, aiens: *Et ecce vnus de filijs Israel intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, videnteMoyse, &c.* Iunguntur Israelitæ, & Moabitides, ex quo innumera nascuntur scandala, & contemptus Dei, & despectio religionis, & omnis humanitatis, & boni respectus abolitio. Qui ergo fieri potest, vt Ruth Moabites iuncta Boozo Israelitæ subditum, & humanum filium pariat? Sanè Moabitæ fœminæ in Numeris splendenti forma, pulchritudinisque lenocinio intendebant Israelitarũ libidini fomitem ministrare; ex libidine autem quidquid nascitur, scandalum est, feritas est, contemptus est religionis, & cælestis patris, & omnis humanitatis. Verùm Ruth castissima nihil libidinis traxit, sed multa pietatis; vbicumque non libido fuerit, sed castitas, quidquid inde procedit, suum honorem defert Deo, & patribus, in omnibus subditus, in omnibus humanus. Author operis imperfecti, hom. 1 in Matth. ait: *Talis Booz ex tali coniuge, qualem filium genuit? Obed, qui interpretatur subditus. Nunc autem qui diuitias eligunt, & non mores, pulchritudinem, & non fidem: & quod in meretricibus solet quæri, hoc in coniugibus optant: propterea non genuerunt filios subditos vel sibi, vel Deo; sed contumaces & contra se, & contra Deum.* Vanè ex libidine putatur nasciturum aliud, quàm impudentia, contumacia, contemptus omnis religionis, & pietatis. Vnde acutè, vt assolet Tertul. notãs ordinem diuinorum præceptorum, ait lib. de pudicitia: *Post interdictam alienorum Deorum superstitionem, ipsorumq; idolorum fabricationem, post commendatam Sabbathi venerationem: post imperatam in parentes secundam â Deo religionẽ, nullum aliud in talibus titulis firmandis, monendisque substruxit præceptum, quàm, non mœchaberis.* Quasi in expulsione libidinis firmetur & pietas, & humanitas erga Deum, & patrẽ; quæ, præsente illa, ruat necessum est, & mutetur in feritatem, & Atheam rusticitatem. Quò spectans D. Iudas in canonica, cap. 1. ait: de impudicis hominibus locutus: *Similiter et hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant.* Sic ille. Huc refer dicta supra, cap. 12. §. 13.

Imperf.

Tertull.

Iud. 8

§. VI.

Prima gratia post peccatum accepta facili negotio deperditur, nisi virtute operum fuerit munita.

Non latrones sustinet in via adolescens iste, nõ hostiles patitur incursus, & tamen totam suam substantiã dissipatam videt. Et quæ erat hæc adolescentis substantia, quæ nullis latronum iaculis, nullo hostili incursu petita, nihilominus tota ruit, & penitus disparet? Meritò, & sapienter Euthymius ait: *Dissipauit substantiam, corrupit donum, quod â baptismo susceperat.* Et quidem hoc habet prima illa gratia recepta in baptismo, quòd

Euthy.

quòd non egeat hostis iaculis, nec arcu, vt pereat; sed facili negotio, & penè sine hostili incursu possit ruere. Apocal. cap. 4. *In conspectu sedis, tanquam mare vitreũ simile crystallo*: quod mare splendidam monstrabat gratiam Christiani baptismi; non enim tanto splendore nitens oritur Sol ex Occeano, vt anima hominis splendet sub vndis baptismi. Sed notandum, quòd totus ille splendor vitreus est; hoc est, qui facili negotio possit dissipari, & infringi. Ex quo eleganter Bachiarius epist. ad Ianuar. de recipiendis lapsis, monet: *Memento frater, quôd caro sumus, mare illud, id est, forma baptismi, quod beatus Ioannes vidisse se dicit, vitreum fuisse describitur, et ideô in nobis citô periclitatur, aut frangitur. Lubrica via est sæculi huius glaciali iniquitate cõscripta, quam cùm immodicæ concupiscentiæ calor soluerit, facilis est ad lapsum, ruinamque miserorum.* Et quis firmitati vitrei speculi credat, nisi illud magna diligentia custodiat? Nisi aeneis capsulis includat? Vitrea est prima gratia, & facilis ad perditionem, nisi operibus virtutum duretur, nisi obtegatur multis, & fortibus operculis bonorũ operum. Do illustre exemplum in duabus sororibus Orpha, & Ruth, vtraque cum socru amat ad populũ Dei venire. Ait Ruth cap. 1. *Quæ eleuata voce flere cæperunt, et dicere: Tecum pergemus ad populum tuum.* Sed nilominùs Orpha facili negotio ad Deos suos redit, & sola Ruth in populo Dei perseuerat, ibique & vitæ, & fidei sui cimentum sibi parat. Et cur altera tàm facilè abit, altera tàm firmiter radicatur? Illa nihil laborat, imò labores nouæ religionis cauens, pristina consuetudine trahitur: hæc mille laboribus, & sudoribus induratur pro sustentanda socru, spicas legens, quo fidei suæ meruit obtinere sulcrum, & firmitatem. Sic Prudentius dulciter canit in Amartigenia.

Apoc 4. Bach. Ruth. 1. Prud.

---- *Pristinus Orphæ*
Fanorum ritus præputia barbara suasit
Malle, & semiferi stirpem nutrire Goliæ.
Ruth dum per stipulas agresti amburitur æstu,
Fulchra Booz meruit, castoque ascita cubili
Christigenam fœcunda domum, & Dauidica regna
Edidit, atque Deo mortales miscuit ortus.

Expende illud, quo recens conuersa fidei firmitatem, & gratiæ inuenit, nimirùm, *dum per stipulas agresti amburitur æstu, fulcra Booz meruit*: & æstus, & sudor sub opere virtuoso exanthlatus, sic recentis conuersæ gratiam defendit, sic firmauit, vt domum venturo Deo ipsa faceret. Iam audio Apocal. 16. *Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, et eos, qui vicerunt bestiam, et imaginem eius, et numerum nominis eius, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei, &c.* In mari vitreo pugnæ, & victoriæ audiuntur; quomodo non magis inter hostiles pugnas mare vitreum frangitur? Ipse addit: *Vidi mare vitreum mixtum igne, &c.* Non solùm primæuam vitri fragilitatem ibi nota, sed & superadditam mixtionem cum igne, potest equidem & vitrum temperamento ignis indurari, vt non frangatur, & sine dubio gratia prima sub feruore operum dum aduritur æstu laboris, penè inamissibilem inuenit firmitatem. Accipe, quid de vitro dicat Petrus Dam. lib. 4. epist. 17. *Tradit historia, quia faber quidam sub Tiberio Cæsare tale quoddam excogitauit temperamentum, quo vitrum ductile fieret, atque flexibile, et iuxta naturam cuiusque metalli, adferientis ictum infractum, ac solidum permaneret. Qui dum aulæ Regis foribus fuisset admissus, porrexit Imperatori phialam, hoc, quod excogitauerat, artificio temperatam. Quam Rex indignatus subitô proiecit in pauimentum, quæ nimirùm phiala nullatenus est confracta, sed ad similitudinem vasis ænei, vel argentei reperta est, ex quodam latere complicata. Faber autem protinùs phialam de pauimento leuauit, vasculum de sinu protulit, et vas non scissura collisum, obliquè retortum correxit. Hoc facto Cæsar admiratus dixit artifici: est ne alius præter te, qui hanc vitrorum sciat efficere condituram? Iurat faber, neminem esse super terram, præter se solùm, qui huius artis comprehendat ingenium. Quo Cæsar audito, præcepit, eum protinùs decollari; nimirùm reputans, quia si huius artis exquisitæ subtilitas in communem hominum notitiam deueniret, aurum conspueretur vt lutum, omniumque vilesceret species metallorum.* Hæc ille; quæ sanè in gratia irrefragabilem continent veritatem, quandoquidem gratia vitrea est, & fragilis, & quæ facilè frangitur, si nullius operis feruore temperetur. At eadem, quæ vitrea est, tale ab operum feruore temperamentum suscipit, vt pugnas sustineat, & nullo hostili incursu frangatur, quin potiùs mille de hostibus victorias cantet,

Apoc. 16. Dam.

§. VII.

§. VII.

Quod in Iesu habemus fulcrum, & stabile bonorum fundamentum, inter lasciuas voluptates prorsus disparet.

NIl minùs dissipat adolescens viuendo luxuriosè, quàm totam Christiani tatis substantiam; vbi enim regnat libido, stabile bonorum fundamentũ, nempè Christus, protinùs abit. D. Iudas epist. canonic. cap. 1. ait: *Subintroierunt quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium, impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum dominatorem Iesum Christum negantes.* Expende ordinem, nimirùm, priùs in luxuriam, deinde in negationem Iesu Christi deuenerunt: non possunt luxuriæ, & Christus non inter se quàm longi ssimè distare. Quô respicit Oecumenius, aiens: *Deprauant detorquentes â temperantia ad lasciuiam: vnde & negare contingit ipsos Dominum nostrũ Iesum Christum. An non negant, qui vitæ impuritate doctorem omnis temperantiæ veluti clamosa, ac sonora voce abiurant. Quæ enim communio est luci cum tenebris?* Nequit fieri, vt inter tenebrosas concupiscentiæ caligines Christi clarissima lux effulgeat, nec inter fluxas libidinis voluptates, quod in Christo habemus stabile bonorum fundamentum, emineat. Sic peccatoris vox illa, Psalm. 68. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Quid est, infigi in limo profundi, & non inuenire substantiam? Ad rem maximè Euthym. *Facem illã Propheta significare voluit, quæ sub profundo aquæ esse solet. Qui igitur in huiusmodi face infixi sunt, substantiam, hoc est, stabilitatem nullam inueniunt; ipsa nimirùm face, ob cænosam, ac fluxam illam materiam semper magis infra se considente.* Quid pulchrius in rem præsentem? Sicut enim qui limo profundi infiguntur, propter fluxam, & cænosam materiã, stabilitatẽ amittunt, & deficit, quidquid stabile, & firmum illos posset sustentare, ne perirẽt. Sic qui fluxis, & cænosis carnis voluptatibus se dedunt, qui turpibus, & fœtulentis libidinibus infiguntur, Christi stabile fundamentum à se reijciunt, & inter instabiles concupiscentias fluitant perituri. Ad hæc Paul. 1. ad Timoth. 1. *Quam bonam conscientiam quidam repellẽtes, circa fidem naufragauerunt.* Vbi Diu. Anselm. *Quam puritatis, ac bonæ voluntatis conscientiam quidam repellentes, & consentire peccatis eligentes, vt qui in sordibus est, sordescat amplius naufragium, &c.* Itaque puritatis in primis conscientia repulsa, sordibus adscitis, statim naufragi homines apparent. Quid est, naufragi apparent? Inter aquarum instabilitates fluitant, nullũ stabilitatis fundamentum habentes, quo nitentes viuant. Et sanè à lasciuo homine bonorum omnium stabile fundamẽtum Christus fugit; solùm illi manent aquarũ fluctus; hoc est, fluxæ voluptates carnis, inter quas naufragio perdendus fluitet. Accipe pulchrum rei exemplum in Iudæis, ij simul repellentes, & persequentes Christum, Matth. 5. clamant ad illum: *Quare Discipuli tui transgrediuntur traditiones Seniorum? Non enim lauant manus, cùm panem manducant.* Fontem viuentium aquarum reijciunt, persecuntur, & multùm solliciti sunt de manuum lauacris. Cur sapientissimi viri Iesum expuentes, sic anxiè curatis manuum lauacra? Sanè homines voluptatibus terrenis diditi circa fidem naufragium faciunt, & dum naufragia apparent, stabili bonorum omnium fundamento Iesu amisso, vt inter aquarum solos fluctus, sic inter solas fluitant carnis voluptates. Quod pulchrè notans D. Zeno, serm. 13. de Iudæis, fatur: *Sanè hoc solùm retinent Iudæi proprium, quòd vt vilem libidinem magis, ac magis augeant, vilioribus se lauacris omni momento baptizant, Deo semper ingrati.* Hoc solùm Iudæos manet, quod manet miserrimos quosque naufragos, nimirùm instabiles fluctus & libidinum, & aquarum; quidquid substantiale est, quidquid firmum, & stabile prorsùs ab illis cum Iesu disparuit. Hoc te solùm manet, voluptuose homo, quod solùm manet naufragos; vt hos solùm manent instabiles fluctus aquarum, quibus submergantur, amissa omni re stabili: sic te penè circa fidem naufragum solæ manent fluxæ carnis voluptates, inter quas fluites, nullam vmquam inueniens firmitatem.

Ind. 1.

Oecum.

Psal. 68.

Euth.

Anselm.

Matt. 5.

Zeno.

Luc. 15.

Luc. 15. Et postquam omnia consumasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abijt, & adhæsit vni ciuium regionis illius.

§. VIII.

Quæcumque redundantia bonorum temporalium inter luxuriandum existere appareat, non erit perpetua, sed in famem desinet.

REgio, in qua impunè adolescens luxuriatur, quid aliud pareret, quàm rabidam famem? Ne multùm credatis, ò viri, abundãtiæ bonorum temporalium, quæcumque illa sit, licèt Crœsi, aut Salomonis diuitias excedat, si vel à luxuria nascatur, vel luxuriæ adiungatur, minimè durabit, sed in rabidissimam desinet famem. Nemo inter luxuriandum bonis abundauit, qui postmodùm non cæperit sentire egestatem. Gen. 41. *Vidit Pharao somniũ. Putabat se stare super fluuium, de quo ascendebant septem boues pulchræ, & crassæ nimis; & pascebantur in locis paluſtribus. Aliæ quoque septem emergebant de flumine fœdæ, confectæque macie, et pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus, deuoraueruntque eas, quarum mira species, & habitudo corporum erat.* Quid tunc? Quæsiti sunt diuinatores, adductus est Ioseph, qui somnij significationem explicaret: qui in credibilem abundantiam in primis vaccis præsagit, cui statim succedat in secundis penè inaudita fames. Sed vndè sapientissimus coniecit, tàm citò totam illã primarum abundantiam desituram in famẽ? An quia immediatè pòst vidit septẽ alias macras, & macie confectas? Non fuit hoc necesse videre; sufficiebat enim quòd totam illam abundantiam significaret vacca, animal & rusticũ, & lasciuum, vt quisque etiam inferior Iosepho in sapientia certissimè coniectaret illam non duraturam, sed desituram in rabidissimam famẽ. Præclarè ait D. Ambros. lib. de Ioseph, cap. 7. *Etsi nõ ego Ioseph, clamabam tamen, vaccas illas pingues non solùm lasciuiam, sed etiam incuriam diuinæ significare reuerentiæ. Et ideò somnium illud redundantiæ sæcularis perpetuum esse non posse, sed fore tempus, quo his fames dura succederet.* Rustica in Deum lasciuia nõ patitur; diu esse abundantiam bonorum temporalium, sed anxiè conuocat famem, in quam durissimam desinent certo certiùs, quæcumque bona tibi inter luxuriandum arriserint. Qui opulentiùs luxuriari possunt, quàm illi, quos notat Isaias? Tamen de illis dicit cap. 5. *Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, et potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis. Cythara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conuiuijs vestris, et opus Domini non respicitis, nec opera manuũ eius conſideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interiêrunt fame.* Huc deueniunt vniuersæ hominum opulentiæ inter luxuriandum ostentatæ; penè concessum est, vt luxuriosis hominibus omnes vacuentur thesauri, & ipsi bonorum fontes areant, & deliciosæ vitæ, & cantibus, & ebrietatibus succedant interitus, lacrymæ, fames. Hæc Isaiæ verba ponderans D. Cyrill. lib. 1. orat. 3. fatur: *Luxuria diffluunt, ebrietatibus continuis, cæterisque malis, quæ ex carnis libidine oriuntur, commaculantur. Opulentia enim abundè stimulare potest ad voluptates, omnemque satietatem in illis excludere. At qui seminat in carne, ex carne metet corruptionem: finis enim temporarij luxus, longa, et perennis erit lacryma, et carnalis voluptatis fructus, interitus. Abibunt sanè captiui, et seruient inimicis, ac tanta erit siti, et inedia pereuntium multitudo, vt infernus lasciuia quodammodo sit exultaturus.* Numquam, mihi crede, redundantia, & opulentia mixta voluptatibus perpetua erit, sed semper desinet in rabidissimam famem, vt fames sit, quæ cogat miseros lasciuos in æternum supplicium.

§. IX.

Nulla inopia homines cogit in libidines, sed proprium cuiusque vitium est, quòd in illas abeat.

VIdi regionis famem, & timui, ne fortè fames tanta cogeret adolescentem pro pane acquirendo luxuriari; sed audio, quòd ipse dum cæpit egere, *abijt, & adhæsit*, &c. Non compulsus est, non tractus, non reptatus, sed ipse vltrò abijt, & adhæ-

& adhæsit; hoc est, spurcissimo vitio sese conglutinauit. Et quidem non adeò valida est fames, quæ cogeret hominem, nisi proprium vitium abeuntis in libidines adesset; vbi enim hoc non adest, quælibet fames, etsi extrema, à virtute animi superatur. Vndè voluptatum mancipia desinãt suas libidines excusare, quòd inuita ad illas trahantur extremæ inopiæ subleuandę causa; non est inopia, quæ cogat, sed proprium vitium, quo traheris, vt adhæreas voluptati. Quæ pauperiorem vitam egit, quàm Ruth, sed & quæ honestiorem? Rẽ sapienter ponderans Petrus Dam. lib. 8. epist. 14. ait: *Numquid pauperculæ Moabitis Ruth exilium, calamitates, fames, sitim, laborum intolerabilium patientiam ignoratis? Numquid vobis pro pudicissimæ viduitatis aliquandiu honestate seruanda, ad tantam illam deuenisse penuriam, vt resides spicas post metentiũ terga colligeret, & virga cædens, non dicam virili, sed humano destituta prorsus auxilio, ipsa quod collegerat, triturare t. Nimirùm, ex qua tantorum Regum soboles fuerat processura, tanquam vile mancipium seruilibus operibus videbatur addicta. Inter tot autem pressuras, atq; angustias coarctata, virtutes animi non deseruit, & inopis quidẽ vitæ pondus, quo premebatur, æquanimiter tulit, ab intimæ verò nobilitatis culmine degenerare indignũ duxit.* Nulla inopia, nulla fames potuit animum castum ab intimæ ingenuitatis culmine deturbare; sit fœminæ amori virtus, sit illi in pretio castitatis honos, & minimè timebit famem, ne illi egestas vllũ inferat damnum. Non fames cogit, sed voluptas allicit, sed voluptas vocat, & toto corde curritur ad voluptatem, prætextu subleuandę famis. Sic de impudica dicitur Oseas. 2. Oseas. 2. *Fornicata est mater eorum, cõfusa est, quæ concepit eos, quia dixit: Vadam post amatores meos, qui dãt panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum.* Panis acquisitionem proponit sibi, at toto corde amplectitur libidines, & currit post amatores suos.

§. X.

Quæ toto corde castitatem seruat in qualibet rerum penuria, vel numquam, vel post omnes penuriæ damna sentiet.

VIx fames incipit fieri, & iam adolescens lasciuus dicitur cæpisse egere, & abijsse cibos quærere. Et cur iste solus, & primus dicitur famis sensisse spicula, nisi quia solus lasciuus perhibetur? Et quidem cui castitas cordi est, in qualibet fructuum penuria, & rerum egestate, nequit primus ea damna sentire; sed vel nũquã, vel omnium postremus ea sentit. Propone tibi ob oculos honestissimam viduã, ad quam mittitur Elias, post tres annos, & sex menses durissimę famis. Hanc adit Propheta, & panem petit: illa autem, ait. 3. Regum. 17. *Viuit Dominus Deus tuus, quia nõ habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho.* Tres anni, & sex menses præterierant famis, & sterilitatis, in quibus & multi opulenti, & prædiuites eius dãmna experti fuerãt, vna hæc vidua post illos tres annos nunc primùm ait, *non habeo*; nunc primùm pauperis vocem emittit, & nondum omninò vacua erat. Vndè per tot annos se potuit ab egestate tueri? Cur sic tardauit damna sentire penuriæ? An quia nimis diues erat? Quia diues erat, non cẽsu, sed virtutibus; non frumento, sed honestate. Huc spectans D. Ambros. lib. de viduis, fatur: *Cùm in omni terra esset fames maxima, viduæ tamẽ Deo cura non defuit, atque ad alendã eam Propheta directus est. Quæ enim talis, ad quam tantus Propheta, qui ad cælum raptus est, dirigatur, eo præsertim tempore, quo clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra? Vbique ergo fames erat, & adhuc tamen hæc vidua nõ egebat.* Sanè quæ eas virtutes, animique honestatem seruabat, ob quam meruit cœlestis Prophetæ obtinere præsentiam, non potuit vniuersalis famis dãna timere, nisi omnium postrema. Iam vniuersi diuites, & opulenti sub falce famis erant, & hæc honesta vidua adhuc non egebat. Sed & aliam non absimilis honestatis fœminam tibi propone, nimirùm Noemi; hęc famis tempora vidit; sed & inter aliorum fames semper à Deo inuenit sibi præuisa alimenta: quippè ait Ruth. 1. *Facta est fames in terra: abijtque homo de Bethleem Iuda, vt peregrinaretur in regione Moabitide, cum vxore sua, ac duobus liberis, ipse vocabatur Elimelech, & vxor eius Noemi.* Ecce tibi Noemi ê regione famelica etipitur, & ducitur in Moab, quæ regio tùm abundabat frumento, vbi & famem non vidit, & nurum sibi vtilissimã inuenit, nempè Ruth, quæ post orbitatem suam, comitata socrũ in Bethleemitarum terram, lectis spicis, illam sustentabat, & tandem ad abundan-

tiam

tiam prouexit. Quid in ipsa infœlicitate fœlicius? Tristia incurrit tempora Noemi, sed numquam non præstò habuit, vndè penuriæ suæ mederetur: quòd si quæras causam tàm certæ cum fœmina prouidentiæ, vnam eius virtutem, & honestatẽ inuenies. Ad hæc Diu. Ambros. lib. de viduis, ait: *Videtis igitur, sanctæ fœminæ, quã fœcunda sit vidua prole virtutum, meritorumque suorum sobole, quæ perire non possit. Bona igitur vidua egere non nouit; et si fessæ fuerit ætatis, et supremæ paupertatis eruditionis tamen suæ solet habere mercedem. Sic illa Noemi duobus destituta filijs, et marito, quæ fructus fœcunditatis amiserat, pietatis emolumentum non perdidit: nã & solatium mœroris, & subsidium paupertatis inuenit.* Non deserat te virtus, & honestas, & fallar, nisi tibi necessaria vitę subsidia suppeditent. Penuria enim, & fames non vigilantes animos, sed cupiditatum somno deditos primò inuadit, & perdit. Sic Pruouerb. 6. *Paululùm dormies, paululùm dormitabis: paululùm conseres manũ, vt dormias, et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus.* In eos, qui libidinum somno sopiuntur, sua spicula contorquet egestas, ad illos maximè festinat, vt premat illos fame; vigiles enim animos, & minimè somno libidinum incumbentes prorsùs fugit. Audio Genes. 42. *Erat autem fames in terra Chanaam, et Ioseph erat Princeps in terra Aegypti, atque ad illius nutum frumenta populis vendebantur.* Ecce tibi, dum vniuersa terra fame tabescit, ad vnius Iosephi nutum dispensantur frumenta. Et quis est hic Ioseph, qui sic abundat frumento, quando vniuersa terra famescit? Nonne hic est ille puer pauperculus, Ismaelitis diuenditus, Putipharis seruulus, qui captiuus, & miser inter vinctos agebat? Equidem seruus erat Ioseph, sed qui liberè repellebat lasciuæ dominæ voces clamantes: *Dormi mecum*: qui nefariæ libidini non consentiebat: qui pro ipsa pudicitia vigilabat in neruo. Non potuit ergo non abundare frumento in totius orbis inedia, qui à se lasciuiæ somnum expulit, factus castitatis exemplar.

§. XI.

Qui Iesu adhæret, omni necessitati medetur; nil, quod timeat, habet.

MIser adolescens adhæsit vni ciuiũ regionis illius, nimirùm regionis longinquò separatæ à Patre cœlesti; & ideò tantùm abfuit, vt famẽ caueret, quòd etiam omnia hominum alimenta perdidit. Fœlices, qui non ciui regionis separatæ à Deo adhærescunt, sed ciui cœlestis regionis, imò Principi cœlesti Iesu adhærent; ij & famem, & omnia mala præcauent, & in illo habent, quo omni necessitati adhibeant remedium. Esau aliam benedictionem, qua benedictionem fratris suppleret, postulãti, ait bonus senex Isaac, Genes. 27. *Frumento, et vino stabilini eũ, et tibi post hæc, filimi, vltrà quid faciam?* Qui enim frumentum, & vinum perdidit, quid aliud posset expectare, quàm durissimam famem? Nihilominùs Esau instat pro benedictione alia, cui pater statim: *Viues gladio: fratri tuo seruies.* Qualis hæc benedictio Esau, quòd fratri seruiat? Cur post frumẽti perditionem, adhuc illi hæc seruitus mandatur? Nonne per seruitutem fratri exhibendam magis Esau malũ exacerbatur? Absit; imò cùm Iacob Christum repræsentaret, hoc vnum restabat Esau remedium ad omnium bonorum instaurationem parandam, si Iesu seruituti adhæreret in fratre. Ait Diu. Ambrosius, libro de Parad. capit. 14. *Per hanc igitur seruitutem ille, qui per gulam primitias suas antè vendiderat, & studio venationis agrestis gratiam benedictionis amiserat, credidit, se eò futurum esse meliorem, si typum Christi veneraretur in fratre.* Et quam iacturam non repares, si Christum habeas? Profectò etsi frumentum, vinum, & oleum, omniaque reliqua bona tibi fuerint erepta, omnibus his malis medeberis, si Deo, & Christo eius adhærere malis; nullæ enim sunt diuitiæ, quæ in Christo non possint instaurari. De diuitijs Abrahami locutus textus sacer, ait, Gen. 13. *Erat autem Abram diues valdè in possessione auri, et argenti.* Et post pauca, ad eius consobrinum accedens, ait: *Sed et Loth, qui erat cum Abraham, fuerunt greges ouium, et armenta, &*

ta, et tabernacula. In auro, & argento non solùm diuitiæ ostenduntur, sed & illæ diuitiæ, quibus omnia obediunt, per quas vniuersa alia possunt instaurari. Cur ergo Lotho non assignantur diuitiæ auri, sed pecorum diuitiæ solæ, & Abrahamo diuitiæ assignantur auri? Quia de solo Abraha mo dicitur, Ioan. 8. *Exultauit, vt videret diem meum; vidit, et gauisus est*: qui autem Christum videt, & Christo adhæret, eas diuitias habet, per quas omnia possint instaurari. D. Ambr. lib. 2. de Abrah. cap. 5. *Loth non habebat aurum, quod habebat ille, qui vidit Christi posteriora, de quo scriptum est: Et posteriora eius in specie auri. Vidit illum Abraham, sicut testatus est Dominus, dicens: Abraham diem meum vidit, et gauisus est. Et ideò auri speciem habere meruit, & possidere.* Quid non habeat, qui Christum habet? Habet id, per quod omnia possit sibi comparare, per quod ab omnibus possit liberari malis. Sic Gen. 26. dicitur: *Orta autem fame super terram, abijt Isaac ad Abimelech Regẽ Palestinorum in Gerara. Apparuitque ei Dominus, & ait: Ne ascendas in Ægyptũ, sed quiesce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea, eroque tecum.* Isaac vetatur deserere terrã panis, & vetatur descẽdere in Ægyptum, vbi erat frumenti abundantia. Cur vetatur descendere ad abundantiam, & iubetur manere inter fames? Volebat Deus seruum suum fame affligere? Cur ergo nõ mauult, quòd exeat à terra famis? Ipse Dominus ait: *Ero tecum*; vbi enim quis Deo adhæreat, Deum secũ habeat, iam habet, quo fami, & omnibus malis medeatur; nõ est cur timeat viuere inter ipsas fames. D. Chrysost. in Cat. Lippom. ait: *Ne putet iustus, quòd hoc imperet Deus, quasi volens eum famis angustiam experiri, et non permittere ei transitum in Ægyptum, inquit: Ero tecum, et benedicã tibi. Ne sis anxius, neque curam habe, ego enim ero tecum. Igitur cùm suppeditatorem bonorum omnium habeas, ne sis sollicitus, ego enim Dominus omnium ero tecum.* Haud dubium, quin fœliciſsimus sit vel inter mala, qui non adhæret vni ciuium regionis famescentis, sed adhæret, & secum habet Deum suppeditatorem omnis abundantiæ.

***

Luc. 15. Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.

§. XII.

Eò peruenit nobilium impudens petulantia, vt non tàm in voluptate haurienda, quàm in ostentando mulierc ularum dominatu superbiant.

IN villam mittitur prodigus adolescẽs; hoc est, vt putat Beda, mundiali potestati sufficitur à dæmone. Et cur dæmõ mancipio suo principatus, & potestatis nobilitatem quærit? Ait ipse textus: *Vt pasceret porcos*; hoc est, vt de grege mulierc ularum lasciuarum à se pasto superbiret. Quid aliud faciũt nobiles multi? Sanè eô deuenit multorum nobilium, & Principum lasciua impudentia, siuè insania, vt non tàm de voluptate, quàm de pastu glorientur gregaliam meretricũ. Ezech. cap. 23. *Insaniuit super eos concupiscentia oculorum suorũ, et misit nuntios ad eos in Chaldæam.* Ad satiandam concupiscentiam, nonne sufficerent, quæ in Iudæa erant, cur & ad Chaldæos mittit? Pulchrè Diu. Hieronym. ibi: *Saturati voluptatibus, ab alijs ad alias transimus, et non tàm fornicationem, quàm meretricum numerum desideramus.* Hæc est impudentia lasciuorum, vt voluptatum saturi, iam non in voluptate, sed in meretricum numero glorientur; tunc magis sublati, cùm copiosiorem illarum præferunt gregem. Proh brutissima carnalium hominum gloria! Meritò talium gloria à Propheta vocatur, & fœnum, & flos fœni, vt indè notentur ipsi, quàm sint boues, quàm sint belluæ, & irrationabilia iumenta. Illos sic pungit Hieremias cap. 5. *Equi amatores, et emissarij facti sunt: vnusquisque ad vxorẽ proximi sui inhiebat.* Hi hominem exuerunt, equinam insaniam in fœminas induerunt; equi certissimè facti sunt, non qui cũque, sed equi emissa-

emissarij; hoc est, equi, qui præficiũtur gregi equarum, vt per voluptuosam vitam instent fœtibus habendis, gaudentes in numero gregum. Quò respiciens Saluianus, lib. 7. de gubernat. sic nobiles sui æui Romanos pungit: *Verè vt emissarij equi non ad paucas tantùm, sed penè ad omnes vernulas suas; id est, quasi ad greges proprios hinniebant, et in morem eorum pecudum, qui mariti gregum appellantur, feruidæ libidinis debachatione grassantes, inquãcumque eos fœminam primum, ardens impudicitiæ furor traxerat, irruebant.* Expende, ad effrænatissimam nobilium libidinem ponderandam, illa verba: *In morem eorum pecudum, qui mariti gregum appellantur.* Non satis est viro nobili, quòd maritus sit vxoris, vel quòd vnius alterius fœminæ amore depereat; sed eò tendit lasciui impudentia, vt habeatur maritus gregum, tunc lætior cùm præficitur à sua imprudentia gregi meritricum pascendo, atque ducendo. Quam profusissimam nobilium libidinem sugillari credit Martinus Delrio noster, in illis verbis. Cant. 6. *Sexaginta sunt Reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus.* Sic miseri ad omnes feruntur, vt non videantur solliciti de voluptate adimplẽda, sed de pascendo, & ducendo grege, verè appellati mariti gregum. Quod in Salomone damnat D. Hieron. epist. 132. ad Vitalem: *Salomon in tantum secutus est libidinem, vt septuaginta habuerit vxores, et trecentas concubinas, et adolescentulas: et scorta passim, quorum non erat numerus; et fuerit non vt priùs, Iedidia, id est, amabilis Domino, sed amator mulierum.* Non satiatur nobilium libido vna aliqua fœmina, sed ad greges aspirat; & tunc solùm contenta est, quando sub gregibus viuit, in morem eorum pecudum, qui gregum appellantur mariti.

Saluia. Cant. 6. Hieron.

§. XIII.

Lasciuientes Principum, nobiliumque animi illis inhiant facetijs, quibus extremè periclitantur.

ECce extrema in hac vita miseria nobilis adolescentis voluptatibus prorsùs traditi, nimirùm, *Cupiebat implere ventrem suum de siliquis, &c.* Sunt siliquæ apud Bedam sterili suauitate resonantes sermones, de quibus idolorum laudes pulchris carminibus percrepant. Equidẽ tunc extremè periclitantur nobiles viri, & ingenui adolescentes, quando eorum luxurians gustus eò deuenit, vt totus inhiet & carminibus, & facetijs, & verborum iocis, quibus & vitia gratiosiora finguntur, & virtutes, licẽt non seriò, tamen dehonestantur. Ad hæc Dauid clamabat, Psalm. 4. *Filij hominũ vsquequò graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendaciũ?* Pertinet ad grauitatem, & indurationem cordis dilectio vanitatis, & mendaciorum inquisitio; qui enim totus inhiat & vanitati, & mendacijs, quare penitùs non lapidascat? Sed inter omnes vanitates, & mendacia, illa sunt pernitiosissima, quæ facetijs carminum, dicterijs argutiarum, & verborum lusibus, & iocis turpitudini fucum faciunt, & virtuti videntur detrahere. Hæ facetiæ, hi ioci corda humana valent conuertere in lapidem. Sapienter D. Maximus Taurisen. serm. de Circumcis. ait: *Cunctis sanè sapientibus patet, nihil ibi inesse sanitatis, vbi impia, vbi inhonesta, vbi turpia sunt vniuersa, quæ & faciunt, & loquuntur homines, non attendentes clamantem Dauid: Filij hominum vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Graue vtique eorum cor est, atque omni impietate depressum, qui per sacrilegos iocos diuinis monitis illudentes, vana diligunt, & falsa sectantur.* Expende, per quid grauetur cor, & deprimatur in omni impietate, nimirùm, *per sacrilegos iocos*; garriuntur enim passim inter adolescentum conuentus multa iocosa, & faceta, sub quibus & virtutum viæ obscurantur, & ornantur lasciuæ voluptates, & per hos iocos impietas bibitur, & corda bibentium lapidascunt, adeò, vt difficilè redeant ad sanitatis temperantiam. Caue hoc periculum, tunc enim quasi extremè de salute periclitaris, quando circa virtutes iocaris, & totus inhias dicterijs, & facetijs, & carminibus; per quos iocos & vana, & falsa, & vitiosa placent. Prouerbiorum cap. 10. dicitur: *Stultus per risum operatur scelus*: quocirca ait Saluianus, libro. 6. de gubernat. *Dum inter turpia, ac dedecorosa ridemus, scelera committimus; et quidem scelera non minima, sed ab hoc ipso pœnaliora, quia cùm videantur specie esse parua, reb⁹ sunt exitiosis pestilẽtissima.* Metuo, ne in his iocis sic human⁹ animus lapidascat, vt nequeat curari. Sanè Sidon. Apollinar. lib. 3. epist. 13. nobili, & aulico viro amico suo sic fatur: *Vnicè probo,*

Psal. 4.

Maxim.

Saluia.

Sidon.

gaudeo, admiror, quòd castitatis affectu contubernia fugis impudicorũ, præsertim quibus nihil pensi, nihil sancti est in appetendis, garriendisque turpitudinibus: quique quòd verbis inuerecundis aurium publicarum reuerentiam incestant, granditer sibi videntur facetiari. Et meritò sapiens Episcopus vnicè probat, valdèque admiratur, nobilem virum potuisse reduci ad Christianã temperantiam ex conuentu, & consortio illorũ, qui in libidinibus appetendis, garriendisque nulli parcunt sacrario; qui valdè sibi blandiũtur de facetijs, de argutijs, de verborum lusibus, & iocis, cum verbis, aut cantibus inuerecundis, & turpissimis publicarum aurium reuerentiã incestant. Adeò hæ siliquæ trahunt gustum lasciuiẽtium iuuenum, vt mirum sit, si possint ab illis separari. Nec otiosè porcorũ siliquis has lasciuientium facetias comparamus, quando D. Chrysost. eas & simo, & stercori comparat, quo misera voluptatũ mãcipia saturantur. Dux ille Babylonius sic aduersus Regem Israel clamabat, Isaiæ. 36. *Numquid ad Dominum tuum, & ad te misit me Dominus meus, vt loquerer omnia verba ista, et non potiùs ad viros, qui sedent in muro, vt comedant stercora sua, & bibant vrinam pedum suorum?* In qua obsidione redacti sunt obsessi ad tantam miseriam, quòd comederent stercora sua? Nulli vmquam obsessi ab hostili exercitu, dicuntur talia comedisse, sed comedunt ea obsessi à libidine, quoties cantibus, & versibus, & alijs lasciuiæ facetijs inhiant. Ita D. Chrysost. homil. 38. in Matth. inquit: *Quemadmodum sordes, & limus aures corporis obstruere solent: sic mercenarij cantus aures mentis solent obstruere, atque immundas facere: quasi enim stercus auribus vestris immittunt huiusmodi colloquia, et quod Barbarus ille minabatur, dicens: Comedetis stercus vestrum; id nunc multi non verbo, sed re in vobis faciunt, imò verò etiam multò peiùs, ac fœdiùs. Nam fornicatorij cantus, multò magis quàm stercora, sunt abominabiles.* Quàm dura obsidione premuntur, & quàm insuperabili, qui coguntur stercora comedere; tàm dura obsidione premũtur, & tàm insuperabili voluptuosi homines addicti lasciuorum facetijs, & meretricijs cantibus, quibus gaudere, nihil aliud est, quàm stercore saturari.

(·.·)

§. XIIII.

Rapinis acquisita bona tota euanida nullam satisfactionem possidenti afferunt.

MIser adolescẽs cupiebat saturari de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Quid intererat, quòd nemo illi daret? Nõne ipse poterat vel à porcorum ore eas rapere, & raptis saturari? Raptas ab illo fuisse aliquas ex ore porcorum, putat sapienter Maldonatus, sed non tot, quot necessariæ erant ad saturationem, imò nec ad tollendam famem. Et quidem qui rapinis victitat, nullam satisfactionem, nec plenitudinem capit, quando rapinis acquisita bona, & euanida sunt, & causa maioris famis. Iob cap. 2. ex lectione D. Damasc. lib. 2. Paral. cap. 17. Dam. ait: *Multorum imbecillium domos confregit; victum autem pupillorum rapuit, & non stetit. Non est ipsi salus in bonis suis. In desiderio suo non saluabitur: non florebunt ipsius bona.* Hæc victima apud vulgatam: *Nec est satiatus venter eius, et cùm habuerit, quæ concupierat, possidere non poterit.* Nullum emolumentum, nullam satietatem rapinæ afferunt: cibus raptus nõ stat, sed totus euanet, nec ab illo raptores salutem aliquam, vel corporis cõfirmationem capiunt, sed in grauiorem decidunt famem, quasi nihil gustarint. Quò respicit Iob, ipso in cap. 2. aiens, secũdùm lectionem Græcam: *In vanum autem, & stultè laborauit: diuitiæ autem, è quibus gustabit, sicut herba, quæ mandi, ac deuorari non potest.* Erunt diuitiæ, erunt rapta bona, quæ & ventrem, & os videantur implere posse; sed quę in veritate non perueniunt ad saturationem. Est optimum exemplum in herba, quæ dicitur striphnus, hæc & manus, & oculos colligentis implet; verùm ori admota, nullam alimenti vtilitatẽ offert. De quo pulchrè Catena Græca ait: *Qui putat se rapinis locupletatum iri, partis bonis ideò non potietur: quia Deus vindex fortunarum illi possessionem eripiet. Ea verò, quorum causa stultè laborauit, quasi striphnus illi erunt: est autem striphnus herba, quæ mandere conantis linguam reddit asperiorem, quæ mandi nequit, atque ob id ipsum nec deglutiri. Dicit igitur, impium nequaquam sua bona decocturum, neque illis planè potiturum; verum quemadmodum,*

dum, qui herbam illam sumit, quamuis dētibus exterere magnoperè conetur, nequit tamen deuorare: sic, qui fruitur rebus cupit alienis, nihil lucelli suis laboribus faciet. Minimè enim debes, si tibi omnia abrepta sunt in conspectu: quæ enim rapina fueras adeptus, hæc ipsa iure â te Deus abstulit. Nullū, mihi, crede, lucrum firmum, & stabile venit à rapinis; sed quidquid rapitur, occissimè euanet. Potest fieri, quôd prædam facias, quôd bona aliqua rapias; sed non po
Prou. 12. test fieri, quòd bona rapta tibi prosint, & diu tecum cōsistere valeant. Prouerb. 12. *Non inueniet fradulentus lucrum.* Septuag. *Non consequitur venationes dolosus.* Hæbraicè autem: *Non aduret fraudulentia venationem suam.* Quod fraudulentus prædatus fuerit, quod rapuerit, non sibi acquiret, nec secum manere faciet. Moris erat Hæbræis captarum auium alas adurere, ne auolarent, sed manerent apud aucupem. Quò respiciens Salomon de raptoribus bonorum fatur, quòd venationem suam non adurent; sic enim venient rapta bona in eorum manus, vt antequam detineri possint, auolent. Quæ à Deo data acquiris, ea ex se permanentia sunt, & vtilia, quę rapis, ad effugiendum velociores sunt aquilis, quæ minimè sustinent suas aduri alas. In diem dabatur à Deo manna, adeò
Exo. 16. vt hodiè minimè vallet dore in crastinū. Exod. *Sed diuiserunt quidam ex eis vsque manè, & scatere cœpit vermibus, atque computruit.* Erat ne tàm exilis substantiæ manna, vt asseruatum in crastinum statim computresceret? Absit; non enim ex natura manna id accidit, quādo feria sexta pro Sabbatho seruabatur, nec corrumpebatur. Id ex præripientis prouenit manu; vbi enim manna à Deo datum capiebant, incorruptum seruabant: sed quando non datum pro crastino sumebatur, tunc statim corrūpebatur. Sic omnia bona in-
Balduin. iustè rapta in celerem corruptionē abeūt. Balduin. in allegor. Tilm. *Hoc exemplo de manna damnatur malum auaritiæ, qua pecunia malè parta possessori suo in vermem vertitur.* Sic ille.

Luc. 15. In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarij patris mei abundant panibus: ego autem hìc fame pereo!

§. XV.

Mentis cæcitas vbi expellitur, statim cœlestis panis odoratur, à quo valdè acuitur mentis perspicacia.

INter glandes porcorum degens miser adolescens, miror, quòd ibi meminerit paternum panem, paternas dapes; ait enim: *Quanti mercenarij patris mei abundant panibus!* Vndè potuit cœlestis panis, cœlestis conuiuij meminisse, qui sic inhiabat porcorum glandibus? Textus ait: *In se reuersus dixit: Quanti mercenarij patris mei*; priùs in se reuertitur, priùs tenebras mentis excutit, & à vexatione recipiens intellectum oculos aperit, vt recognoscat verum patrem, quibus præmissis, vel inter ipsas glandes cœleste conuiuium appa
ret. De Abrahamo dicitur, Gen. 18. *Apparuit ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propè eum. Quos cùm viuisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terra, & dixit: Domine, si inueni gratiā in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed afferam paxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore, ponamque buccellam panis, &c.* Sub arbore Mambre conuiuij cœlestis repræsentatur imago, & quod mirere magis, arbor erat ilex, siuè quercus, cuius fructus in porcorum alimoniam solet cadere. Cur ergo, ò bone, inter glādes porcorum in quercetu conuiuium Dei paras? An quercus, quæ porcis fructum præbet, locum diuini conuiuij vel vmbræ poterit præstare? Expende, qualis quercus sit, nimirùm, quercus conuallis Mambre, & per Mambre explicatur visio, perspicacia; vbi enim fugata mentis cæcitate visio est clara, etiam inter glandes diuinum conuiuiū
August. potest repræsentari. Ad hæc Diu. August. serm. 70. de temp. ait: *Ad ilicem Mambre facta est iusto apparitio, Mambre in Latina lingua interpretatur visio, & perspicacia. Vides, qualis sit locus, in quo Dominus potest habere conuiuium? Delectauit enim eum visio, & perspicacia Abrahæ. In tali ergo loco, & in tali corde potest Deus habere conuiuium.* Semper maximè fugit obcæcatas mentes cœlestis, atque di-

uinus panis; vbi autem cæcitas fugatur, & perspicacia mentis apparet, iam locus est diuino conuiuio paratus, iam odoratur ibi cælestis panis, qui nullo modo sustinet mentis cæcitatem. Apud Luc. cap. 24. Discipuli euntes in Emaus Iesum offenderunt, cum quo fabulabantur: *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Et dum castello appropinquarent, ibique manerēt, *dum recumberet cum eis, accepit panem, benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Dum fabulatur, colloquiaque de scripturis intelligendis miscentur, eorum oculi tenentur impediti à Sathana, ne agnoscerēt Iesum; vbi autem mensa apponitur, cœleste apparet conuiuium, nullū iam permittitur impedimentum esse in oculis, sed clara, & perspicax efficitur visio. Et cur, quod inter aperiendas scripturas permissum fuit apponi in oculis impedimentum, inter frangendum panem nō amplius esse permittitur? Hoc sanè de virtute cœlestis panis veniebat, qui minimè sustinet cæcitates, nec apparet vmquam, nisi vbi est perspicax visus, & Dei clara cognitio. Chrysost. apud Caten. D. Thom. inquit: *Non incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Sathana fuisse, ne agnosceretur Iesus, sed tantùm à Christo facta est permissio vsque ad Sacramentum panis, vt Christus posset agnosci.* Manente cæcitate, non dignè accederet panis diuinus, qui nequit in tenebris comedi, sed media in clarissima luce, & lucidissima notitia veri numinis. Permittuntur obtenebrari, & mentes, & oculi hominum, sed vsque ad sacramentum panis; hoc est, vt tenebrarum abolitio sit iam cœlestis conuiuij prænuntia: nec vmquam inueniatur mensæ cœlestis participatio, nisi vbi aperti sunt oculi, & perspicax cognitio Deitatis. Isaias, cap. 1. aiebat: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui.* Miraris, quòd bos, & asinus dicantur cognouisse, quando cognitio non debeat attribui pecudibus; sed cùm hæc bruta ad præsepe Bethleemiticum, in quo erat panis viuus de cœlo descendens, erant admittenda, non potuit vel in eis non illuminari Dei cognitio, sine qua ægrè panis diuinus subsistit. Vndè ait D. Chrysolog. serm. 159. *Vterq; agnouit, quia vterque ad vnum præsepe domini epulaturus accessit.* Tota lux mentis effulgeat, necessum est, vbi cœleste proponendum est conuiuium. Is est enim panis diuinus, qui nequeat in tenebris esse, & ametet clarissimam lucem. De parcissimo, & tenuissimo, insuauique hominis cibo, ait Ecclesiastes, cap. 5. *Cunctis diebus vitæ suæ comodit in tenebris.* Ex quo Thuanus cecinit insuauitatem cibi, inquiens;

--- Nigrantibus vndique cinctus
Triste caput tenebris malè gratas vescitur escas.

Quis non insuaues, & tenues escas putet, quæ amant in tenebris glutiri? At qui suauissimus cœlestis cibus, vt omni suauitate abundans, sic non sentitur, nisi vbi diuinitatis lumen in cordis humani irradiat notitia. Hæc dum in nobis effulgeat, statim vel odoratur panis diuinus. Vt dicat D. Ephrem in serm. de iudicio: *Hoc ergo restat nobis, misericors Christe, vt pleni gratia, & illuminatione gratiæ tuæ accedamus ad calicem tuum, vt proficiat nobis ad remissionem peccatorum, non ad confusionem in die iudicij.* Hęc ille: quasi innues, tunc comedi cœlestem panem non ad confusionem, cùm comeditur inter lumina.

§. XVI.

Nec parua spes salutis nutritur, quæ cœleste conuiuium non respiciat.

IN se reuerti incipit adolescens, & aliqualem salutis spem nutrire, & statim clamat: *Quanti mercenarij patris mei abundant panibus!* Vel paruula salutis spes vbi nutriri incipit, simul & cogitatus, imò & appetitus incipit cœlestis cibi. Thren. 4. aiebat Hierem. *Paruuli petierunt panē, nec erat, qui frangeret eis.* Paruuli sunt, & tamen in sua paruitate iam panem meminerunt cœlestem; non est enim dare vel paruulum de Deo, & salute cogitatum, quin & simul circa panem diuinum habendū cura versetur. D. Paschas. lib. 4. ait: *Paruuli petierunt panem, scilicet parui cogitatus, cùm de Christo, & sempiterna vita concipiuntur, mox requirunt panem illum, qui de cœlo descendit.* Vbi primùm oriuntur, de Deo, & salute vel paruuli cogitatus, iā cœlestem panem requirunt, iam velut catelli diuinæ mensæ micis inhiant. Hinc vocatus Iesus, vt sanaret filiam cuiusdam Hierosolymitani Principis, cùm illam inuenisset defunctam, voluit etiam illi refundere vitam. Quid tunc? Ait Luc. cap. 8.

Iesus

Luc.8. *Iesus autem tenens manum eius, clamauit, dicens: Puella, surge. Et reuersus est spiritus eius, et surrexit continuò. Et iussit illi dare manducare.* Alios vocauit Dominus in vitam, nec iussit illis dare manducare; cur huic recenter rediuiuæ cibos apponi iubet? Adolescentem filium viduæ, & Lazarum solo imperio vocis vocat in vitam: puellam hanc & manu tenet, & pane cibat. Cur in puella magis? Exprimebantur ibi prima salutaris spei incunabula, quando primi de Deo, & salute cogitatus, adhuc pusilli, & paruuli, velut infantuli manu trahuntur. Ij ergo, licèt adeò paruuli sint, vt manu trahi indigeant, tamen iam requirunt cibum cœlestem, de cuius adipe nutriantur, & viuant. Ex quo fatur Diu. Ambr. Ambros. lib.6. in Luc. *Vtinam meam teneat manum iustitia: spiritum auertat erroris: conuertat salutis: dare mihi iubeat manducare. Panis enim cœlestis Dei Verbũ est. Inde & illa sapientia, quæ diuini corporis, & sanguinis sacrosancta altaria repleuit alimentis: Venite, inquit, edite panes meos, et bibite vinum, quod miscui vobis.* Expende ordinem, nimirùm, prius petit manu teneri: ab spiritu erroris auerti, & conuerti ad spiritum salutis; tunc cibari contendit cœlesti, & supersubstantiali cibo, hunc enim in primis respiciunt vel paruuli de salute cogitatus: sic Dei sapientia deposcit, vbi sacram mensam instituit vt paruuli haberent, quo possint crescere in salutem. Pro Prou. 9. uerb. cap.9. *Sapiẽtia ædificauit sibi domũ, excidit columnas septem. Immolauit victimas suas: miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, et ad mœnia ciuitatis: Si quis est paruulus, veniat ad me.* Vinum, & panem in altari proponit, nimirùm, corpus, & sanguinem Christi Domini, & paruulos vocat ad cibũ, vt innuat, quòd nulla, vel paruula spes salutis possit nutriri, quin saltim animo properet ad hunc cœlestem cibum. Quis non amet cœlestem hanc mensam, panem hunc diuinissimum, ad quam necessum est, properent vel paruuli cogitatus salutis, vt vel de eius odore, vel de eius gustu possint nutriri. Nec mireris, quòd sic paruulis, & infirmis panis præparetur, & vinum, habet enim cœlestis hic cibus, etsi robustissimus, & pinguissimus, quòd se temperet paruulis, & infirmis. Exo.16. Exod. cap.16. de cœlesti pane dicitur: *Appellauitque domus Israel nomen eius Man: quod erat quasi semen coriandri.* Panis cœlestis erat, & coriandri speciẽ referebat, vt ostenderet in se & virtutem panis, & oleris facilitatem, qua posset manducari ab infirmis, & paruulis. D. Augustin. Augusti. de tempore, ait: *Tu ergo si vis manducare mãna, si cupis suscipere verbum Dei, scito illud minutum esse, et valdè subtile, sicut semen coriandri: habet enim in se aliquid oleris, quo nutriri, et recreari possit infirmus, quia qui infirmus est, olera mãducet.* Ne cadat animo paruulus, vel ob suam infirmitatem, vel paruitatem; sed magis instet in quærendo cœlesti pane, in quo inueniet oleris facilitatem, quam infirmitas capiat, & de qua alatur infantia.

§. XVII.

In Iesu vero, & viuo pane, omnia abundant, sine quo esuries est, & penuria.

DE mercenarijs patris ait adolescens, quòd abundant panibus, & meritò abundare dicuntur panibus, quando in pane vero, & viuo Iesu, & omnium abundantia, & immensæ diuitiæ percipiuntur. De Ioseph illo, qui à Pilato corpus Iesu accepit, vt mãdaret sepulchro, ait Luc. Luc.23. cap.23. *Et ecce vir nomine Ioseph, nobilis Decurio, vir bonus, et iustus, &c.* De eodẽ, Matth. cap.27. *Venit quidã homo diues ab Arimathia, nomine Ioseph, &c.* Lucas illũ de iustitia laudat, Matthæus maluit in eo prædicare diuitias. Et cur Matthæus prætermittés iustitias hominis, solas eius proponit diuitias, nisi vt ostendat, quã abundare, & ditescere soleat quis, eo ipso, quòd Christi Domini corpus accipiat. Ibi Diu. Ambr. Ambros. ait: *Hunc Ioseph iustum dixit Lucas, Matthæus diuitem. Et meritò diues hoc loco dicitur, vbi corpus suscepit Christi, suscipiẽdo enim diuitem, nescit fidei paupertatem.* Imò nullam non nescit penuriam, quando in vno suscepto corpore Christi omnia abundãt, quę humana corda adimpleant. Quid aliud desideret, qui accipit à Deo pro mercede panẽ viuum, nempè corpus Christi? In eo sunt omnes & diuitiæ, & deliciæ, quibus infinitæ possint & impleri, & abũdare creaturæ. Psal. Ps.147. 147. *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quia posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.* Expende, quo dicatur ciuitas Hierusalem impleri, & satiari, nimirũ, *adipe frumenti*: sed quid ad ciuitatis abundantiam, & saturitatem, quòd frumenti adeps sit, si cætera alimonia

nia desint, ad abundantiam, & satietatem ciuitatis multa alia requirētur, sine quibus ciuitas infirma erit, & pauper. Cur ergo tota ciuitatis satietas, & abundantia constituitur in frumenti adipe? Non de quolibet frumento loquitur, sed de frumēto vero, & viuo, nempē Iesu, in quo vno omnium inueniuntur & diuitiæ, & deliciæ, & abundantia. Ait D. Paschas. lib. de corpore, & sanguine Domini, cap. 9. *Hoc frumē tum, corpus videlicet Christi adipem habet, & non solùm adipem, sed & omnes delicias: ita & potus sanguinis. Vndē, quod de petra mysticē manauit, nunc mel, nunc oleū, nunc aqua, nunc quoque potus dicitur: quia quidquid prægustare spiritualiter potueris, hoc totum ibidem inuenies.* Omnia abundant in vno Iesu pane viuo; quidquid concupieris, quidquid conducere potest vel ad delicias, vel ad diuitias, ibidem inuenitur, vt extra hunc viuidissimum panem, sola sit macies, & penuria. Quò respiciēs Isaias cap. 65. *Propter hoc, hæc dixit Dominus Deus: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis, &c.* Esto, quòd serui Dei comedant, cur necessum sit, quòd esuriant cæteri? Cibus seruorum Dei est panis cœlestis, nimirùm corpus Christi, quod vbi solis Dei seruis datur, necessum est, vt ijs abundantibus, & prandentibus, ad omnes reliquos sola fames restet. Cyrill. Alexand. lib. 5. in Isaiam, tom. 6. *Comedent enim, inquit, qui seruiunt mihi. At vos esurietis. Nā qui natura, et verē Deum agnouerunt, deliciabuntur verē superis benedictionibus, saginantes corda, accedentes ad viuificam mensam omnium nostrum Seruatoris Christi, panem vitæ edentes.* Meritò abundantibus, & prandentibus Dei seruis cæteri esuriunt, quia tota abundantia, & copia in viuifica mensa, & pane Iesu viuo constituta est. Sic soli, qui huic accumbunt mensæ, & comedunt, & saginantur, & omniū benedictionū cumulo implentur; cæteros & macies, & dira fames premit. Hinc Ioel cap. 2. *Ecce ego mittam vobis frumentum, et vinum, et oleum, et replebimini in eis.* Putabant Iudæi in præsenti corporale, & materiale frumentum debere intelligi, quando hæc omnia temporalia bona à Deo solent suis seruis concedi: sed certū est, non agi modò de frumento temporali, sed de viuo, & vero frumento, nempē Iesu. Vndè ergo colligitur, non de frumento temporali, sed de æterno, & cœlesti agi? Certissimè colligitur ex his, nimirùm: *Et replebimini in eis*: repleri autem, & abundare bonis homo non potest, nisi in Iesu pane viuo, & vero. Ad hæc Rupert. ait ibi: *Frumentum corporale, vinum, & oleum dona Dei sunt, & nonnumquam timentibus Deum dantur: sed frustra dantur, & frustra sumuntur, nisi vtentes istis operemur, vel quæramus frumē tum illud, quod est Verbum Dei, scilicet Christus. Et vinum, et oleum, quod Samaritanus vulneribus illius, qui incidit in latrones, infudit. Quia nimirùm, de talibus veraciter dicitur: Et replebimini in eis. Solanamque hæc sunt, quibus repleri posset vsque ad sufficientiam vacuitas nostræ mortalitatis.* Vt sibi homines persuadeant à solo Iesu posse venire & repletionem, & abundantiam omnium rerum.

§. XVIII.

Et magna Dei virtus est, quòd peccatores per famem, & ærumnas reducantur in bonam frugem; & magna eiusdem ira, quòd vel inter ærumnas adhuc inhæreant vitijs.

REuersus dicitur adolescens iste in se, non ipse ad se redijt; non enim opus est hominis, posse per famem, & ærūnas reuocari à vitijs, sed id potestatis est homine maioris, potestatis magnæ, & diuinæ. Peccata, & vitia per famem solent augeri, diuendi enim solet pro fame pudicitia, & nulli facinori parcitur pro pane. Superat ergo humanas vires, & magnam Dei arguit potestatem, quòd fames militet Deo, & destruat peccata. Ioel cap. 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca, fortitudo mea magna, quā misi in vos, et comedetis vescentes, et laudabitis nomē Domini Dei vestri.* Expēde verba illa: *Rubigo, et eruca fortitudo mea magna.* Vndè hæc vilissima, & minutissima animacula vocari possunt fortitudo Dei magna? Deo cui militat æther, cui Angelorum phalanges assistūt, cui fulmina sunt præ manibus, quomodo possunt & locusta, & bruchus, & eruca numerari, inter magnas eius fortitudines? Aduerte, quid post frugum omnium vastationem, & famem introductam à locustis, & erucis sequatur, nimirùm. *Comedetis vescentes, et laudabitis nomen Domini:* secuta est post vastitatē, & famē ab erucis, & locustis

Pasch.

Isai. 65.

Cyr. Ale.

Ioel. 2.

Rupert.

Ioel. 2.

cuſtis cauſatam non morum perditio maior, vt aſſolet, ſed & laudatio Dei, & diuini nominis inuocatio, & ſcelerum omniũ caſtigatio: ex quo veraciter dicitur locuſta, & eruca fortitudo Dei magna. Magnæ enim, & diuinę fortitudinis opus eſt, quòd per famis ærumnas vitia tollãtur, & Deus inquiratur. D. Ambroſ. lib. 3. Examer. capit. 16. fatur: *Magnam ſuam virtutem in locuſtis eſſe dixit Dominus, & brucho, eo, quòd diuinæ maieſtatis offenſa, magno moderamine ſterilitatis Iudaicæ, atque inopiæ ſolueretur. Indigni enim erant, qui vterentur fœcunditate terrena, qui terrarum læſerant Creatorem. Et verè magnus, qui miſerabili fame nefas tantæ impietatis vlciſcitur.* Quare non magna Dei virtus oſtenditur, quæ nullo vibrato ferro, nullo iaculato fulmine, ſed vna fame immiſſa, peccatorum expugnat munimenta, & viã aperit virtuti? Magna eſt Ducis & ſapientia, & poteſtas, quæ abſque ſanguine per famem cogit rebelles in obſequium naturalis Regis venire. Magna itidem eſt Dei ſapientia, & virtus, quando per famem, & inopiam facit, quòd diuinæ maieſtatis læſio, & offenſa abeat in nihilum. Quôd autem ſæuiente fame, & ærumna, adhuc homines non excitentur ad quærendam ſalutem, id magna eſt Dei ira, & extremæ perditionis ſignum. Pſalm. 75. *Ab increpatione tua, Deus Iacob, dormitauerũt omnes, qui aſcenderunt equos.* Deus increpat, leo rugit, & adhuc homines ſomno incũbunt: ſanè nullo magis oſtenditur increpantis Dei ira. Præclarè D. Auguſt. ibi. *Increpat Deus, & dormis. Magna ira increpantis eſt, magna ira.* Increpatio Dei, ſupplicium Dei adeſt, flagellum famis, vel ærumnarum pro foribus eſt, & tu adhuc vitiorum ſomno ſepeliris, nec inter malorum voces, & gemitus excitaris, vt queras ſalutẽ. Quis neget hoc pertinere ad magnam Dei iram? Fallar, niſi qui ſub flagello ærumnarum cõſtitutus, adhuc dormit, nec excitatur ad quærendam ſalutem, nõ reſeruetur tradendus æterno carnifici. Pſ. 76. *Dedit æruginifructus eorum, & labores eorum locuſtæ. Et occidit in grandine vineas eorum, & mores eorum in pruina. Et tradidit grandini iumenta eorum, & poſſeſſionem eorum igni. Miſit in eos iram indignationis ſuæ; indignationem, et iram, et tribulationem: immiſſiones per Angelos malos.* Vniuerſas fruges dum vaſtat, miſerabiliſsimam famem induxit, & poſt totam hanc vaſtitatem, & famem, dicit: *Miſit in eos iram ſuam, immiſſiones per Angelos malos.* Cur tot calamitatibus addit iram? Cur fame enectos malis Angelis tradidit? Meritô, qui ſub flagello famis à Deo immiſſæ adhuc dormierunt, nec excitati ſunt, duriſsimo gehennæ traduntur carnifici. Rupert. Rupert. lib. 2. in Exod. cap. 3. *Rectè percuſſori traduntur Angelo malo, poſtquam ſubijci noluerunt per ſemetipſum corripienti, & decem plagis ad pœnitentiã inuitanti Deo.* Quos plagæ immiſſæ non excitant ad ſalutem quærendam, excitabit iam fruſtrà æterni carnificis flagellum. Huc reuoca dict. tom. 1. lib. 4. cap. 5. §. 8. & cap. 1. §. 15.

Luc. 15. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te: iã non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis. Et ſurgens venit ad patrem ſuum.

§. XIX.

Hoc maximè diuinum eſt, quòd inter ipſas acceptas iniurias, & contumelias, poſſis benignus, & veniæ largitor credi.

ET cęleſtia omnia, & ipſum Deum iniurijs affectum meditatur hic adoleſcens, & nihilominus inter Dei ſeruos admitti poſtulare decernit. Cœlum vides, & ſimul Deum tuis laboribus offenſum, ò adoleſcens, & munera à Deo petis? Clamas te in cœlum, & Deum peccaſſe, & inter hæc, dona à Deo obtinere contendis? Cur non magis iniurias Deo illatas abſcõdis, vt ſic ſecurior ab illo beneficia accipienda ſperes? Sanè is eſt Deus, & eius ſpiritus, qui inter acceptas iniurias, munerũ largitor poſsit credi. Apud Gen. cap. 32. Gen. 32. cùm Iacob nocte quadam ſolus oraret: *Ecce vir luctabatur cũ eo vſque mane, et cùm præualuiſſet Iacob, dixit ei Angelus: Dimitte me, iam enim aſcendit aurora. Reſpondit Iacob: Nõ dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Iacob Angelum ſuperat, & vincit, & à victo benedictionem flagitat: Angelum

lum detinet brachijs, arctat amplexu, & fortiter constringit, & simul munera benedictionis contedit. Victus aptior est ad effundendas lacrymas, ad gemitus proferendos, ad vindictam meditandam, quàm ad munera præstanda. Cur Iacob non magis à victo vindictam sibi timet, & cauet, quàm munera petit? Sanè erat in hoc victo Deus, Christus, qui vel inter ipsas iniurias acceptas, munerum distributor potest & credi, & sperari. Rem pulchrè attigit Euseb. Gallian. homil. 8. de Pasch. fatus: *Quid est hoc? Qui vincitur, benedicit. In Iacob ergo Iudæorũ populus, in Angelo Christus agnoscitur. Prænaluerunt ad tempus in Christi passione Iudæi; in eo impietate sæuientes prænalucrunt, quando occiderunt. Ergo cùm vicisset Iacob, benedici tamen se à victo posse cognouit.* Quãdo Deus Christus erat, qui vincebatur, qui percutiebatur, qui iniurias penè innumeras sustinebat, sic se gerebat, vt simul omnium benedictionum largitor posset credi. Fœlix Iacob, fœlices nos homines talem Deum nacti, quem & offendimus, & iniurijs implemus, & hæc clamantes, & profitentes, certo certius credimus, ab illo nos posse & benedictiones, & munera obtinere, impetrare. Quid magis diuinum? Et quid in Deo mirandum magis? Abacuc, cap. 3. ait: *Domine, audiui auditionẽ tuam, & timui: Domine, opus tuum in medio annorum, viuifica illud. Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Vbi dicit, *Audiui auditionem tuam*, de ea auditione loquitur, qua Deus apud pecatores malè audit? & vt Rupertus putat, quia iniurias, contumelias, blasphemias à suo populo excipiebat auribus. Vates ergo fatetur, se Deum vidisse impleri contumelijs, iniurijs affici; quid tũc? Timore correptus expectat fulminari? Absit; quin visis iniurijs in Deum iaculatis, clamat: *Domine, opus tuum viuifica illud.* Obone, tempus est nunc, quo Deus attendat hominum viuificationi? Quando totus apparet positus ad sustinẽdas iniurias ab hominibus illatas; quando vniuersi in eum contumelias, & blasphemias congerebant; quippè ait Matth. cap. 27. *Prætereuntes autem blasphemabant eum: similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum, cum Scribis, & Senioribus. Idipsum autem & latrones, qui crucifixi sunt cum eo.* Nullus est, apud quem malè non audiat Deus; à quo iniuriam non accipiat, & tamen ab illo sic iniuriato, & contumelijs pleno petis, vt incumbat vitæ dandæ? Equidem is erat Deus, qui patiebatur, qui inter ipsas iniurias persequentium posset credi, & cognosci largitor gratiæ. Quò respexere Septuag. legentes hunc locum: *Domine, audiui auditum tuum, & timui: Domine, consideraui opera tua, & obstupui: in medio duorum animalium cognosceris.* Et quis videns Deum inter contumelias, inter iniurias à prætereũtibus, à Principibus, ab ipsis iniquis crucis lateronibus acceptas, non timeret? Sanè inter hęc timendus Dominus ostendebatur, sed & in hoc magis mirabilis, quòd inter ipsas latronũ blasphemias, adhuc largitor gratiæ cognoscebatur, adoptans in filium, illum, qui vt seruus malus erat damnandus. Iniuriæ Dei audiuntur, proponuntur, & inter illas ab iniuriato munera petuntur, sperantur, imò dantur. Chrysolog. serm. 68. *Pietatis erga se tantæ considerans tunc opera, admirationis tremore concussus est, & pauore Vates. Adoptatum se tũc stupuit in filium, quando perdiderat ipsius fidutiam seruitutis.* Quando vt seruus nequam rebellabat in Deum, innumerasque iniurias iaculabatur, quas in se retorquẽdas timeret, tunc cognoscit cum ingenti admiratione, & stupore, se à Deo iniuriato posse benedici, & sentit se in filiũ aptari. Ad hæc D. Cyprianus, serm. de montibus Sina, & Sion, ait: *Tunc Iudæi intellexerunt, se offendisse Deum, & in luctum conuersi sunt, & fuit exacerbatio. Eo enim tempore, quo in ligno crucifixus pependit, dies fuerunt Azymorum, qui sunt dies festi Iudæorum. Eo die metuentes factum esse terræmotum, & cœli fragorem, prostrati in faciem, inter ra plangentes in luctu conuersi sunt; & in ipsa passione compleuit propheticum dictũ Amos. 8. Et conuertam dies festos eorum in luctum, et cantica eorum in lamentationem.* Cùm maiores contumelias Iudæi in Dominum iactabant, sic Dominus illis ostendebatur, vt ab eo benedictionem obtinendam per lacrymas, & luctum sperarent. Is enim est spiritus diuinus, qui inter ipsas iniurias acceptas credi, & cognosci potest dator gratiarum.

Posid.

Habac 3.

Matt. 27

Chrysol.

Cypr.

§. XX.

Vera peccatorum pœnitentia eleuat hominem ad sublimiorem gratiam.

ECce tibi non paruum veri pœnitentis iudicium, nimirùm, *Surgam, & ibo,* &c.

&c. Vndè enim & fames, & porcorũ ſqualor potuiſſent ſurgendi & deſiderum, & virtutem ſuggerere, niſi de pœnitẽtiæ veræ ſuffragio? Ij ſunt pœnitentis ſqualores, qui vel aridum truncum in vitam alant, & Cant. 3. aſcendere in fructus faciant. Cant. 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et vniuerſi pulueris pigmentarij?* Vbi noſter poſuit, *ſicut virgula*, Saptuag. habent, *ſicut truncus*: Niſſenus, *ſicut virgulta*. Nec admiratione vacat, quòd truncus arboris dicatur aſcendere: ſanè truncus intelligitur omni radice, & fronde viduatus, & fumo, & puluere obſitus: quomodo poteſt ali, quomodo poteſt virtutem aſcendendi, & creſcendi capere? Quod à natura non poteſt fieri, hoc faciunt pœnitentiæ veræ ſqualores, & labores, qui dum adſint, etiam aridum lignum facient exurgere Gregor. Niſſen. in fructiferam arborem. Do Diu. Gregor. Niſſen. homil. 6. in Cant. *Hoc eſt, quod maiorem affert ſtuporem, cerni caudices in altum aſcendere, et creſcere. Quod autem alit caudices, non ſit terra pinguis, ſed ſqualida, arida, et deſerta. In quonam ergo radices agunt hi trunci, et vndè augentur? Radix quidem eius eſt puluis aromatum. Deſertũ, vt videtur, eſt cauſa, quòd ipſa ſicut virgultum aſcendat in altum.* Vbi audis myrrhẽ puluerem, vbi deſertum audis, carniſque macerationem; & animi pœnitentiam ibi percipis, nõ dubites, aridiſsimos etiam, & deiectos truncos reuiuiſcere poſſe, & velut viuida virgulta exurgere in fructiferas arbores. Vel puluis, & cinis pœnitentiæ valet, vt deiecti trunci exurgant, & mirum Pſal. 1. in modum augeantur. Ait Pſalm. 1. *Et erit ſicut lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non defluet.* Hoc habuit, qui in paradiſi conſitione plantatus fuit homo; dum ibi erat, dum peccatum nõ nouerat, proculdubio ligni fructiferi, & ſucco, & pulchritudine pleni ſpeciem repræſentabat. At poſtquam à paradiſo eiectus, viuido fonte caruit, in terra peccati, & maledictionis habitauit, & ſpinis, & ſudoribus additis, vndè potuit ſucci ſemper virentis virtutem inſtaurare? Vndè potuit ad alta conſurgere? Quod præſtabat viuidus fons in paradiſo, hoc in terra peccati præſtat & puluis, & labor, & ſqualor veræ pœnitentiæ, quæ vel aridiſſimos truncos facit exurgere in fructifer- Tertull. as arbores. Ad hæc Tertul. lib. de pœnit. ad illam exhortans, ait: *Rape occaſionem inopinatæ fœlicitatis, vt ille, nihil quondam apud Deum, niſi ſtilla ſitulæ, & areæ puluis, & vaſculum figuli, arbor exinde fias illa, quæ penes aquas ſeritur, & in folijs perẽnat, & in tempore ſuo fructus agit, quæ non ignem, non ſecurim videbit.* Ecce tibi, quã inopinata fœlicitas ab ſqualore, & contritione pœnitentiæ naſcatur; mediante enim illa, qui vel pulueris inſtar, vel confracti vaſculi iacebat, exurgit in arborem, & ad alta tendens, mirificos ſalutis fructus affert. Huc traho illud Ioelis, cap. 2. Ioel 2. *Nunc ergo dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, et in fletu, et in planctu. Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Et cur ſcindi corda iubet? Cur nõ magis ſibi integra reſeruari mandat? An cor ſciſſum magis fructuoſum Deo, quàm integrum? Fallar, niſi in pœnitentiæ operibus, arborum augmẽta Dominus meditabatur; vt enim ſciſſio, & putatio ramorum ſolet eſſe cauſa, quòd arbor exurgat altiùs, ſic vbi pœnitentiæ ſciſsio adſit cordi, fies viuidiſsima arbos, diuite fructu ſurgens in aſtra. Et quem non ditiorem, & altiorem vera pœnitentia faciat? Hominem in innocentia conſtitutum, dum creans Dominus Gen. 2. *Spirauit in faciem eius ſpiraculũ vitæ.* Verùm Gen. 2. hunc prodigum filium in ſe reuerſum, & reuertentem ad patrem, dum excipit pater: *accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.* Non ſolùm ſpirat in faciem eius ſpiraculum vitæ, ſed os ori applicat, & exoſculatur. Et cur exoſculatur, niſi vt oſtendat, maius augmentum gratiæ in pœnitentem delabi? Aiebat D. Bernar. Bernard. ſerm. 16. in Cant. *Os ori applicuit, iteratô ſpirãs in faciem meam ſpiraculum vitæ, ſed ſanctioris, quàm primô: nam primô quidem in animam viuentem creauit me: ſecundô in ſpiritum viuificantem confirmauit me.* Sic in reformatione per pœnitentiam altiùs exurgere ſolet gratia. Vt dicat D. Chryſo- Chryſol. log. ſerm. 3. *Apud cœleſtem patrem filius ſurgit plus de venia, quàm corruit de reatu.*

§. XXI.

Vera, & vtilis pœnitentia cœleſti innititur patri.

VErè, & fructuoſè pœnitentis conſilium illud erat: *Surgam, et ibo ad patrem meum*; vanè enim exurgere in altum ſperat pœnitentiæ arbor, niſi de accepto fulcro diuini patris. De pœnitentis pro-

progressu aiebat Cantic. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum; sicut virgula fumi, &c.* Vbi noster habet, *sicut virgula fumi.* Legit Diu. Ambrosius, lib. de Isaac, cap. 5. *Quæ est ista, quæ ascendit â deserto, tanquam vitis propago.* Et quidem de vite ait Tertullianus, libro de anima: *Video & vitem adhuc teneram, et impuberem, intelligentem tamen iam opera sua, et volentem alicubi adhærere, cui innixa, et innexa proficiat.* Sic vitis nascitur, vt vel à primis pampinis intelligat, se fulcro egere, à cuius brachijs exurgat in altum. Verè in hoc pœnitentis anima similis viti propagini, quando nullum potest firmum facere gradũ, nisi Patris diuini spectet brachia, quibus nitatur. Apud Lucam, cap. 23. ascendens Iesus crucem, statim ait: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Hæc verba dedit Iesus, hoc petijt à Patre, & in se reuersus latro, ait: *Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cùm veneris ad regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Hodiè mecum eris in paradiso.* Ecce tibi latronem pœnitentem, & scelera sua confitentem; qua pœnitentia duce, ad paradisum statim euolauit. Vndè pœnitentia latronis habuit, sic in altum ascendere? Sanè id habuit de cœlestis Patris brachijs; vbi enim audiuit latro, diuinum Patrem à Iesu inuocari, ab illoque pro persecutoribus, & blasphemantibus veniam postulare, eam inde scelerum pœnitentiam animo concepit, quæ nullo passionis turbine potuit eradicari, sed facta arbor creuit vsque ad astra. Ad hæc ait Diu. Hilarius in Psal. 1. *Huic itaq; ligno beatus ille vir similis fiet, cùm translati latronis in paradisum modo, se cûs decursus aquarum & ipse plantetur, et fiet beata illa, et nouella plantatio, quam Dominus significat, cùm de aliena plantatione queritur, dicens: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur.* Pulchram, & nouellam pœnitentiæ plantationem Pater diuinus plantauit in animo latronis: de Patris enim nomine audito sic suam pœnitentiam firmauit, vt nullis turbinibus potuerit eradicari. Fœlix ille, qui ad huius latronis modum pœnituerit, diuinum aspiciens largitorem veniæ Patrem: hæc plantatio non eradicabitur, sed ad perfectam regni possessionem euolabit. Tandem aliquando pœnituit Iudam criminis sui; quid tunc? Matth. cap. 27. *Pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, et Senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iusti.* Dum dicitur pœnitentia ductus, simul in eo pœnitentiæ bona plantatio recognoscitur; ait enim Diu. Paschasius, lib. 12. in Matthæum: *Nisi in eo aliqua bonæ plantationis natura esset, virtutem pœnitentiæ, ac iustitiæ sentire omninò non posset.* In se aliqualem virtutem pœnitentiæ sentit, & in Iesu virtutem iustitiæ agnoscit, cùm pœnitentia ductus, clamat: *Peccaui, tradens sanguinem iusti.* Cur hæc bona pœnitentiæ plantatio non magis adoleuit? Cur tàm citò eradicata euanuit? Torus clamans Iesu iustitiam, dum ait: *Tradidi sanguinem iusti*, nihil meminit paternæ misericordiæ, & ideò pœnitentia nihil paternum spectans, conseruari non potuit. Id innuit Diu. Leo, serm. de passione, aiens: *Maligno cordi nil vmquam documentorum misericordiæ Saluatoris infederat.* Vbi nihil misericordiæ, nihil paternum in Deo meminit, cur funditùs non pereat eius pœnitentia?

Cant. 3.
Ambr.
Tertull.
Luc. 23.
Hilar.
Matth. 27.
Paschas.
Leo.

§. XXII.

Indignissimum est, quòd nomini facta minimè respondeant.

FIlius Dei vocari abnuit adolescens hic, vbi dicit: *Non sum dignus vocari filius tuus*: & meritò; indignissimum enim est, id vocari, quod opera minimè exprimant. Hæbræorum nationem de Israelis appellatione gloriantem, sic pũgit D. Basilius Seleuc. orat. 19. *Nomen, quo tu appellaris, Dei cogniti argumentum est, vt ampliùs incredulitatem tuam patefaciat. Cur igitur appellationi, cuius virtute careres, contumeliam irrogas? Quid gestas cognomen, quod personæ probo sit? Factis appellationem impugnas, et calumnia nomen tuum afficis.* Aduersarium operibus nomẽ qui portat, non tantum de nominis gloria, quantum de operum turpitudine capit; nescit enim nomen sine re nominis non augere dedecus, non inferre pudorẽ. Id cauens prudens illa Noemi, cùm & ætatis flores, & diuitias amitteret, clamabat, Ruth cap. 1. *Ne vocetis me Noemi, id est, pulchram; sed vocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudine valdè repleuit me Omnipotẽs.* Meritò detractat vocari Noemi; vt enim notat Febardentius, maximo illi erat pudori, fœlicitatis nomen præseferre,

Basil. Seleuc.
Ruth. 1.

ferre, cùm adeò calamitosa esset. Nec solùm pudorem infert nomen sine renomine, sed & insaniam denotat hominis adeò inane præferens nomen. Hinc Genes. 3. post mulierem addictam morti, post auditam illam sententiam, *Puluis es, et in puluerem reuerteris: Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Euam, eo quòd mater esset omnium viuentium.* Audit in puluerem reuertendam vxorem, & immediatè vocat eam Euam; id est, vitam, & matrem viuentium, quo nihil insanius putat Rupertus; quippè lib. 3. in Genes. cap. 26. ait: *Et nũc in præsentiarum audiebat, puluis es, et in puluerem reuerteris, et sic vtraque morte, corporis scilicet, et animæ iam mortuus, et adhuc moriturus erat, tâm ipse, quâm vxor sua. Quid ergo insanius, quàm in illo talis causæ iudicio illam nuncupare Euam; id est, vitam quæ nec saltem habebat vitam; dicere matrem cunctorum viuentium eam, quæ potiùs mater est cunctorum morientium?* Sanè insanientiũ est gloriosa nomina iactare, & opera præseferre turpissima, & cum vitæ inscriptione ostendere in operibus fœtida mortuorum sepulchra. Quam notam inurebat Dominus Episcopo Sardis, Apocal. 3. dicens: *Angelo Ecclesiæ Sardis, scribe: Noui opera tua, quia nomen habes, quòd viuas, & mortuus es.* Pulchrè enim abludit nomine Sardis, qui lapis pretiosus est; vulgò carnelina dictus, quia viuidę carnis imitatur colorem, vt notat Rupertus: qua si diceret, in nomine lapis est pretiosus, in re lapis sepulchralis; in nomine velut sarda, seu carnelina viuidum imitaris nitorẽ, in re velut sepulchri marmor & putredinem, & ossa mortuorum vomis. Quid insanius, quàm velle sic confundere nomina? De sanctissima virgine, quę vocabatur Digna, locutus Diu. Eulogius, lib. 3. Memor. Sanct. cap. 7. ait: *Hæc autem puella cũ pro summa humilitate, atque obedientia, inter conuirginales vltimam se iudicaret, essetque incredibili apparatu obsecundatrix, numquam tamen appellari se Dignam patiebatur, dicebatque cum lacrymis: Nolite me Dignam vocare, sed magis indignam, quia cuius meriti sum, etiam nomine debeo insigniri.* Flebat humillima, & sanctissima virgo, dum se audiebat eo nomine vocari, à quo putabat longè abesse factis. Et re vera, plangenda res est, quòd opera tua minimè correspondeant nominis vocabulo.

Gen 3.

Rupert.

Apoc. 3.

Eulog.

§. XXIII.

Salutis nostræ negotia quàm primùm peragenda sunt.

SImul dixit in corde suo, *Surgam, et ibo ad patrem, &c.* & statim subditur, *& surgens venit, &c.* Non in futurum distulit, non turpiter correptus iacuit, sed vt primùm ruinam suam animaduertit, & decreuit surgere, & ire ad patrem, & de facto surrexit, & abijt. Bonus ille pœnitens Dauid, Psalm. 60. *Sic psallam nomini tuo, Deus in sæculum sæculi, vt reddam vota mea de die in diem.* Expende spatium adimplendi animi decreta circa salutem facta, nimirùm *de die in diẽ*: illa ipsa dies, quæ te videt decernentem, vt saluti operam naues, illa ipsa te videat operantem. Ait D. Valerianus, homil. 4. *Numquid dixit de anno in annum? Sed dixit, de die in diem Omni ergo die operandum nobis est, debitum autem Deo, et promissum munus non est tempore prolongandum.* Væ, qui ruinam animæ suæ videns, & illam vitare decernit, & nihil agit, vt vitet; sed expectat, & reexpectat. Salutare est, quod animo circa animæ salutẽ decreueris, statim operibus exhibere; quælibet expectatio maligna est, imò non est expectatio, sed somnolentia, quæ hostibus victoriam decernit. Ausus est Dauid intrare mediũ Saulis exercitum, & dum per medios milites armatos intrat, nullus in illum arma mouet. Cur sic nullus inimicum præsentem auertit? Ait textus: *Omnes dormiebãt, quia sopor Domini irruerat super eos.* Non sufficeret, quòd omnes dormissent, nisi dormissent illo sopore, qui à Deo tradente illos hostibus suis processit. Væ tibi, homo, quando præsente hoste, sic permitteris soporari, vt hastam manu tenens, qua decreueras hostem configere, nihil efficias, sed totus hæreas. Pulcherrimè Saluianus, libro. 6. de gubernat. pingit suorum, etiam in periculo mortis viso, somnolentiam. *Tanta animorum, vel tanta potiùs peccatorum cæcitas fuit, vt cùm absque dubio nullus perire vellet, nullus tamen id ageret, ne periret. Totum incuria, & segnities, & somnolentia possidebant, secundùm illud: Quia sopor Domini irruerat super eos: sopor enim* insun-

Valer.

Saluia.

infunditur, vt perditio sequatur. Quid familiarius etiam hoc nostro sæculo? Innumeri vident animæ suæ stragem, norunt imminentem ignem æternum, dæmoniorum exercitus paratos iam iam ad inuadendum, & tanta est cæcitas, vt cùm nemo perire velit, vt cùm omnes decernant perditionem cauere, vix inuenitur, qui faciat, ne pereat. Præ manibus arma habent, quibus hostes confodiant, propè sunt virtutum opera, exercitia sancta, sacramentorũ iacula; sed sic totos occupat incuria, segnities, & somnolentia, vt videãtur illo sopore correpti, quo perditioni
Psal. 75. destinentur. Psalm. 75. *Ab increpatione tua, Deus Iacob, dormitauerunt omnes, qui ascenderunt equos. Tu terribilis es, & quis resistet tibi, ex tunc ira tua.* Quantum hoc malum fuit ad tantam Dei iram excitandam, quòd paulisper dormitassent? Equi-
Matt. 25. dem de virginibus dicitur, Matth. 25. *Dormitauerunt omnes:* & nihilominus illarum quinque in thalamos suos sunt assumptæ cœlestes. Cur ergo in præsenti diuinæ iræ destinantur omnes hi, qui dormitauerũt? Non solùm dormitauerunt, sed dormitauerunt ab increpatione Dei, dum haberent equos; hoc est, sentientes, & noscentes Deum increpantem, & ruinas, & perditiones minitantem, imò inferentem; & simul ad manum tenentes velocissimos equos, quorum pernicitate euadere potuissent, tamen se somno, & sopore corripiiuerunt, vt nihil salutare perficerent. Quis sopor malignior, & vicinior perditioni? Dormitio hæc, obduratio cordis
Ruffin. est. Ait Ruffinus, & pergit: *Ecce ipse Deus Iacob increpat peccatores: intonat iras suas: minatur iudicium: minatur æternales pœnas. Inter tanta tonitrua adhuc dormiunt, adhuc vitam veterem nolunt damnare, neque in nouam vigilare. Duritia enim cordis, obdormitio ista est.* Lapideus iste torpor est, & homo qui sic torpet, lapide durior, inuenitur, & ira diuina reseruatur fulminandus. Ait Psalm. 72. *Domine, in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges.* Cur imaginem eorum, & non magis eos? Equidem ij sunt, qui sub nomine imaginis intelliguntur à Deo conterendi, qui lapideas imagines imitantur in moribus. Vt enim lapidea statua est in platea, & inter tonitrua, atque fulmina hærens, nec manum mouet, vt caput operiat, nec pedem vt tempestatem fugiat, quo fit, vt fulmine dissipetur. Sic peccatores lapidascunt, vt inter minas Dei, & notissima pericula, cupientes non perire, nihil faciunt, ne pereant, vt qui instar lapidearum imaginum viuunt, instar earum in perditionem veniant.

Luc. 15. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.

§. XXIIII.

Dei misericordes oculi, salutares sunt illis hominibus, qui operibus salutis incumbunt.

DVm in se reuersus adolescens meliorem iam viam arripuisset, illum venientem pater cõspexit, & misericordia motus accurrit illi, & oscula dat. Et quidem & anteà illum videbat pater suus, quandoquidem nihil est, quòd possit latere oculos diuinos; sed quamuis anteà pater misericors filium videret, nec accurrit, nec illi osculo dat signum salutis. Et cur, qui anteà videns filiũ, in nulla, nunc in tot signa misericordiæ mouetur? An modò pater magis pater, magis misericors quàm anteà? Absit; pater idem est modò, quàm anteà, filius alius est: anteà nihil salutis operabatur filius, modò videt illum pater suus currentẽ in viã mandatorum, & ideò accurrit, & tot misericordiæ efficacis signa pandit. Exod. ca-
Exod. 3. pit. 3. *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui, propter duritiem eorum, qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius, descendi, vt liberem eum, &c.* Fœlices, qui sic affecti, sic clamantes sistuntur oculis diuinis, numquam non à diuinis oculis multa veniunt bona in salutis operatores. Ait Diu. Basilius
Basil. Sel. Seleuc. oratione. 26. sub Dei nomine: *Vidi Israelitarum gregem morbis deiunctum: vidi ouile Dei abijsse in dæmonum diuersorium: vidi gregem à dæmonibus haud secùs, quàm à lupis laniatum. Et quæ conspexi, non despexi.* Nesciunt diuini oculi despicere, quem conspiciunt, præcipuè si ope-

si operantem conſpiciunt. Nouimus Deũ in Niniuitas iratũ, ad quos Ionas mittitur, qui inſtantẽ Dei vindictã inſinuet; & ecce Niniuitæ terrore concuſsi, pœnitentiam arripiunt. Quid tunc Deus? Ionæ cap. 3. Ion. 3. ait: *Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam locutus fuerat.* Vt vidit Deus, vt miſertus eſt; ſed vt vidit pœnitentes, vt vidit clamãtes, vt vidit nauantes operam acquirendæ ſalutis. Pulchrè D. Baſil. Seleuc orat. 12. *Dei namque in homines procliuior aſpectus accedentem ſuſpicit pœnitentiam: ſupplicanti paret: ſedat lacrymantem: lamentanti condolet: denique victoriam reportare iubet.* Maximè, fateor, procliuis eſt in homines Dei aſpectus; ſed vbi procliuior eſt, opera ſpectat, ne te ſine operibus credas diuinis obtutibus. Exod 2. Vndè Exod. cap. 2. de Iſraelitis apud Aegyptios laborantibus ait: *Aſcenditque clamor eorum ad Deum ab operibus, Et audiuit gemitum eorum, ac recordatus eſt fœderis, &c.* Expende, vndè clamor Deo gratus aſcendit, nimirùm, ab operibus. Id quod notans Origenes, homil. 2. in Cantic. fatur: *Vbi refert, ingemuiſſe Iſraelem, non dicit â luto, neque â latere, ſed ab operibus ſuis, inquit; propter quod & ſubiunxit: Quia exaudiuit Dominus gemitus ipſorum, cùm vtique non exaudiuit eorum gemitum, qui non ex operibus ſuis clamant ad Dominum.* Dum nihil ſalutare operaris, vanè ſperas à Domino ſalutem: vaniſſimè te te diuino ſiſtis obtutui, vt ab oculis diuinis ſaneris, niſi tu operibus ſalutaribus incumbas. Luc. 19. Lucæ, cap. 19. de Ieſu ad Hieroſolymitanam vrbem eunte dicitur: *Et cùm appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognouiſſes et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis, quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui, &c.* Ecce tibi, Ieſus Hieroſolymam videt; imò videns illam ſub hoſtilibus iaculis, ſic pientiſsima eius viſcera commouentur, vt ingentem lacrymarum copiam profundat. At inter adeò miſericordes, & teneros aſpectus, qui miſericorditer ad fletum mouetur: nonne & mouetur ad liberandam ciuitatem, ad repellendos hoſtiles incurſus? Abſit; non enim ea eſt Dei miſericordia, quæ impœnitentes liberet, quantumuis eos videat, & doleat cruciari ærumnis. Rupert. Rupertus, lib. 1. cap. 1. in Naum: *Videns ciuitatem Hieruſalem, fleuit ſuper illam, & tamen non liberauit eam, vt non circumdarent eam inimici eius vallo. Impoſsibile enim eſt, eum iniuſtè quid agere, iniuſtè miſereri, vel parcere, niſi præeunte pœnitentiæ humilitate.* Adfuit in Deo miſericordia ranta, quæ eum impulit in fletum, propter Hieroſolymæ mala, & tamen cùm facilè poſſet, minimè ea auertit, quia nulla erat Hieroſolymitis ſalutis operatio.

§. XXV.

Nuda cuiuſque facta inſpicienda, vt probari debeant, niſi velis falsò iudicare, quod ſemper homines faciunt.

VEnientem nudum amplectitur, & oſculatur pater, poſtmodùm petiturus veſtes, calceoſque, & annulum, quibus & veſtiatur, & ornetur. Et cur non priùs ornari, & veſtiri iubet, & veſtitum, & ornatum amplexu, & oſculis excipit? Cur maluit priùs oſcula porrigere, quàm veſtes? Bonus pater, & iuſtus daturus fauorem oſculi, non expectat veſtes, & ornatus externos; ſed nudum omni extrinſeco reſpectu filium conuenit; nudè enim, & ſecundùm ſe expectari debent cuiuſque facta ab illo, qui velit iuſtè procedere. Sic de Deo aiebat Naum, capit. 1. *Dominus patiens, & magnus fortitudine, et mundans non faciet innocentem.* Naum. 1 Non facilè intelligitur, quid ſit, quòd Deus mundans non faciat innocentem; crediderim ego, hoc ſpectare ad integerrimam æquitatem, & iuſtitiam Dei, quòd nimirùm ipſe non mundet, non ornet, vt de ſolo ornatu eius extrinſeco, appareat quis innocens. Vitium eſt enim familiare hominibus, quòd ipſi mundantes faciunt innocentes amicos, & familiares ſuos; nihil nudum in illis contemplantur, ſed etiam nociuiſsima facta pro affectus ſui optatis, ſic veſtiunt, ſic affictis circumſtantijs exornant, ſic de communi hominum fragilitate, de ſubreptione, de inaduertentia philoſophantes componunt, vt inter ipſa facinora appareant innocentes. Non ſic Deus, non ſic iuſtus, & æquus, ſed ablatis coloribus, extrinſeciſque reſpectibus, nuda cuiuſque facta reſpicit, vt improbet,

probet, vel probet. Ad hæc Rupertus, ibi: Rupert. *Iustus in eo, vt mundans non faciat innocentem; id est, vt quæcumque mala, vel nocua sunt, auferens, nullam accipiat personã, sed solam respiciat causam, vt eum, quem culpa facit nocentem, etsi ille sit, qui simul dulces capiebat cibos, homo vnanimis dux suus, & notus suus, non per proprium fauorem dimittat impunitum, velut innocentem.* Non aliter, quàm prout in se sunt, nudè sumpta hominum facta permittit Deus sibi sisti; fucos omnes, & ornatus extrinsecùs venientes prorsùs excludit, quo iustam, & æquam approbationem, vel reprobationem facinoribus præstat. Et quis nuda merita inspiceret, nisi Deus? Sanè id non est humani iudicij, penes quod nihil apparet sine fuco, & ornatu iudicantis affectus. Eccl.3. Quò spectans Ecclesiastes, cap.3. aiebat: *Cuncta fecit Dominus bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus.* Expende, quod opus bonum à Deo inspiratum, & in nobis effectum à nullo homine cernitur, à nullo inuenitur? Quia omnia sæcularia tradita sunt disputationi hominũ, non nudè considerantur, non simpliciter inuestigantur; sed præmissis longis ratiocinationibus, à causis, ab effectibus desumptis, quo vniuersa, quæ cupiunt homines, faciunt probabilia. Septuag. Hoc clariùs attigere Septuag. legentes: *Vniuersa quæ fecit bona in tempore suo; & quidem omne sæculum dedit in corde eorum, vt non inueniat homo opus, quod fecit Deus.* Non equidem traduntur hominibus res, prout in se sunt, nudè consideratæ, sed vt prout sunt cordi eorum: hinc nascitur, quòd nullum verum opus inueniatur ab homine, sed fraus vbique Cat. Gr. nascatur, & deceptio. Ait ibi Author Catenæ Græcæ: *Omne æuum dedit in corde eorum. Hoc perinde se habet, ac si dixisset; animalem hanc vitam animali hominum vitæ addixit Deus, & idcircò fraus præualuit animæ.* Nihil in se aspicitur ab homine, sed iuxta cuiusque affectus, & cordis colores omnia ornata apparent; vndè apud homines rarissimè non præualent de- Isai. 59. ceptiones, & fraudes. Ait Isaias, cap. 59. *Non est, qui innocet iustitiam, neque est, qui iudicet verè.* Ex Hebræo dicitur: *Non est, qui in iudicio litiget, aut disceptet verè, sed confidunt in nihilo.* Vbi disceptationi est locus, iam adsunt & Rhetorum fuci, & Logicorum fallaciæ, & ratiocinationum apparentiæ, quibus non sola veritas, sed larvæ quædam inanes præualeant. Quæ larvæ solùm vitantur, cùm nuda veritas operis in seipsa, vt iustum iudicem decet, consideratur. Quò refero dicta. 2. tom. lib. 10. cap. 3. §. 16.

§. XXVI.

Magna viri præstantia est, quòd vel nudè conspectus, nihil deforme, aut Deo ingratum prætendat.

ANte stolam acceptam nudus adolescens ad patrem ibat, nullo vestium operculo decoratus, & sic in nudum prorsùs adolescentem pater incidit, nec cunctatur, sed nudũ amplectitur, & osculatur. Sanè primus homo, Genes. 3. con- Gen. 3. gressum Dei fugiebat, *eo quòd nudus esset*, veritus, ne, quæ nudè conspici deberent, aliqua ex parte nigricarent, & oculos offenderent maiestatis. Facit ergo ad magnam commendationem huius adolescentis, quòd solitariè, & nudè conspectus, nihil habeat, quod Deus purissimus respuat amplecti, & probare. De castissimo iuuene Ioseph dicitur, Genesis. 39. Gen. 39. quod lasciuæ fœminæ petitus insidijs, *Relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras.* Pallium rapit audax lasciuia à nobili, & strenuo iuuene, quem nudum abire foras cogit; an quia nudus ostenditur, ideò in eo aliqua deformitas apparet? Absit; imò inde eius gloria maior, quòd nec nudè conspectus, vllam ostendit maculam. Diu. Zeno, lib. 2. sermone. 2. de amo- Zeno. re lasciuo fatur: *Hic Ioseph um mulier flagitat esse violentum, quem etiam dum denudat, esse non inuenit impudicum.* Nullum operculum relinquitur casto iuueni, quo operiatur, nudatus omni fuco, omni colore, omni respectu, exponitur, & nihilominùs ex nulla parte apparet macula, quæ offendat, sed vndique inuenitur probabilis. Ioseph o glorioſior Christus ascendit crucem, & nudus vestibus, & omni auxilio sensibili vsque ad mortem nudatus, vt clamet: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quis nudior in mundo? Psalm. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt me.* Nemo quidem nudior; nemo apertior, & patentior oculis inspicientium, & nemo tunc glorioſior, quando nec tunc aliquis in eo nævus apparuit, quo Psal. 21.

vide-

videretur indignus oſculo patris. Ad hæc eleganter Theodor. ſerm. 10. de prouidentia, ait: *Contra dæmonem litigat propugnator noſtræ naturæ Ieſus, & ad dirum tyrannum meritò dicit. Captus es peſſime, & tuis proprijs retibus comprehenſus es. Dic enim, quare corpus meum cruci affixiſti, & mortì tradidiſti? Quam peccati ſpeciem in me conſpicatus es? Quam legis transgreſſionem vidiſti? En diligentiùs nunc nudum in cruce videns, hoc ſcrutare.* Magna hæc noſtri Saluatoris exultatio, magna eiuſdem gloria, quòd omni auxilio, & operimento nudatus, tantam vndique plenitudinem perfectionis habeat, quod nequeat vel à tyrannis improbari. Tantò profectò creſcit gloria approbati, quantò nudiùs ab omni reſpectu, & fuco conſideratur. Quò refero dicta tom. 2. lib. 12. cap. 8. §. 20.

Theod.

§. XXVII.

Cui Deus aliquod beneficium dedit, niſi obſtet illi, non ceſſabit, donec ſeſe totum illi tradat.

VIde beneficentiæ diuinæ augmẽtum, quò ſeſe extendat: primò coniecit pater oculos in venientem à longè filiũ; ait enim: *Cùm adhuc longè eſſet, vidit illũ pater ſuus*: poſtmodùm non oculos tantùm conijcit, ſed & ſeſe totum dimittit; quippè ait: *Cecidit ſuper collum eius, et oſculatus eſt eum.* Ecce totum filio ſe exhibet pater; vbi enim cæpit aliquod beneficium præſtare, neſcit ſiſtere, donec ſeſe totum tradat. Cùm Dominus crucifigeretur, eius veſtes milites Romani ſuſceperunt, per quos peragebatur nefandum facinus illud. Sic Matth. 27. *Poſtquam autẽ crucifixerunt eum, diuiſerunt veſtimenta eius, ſortes mittentes, &c.* Duo etiam alij crucifixi ſunt cum Ieſu, de quorum veſtibus non dicitur, quòd datæ fuerint militibus. Cur de Ieſu veſtibus ſingulariter id notatum eſt? Vt iam inde in Romanis, nempè in gentibus oſtenderetur pignus, quòd totus Ieſus ad illas erat transferendus, quando vbi Deus vel filum aliquod præſtat, pignus eſt, quòd & ſeſe totum aliquando præſtare velit. Pulchrè D. Damaſcen. homil. de Sabbatho ſancto, ait: *Veſtem quoq; militum ſorti permittit, quòd futurum ſit, vt reſurgens à mortuis, mittat gentibus, quos ipſe delegit diſcipulos, fiatq; ipſe fidelibus diuini baptiſmatis indumentum. Quicumque enim, inquit Paulus, in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Conceſſa fuere militibus Romanis Chriſtiani indumenti partes, vt qui poſtmodùm induturi erant totum Chriſtum; nequit enim Chriſtus totus non ornare eum, quem ſemel aliquo dono ſuo veſtiuit. Iam gaudet fidelis, Iſaiæ cap. 61. iuxta lectionem Septuag. *Exultet anima mea in Domino. Induit me veſtimentum ſalutaris, & tunicam lætitiæ. Quaſi ſponſo circumdedit mihi mitram, et quaſi ſponſam ornauit me ornatu. Sicut terra afferens fructum ſuũ, & ſicut hortus germina ſua germinat, ſic germinabit Dominus, &c.* Quàm ornata apparet fidelis anima? Nempè ornata mitra, ornata tunica, induta veſtimento ſalutaris; hoc eſt, induta iam totum Ieſum, ſic enim ex Hæbræo redditur: *Induit me veſtimento Ieſu*: quod benè notauit D. Cyrill. in Geneſ. lib. 9. Sed qualiter tantum veſtimentum, nimirùm, totus Ieſus datus eſt in fidelium ornatum? Iam explicat Vates, dum ait; *Sicut terra afferens fructum, ſic germinauit Dominus, &c.* Terra verno tempore humiles lini herbas progerminat, quæ vbi in terra apparent, non ſicut fœnum decident, & areſcent; ſed & pretioſa carbaſa, & byſſinas tunicas hominibus induendis aptatas facit ſperari. Quæ fœmina in pullulante iam lini germine non meditatur & pulcherrima, & integra indumenta, quibus filij veſtiantur? *Sic prorſùs Dominus germinabit iuſtitiam*: nec primum iuſtitiæ, ſalutiſq; germen à Deo in nos veniet, quin, quantum eſt ex ſe, totum nos Ieſum, ſalutis veſtem induere faciet. Hinc clamat Pſalm. 2. *Apprehendite diſciplinam*: Vbi Tiroboſcus: *Adorate frumentum.* Inſuper Galatinus: *Adorate faſciculum ſpicarum.* Tandem Genebrard. & Eugub. *Oſculamini filium.* Qui enim ſemel aliquid Dei apprehenderit, ſiuè herbam, ſiuè frumentum, tandem ſi per ipſum non ſteterit, totum filium Dei habebit exoſculandum. Quapropter ſpõſa clamat, Cant. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Cur tàm anxiè oſculum requirit dilecti? Multa eius dona receperat, quibus acceptis, neſcit quieſcere, donec ipſum habeat. Origen. homil. 1. ex quatuor ait: *Omnia habeo: repleta ſum muneribus, quæ dotis titulo antenuptias ſumpſi. Miniſtrauerunt mihi Angeli, miniſtrauerunt mihi etiã Prophetæ; propter hoc ad te, Patrem ſponſi mei, precem fundo, vt tandem miſeratus amorem*

Matt. 27

Damaſ.

Pſal. 2

Cant. 1

Origen.

rem nostrum, mittens eum, vt iam non mihi per ministros suos, sed ipse per semetipsum veniat, et osculetur me, &c. Sic post exhibita à Deo dona, potest expectari totus ipse Deus. Huc reuoco dicta tom. 3. lib. 14. cap. 10. §. 31. & suprà in hoc tomo, cap. 6. §. 13.

Luc. 15. Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cœlum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius.

§. XXVIII.

Iustus non curat nuditatem, quæ bonis operitur operibus.

DE nuditate filij tegenda sollicitus Pater cœlestis, mandat vestes afferri; at filius, qui nudus erat, nihil sollicitus est de vestibus; imò nec in eius mente venerunt vestimenta. Paulò antè, dum ruinã suam, & eius remedia meditabatur, solùm meminit mercenariorũ panes, solùm decernit viam arripere: patrem conuenire: eius pulsare animũ precibus, vt admittatur inter mercenariorũ greges. Sic venit, sic clamat, sic petit, & inter hæc nudus, non meminit vestes, nec de operiẽda sua nuditate facit verbum. Cur quã pater mãdat tegi, filius non magis curat suam nuditatem operire? Sanè iustus nõ curat nuditatem, nec illã meminit, dum bonis virtutũ, & charitatis incũbit operibus, sciens hęc esse præclara nuditatis opercula. Vndè D. Ambros. lib. de Noe, cap. 31. *Ambr.* locutus de viro sapienti, & iusto, ait. *Operit, quæ aliter gesta sunt, amictu quodam, et gratia, vel præsentis operis, vel futuri, vt nihil indecorum prætereat, nihil inornatum relinquat.* Nõ est cura iusto de nuditate tegenda, vbi opera virtutum vel præstò sunt, vel decernuntur facienda, inter quæ nihil nudum, & inornatum potest apparere, quãdo vel charitas sola regale sit peccatorũ operimentũ. Præclarè aiebat Paulus ad Philippens. 3. *Quæ quidẽ retrò sunt, obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad brauiũ supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Quæ retrò erãt in Paulo? Puta Ecclesiæ persecutiones, odium Christi, sanguinis Christiani sites, minas, scelera, & alia huiusmodi. Et quomodo hæc poterat Paulus obliuisci? Quomodo non magis illis pungebatur? Equidem nuditates illæ obliuiom penitus dabantur in Paulo, & abscondebantur, dum ille totus incumberet primis operibus charitatis, virtutumq; aliarum. Ait D. Ambros. lib. de Noe, cap. 31. *Paulus superiora obliuiscebatur, priora appetebat; sed obliuiscebatur, vt absconderet persecutionis errores, vt tegeret superiora delicta, bonisque operibus obumbraret. Beati enim & illi, quorum tecta sunt peccata; id est, si tegantur bonis operibus, & operiantur virtutum sequentibus disciplinis.* Potuit vir iustus sua omnia superiora, nimirũ persecutiones suas, scelera sua antè acta penitùs obliuiscì, nullo modo in memoriam vocare, quasi nudatus ab illis, nũc in nuditate perseueraret; sed dum operibus insudaret virtutum, & charitatis, quibus illa & obumbrabantur, & tegebantur. Inter charitatis, & virtutũ tegumenta, quis æstimaret, & meminisset peccatorum nuditatem? Sãctissimus, & pijssimus Iob, cap. 1. diaboli victor, ærumnarum triumphator, non erubescit, nec reputat nuditatem, quam multis virtutum clarissimarum tegumentis videt celatam; sic enim ait: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Et quæ fœdior nuditas, quàm illa, sub qua ab vtero matris homines nascimur. Ex tunc nudi, & miserabiles, venundati sub peccato sumus. Cur Iob non magis erubescit illam habuisse miseriam, & nuditatem? Cur nõ magis clamat verbis illis cap. 3. *Pereat dies, in qua natus sum, et nox, in qua dictũ est: Conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras: non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ, et vmbræ mortis, occupet eum caligo.* Quibus verbis, iuxta Philippum, & Bedam, & Diu. Thomam, & communem Theologorum sententiã creditur Iob detestatus nuditatem iustitiæ originalis, qua fuit conceptus, & natus. Quam ergo sic detestatur, vt penitùs amet, illam ignorari; cur non veretur illam meminisse, imò illam in memoriam vocare, cùm ad communem Parentẽ Deum se videt per ærũ-

nas

nas festinare? Quippè ait: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*: nimirùm, reuertar ad locum, vbi est Deus verus pater, & mater nostra, vt explicant Clemens in Caten. & Nissen. orat. de quadraginta martyrib. Sic nõ eru bescis nuditatem iustitiæ, cùm festinas ad brachia cœlestis Patris? Non equidem eru bescit nuditatem, quam videt sub tot virtutum latere operibus, & charitatis. Pulchrè apud Origenem, homil. 1. *Nudus exi ni de vtero matris meæ, nudus ibo; nudus,* Origen. *inquit, peculio, sed & peccato; nudus substantia, sed & iniustitia. Nudus malis; bonis verò omnibus indutus, iustitia vestitus, sanctitate circumdatus, charitate ornatus, misericordia, ac bonis operibus coronatus.* Meritô non reputat nuditatem illam, nec de illa tollenda ostenditur sollicitus, etiã cùm ad Deum festinat, quando tot virtutum facinoribus illam videt tectam, & vestitam.

§. XXIX.

De Patre Deo venit, quòd hominum saluti consulatur.

PAter est, qui monet seruos, vt nudo hómini vestes prouideant, & ornatus; non enim id meminissent serui, nisi Patrem cœlestem viderent imperantem. Et quidem de solo Deo Patre optimo venit, quòd hominũ saluti subueniatur. Qui percussum hominem à latronibus in via Luc. 10. inuenit, Luc. 10. deduxit in stabulũ. Quid tunc? *Protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe.* Duo dantur denarij, vt percussi hominis cura habeatur. Sed qui sãt ij duo denarij, per quos hominum cura inseritur menti stabularij? Sapienter duo denarij explicantur per notitiam duarum diuinarũm personarũ, nimirùm Patris, & Filij; de cœlestis enim Patris notitia, & impulsu potest veniri, quòd hominum cura suscipiatur à creatura aliqua. Origen. homil. 34. in Luc. fatur: Origen. *Duo denarij notitia mihi videtur Patris, & Filij, & scientia sacramenti, quomodo Pater in Filio, et Filius in Patre sit, qui velut mercedes donantur Angelo, vt diligentiùs curet sibi hominem commendatum.* Notitia diuini Patris est, quæ diligentiam ministris addit, qua citiùs volent ad homines tutandos, adeô, vt ferè cum diuinæ generationis notitia semper adiuncta sit de hominibus custodiendis commendatio. Hinc Matth. 16. *Respondens Simõ Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es, Simon Bariona, quia caro, et sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Matt. 16 Sanè Petrus notitiam Patris, & Filij à Patre cœlesti tũc habuit. Quid indè, quòd ex Patre haberet notitiam Filij, & Patris? Iam addit Petri munus Saluator, aiens: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ecce tibi, ex Patris notitia, & confessione, quomodo cura hominum Petro mandatur. Pulchrè D. Chrysost. homil. 55. ait: *Sublimiora sapere ipsum facit, et Ecclesiæ futuræ pastorem eum constituit.* Chryfost. Oquàm à diuini Patris notitia, ad pascendos homines euolauit! Ex quo sublimiora Patris penetrauit mysteria, meritò fit pastor gregis Christiani; i Patre enim accepisset, quo diligentiùs sibi creditos homines pasceret. Quippè singulare de fouendis hominibus studium numquam non venit à diuino Patre. Ioan. 2. dum deficeret vinum in nuptijs, & Maria Virgo defectum Filio Iesu repræsentaret, vt ille pro sua pietate in homines, & potentia opẽ indigentibus præstaret, ait Iesus: *Quid mihi, & tibi est, mulier?* quasi in se dissimulans respectũ filij in tãtam matrem. Et cur, Dominẽ, respectum hunc ad matrem Virginem dissimulas? Nonne tibi glorioſum est, quòd filius intemeratæ Virginis habearis? Cur mauis tãtam gloriam dissimulare? Mauult Deus pro subueniendis hominibus respectum filij ad matrem dissimulare, vt euidentiùs ostendat, non ab alio, quàm à Patre cœlesti se habere, quòd pro saluandis hominibus miracula faciat. Ait Beda in præsenti: *In eo, quod miraculum facturus ait: Quid mihi, & tibi est, mulier? significat se diuinitatis, qua miraculũ erat patrandũ, non principium temporaliter accepisse de matre, sed per æternitatem semper habuisse de patre.* Beda. De Patre habebat Iesus, quòd hominibus subueniret per miracula; eo enim, quòd quis de illo cœlesti Patre aliquid habeat, vel noscat, non indiget alio impulsu, sed indè solùm nulla beneficia homini indigenti negabit. Id quod exprimunt etiam verba sequentia in eodem. 2. cap. Ioannis, nimirùm: *Quid mihi, & tibi est, mulier? Nõ dum venit hora mea.* Ioan. 2. Ideò ostendit, se differre beneficium, quia nondùm venit hora non differendi. Sed quæ est hora, in qua Iesus non differet hominibus, munera, & dona communicare? Crediderim eũ ferè

omnibus expositoribus, in præsenti intelligi horam, qua transeat Iesus ex hoc mũdo ad Patrem; vbi enim ad Patrem ierit, sederitque ad dexteram Patris, de Patris vicinio habebit, quòd nullum velit homi-
Gaud. nibus beneficiũ negare. Sic D. Gaudent. serm. 2. in hoc Euang. fatus: *Quid mihi, & tibi est, mulier? Nondum venit hora mea. Tanquam si diceret: Quid tàm præpropera es, ô mulier, suggerendo, cùm hora passionis meæ nondum aduenerit Post passionem, resurrectionemque meam, cùm ad Patrem rediero, tunc eis donabitur vinum Spiritus sancti.* Equidem non sinet vicinium Patris dona tardari pro hominibus fouẽdis, iuuandis. Vide dicta. 1. tom. lib. 2. cap. 3. §. 3. &. tom. 2. lib. 6. cap. 3. §. 34.

§. XXX.

Spiritus Dei est, non hominis, qui de suo aliorum defectus velit tegere.

ET pater filium redeuntem exceperat, & cũ patre serui etiã aderant, ad quos pater loquitur, vt stolam afferrent filio operiendo: & hoc mirabile, quòd cũ filius nudus appareret, & coram patre, & coram seruis, solus pater sollicitus inuenitur de veste, de tegumento. Et quidem non hominis, sed Dei spiritus est, qui de suo studet aliorum nuditates, & defectus obtegere. Genes. 9. cùm Noe nudatus in
Gen. 9. tabernaculo iaceret, à nequam filio irridebatur. *At verò Sem, & Iaphet pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerũt verenda patris sui.* Prætenso pallio inter amborum humeros incedebant retrorsum, vt patrem operirent; & quid necessum fuit incedere retrorsũ? Possent equidem recto, & naturali cursu procedere pallium extensum ante oculos ferentes, quo non viderent patris nuditatem, & illam operirent. Cur maluerunt retrorsum incedere? Sanè dum pergebant patris nuditatem, & fœditatem obtegere, ipso modo pergendi ostendebant, se illud peragere opus, quod inusitatum, & præposterum est humanis moribus. Quid magis præposterum, & inusitatum homini, quàm de suo velle aliorum obuelare defectus? Id sanè non est in vsu hominis, sed Dei spiritus est proprium. Hinc vbi Maria Virgo in Cana nuptijs præsensit, & immi nentem defectum vini, & nuptorum verecundiam, cupiens eorum vel paupertatẽ, vel iniuriã operire, filium conuenit, Ioan. 2. periculum præmonet. Cui Iesus: *Quid mihi, et tibi est, mulier?* Obone, scio, te nõ permissurum nuptorum manifestari detectum, publicari verecundam inopiam, sed magis facturum, vt hæc occulta maneant. Cur ergo respectum filij ad tantam matrem dissimulas, & quasi illa alienũ ostendis? Meritò se ostendit alienum ab homine, cùm totus incumbit operiendis defectibus aliorum. Non longè abest D. Gaudent. serm. 2. ad hoc Euangel. aiens: *Quid mihi, & tibi est, mulier? Audi ergo diuinam rationem spei communis, ac vitæ: Nascitur Christus non sibi, sed nobis.* Alienus est ab homine, qui sui non habens rationem, totum se profudit alijs iuuandis, aliorumque obtegendis ruboribus. Vndè meritò Iesus, vbi sese accingit ad operiendum defectum vini proximorum, dissimulat natiuitatem hominis, vt extollat mentes ad diuinum ortum: numquã enim ab homine, sed à Deo venit, quòd obtegantur defectus proximorum. Luc. 10. Samiritanus inuenit hominem iacentem, in
Luc. 10. culis latronum confossum, accedit, *& alligauit vulnera eius, & infundens vinum, & oleum, &c.* Quis erat hic Samaritanus? An homo aliquis? Absit: Deus erat, signa Dei cognosco per sua; nõ enim solùm infundit oleum, & vinum, quòd etiam faceret homo; sed insuper vulnera fascijs tegit & operit, ne ab alio videantur, nec sciantur, quod minimè faceret homo. Ait Chry
Chrysost. sostom. homil. 3. in Lucam: *Iam teguntur vulnera, quæ fuerãt anteà nudata. Iã à cœlesti Medico cõfossa loca ligãtur, vt intra se metipsa medicinã retinẽtia, operãte medicamine, pristinæ sanitati reddantur.* Hinc tot moriuntur animæ in manu hominis medici, quia homo totus est in vino mittendo, & oleo; sed nescit operire vulnera fascijs: nescit tegere aliorum errores, quo minimè operante medicamine, rari, aut nulli sanantur. Adest cœlestis Medicus, & vbi Dei spiritus adest, nihil prius præ manibus apparet, quã fascia, quàm alligatura, quibus manent obtecta vulnera, & intra semetipsa medicinam retinentia, operante Dei medicamine, multi infirmi recuperant sanitatem.

§. XXXI.

§. XXXI.

Qui primaria aliqua virtute florent, Dei particularibus fauoribus gaudent.

QVem ad oſculum recipit filium Dominus, ſtola prima meritò veſtiri mandat; is enim ſolet ad præcipuos Dei fauores extolli, qui aliqua primaria virtute gaudet. Nemini dubiũ eſt, inter Apoſtolos, tres ſibi habuiſſe Dominum magis familiares, & præcipuos in omnibus ſocios. Vbi transfigurandus aſcendit montem, Matth. 17. *Aſſumpſit Ieſus Petrum, et Iacobum, et Ioannem.* Similiter vbi Iairi filia ad vitã erat euocanda. Sed cur ij tres præcipuè à Ieſu aſſumuntur, qui videant eius miracula, qui poſsint eius gloriam in menſam pręguſtare? Florebat illorũ quiſque & ſpeciali, & primaria aliqua virtute: Petrus enim primus Deitatis filij confeſsione meruit Eccleſiæ primatum; Iacobus & martyrij laurea primus Apoſtolorum ornandus erat: Ioannes poſt Mariam primus in grege Chriſti amauit virginitatem; qui ergo primis fulgebant ſtolis, ad præcipuos Dei fauores erant meritò ſublimandi. Ait D. Chryſoſtom. homil. 7. in Marcum: *Quare iſti ſemper aſſumuntur, et cæteri dimittuntur? Eligitur Petrus, ſuper quem fundata eſt Eccleſia, & Iacobus, qui primus de Apoſtolis martyrio coronatus eſt; & Ioannes, qui virginitatis eſt exordium.* Non affectus aliquis partialis fauores diuinos ſpargit; abſit hoc à Deo, Deique ſpiritu, quod ſolùm proprium eſt hominũ carnalium. In Dei fauoribus ille primus, qui floret aliqua virtute primaria. Qui ſibi rapit primas virtutum, is & præcipuos Dei fauores ſibi rapit. Quis in Dei fauoribus præſtantior, quàm Iob? De illo ipſe Deus fit contionator, dum loquitur ad diabolum, Iob cap. 1. *Numquid conſideraſti ſeruum meũ Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, et rectus, ac timens Deũ, et recedens à malo?* De quo ſic Deus loquitur? Cui tale præconium Deus dedit ore ſuo, quòd non haberet ſimilem in terra? Sed quibus meritis Iob ad tantum Dei fauorem aſcendit? Qua virtute floruit primaria? Imò in omnibus virtutibus ipſe primus extitit, qui nullum alium viderat imitandum; quo rãtum Dei fauorem ſibi comparauit. Ait D. Auguſt. in vtroq; mixtim, quæſt. 118. *Non eſt enim Iob ſimilis in terris verus Dei cultor. Quis tantum potuit promereri, cui tale teſtimonium Dominus perhiberet, niſi hic, qui non imitator inuenitur, ſed auctor eorum, quæ geſsit?* Quando ipſe in primis ſibi Deum colendum propoſuit, neminem anteà videns Dei cultorem, nullius ſecutus exemplum, meritò in virtute primarius, primarios etiam, & ſingulares Dei fauores accepit. Apocal. 14. de triumphali cœlitum phalange dicit: *Hi ſequuntur agnum, quocũque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno:* qui enim primitias ſe Deo exhibuerunt, non mirum, quòd fiant inſeparabiles laterones Verbi, nec quòd apud Deum primarios ſemper obtineant honores. Similiter Apocal. 4. dicit: *Ecce oſtium apertum in cœlo, et vox prima, quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum, &c.* Et cuius eſt vox, quæ prima auditur in cœlo? Sapienter putat Petrus Damianus, quòd vox illa, quæ primò clamauit in deſerto, & prædicauit pœnitentiam, ſit etiã, quæ prima audiatur inter gaudia cœleſtia: quippè ait ſerm. 1. de Ioanne Baptiſta: *Veni ergo ad Ioannem, & audi vocem exultationis, vocem nouitatis, vocem lætitiæ, miſericordiæ verbum, ſermonem gloriæ, gratiæ largitatem; quòd celauerat Deus: tacuerat Angelus: latuerat Patriarchas: Prophetæ neſcierant: Pœnitentiam, inquit, agite; appropinquat enim regnum cœlorum. Verbum pœnitentiæ dulce, & glorioſum: verbum regni cœlorum lætum, et adorandum: illi ſoli primario conueniens, qui primus noui teſtamenti poſuit fundamenta. Hæc eſt illa vox, de qua maximus contemplator cœleſtium viſionum ait. Et vox prima, quam audiui, tanquam citharædorum citharizantium in citharis ſuis.* Cur inter primaria cœli gaudia non reſonet vox, quæ prima clamauit in deſerto, & claſsicum aduerſus peccatum cecinit, & vocauit ad pœnitentiam? Huc reuoco dicta. 1. tom. lib. 2. cap. 3. §. 18. & tom. 3. lib. 14. cap. 1. §. 17.

Matt. 17

Chryſoſt.

Iob. 1.

Auguſt.

Apoc. 14

Apoc. 4.

Dam.

Luc. 15. Adducite vitulum ſaginatum, & occidite: & manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt.

§. XXXII.

In corde à terrenis ad cœlestia eleuato grandescit Deus.

QVi vt vitulus datur filio reuertenti, vt agnus dabatur Israeli egredienti ex Ægypto; sub vtraque imagine Christus Filius Dei exhibetur. Sed cur, dum Israeli proficiscenti datur, agnus est; dum datur filio redeunti, iam vitulus saginatus ostenditur? Israel etiam dū egrediebatur de Ægypto, nihil aliud meditabatur, quàm terram, quàm bona temporalia, & terrestria: filius hic reuertens nihil terrenum meditatur, solùm quærit habere patrem cœlestē. In corde ergo sola cœlestia, & sublimia requirenti, mirū in modum Deus exaltatur, & grandescit. Psalm. 63. *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.* Ecce tibi, Deus quo ad nos magnam exaltationem recipit: & quādo exaltationem recipit? Iam ait: *Accedet homo ad cor altum*: ex quo homo cor suum exaltat à terra, illudque facit pertingere altissima cœli: quò enim cor humanum ad alta erigitur, eò Deus apud illum videtur grandescere. Ait Cassiod. ibi: *Cùm dicit: Accedet homo ad cor altum, illos significat, qui res diuinas pia intentione perquirunt: Cor enim altū tunc est, quando cœlestia cogitat, et terrena deuitat. Iste non deficit, sed magis, magisque crescit, & vsque ad hoc peruenit, vt ab eo sumus, atq; omnipotens Deus esse credatur, non quòd Deus altior fiat, sed quia in corde sancti hominis diuinitas considerata grandescit.* In exaltato corde à terrenis, necessum est, vt Deus ad maiorem exaltationem appareat excrescens. Efformet Deum terrena mens pusillum, iuxta pusillitatem suorū conceptuum; in mente autē, quæ nihil amat terrenum, cui sunt chara sola cœlestia, non potest Deus sub ingenti exaltatione, & magnitudine non apparere, Lucæ cap. 2. ait Maria: *Magnificat anima mea Dominum: et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Magnificat*, ait de præsenti, *exultauit*, posuit de præterito; prius enim fuit, quòd Mariæ spiritus exultaret in vno Deo salutari suo, cæteras omnes deuitans exultationis materias, & tunc eius anima magnificatum, & exaltatum Deum ostendit Diu. Ambros. lib. 2. in Lucam, ait. *Magnificat autem anima Mariæ Dominum, & exultauit spiritus eius in Deo, eo quòd & anima, et spiritu Patri, Filioque deuota, vnum Deum, ex quo omnia, & vnum Dominum, per quem omnia, pio veneratur affectu.* Vbi spiritus inuenitur, qui nihil terrenum amet, sed ad sola aspiret cœlestia, solumque cœlestem Patrem & cupiat, & veneretur, iam in eo & exaltatus, & magnificatus vehementer Dominus ostenditur. Ait Isaias, cap. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et eleuatum, et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, et sex alæ alteri; duabus velabant faciem eius, et duabus velabāt pedes, et duabus volabāt.* Hęc videbat Isaias: sed & Daniel, cap. 7. ait: *Aspiciebam, donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit, &c.* Vterque thronum meminit, & Deum sedentem asserit; sed Isaias notat, thronum excelsum fuisse, & maximè eleuatum, Daniel nō vidit eleuatum. Et cur non Danieli, sed Isaiæ ostēditur Dei thronus excelsus, & eleuatus? Ostendebatur equidem Dei thronus Isaiæ inter duo Seraphim stantia, imò ad superiora, & sublimiora euolantia: vbi autem Deus inter cęlestes mentes ad altiora tendentes ostenditur, non potest non ostendi altior, & eleuatior: quippè ait Glossa, ibi: *Qui videt Dominum regnantem in cœlestibus virtutibus, videt eum super solium excelsum, et eleuatum.* Equidem in mente cœlestia sola cupienti, & cogitanti, mirum in modum exaltatus, & eleuatus Deus apparet. Hinc Psalm. 7. ait ad Dominum: *Exaltare in finibus inimicorum tuorum.* Quomodo in fine inimicorum potest Deus exaltari? An is est Deus, qui crescat de ruina alterius? Non crescit Deus in ruina hominis, sed in ruina, & fine vitæ carnalis, vbi homo peccator terreni imaginem exuit, & pessundat bona hæc terrena, inimicitiarum seminaria, Deum solùm quærens, eumq; laudans, tunc in eo Deus incipit apparere magnificatus, & exaltatus. Ait Aymon in Cate. Lyppomani, super Psalm. *Tunc exaltatur Dominus in peccatoribus, quando illi à conuersis confessio laudis offertur.* Fœlix, qui sic ad Deum tendit, sic ad cœlestia eleuat animam, vt in ea Dominus grandis appareat.

Psal 63. Cassiod. Luc. 2. Ambr. Isai. 6. Gloss. Lyppom.

§. XXXIII.

Non minax nimium rigor, sed mansuetudo suauis homines facit in vitam fructifi-care.

SApienter pater filio ad fructus ferendos immortales disponendo, non cornutum, & minacem ostendit tantum, sed suauem, sed dulcem, sed saginatum vitulum adduci mandat, vt qui scirat, hominem suauitate trahi, & ad ferendos fructus conseruari. Accipite pulchra D. Zenonis verba, lib. 3. serm. 30. vbi ait: *Non tumidus ceruice, non toruus fronte, nō minax cornu taurus; sed optimus, dulcis, blandus, ac mitis vos admonet vitulus, vt nulla captantes auguria, eius sine malitia succedentes iugo, terramque vestræ carnis domando fœcundantes, lætam diuinorum seminū messem cœlestibus horreis inferatis.* Non taurus cornu minax messes facit, sed mansuetus, dulcis, mitis vitulus, seu bos terram findit aratro, fœcundat, & in diuites segetes abire facit. A tauri cornu etiam contremiscunt & campi, sed à mansueti bouis pede omnia implentur vbertate. Exod. 34. *Cum descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere.* At de Iesu meo locutus Matth. cap. 3. ait: *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli, et vidit spiritum descendētem, sicut columbam, & venientem super se.* A Moyse omnes fugiunt, nullus est, qui propè consistere audeat, cœli penitus occlusi manent in conspectu illius: at verò Iesum nemo fugit, imò ad eius præsentiam cœlestia iam horrea aperta monstrantur, ctiùs implenda Iesu fructibus. Cur hæc sic accidunt? Cur Iesu horrea cœlestia panduntur, vt fructibus impleantur, Moysi verò omnia occlusa manent? Ratione affert Petrus Damian. serm. de S. Eleuchadio, fatus: *Moyses nempè ad vltionis iudicium, descendens de monte, cornutus apparuit: super Dominum autem in mansuetudinis spiritu columba descendit.* Non ad aspectum cornuti, & minacis tauri horrea cœlestia reserantur; sed māsuetudinis spiritus est, qui eas frugum messes facit, ad quas capiendas cœlestia horrea aperiuntur, imò ampliantur. Prouerbior. cap. 14. dicitur: *Vbi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis:* nō tauri cornua, & minacis furor, sed mansueti, & mitis bouis fortitudo plurimas segetes facit. Pro quo D. Hieronym. in cap. 3. Abacuc fatur: *Vbi plena sunt præsepia, manifesta est fortitudo bouis. Bos operarius est; bos Domini sustentans iugum; bos, in cuius vestigium qui seuerit, beatus erit.* Quod nunquam faciet furor tauri, id perficit mansuetudo bouis, à qua & iugum Domini sustentatur, quod frequenter à rigore conteritur; sub qua mansuetudine qui cœlestia semina acceperit, in beatitudinis horrea copiosam introducet messem. Conueniant huc, qui hominum suscipiunt regimen, & intelligant, in quod opus vocati sunt, non equidem vt taurini cornu ventilatione spectacula in dies faciant, sed vt cœlestis vituli compares iugum virtutis sustentent, mansuetudine terram euoluant, & fructiferam reddant. Hoc docebat Paulus 1. ad Corinthios. 3. aiens: *Dei enim sumus adiutores: Dei agricultura estis.* Vt bos cum suo cōpare iugum sustentās se ad agriculturam comparat, sic præfecti omnes se comparare debent ad homines colendos, quasi compares sint diuini, & mansuetissimi inuenci, & quasi sub iugo positi ligaminibus obsita cornua haberent, vt sic magis culturæ intendant. De quo laudat amicum Sidonius Apollinar. lib. 4. epist. 3. in quiens: *Erga familiam suam, neque in proferendo alloquio minax, nec in admittendo consilio spernax, nec in reatu inuestigando persequax, subiectorum statum, conditionemque non dominio, sed iudicio regit; putes, eum domum propriam non possidere, sed administrare.* Expedita sunt cornua tauri ad spectacula facienda in arena; verum bos mansuetus vbi ad agriculturam accedit, magis impedit cornua, & sub iugo ligaminibus sepelit, ne quid in se rigidum, & timendum ostendat. Non minax, non spernax, non reatuum persequax, non dominans, sed sub iugo seruiens, sic in suis facit crescere vitutum segetes.

***

Luc. 15.

Luc. 15. Erat autem filius eius senior in agro, & cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorū: & vocauit vnum de seruis, & interrogauit, quid hæc essent. Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit. Indignatus est autem, & nolebat introire.

§. XXXIIII.

Externa negotia, quantumuis pia sint, vix vmquam nociua non sunt animo religioso.

FIlius senior numquam à patre discedens, nunc à paternæ domus gaudijs ipse se excludit: audiēs enim festa de reditu fratris, non vult in hęc festa introire, nec videre patrē. Et quæ causa tàm bono filio inseuit stultitiam tantam? Creditur huius insipientiæ causa illis verbis insinuari, nimirū: *Erat filius senior in agro*; hoc est, iuxta Ambros. & August. erat externis negotijs traditus: exteriora autem negotia, etsi pia, ferè numquam non sunt nociua religiosis animis. Propone tibi ob oculos Esau, & Iacob fratres, seniorem illum, iuniorem hūc: tamen iunior primogenia seniori surripuit. Et cur senior primogenia perdidit? Ait textus, Genes. 25. Gen. 25. vtriusque mores describens: *Quibus adultis, factus est Esau gnarus venandi, & homo agricola; Iacob autem vir simplex, habitans in tabernaculis.* Ex quo seniorem in agro facit, exterioribus deditum occupationibus, & negotijs, iam illum in detrimenta primogenij venturum præsagijt. Aiebat Petrus Damian. apolog. de contemptu sæculi, cap. 21. Dam. *Esau nisi peruagus in exteriora se proijceret, primatus sui primilegio non careret; Iacob domesticæ quietis otium tenuit, & diuina largiente gratia, in aliena iura subsiliuit: ille venandi labore confectus, et hoc, quod sibi iure competebat, amisit.* Numquam externa negotia, exteriores occupationes non aliquod detrimentū religiosis mentibus inferunt. Quocumque prætextu exterioribus negotijs vaces; siuè vt prospicias familiæ, siuè communi bono prospicias; siuè vt iuuādis proximis vaces, siuè vt aliquod obsequium Deo exhibeas, vix fieri potest, quòd ab exterioribus negotijs damnum nullum recipias. Exemplum esto ipse Esau, dum pie acquirenda patris benedictione vigilat, & insudat, & nihilominùs illam amittit. Et vndè amittit? Ait illi pater, Genes. 27. Gen. 27. *Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras. Cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer mihi, vt comedam, & benedicat tibi anima mea.* Pro obtinenda benedictione paterna foras mittitur, exterioribus ferarum nociuarum venationibus iubetur nauare operam; fallar, nisi inde magis benedictionem amittat. Pulchrè Lyppoman. ibi: *Esau igitur externis solatijs incumbebat, & negotijs homini non inutilibus, obferas, & bestias hominibus sæpè pernitiosas. Id sancto patri nō displicuit, malum non fuit, benedictioni tamen obfuit.* Lyppom. Et cui vel sanctissimo non officiat terrenorum, exteriorumque negotiorum administratio? Fallar, si quis ab horum fumo aliquam turbationem non traxerit, vt traxit ipsa Dei hospes Martha, dum circa frequens ministerium externum sollicita turbationem incurrit, quæ Dei reprehensione non caruit. Quòd si etiam sancti inter exteriora negotia reprehēsionem Dei minimè cauent, qui totos sese penitùs tradunt terrenis his, & temporalibus negotijs, quantum patientur malum? De his vix æstimat Deus, quòd perdantur. Monebat Dominus, Zachar. cap. 11. *Vlula abies, quia cecidit cedrus*: in ruina cedri meritò indicens planctum cæteris arboribus. Zach. 11 At Ionæ cap. 3. cùm Propheta indignè ferret, hederam viridantem exaruisse, magnamque inde tristitiam, & indignationem caperet, ait illi Deus: *Putas ne, benè iraſceris tu super hederam?* Ion. 3. Qua reprehendat vatem, quòd tristetur ad hederæ casum. Sed cur, Domine, pro cedri casu, & tristitiam, & planctum haberi mandas, pro hederæ autem ruina vetas Ionam tristari? Cedrus & incorruptibilitate, & altitudine commendatur, quādo tota cedrus à terra surgens frondium vertice cœlestia nititur tangere, in quo spirituales viri adū brantur, qui licēt in terra sint, tamen sola cœlestia nituntur comparare. Ij, si quādo cadant, meritò debent saltim lacrymis vi

dentium

dentium ornari: at hedera tota reptans, mille brachiolis iactis, terrenos succos exsugit, terram amplexatur, nec à terra surgere valet; per quam exprimuntur homines temporales, terrenis submersi negotijs, de quorum casu, & perditione vix permittit Deus, vt dolor habeatur. Væ tibi, temporalis homo, qui totus reptas habendis bonis temporalibus; multa enim Dei benedictione, & gratia priuaberis. Filij Iacob decem, dimisso minimo fratre Beniamin apud patrem, venerunt Ægyptum, vt frumentum quærerent sibi, quod vt cõpararent, humi procidentes, adorarunt Ioseph, Genes. 42. *Cùm adorarent eum fratres sui, &c.* Quid plura? Ex tunc excluſit illos Deus, ne habitaret apud illos; sed in parte Beniamin designauit sibi locum ad habitandum. Ita Græcus apud Lyppom. *Notandum verò, quòd Beniamin, neque Ioseph, quemadmodum reliqui fratres, adorauit; ideò in partes Beniamin cesſit templum.* Vicinium Dei amiserunt terreni homines, bonorum temporalium negotiatores, & adoratores: & templum, & propitiatorium in parte sua habuit, qui non seruiuit temporalitati.

Gen. 42.

Lyppom.

§. XXXV.

Inuidi non sustinent videre fratrem, nec in honoris vmbra.

AVdit hic, fratrem à patre honori habitum, & indignatus non vult introire, vt videat: nequit inuidus videre fratrem in honore; imò nec in vmbra honoris sustinet videre illum. Notissimum, & famosissimum est illud filiorum Iacob facinus, quo fratrem suum Ioseph vendiderunt Ismaelitis. Ait enim Genes. 37. *Extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis.* Et quod Iosephi opus fuit causa tãti odij, quòd fratres illum à domo paterna, & à patria facerent exulare? Cur voluerunt sic remouere ab oculis suis iuuenem adeò amabilem? Nullam aliam inuenio causam, præter quam ipsi insinuant, dicentes paulò antè, in eum sese armantes: *Ecce somniator venit*, se in somnis conspexerat bonus iuuenis, quasi adorarentur, & regiè tractaretur à fratribus, quorum inuidia in tantum creuit, vt minimè sustineret videre fratrem nec in gloria, & honore somniato, & ideò illum à patria faciunt exulare. Pulchrè Theodoretus, ser mon. 8. de prouidentia, fatur: *Paulò pòst Ismaelitis mercatoribus illum vendũt, cùm in somnis regnantem ne aspectu quidem dignari possent.* Proh feralissima inuidiæ rabies! Sanè aspis dicitur ad vmbram exurgere, & horum inuidia nec adumbratum, nec somniatum imperium sustinet videre in fratre. Verè horum successores Iudæi in inuidendo Dei Filio, hunc à Iudeis accusatum accipiunt milites, regium quoddam in illo spectrum ridiculum efficiunt, vili purpuræ paludamento induunt, spinis, & arundine pro sceptro, & corona ornant. Quid tunc? Ioann. cap. 19. *Exijt ergo Iesus portans spineam coronam, et purpureum vestimentum, et dicit eis Pilatus: Ecce homo. Cùm ergo vidissent eum Pontifices, et ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.* Non solùm amant, quòd Iesus interficiatur, sed etiam quòd turpissima ea morte pereat, qua penitùs & ab oculis, & ab hominum memoria eradicetur. Sed vndè adeò furiunt miseri, vt sic Iesum velint eliminari? Vident in eo ridiculi, & ignominiosi regni signa; quæ signa regni vt ridicula, & ignominiosa sunt, sic validiora apparent ad extinguendam inuidiam. Nonne ridiculum illud regni spectrum magis inuidiam sedat? Minimè: ea enim est inuidiæ rabies, quæ non possit ferre vel ridiculam vmbram regni in fratre, sed crescit, & exardescit magis, etiam ad vmbras. Diu. Augustinus, tractat. 116. in Ioannem, ait: *Egreditur ad eos Iesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum, non clarus imperio, sed plenus opprobrio. Si Regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum videtis. Flagellatus est: spinis coronatus est: ludibriosa veste amictus est: amaris conuitijs illusus est: feruet ignominia: frigescat inuidia; sed non frigescit, inardescit potiùs, et increscit.* Nescit non crescere, & inardescere magis inuidia, dum frater sit vel sub ficto, & adumbrato, & ludibundo regno. Non lusus, non ludibria, non conuitia patitur inuidia videre in fratre, si hæc quamuis ridiculè regni alicuius meminerint. Quid magis carneis oculis ridiculum, quàm titulus crucifixi Domini? Inter duos latrones cruci nudus suffixus erat Iesus à carnificibus, & in cruce iussus est poni hic titulus: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Quid ad hæc Iudæi? Rident titulum? Absit; quinimò etiam ipsi totis

Gen. 37.

Theod.

Ioan 19.

Augustin.

totis viribus conantur, quòd titulus rollatur è cruce. Ioan. 19. *Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere, Rex Iudæorum.* Quos sapienti quæstione Chrysostom. homil. 84. in Ioann. torquet, inquiens: *Quid hoc vobis nocebat, Iudæi? Nihil. Nam si mortalis erat, et imbecillis, & moriturus, quid scripturam timuistis, quòd esset Rex Iudæorum?* Non equidem ferebat inuidia vel ridiculum, & inanem regni titulum in Iesu videre, & sic illum eradere nituntur. D. Cyrill. Alexand. lib. 12. in Ioan. cap. 31. inquit: *Non possunt ferre huiusmodi titulum Principes Iudæorum, sed acri turbati inuidia, regnum pernegant Christi.* Nō attendit inuidia, quòd honor fratris sit verus, vel fictus; adumbratus, an solidus; si vel affecta honoris imago, vel vmbra, vel somnium appareat, minimè id sustinet inuidus.

Ioan. 19

Chrysost.

Cyr. Ale.

Luc. 15. Pater ergo illius egressus cæpit rogare illum. At ille respondens dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & numquam mandatum tuum præteriui, & numquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer: sed postquàm filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti ei vitulum saginatum.

§. XXXVI.

Ex ignorantia sui venit, quòd homo vitia carpat aliena, & peccatores abominetur.

QVàm penitùs se ignorat, qui ad Deū dicit: *Ecce tot annis seruio tibi, & nullum mandatum tuum præteriui!* Sanè præsumptio hæc est hominis minimè se inspicientis, minimè sua facta scrutantis. A quo etiam naturaliter venit illa statim adhibita fratris abominatio, & reprehensio, nimirùm: *Postquàm filius tuus hic, qui deuorauit substantiā suam cum meretricibus, venit:* & illum luxuriæ, & prodigalitatis accusat, & dum sic acculat, nō dignatur vocare suum fratrem, sed solùm ait; *Filius tuus hic.* Vndè sic abominatur, & accusat hominem? Ex illo primo, quòd in se nullum voluit aduertere fractum patris præceptum: ex quo enim sua peccata, quę verè erant, noluit aduertere, noluit inspicere, noluit scrutari, tā naturali motu ferebatur, vt cæteros accusaret, & abominaretur. Proponite vobis ob oculos huius rei præclarissimum exemplum in fornace Babyloniæ; hæc erat penè ad prodigium accensa, cum medijs stridentibus flammis tres Hæbræi pueri religionis ergo immissi sunt. Quid plura? Ait Daniel cap. 3. *Effundebatur flamma super fornacem, cubitis quadraginta nouem: & erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis eius, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omninò ignis, &c.* Habebat in se fornax tres pueros, quos minimè tangebat, nec vllam illis molestiam inferebat; verùm, quos Chaldæos extra se inuenerebat, hos exurebat. Et cur qui parcebat sibi intrinsecis, exurebat à se distantes, & alienos? Ideò exurebat distantes, & alienos à se, quia sibi intrinsecos minimè attingebat. Acutè, & sapienter D. Chrysostom. homil. de tribus pueris, ait: *Furatur pastus alienos incēdium, nam consumpsit, quos propè inuenit, quia ieiunat in suis.* Quid verius, & certius in rem præsentem? Quia fornax in suis ieiunat, ideò furatur pastus alienos, ideò tēdit ad distantes exurendos. Sic igneus hominum zelus, quia ieiunat in suis, quia nihil in se reprehensibile aduertit, quia in se reprehendenda non vult inspicere, nec inspecta æstimat, ideò alienos lancinat, ideò proximos exurit, & perdit. Fallar, nisi huc afferri posset illud Psalm. 115. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Per excessum homo prorsùs à se alienatur; & quæ vox est hominis à se penitùs alienati, hæc nimirùm, *Omnis homo mendax*: nil priùs facit homo, qui à se alienatur, quàm omnes alios homines, & notare, & arguere criminum reos. Exemplum cape in Pharisæo illo, de quo Luc. cap. 18. *Pharisæus stans hæc apud se orabat: Domine, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, &c.* Vni sibi parcit in correptione, & fugillatione, à se solo excedit, & dum se solùm præterit, omnium aliorum iniustitias percutit. D. Bernard. tractās de gradibus humil. ait: *Quid iste deprompsit in excessu suo? Deus, gratias ago tibi, quia nō*

Dan. 3.

Chrysost.

Ps. 115.

Luc. 18.

Bernar.

sum

sum sicut cæteri. Dū in se singulariter exultat, alijs arroganter insultat. Nondum de suo trabem eiecerat, & festucas in oculis fratrum enumerat. Dum trabem habeas in oculis, qua interiora tua non videas, qua errores tuos non scruteris, & ponderes, sed totus à tui notitia te alienes, non desines proximos leoncinare, proximorum errores hostiliter persequi. Quos solus ille non attendit, qui scrutandis proprijs est intentus. Notissima erat arrogantia prædicti Pharisæi, patentissimæ erant iniuriæ, quas in alios conijciebat. Quæ omnia ad præsentiam, imò ad oculos, & aures publicani hominis peragebantur, & tamen publicanus ille nec dicitur vidisse, nec audisse. Et cur illa non percipiebat? Ait Lucas, ibi: *Publicanus â longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum.* Hoc erat publicani opus, percutere suum pectus, vt peccata sua videret; ex quo veniebat, quòd de aliorum erroribus nullum haberet sensum. D. Zeno in Psalm. 129. *A quo procedunt vniuersa genera peccatorum pectus crebrò percutiens postulat tantùm veniam delictorum.* Dum sui pectoris piscinam mouet, in eoq; notat scaturigines peccatorum, vnum tantum curat, vt sibi veniam acquirat, nil in alijs notans.

Psal. 129.

§. XXXVII.

Nimij censores errorum proximorum miserè permittuntur à Deo cadere in grauiora. Vbi de moderatione in aliorum peccatis castigandis.

FRatrem meretricibus deditum accusat hic senior filius, & simul queritur, sibi numquam datum hædum; sed hædus animal petulãs est, & lasciuum, cuius sanguinis calore & adamãtes soluuntur; imò vt aliquid plus dicã, hœdus inter mercedes meretricias ponitur. Sic Gen. 38. vt Iudas meretricio concubitu frueretur, hædum promittit: vbi maximè noto, quòd senior hic filius dum meretricios amplexus in fratre, & durè carpit, & abominatur, simul ipse queratur de non accepto hœdo, nempè meretricio præmio, voluptatum incentiuo. Et quando non eadem facit, aut maiora, qui nimis persequitur peccata proximorum? Nouisti à Sichimitis raptam, & cõstrupatam Dinam filiam Iacob; sed & vindictam sumptam de voluptuosis raptoribus à puellæ fratribus, Iacob filijs audisti. Quippè ardentissimi & honoris, & integritatis zelatores arreptis gladijs Sichimitas adoriuntur, ciuitatem populantur, nec minimo parcit furor eorum, dum vindicent facinus voluptuosum. Quid tunc? Vnus ex his zelatoribus, & vindicatoribus Rubem immediatè ad hæc, Genes. 35. *Dormiuit cum Bala concubina patris sui.* Sichimitam persequitur, & peremit propter Dinam construpatam, & interea ipse rabidiori, & insolentiori lasciuia percitus non veretur ingredi ad patris vxorem. Vndè in tãm insuetam lasciuiam incidit, nisi quia nimis rigidus zelator, & persecutor erat Sichimitarum erroris? Solent ij nimis rigidi zelatores puniri à Deo in eo, quòd permittantur incidere in crimina maiora. Lyppom. in Caten. ad cap. 34. Genes. *Acerrimi quidem filij Iacob aduersus Sichimitas insistebant, sed non sine Dei offensa, quam casus maioris criminis posteà vindicauit, cùm eorum maior patris cubile fœdaret, longè turpiori scelere, quàm Dina. Sinit enim iustitia Dei tãm zelosos in aliena peccata vindices, turpiùs nonnumquam peccare.* Iusta Dei vindicta est in eos, qui nimis acriter proximorũ errores persequuntur; quòd ipsi in maiora etiam crimina labãtur. Quis nesciat, Iudæos feruentiores esse Sabbathi defensores? Sic zelabant religionem Sabbathi, vt totis viribus Iesu discipulos accusarent de Sabbatho violato, licèt in paruis. Ait enim Matth. 12. *Abijt Iesus per sata Sabbatho: discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare. Pharisæi autem videntes dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere Sabbathis.* Ecce tibi, acerrimi inuasores eorum, qui vel in minimis videbantur Sabbathum non obseruare: sed proh dolor, ij ipsi, qui sic Sabbathum obseruant, vt pro eius obseruantia nimij zelatores existant aduersus alios; ij ipsi, inquam, & præcipuum Sabbathum, & omnia sua Sabbatha turpiter fœdant, Dei Filium per illos dies morti dantes, vt vel ex hoc crimine sui zeli malitia prodatur. Rem pulchrè attigit Diu. Athan. homil. de semente, fatus: *Illi, qui esum in Sabbatho pro crimine obijciebant, ipsi eadem in Dominum ipso Sabbatho moliuntur. Refert autem scriptura in Euangelio, de die, in qua Dominus passus est: Erat autem dies illa magna Sabbathi. Legis ergo latorem ijdem per Sab-*

Gen. 35.

Lyppom.

Matt. 12.

Athan.

bathi diem è medio tollunt, & discipulos vesci in Sabbatho non permittunt. Sic sinuntur à Deo vindice errare, qui nimis acres sunt circa proximorum errata. Quis ignoret rigidum Petri animũ aduersus Christi Domini comprehensores? De illo Ioan. 18. *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis seruũ, &c.* Cur non percuteret Filij Dei comprehensores? At non multùm pòst & ipse Filium Dei abnegat, & iurat, sub eius numquam fuisse disciplina. Cur sic Petrus permissus est, tàm nefariè Dominum negare? Fecit hoc seuerus ille rigor, quo absque vlla miserationis memoria putauit percutiendũ Malchum. Ait Cæsar, Nazianzeni frater, dialog. 4. *Putabat Petrus illos numquã per pœnitentiam dignos habendos benignitate: permittit ipsum cadere Dominus, propter percussum Pontificis seruum, & amputatam eius aurem.* Hanc solent habere pœnam nimis rigidi proximorum zelatores, vt ipsi in maiora cadere permittantur. Amat Deus proximorum crimina longanimiter sustineri, & sic puniri à vero Dei æmulatore, vt locus pœnitentiæ detur, & proximi salus possit spectari. Chananæorum semen valdè erat Deo ingratum, & odiosum, propter quod decreuit illud è medio tollere, & eorum terram Israelitis dare. Ecce rei executio monstratur, venit armata Israelitarum manus illas nationes expugnatura. Tunc ait Sapient. cap. 12. *Et misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent. Non quia impotens eras, in bello subijcere impios iustis, aut bestijs sæuis, aut verbo duro simul exterminare. Sed partibus indicans, dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia impiorum: & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio.* Itaq; ibat exercitus Israelitarum, sed ante exercitum ibat vespa, quæ paulatim regiones Idololatrarum, pessimorum vastabat, dans illis locum pœnitentiæ, quam illi minimè facturi erant, quandoquidem sic in malitia erant obdurati, vt minimè illam relinquere vellent. Sed quando pessimas nosceba Deus nationes, & earum obdurationem in malis, cur ante exercitum suum præmisit vespas, quæ paulatim vastarent, & locum pœnitentiæ darent? Cur sine vespis antè ambulonibus, & sine his ad pœnitentiam indutijs, non statim exercitum Israelitarum permsit intrare, vt scelerator conficerent, & eorum regiones expugnarent? Cur maluit, vt exercitus præcederent vespæ sic paulatim vastantes? Voluit Deus, quòd Israelitæ milites dum ferro vsuri erant, ad sceleratas nationes extirpandas, ante se vespas à Deo immissas viderent, à quibus discerent moderationem circa peccatores etiam immanissimos, & sic illos persequerentur, vt non obliuiscerentur humanitatis, sed locum pœnitentiæ darent. Numquam enim Deus aliter cupit, quòd homines eant aduersus aliorum peccata, licèt sint omnium maxima. Diu. Athanas. in Synopsi fatur: *Vespas dimisit, & lenitate vsus, etiam illis postea pœnitentiæ locum dedit, per ista populum instruẽs, vt benignus esset, & humanus contra elementorum, ranarum, vermiculorum, locustarum, serpentum, imaginum ex auro, argento, lapidibus, aut ligno fabricatarũ adoratores.* Etsi potestatem habeas aduersus scelestissimum peccatorem, cuius impœnitẽtiam scias, quem obduratum noscas, & semen esse maledictum; tamen caue, quòd sine humanitate, & benignitate in illum insurgas, non dans ei locum pœnitentiæ. Numquam, mihi crede, à Deo venit hominibus gladius aduersus aliorum peccata, quamuis omnium maxima, qui non exerendus sit magna longanimitate, & expectatione, vt locus pœnitentiæ possit dari. Iussus agricola succidere sterilem ficum, ait. Luc. 13. *Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, &c.* Et falcem habebat bonus agricola, & iussus erat sterilem succidere, & nihilominùs cunctatur, & rogat, succisionem dilatari. Cur non magis Deo iubenti obedit? Cur nõ magis quàm Deus mãdat, exerit falcẽ? Nouit Dei imperium de vlciscendis aliorum peccatis, quanta moderatione, & expectatione exhibendum est. Ex quo D. Nissen. homil. in eos, qui alios acerbiùs iudicant, sic monet potestates: *Noli igitur esse tàm facilis ad imputãdum, et excindendum, tu, qui Dominum, ne id faciat, debes obsecrare, neque tàm celeriter desperandum existima. Diligentiam adhibeto: reprehensionibus circumfodito: cohortationibus foueto, tamquam sinu: documentorum, quasi aquarum copia irrigato præceptis, vt vallo communito.* Sic ibi, vt doceat, quanta cum longanimitate debeant castigari proximorum peccata.

(·.·)

Sap. 12.

Athan.

Luc. 13.

Nissen.

Luc. 15. At ille dixit: Fili, tu mecum ſemper es, & omnia mea tua ſunt; epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt.

§. XXXVIII.

In Ieſu præſentia nullum deficit nobis Dei bonum.

EXpende ſequelam: *Tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt*: ex quo quis cum Deo ſit, Dei præſentiam fruatur, omnia Dei bona habet. Neſcit equidem Deus vlla bona ſua negare ijs, quibus
Matt 15 præſens efficitur. Matth. 15. ait Dominus. *Miſereor turbæ, quia iam triduò perſeuerant mecum, & non habent, quod manducent, et dimittere eos ieiunos nolo.* Hæc fatus accepit ſeptem panes, & paucos piſciculos, quos fregit, & diſtribuit per quatuor millia hominum, exceptis paruulis, & mulieribus. *Et comederunt omnes, et ſaturati ſunt. Et quod ſuperfluit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas.* Ex quo tanta vbertas, & alimenti copia nata eſt, cùm panes adeò pauci eſſent? Vbertatis cauſam inſinuat Dominus, cùm ait: *Iam triduò perſeuerant mecum.* Vbi enim Dei præſentia aſſeritur, neceſſum eſt, vt exuberent omnia Dei dona. Ait Diu. Baſilius
Baſi. Se. Seleuc. orat. 33. *Aderat enim, qui terræ latera ad fructificandum excitat: aderat, qui cœlum nubibus circumueſtit: aderat, qui artis induſtriam mortalibus eſt elargitus: aderat, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ: aderat in ea, quam geſtauerat carnem, fidē præſentiæ faciens.* Hoc ſufficit ſcire, nimirùm, quòd diuina præſentia ſit, quòd velit Deus credi præſens, vt omnia eius ſupereffluant bona, & ab eo in homines proficiſcantur. Quis Deum ſibi præſentem, & proximum habere poteſt, & poteſt egere aliquo? Matth. 3. de Ieſu, dum inter multos alios egentes fonte, & mari ad lauacrū,
Matth. 3. baptiſma ſuſcipit Ioannis, ait: *Baptizatus autem Ieſus, confeſtim aſcendit de aqua, et ecce aperti ſunt ei cœli: et vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, et venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cœlis, dicens: Hic eſt filius meus, &c.* Ecce tibi, & Pater, & Spiritus ſanctus ſeſe oſtendunt Ieſu, aſsiſtentes tunc præcipuè, cùm aſcendit de lauacro. Et cur hanc oſtenſionem magis facere voluerunt in Ieſu baptiſmate, quàm in Ieſu natiuitate, quàm in Ieſu circumciſione? Nonne in Ieſu maius natiuitatis opus, maius & circūciſionis, quā baptiſmatis opus? Sanè maius opus circumciſionis, & natiuitatis, ſed & plenius ſignis diuinitatis; in illo enim ſic oſtendebatur pauper Dominus, vt ſimul oſtenderetur habere Angelorum famulatum. In baptiſmo ſic adfuit Ieſus, quaſi vnus è populo, quaſi vnus ex his, qui egerent lauacris: vndè, ſeſe tunc illi aſsiſtentes oſtendunt Pater, & Spiritus ſanctus, vt de tanti Patris præſentia clareret, nulla poſſe Filium inopia premi, ſed omnium copia abundare. Ait. Diu. Baſil. Seleuc. orat. 39. *Fluuius Chriſtum circūdedit, baptizatum verò ſupernè fauſta acclamatione proſequebatur; & ne eum ipſum, qui baptiſma in Iordanis fluento primùm inſtituit, gratiæ inopiam ſecum detuliſſe, verbis vrgeas. Ideò Pater cum clamore præconium fecit, Spiritus volatu iudicium.* Expende, cur Pater dicatur ſeſe in Ieſu tunc oſtendiſſe, nimirùm. *Ne baptizatus gartiæ inopiam ſecum detuliſſe diceretur.* Quaſi implicaret, alicuius eſſe inopiam in eo, qui ſecum tātum habebat Patrem, cui ſic vndique diuinitas aſtaret. Nequit ſanè cum diuinis perſonis eſſe conſuetudo, & vacuatas manere manus. Quò ſpectans D. Ioan. 1. epiſt. cap. 1.
Ioan. 1 ait: *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis noſtris: quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerūt de Verbo vitæ.* Vbi Verbum diuinum in carne apparuit, nobiſcū habitauit: ex tanti Verbi conſuetudine, & præſentia non potuerunt vacuæ eſſe noſtræ manus, ſed & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitę. Et quid contrectarent manus noſtræ, niſi omnem plenitudinem bonorum, quæ à Deo in homines
Ruric. cadit? Ruricius, lib. 2. epiſt. 33. *Hoc erat illud Verbum, quod ſine tempore â Patre genitum, in tempore creatur ex matre, vt creator fieret; vt eſſe poſſit humanitatis quædam portio, diuinitatis totius plenitudo.* Ex quo nobiſcum Deus habitauit, & nos cum Deo; datur, vt ſit portio hominis, diuinitatis totis plenitudo, ne aliquod Dei bonum deficiat, vbi tanta eſt cum Deo familiaritas, & conſuetudo. Hoc curet homo, vt cum Deo ſit, & Deum ſecum habeat, & omnia bona habebit, atque omnia mala fugient. Pſalm. 130. inquit:
Pſ 138 *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in*

ipsa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ. Catuli leonum rugientes, vt rapiant, et quærant â Deo eſcam ſibi. Ortus eſt Sol, et congregâtiſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Expêde, quid in abſentia Solis, & quid in Solis accidat præſentia: abſente Sole, omnes beſtiæ ſiluarum inſurgunt, quæ ad ortum Solis diffugiunt. Sic abſente Deo, ſic abſente Chriſto, multa nos mala turbant, quæ nequeunt permanere, vbi nobis illuceſcit Chriſtus. Caſsiodorus in præſenti fatur: *Cûm in paſsione Domini factæ fuiſſent tenebræ; demones ad eſcam ſibi quærendam, permittente Domino, proruperunt, quia inuenire poterant corda titubantium. Tunc autem quando ortus eſt Sol; id eſt, reſurrectio ſancta declarata eſt, maieſtatem eius minimê ſuſtinentes, in ſuis ſe trepidis cubilibus abdiderunt.* Quantùm valuit diabolus in diſcipulos Chriſti, in eius paſsione, in eius morte? Redijt ad vitam Saluator, cepit cum diſcipulis conuerſari, & ſtatim fugit malus, & cœleſtia dona cæperunt abundare.

Caſsiod.

CAPVT XVI.

De Villico iniquitatis.

QVANTA Induſtria, & diligẽtia adhibita debeãt peccatores ad Dei gratiam redire, pulchrè oſtenditur in parabola villici. Hic iniquè munus ſuum exercuit, & adeò iniquè, vt iam iam ſibi à domino ſuo videret imminere ſupplicium. Quid tunc? Cùm ipſe domino ſatisfacere non poſsit, non cadit animo, non otioſus decumbit; ſed datis litteris, & captionibus, aliorum debita leuat, vt de beneficio villici leuati cæteri debitores faciliùs ipſi pro ſe ſatisfaciãt domino, & poſteà gratias referant villico, eius procurantes ſalutem. Quid prudentius? Hoc videant peccatores, & cum debiti ſui onere ſe premi videãt, ne otio torpeant, ſed toto conatu aliorum proximorum onera, quæcumque ſint, curent leuare ipſi; licèt in ijs impendant & operam, & ſubſtantiam ſuam: quotquot enim vel à paupertatis, vel ab alio preſſuræ onere leuauerint, tot habebunt ora, quæ pro illis ſtent apud diuinum iudicem.

Luc. 16. Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſsipaſſet bona ipſius.

§. I.

Viro bono cura debet eſſe de bona fama habenda.

NOn abſolutè aſſeritur villicus iſte, quòd diſsipaſſet bona domini, ſed ſolùm dicitur diffamatus, quaſi diſsipaſſet. Iniquum eſt, nõ ſolùm quòd malè agas, ſed & quòd diffameris, quaſi malè agas. Bonus enim vir nõ ſolùm debet mala abſolutè nõ agere, ſed & curare, ne diffametur, nec habeatur quaſi malefactor. Paulus, 1. Theſſal. 5. monet: *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Pro quo D. Bernardus, lib. 3. de conſid. ſic monet Eugenium Pontif. Max. *Sanè intereſt tuæ perfectionis, & malas res, et malas pariter ſpecies deuitare. In altero conſcientiæ, in altero famæ conſulis.* Et vix tuta conſcientia bonæ nõ conſulitur famæ. Anna illa Samuelis mater dum oraret ad Deum, quaſi ebria apparebat: vndê ait illi Sacerdos, 1. Reg. 1. *Vſquequò ebria eris? Digere paulliſper vinum, quo mades.* Quid ad hæc verè humilis, imò humiliata fœmina? Suſtulitne haberi ebria à Sacerdote? Ait ipſa ibi: *Nequaquã Domine mi, nam mulier infœlix nimis ego ſum, vinumque, et omne, quod inebriare poteſt, non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini. Ne reputes ancillã tuam quaſi vnam de filiabus Belial.* Et cur verè humilis fœmina non magis contemnit, ebriam æſtimari? Cur tantis contendit ſiniſtram de ſe conceptam opinionem eradere? Boni ſanê, virtuoſique animi eſt, fœdam minimè ſuſtinere maculam inuri famæ, ſed de bono nomine cum moderatione curare. Chryſoſtom. homil. de fide Annæ ait: *Multam adhibet curam, ne â ſacerdote malam referat opinionem, nec apud ſe dixit: Quid mihi curæ iſtius calumnia? Ignoranter, & temerè accuſat, ſuſpicatur, vbi nihil erat opus. Mea conſcientia pura eſto, et omnes me traducant. Sed Apoſtolicam illam impleuit legem, quæ iubet, vt proui deamus bona, non tantùm coram Domino, ſed etiã coram hominibus. Atq; omni modo ſuſpi-*

Bernard.

1. Theſſ. 5.

1. Reg. 1.

Chryſoſt.

ſuſpicionem depulit. Inter maximas animi ſui curas, pro quibus bona fœmina ad Deũ orabat, non parui momenti rem putauit, ſi ſuæ conſuleret famæ: imò pauliſper orationem, & ſupplicationem ſuam diſtulit, totumque impetum ſpiritus ſiſtere fecit; dum malam de ſe conceptam opinionem frangeret. Ea enim debet eſſe iuſtis hominibus cura, non ſolùm vt in virtutibus acquirendis fortiter ſe gerant, ſed vt nulla ſpecie mali inurant maculã famæ. Quò forſan ſpectaba Pſal. 92. aiens: *Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, &c.* Duo veſtimentorum genera induendo Domino aptat, aliud fortitudinis, decoris aliud. Sed quæ fortitudo, & qui decor pro indumentis ſumi debent à iuſto Dei æmulatore? In fortitudine intellige virtutum operationes, in decore ſplendorem bonæ famæ, ijs duobus componitur gloria iuſti animi. Vndê D. Bernard. lib. 3. de conſider. ait: *Tu quoque eſto fortis in fide, decorus in gloria, & probaſti te imitatorem Dei. Fortitudo tua fiducia bonæ conſcientiæ: decor tuus, ſplendor bonæ opinionis. Ita, quæſo, induere fortitudinem: induere veſtimentis gloriæ tuæ, veſtire duplicibus, quibus domeſticos ſuos fortis illa mulier induere conſueuit. Non ſit in conſcientia nutans infirmitas modicæ fidei; non ſit in fama næuus malæ ſpeciei, & veſtieris duplicibus, et gaudebit ſponſus ſuper ſponſam animam tuam; & gaudebit ſuper te Deus tuus.* Non ſic de conſcientiæ puritate gaudeas, quòd penitùs contemnas næuos in fama; vtriuſq; debes curam agere, qui turpem oculis diuinis times incurrere nuditatem. Non fortis eſt anima, cuius domeſtici veſtiti duplicibus non ſunt ex Prouerb. 31. hoc eſt, cuius opera, cùm ſint bona, non etiam omni malaſpecie, & ſuſpicione carent. Id in matre ſua Dominus maximè cuſtodiuit, eius enim annuntiationem narrans, Luc. cap. 2. ait: *Miſſus eſt Angelus Gabriel â Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, &c.* Virgo eligitur ad Dei partum: ſed virgo deſponſata homini; & cur virgo eligitur homini deſponſata, niſi vt dum grauis vtero appareret, vt virgo pura erat in opere, ſic nullam ſpeciẽ corruptionis ingereret famæ. Pulchrè ad hæc D. Ambroſ. lib. 2. in Lucam fatur: *Virgo eligitur, vt expers virilis conſortij videretur, deſponſata, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui grauis alunus corruptelæ videretur inſigne præferre. Maluit autem Dominus, aliquos, de ſui ortu, quàm de matris pudore dubitare: ſciebat enim teneram eſſe virginis, et lubricam famã pudoris, nec putauit ortus ſui fidem matris iniurijs adſtruendam. Seruatur itaque ſanctæ Mariæ ſicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione virginitas.* Non eſſet digna mens, in quam Deus veniret, quæ ijs duplicibus ornamentis non eſſet veſtita, nimirùm & conſcientia virtutis, & opinione bona incontaminatæ pudicitiæ.

§. II.

Dei dona dum publicantur, perduntur.

DIffamatus eſt hic villicus, quaſi domini bona diſſipaſſet: nec immeritò Dei bona quaſi diſſipata dicuntur, cũ per famæ ora volitare intelliguntur; ſufficit enim hoc ad Dei dona perdenda, ad Dei fauores diſſipandos, quòd eos fama loquatur, & euulget. Hinc Abacuc, cap. 3. iuxta Septuag. ait: *Cuſtodiui, & expauit venter meus â voce orationis labiorum meorum.* Expende illud, *cuſtodiui*, antequam ſe ſiſtat Domino, antequam labia in oratione moueat, antequam aliquid & pauẽdum, & mirandum in oratione percipiat à Deo, iam præparat cuſtodiam, iam ſe accingit ad cuſtodiendum, ad obſeruãdum. Cur oraturus tàm feſtinatam parat cuſtodiam? Scit, diuina dona vel ſui publicatione, & euulgatione deperdi, & ideò cũ orationi incumbit, aliquid diuinum acceptu rus, de nullo magis curat, quàm de adhibenda cuſtodia. Prima illa hominum parens, dum diuina colloquia euulgat, & ſerpenti prodit, perdidit omnia: ex quo metuenda venit viro iuſto diuini publicatio colloquij. D. Petrus Chryſolog. ſerm. 68. ait: *Cuſtodiui, inquit, & expauit venter meus â voce orationis labiorum meorũ. Poſteâ quàm diuini muneris ſenſerat largitatem, cuſtodiuit ſe, ne ſe hoſtem, ne inimicũ, ne latronem ſe iterùm ſicut in paradiſo, ſuſtineret.* Dum ſub cuſtodia mãſit Dei cum hominibus colloquium, ipſaque Dei munera data homini in paradiſo, omnia humana procedebant proſperè: maleſuada fœmina omnia perdidit, omnia euulgauit: ſic omnia perduntur, quaſi inciderint in latrones, & in crudeliſſimos hoſtes. Cautior inde factus Propheta, vbi Dei largitatem experitur, vbi à Deo in ſe profecta ſentit bona, ori cuſtodiam adhibet, ne publi-

publicetur, vel se ipsum timēs latronem. Maximum enim detrimentum facit, imò maximè Deum lædit, quisquis eius publicat occultanda bona. Psalm. 118. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Expende, quod damnum præcauet, dū eloquia Dei abscondit; præcauet damnū non homini, sed Deo inferendum; quippè ait: *Vt non peccem tibi,* quasi in euulgatione, & publicatione diuinorum præcipuè Deum offendat homo. Diu. Hilar. in Psalm. 118. littera, Beth, ait: *Cum cætera peccata secundùm differentias rerum, aut in nos ipsos, aut in alios exercentur, tamen tùm fiunt in Deum propria, cùm quæ occultorū cordium essent condenda secreto, hæc in profanæ cognitionis scientiā proderentur.* Huc conueniat aliquorum vanitas in publicādis Dei donis: huc etiam conueniant multi viri, qui nescio, quo spiritu dona Dei sibi data, vel alijs, ad profanissimos deferunt conuentus. Nec vllus Dei fauor est secretissimè alicui exhibitus, qui festinatissimè nō rapiatur, & inter mūdiales Principes circūferatur, per omnium volitans ora. Fallar, nisi hinc Deus maximè offendatur, maximumque Dei donis inferatur incommodum. Peccata sunt hæc aduersus Deum propria, & inde grauiora, & lōgè difficilis curationis. Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscōdit, &c.* Ipse thesaurus absconditus erat, & tamen bonus homo quem absconditum thesaurum nouit, magis abscondit. Cur magis abscondit? Vt hinc doceātur & virtutum amatores, & animarum curatores, quale munus debeant exercere circa thesauros cœlestes, quibus hoc debēt præstare, quòd illos magis, ac magis abscondant. Sæpissimè homo Dei, dum in abscondito ad Deum oras, aliquid de diuinis thesauris tibi venit abscondité; sæpissimè animarum curator in abiecta aliqua fœmina, & occulta cœlestem inuenit thesaurum absconditum. Quid tunc fiet? Debent ij publicari thesauri? Absit; imò magis debent abscondi: qui enim publicet, maximam incurret offensam apud thesauri conditorem. D. Hilar. in Psalm. 118. littera, Beth. *Legimus & in Euangelio, in agro vberi, atque fœcundo repertum thesaurum, eūdemque empto agro occultari. Nouimus, neque margaritas ante porcos proijciendas esse, neque sanctum canibus dari oportere. Ergo intelligimus, quædam nos cordis nostri secreto cōtinere, quæ diuulgata inexpiabilis peccati culpam comparabunt.* Ne miremur, Dei bona dissipari, vbi per omnium ora incipiunt volitare; penè idem est, publicari Dei dona, & dissipari, & in perditionem vocari.

Ps. 118.

Hilar.

Matt. 13

Hilar.

Luc. 16. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam non poteris villicari.

§. III.

Malis Christianis celerius solet inferri supplicium.

VBi facinorum villici huius fama peruenit ad dominum, statim dominus hominem in iudicium vocat, à villicationis munere deturbādum. Genes. 18. dicebat Dominus ad Abrahamum: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggrauatū est nimis. Descendam, et videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere cōpleuerint.* Iam peccata Sodomorum clamore famæ prædicabantur, & singulis momentis Dei aures pulsabant; & nihilominus Deus in castigandis Sodomis cunctatur, nec fame clamoribus mouetur, sed profectionem parat, qua omnia ipse descendens prospiciat, scrutetur. Nō sic cum hoc villico res agitur, imò vt primū diffamatus est apud dominum; vt primum scelerum clamor, Dei aures pulsat, nulla expectata mora, nulla profectione interposita, confestim miser in iudicium vocatur à munere deturbandus. Cur non magis spectatur hic? Cur magis credit Dominus huius malæ famæ clamoribus, quàm clamoribus Sodomitarum? Ij infœlices erant, à Iesu notitia prorsùs alieni; villicus autem petinebat ad domesticos fidei Christianæ: malis autem Christianis citiùs, & celeriùs supplicium solet parari. Iob. cap. 25. iuxta lectionem Græcam, ait: *Neque enim quis existimet, quòd dilatio sit piratis.* Piratæ in aquis latrocinium exercēt, illisque supplicium dicto citiùs adueniet. Et cur festinatū supplicium præcipuè minatur piratis vir sanctus? Cur non vniuersim latronibus omnibus, sed piratis dicit, nō fore differendum supplicium? Non de omnibus peccatoribus agit, sed de illis, qui in baptismi Christiani

Gen. 18.

Iob. 27.

tiani aquis tincti, adhuc sceleribus operã nauant, ij quidem præ omnibus alijs festinatissimè supplicium capient. Quod do-
Hieron. cens D. Hieron. in cap. 6. Oseę, tandem fatur: *Quamuis enim præsenti sæculo se iactare videantur, et conturbare aquas, et operari vana, & exercere piraticam: tamen non est mora pœnarum, quæ eos velociter comprehendent.* Miser, qui baptismi professionem conturbat, qui super aquas baptismi latrocinatur, hic quam primùm ad supplicium vocabitur. Væ tibi, qui abuteris baptismi aquis, vt sub professione sanctitatis viuas sceleratus, absq; dubio supplicium tuum non tardabit. Quis nesciat, festinatissimam illam pœnam Ananiæ, & Saphiræ illatam? Fraudarũt de pretio agri Deo oblati, & illicò pœnam subtulere peccati. Cur non magis eorum supplicium dilatũ? Sanè non est dilatatio piratis; hoc est, nõ est dilatatio pœnę ijs, qui abutũtur baptismi gratia, & professione sanctitatis.
Act. 5. Hinc D. Petrus ad hoc ait, Act. 5. *Cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* Syrus ait: *Vt mentireris in Spiritum sanctitatis?* Nec est quærenda alia causa accelerati supplicij, vbi opera non correspondent & spiritui, & professioni acceptæ sanctitatis.
Ezec. 9. Ezech. cap. 9. sic iubet Dominus vltricibus potestatibus: *Non parcat oculus vester, neque misereamini senem, adolescentulum, et virginem; parvulos, et mulieres interficite vsque ad internecionem: â Sanctuario meo incipite.* Septuagint. *A Sanctis meis incipite*: hoc est, iuxta Theodoretum, ab his, qui sanctitatis professionem habent, nec implent, vltio incipiat. Quò respiciens D. Petrus. 1. epist. 4
Petr. 1. ait: *Tempus est, vt incipiat iudicium â domo Dei*: quasi illa prophetia Ezechielis, non tàm pro illo, quàm pro Christiano ũ tempore fuerit prolata. Tunc dictum est, *A Sanctis meis incipite*: nunc autem tempus est, quo mandatum illud debeat executioni mandari, quando baptismi sanctitate abutentes, quam primùm debent flagellis dari. Quò spectabat Ioannes Baptista, asserens de Iesu baptismi institutore,
Matt 3. Matth. 3. *Baptizabit vos Spiritu sancto, & igne*. Baptismi sanctificationi ignem statim apposuit, vt baptizati, qui offenderint, non putent supplicium dilatandum, sed iam iam imminentem, imò aduolantem, & sibi proximum ignem punitiuum
Pasch. experiantur. At Diu. Paschas. lib. 2. in Matth. *Baptizabit nos Spiritu sancto, & igne, quasi nos in præsenti Spiritu sancto abluat, & deinceps, si qua peccati macula subrepserit, per ignem conflagrationis ad purum exurat.* Est equidem baptismi aquis vicinus punitionis ignis, vt credant baptizati, si peccauerint, in proximo sibi esse pœnam peccati.

§. IIII.

Præfecti, qui præclarè rempublicam administrant, nec in morte videntur priuari munere suo.

VOcato ad rationem reddendam villico, hoc illi pro supplicio malè administrati muneris dicitur: *Iam non poteris villicare.* Quid hoc peculiare malo, & pessimo villico? Nonne etiam si bonus fuisset, & diem rationis reddendę erat habiturus, nimirum dié mortis suæ, & post hanc omni priuandus munere? Absit: boni enim administratores reipublicæ nec in morte videntur munere priuati, sed & tunc apparét, quasi in illo adhuc floreãt, & viuant. Deuteron. 17. de Rege locutus Deut 17.
Dominus, ait: *Nec elevetur cor eius in superbiam super fratres suos, nec declinet in partem dexteram, vel sinistram, vt longo tempore regnet.* At præclarissimus, & sanctissimus fuit Rex Iosias, qui nihilominùs paruo tempore regnauit, & penè adolescens ereptus fuit è viuis. Quomodo ergo vera illa promissio erit de lõgæuitate regni, quando & præclarissimi Reges adhuc adolescentes morte abripiũtur? Non promittit longæuitatem vitæ, sed longæuitatem regni, quando præclari Reges vel in morte regnum non amittunt. Aiebat enim Philo, lib. de creat. Princip. *Tali au* Philo
tem Principi legitimo, ius æquabile honoranti, incorruptè iudicanti, semper meditanti iustitiam, longæuum principatum Propheta proponit vice præmij: non quòd annosam ætatem polliceatur rectè administrantibus rempublicam, sed vt nos doceat, legitimum Principem victurum etiam post mortem, relicta post se immortali virtutis, rerumque â se gestarum memoria. Nescit finiri principatus in bono Principe, etiã dum vita finitur, adhuc ipse existimatur sceptrum tenere, qui piè, & sanctè deposuit vitam. Quò forsan aspiciebat Iob, vbi locutus de sanctè acta vita, vt mauult D. Gre- Gregor.
gor. ait cap. 3. *Nunc etiam dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum Regibus, et consulibus terræ.* Et mortem somnum

num vocat, & in illa se putat Regibus, & Consulibus nô ab simílem; nihil enim de reguo, & principatu eripit mors illis, qui præclarè administrauerunt sibi creditam rempublicam. Quàm aliter accidit malis administratoribꝰ; ij enim omni regali munere, & decore priuati mortem incurrũt. De Heli & tepido, & pessimo gubernatore populi Israelitici dicitur. 1. Reg. cap. 4. *Cumque ille nominasset arcam Dei* (scilicet captã) *cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.* Nec otiosè notatum, quòd in eius morte, & sella retrorsum ceciderit, & eius ceruix fracta fuisset. In sella enim iudiciaria potestas innuitur; in capite autem corona regni decor effulget, pessimè autem administrãti gubernatoris munera, vniuersa potestatis signa per mortem eripiuntur. Rupert. lib. 4. de vict. cap. 10. ait. *Cecidit Heli de sella retrorsum, iuxta ostium, & fractis ceruicibus, mortuus est. Nimirum cadendo de sella retrorsum, & fractis ceruicibus moriendo palàm fecit, quòd neque sedile, neque coronam auream mereretur habere inter iudices alios.* Meritô pessimum iudicem de iudicum honore, & cathalogo mors delet, reseruans hoc bonis iudicibus præmium, quòd etiam in mortis somno appareant cum Regibus, & Consulibus terræ, & solium, & regale decus adhuc retinentes.

1. Reg. 4.

Rupert.

§. V.

Bonus gubernator neminem inauditum, inexaminatum, & non conuictum a munere potest repellere.

DEus erat, qui famam malæ villicationis huius audierat, non tamen audita fama mouetur, vt munere priuet villicum; sed illum vocat, accusationem denuntiat, rationem reddendam expectat. Numquam enim gubernator, qui Dei spiritu agitur, etiam proclamante fama, aliquem inauditum, inexaminatum, & in ratione fori non conuictum à munere pellit. Flacci summam tyrãnidem in Iudæos hinc prædicat Philo. lib. aduersus illum: *Post paucos dies edictum proposuit, in quo nos appellabat inquilinos, & exteros, nec causæ quidem dicendæ potestatem faciens, sed inindicatos condemnans; quo quid possit esse magis tyrannicum? Ipse sibi vsurpabat partes delatoris, inimici, testis, iudicis, pœnarum exactoris.* Et quidem nullus est prætextus, qui à tyrannide liberet iudicium illud, quo inauditus, & minimè conuictus damnatur frater. Aiebat enim Apuleius lib. 10. *Vt ritè, & more maiorum indicio reddito, & vtrinsecùs allegationibus examinatis ciuiliter sententia promeretur, nec ad instar barbaricæ feritatis, vel tyrannicæ impotentiæ damnaretur aliquis inauditus.* Si quando iniudicatus frater condemnari posset, tunc erat, cùm iudicium illius fit inter sanctos, de quorum pijs animis non potest dubitari, & quorum decreta sæpè sibi acquisiuere totam opinionem & prudentiæ, & sanctitatis. At neq; inter hos licet ad damnationem procedere inauditi, iniudicati, & minimè cõuicti. Vbi enim maior sanctitas, maior virtutis feruor, maior fidelium charitas, quàm primis illis Ecclesiæ nascentis cunabulis, cũ Christiana infantia, Apostolorum doctrina, velut lacte roborabatur? Tunc sic cauet Paulus. 1. Timotth. 5. *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Vbi, vt notat Diu. Thom. non solùm vetat damnationem inferri iniudicato, sed vel accusationem factam aduersus aliquem minimè audiendam docet, nisi à duobus, vel tribus fiat. Et tunc feruor erat charitatis maximus in omnibus fidelibus, de quorum nullo credi poterat, quòd mentiretur in fratrem. Et tunc maximus erat zelus religionis in Apostolis; ad cuiusuis enim scãdalum Paulus exurebatur: ait enim ipse: *Quis scandalizatur, et ego non vror?* Nec tamè tota illa opinio sanctitatis accusantium, nec totus hic zelus religionis, etsi maximus adduxit Paulum, vt crederet, posse aliquid subtrahi iudiciali foro, pro damnando homine, cuius scelus maximè tunc temporis scandalizaret, & Christi doctrinam infamaret. Ex quo Theodoretus, lib. 4. hæreticarum fabularum, de Audianis ait: *Non animaduerterunt, quòd ne diligentibus quidem, & suo officio exactè fungentibus Episcopis abscindere facile est; sed opus est quidem accusatoribus, opus autem est etiam testibus, vt vult lex Apostolica. Accusationẽ enim, inquit, aduersus presbyterum non admittes, sine duabus, vel tribus personis.* Et Apostoli, & Apostolorum inspirator, Dei vtique spiritus ad fratris damnationem, iudicij talem formam requirunt, qua difficile sit, resecare etiam putridum membrum: iudicantes, facilius tolerari posse impunitum scelus, quàm quòd

Philo.

Apul.

1. Tim. 5.

Theod.

quòd posſit contingere, quôd innocenti negetur locus defensæ. Idemque Theodoretus, lib. 1. histor. cap. 33. sic rem conficit: *Et doceam simul, non solis accusatoribus credendum, quamuis digni videantur, quibus sit habenda fides, sed alteram aurem integram seruandam reo.* Sic credibile scelus debet dimitti, dum exauditus reus non conuincitur. Vt enim rarò in condonando potest esse periculum, sic semper in iudicando, & damnando incurritur discrimen. Sapienter enim dicebat Cassiodor. lib. 11. var. 40. *Quamuis nomen ipsum iudicis dictatum videatur esse iustitiæ; ijs tamen diebus in domicilium pietatis deflectimus, vt ad Redemptorem omnium remissionis itinere peruenire posſimus. Ex hac enim virtute suauissimos fructus legimus, & remittendo alijs nobis parcimus. Nam qui periculosè iusti sumus, sub securitate semper ignoscimus.* Hæc ille & prudentissimè, & christianissimè.

Theod

Cassiod

§. VI.

Suspectus est Princeps, qui suorum ministrorum audita præterit crimina, & totus fertur ad inquirendos, & castigandos eorum accusatores.

COnueniant huc plurimi mundialium Principum, & discant, quo se animo gerant erga suos etiam selectissimos ministros. Sanè Deus villicum suum diffamari cernit, eiusque facinora publicari. Quid tunc? Irascitur in infamatores? illos inquirit? illos vocat in iudicium, & acerbè punit? Hoc faciunt sæpè mundiales Principes, qui de audita fama scelerum suorũ ministrorum hoc eliciunt, vt famigeratores inquirant, perdant accusatores: suorũ autem ministrorũ, qui sibi in pretio sunt, crimina nec velint agnoscere. Non hic Dei spiritus, sed mundialis, sed carnalis; Deus enim vbi in præsenti boni Principis agit personam, videns villicum suum diffamatum, nihil nunc aduersus infamatores, & accusatores loquitur, nec illos vocat in iudicium, sed prorsùs illos præteriens, villicum suum in examen vocat, & de remedio tractat eius perditionis. Hoc faciat, quisquis Princeps velit, se Dei ostentare æmulatorem: audita fama errantis ministri, quamuis electi, & dilecti, hoc vnum curet, vt factum ministri in examen vocet, illique remedium salutare prouideat, nulla ira exardescens in famigeratores, & accusatores. Nota est Noemi, licèt inuoluntoria, ebrietas, qua sepultus somno iacebat nudatus in tabernaculo, Genes. 9. *Quôd cùm vidisset Cham, pater Chanaam, verenda patris sui esse nudata, nũtiauit duobus fratribus suis foras. At verò Sem, & Iaphet pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui.* In ijs duobus fratribus opus prædico laudatissimum, quòd patris nuditati remedium prouideant, & scandala familiæ; sed aliud in illis requiro, quòd cùm audiunt à fratre publicari paternam nuditatem, & fœditatem, nihil illi asperum dicant. Cur magis nõ irascimini in fratrem publicatorem paternæ fœditatis? Veram, & sinceram beneuolentiam habebant erga patrem, quam vt ostenderet, sapienter elegerunt, nihil asperum loqui in famigeratorem, totis viribus curantes remedium præbere paternæ nuditati. Vndè D. Chrysost. hom. 22. in Gen. ait: *Vide illorum cum magna beneuolentia mansuetudinem: neque increpant, nec verberant fratrem; sed vt audierunt, mox curarunt emendari, & honestari factum.* Proh vera, & sincera beneuolentia in patrem, quæ vt sincera erat, sic nuditatis publicatæ correctioni attendit, publicatori, & famigeratori parcens. Hic erit affectus, vt sinceriſsimus, omniq; suspitione alienus, sic dignus Principe, quo erroribus familiarium auditis, remedium adhibeat, vt qui credat, posse peccare etiam familiares suos, quorum famigeratores, & accusatores magis sustineat. Nõ enim regium est, neque ingenuus, sed nimis carnalis affectus ille, quo publicos errores familiarium suorum non æstimans, inpublicatores Princeps insurgit. Huc peruenit Alexandri nimia teneritudo in amicos, de quo scribit Plutarchus in eius vita. *Illos, qui Arpali fugam primi nuntiauerunt, in vincula coniecit Ephialtem, & Fissum, tanquam mendacia denuntiãtes.* Quid aliud faceret affectus carnalis, & turpis in amicos, quàm testatissimam amici fugam ab hostilibus non curare, nec credere, & illius nuntios in carcerẽ conijcere. Sic tacciunt in dies plurimi, quos carnalis affectus tenet, qui non sinit æstimare crimina amicorum, sed magnas aduersus accusatores excitat iras.

Chrysost.

Plutarch.

Luc. 16. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo: mendicare erubesco.

§. VII.

Omnia humana, & temporalia fulcra deserunt hominem, illumque solum relinquunt, vbi Deus vindex ostenditur: quod est primum in Principibus supplicium.

AIt villicus intra se, nullius alterius cõsilio vtitur, nullius animatur promissis; sed sibi soli consulit, & secum solo agit: forsan, quia se solum videt, ab omni alio temporali, & humano fulcro derelictum. Et quis credat, quòd diuitis substantiæ administrator non habuisset plures amicos, familiares, & defensores plurimos, qui pro illo sponderent vitam? Habuit equidem, dum floreret in mundo; at vbi Deus vindex hominem conuenit, omnia humana fulcra diffugiunt, & miser in primis se solum videt, & derelictum. Nemo ignorat numerosissimum illũ exercitum, quo cinctus Senacherib, Hierosolymam crudelissima obsidione premebat: dum tamen Rex ingenti militum copia insolesceret. 4. Reg. 19. *Factum est in nocte illa: venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum: & recedens abijt, & reuersus est Senacherib, &c.* Vbi omnes milites interficiuntur, vni parcitur Regi insolentissimo. Et cur inter tot militum strages vni parcitur Senacheribo? Vt hoc de iræ diuinæ vase primum hausturn gustet, quòd se solum, ab omnibus videat derelictum. Theodoretus, sermone. 10. de prouidentia, inquit: *Assyrium illum contra se insanientem, & insanis illis verbis vsum: Quoniam non liberauit vos Dominus Deus de manu mea, vt propriam infirmitatem cognosceret, castigauit, & solùm aufugere coegit, multa illa hominum millia, quibus superbiebat, breui temporis momento per vnum Angelum morti tradens.* Ecce tibi primum irati Dei exhibitum officium, quòd dissipatis militibus, miserum solum reliquit, & coegit solum aufugere. Huc cõueniant vniuersi mundiales Principes, militum fortissimorum copijs validissimi, & discant, qualem exitum sint habituri, vbi incurrerint Dei iram. Hoc erit illis dolorum initium, quòd soli in primis appareant, omni spoliati auxilio, omnibus copijs nudi. Dum diuitias augent, dum thesauros conglomerant, dum subditis nationibus terram implent, dum ingenti sumptu exercitus validissimos comparant, quid aliud faciunt, quàm struere sibi solitudinem, sub qua Deo irato cogantur occurrere? Hanc primam omnium Principum calamitatem Iob nouerat, cap. 3. vbi inquit: *Quare non in vulua mortuus fum, egressus ex vtero non statim perij? Quare exceptus genibus? Cur lactatus vberibus? Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum Regibus, & Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Græcus in Catena legit: *Cum Regibus, & Consiliarijs terræ, qui gloriantur in gladijs.* Expende modò, in quo sibi possint conuenire hęc duo, nimirùm, *ædificare solitudines*, aut *gloriari in gladijs*. Gloriari in gladijs est, extolli de multitudine exercituum, de frequentia fortissimorum militum: ædificare solitudines, est, omni frequentia, & auxilio carere. An idem potest esse in Regibus, & Principibus gloriari in multitudine exercituum, & ædificare sibi solitudinem? Equidem idem prorsus est; dum enim Princeps exercitus comparat, fortissimorum militum adauget numerum, nihil aliud facit, quàm ædificare sibi solitudinem, sub qua relinquendus est solus, & patens diuinæ iræ. De Attalo Rege Gotho scribit Paulus Orosius, lib. 7. circa finem: *Ipse tandem cum immensa, certè temporibus nostris, et satis incredibili classe nauium, Romam contendit. Nam habuisse tunc tres mille, et ducentas naues dicitur: quem numerum, nec apud Xerxem illum præclarum Persarum Regem, neque Alexandrum magnum, vel quemquam alium Regum fuisse, historiæ ferunt. Is simul vt cum agmine militũ ad vrbem pergens, in Illittore egressus occursu Comitis marini territus, et in fugã versus, arrepta naui, solus Carthaginem rediit, atq; ibi continuò militari manu interfectus est.* Ecce tibi Attalum ædificãtem incredibilem illam, & inauditam nauium multitudinem: & quid tunc ædificabat

§. Reg. 19.

Theod.

Iob. 3.

Oros.

cabat

cabat potentiſsimus Princeps in tanto nauium numero? Sanè ædificabat ſolitudinem, quando arrepta náui, ſolus Carthaginem fugit, pœnas ibi irato Deo daturus.

§. VIII.

Grauiſsimum malum eſt ingenuo animo, aliqua confuſionis nota perfundi.

EXpende, quid villicus iſte in Dei iudicio magis expaueat, nimirùm mendicitatis erubeſcentiam: non ſibi ob oculos ponit, quòd torrebitur igne, quòd maledictione ſicut diploide amicietur; ſed hoc tantùm ait: *Mendicare erubeſco.* Et ad hanc publicæ médicationis notam totus expauet, quaſi hoc ſit grauiſsimum, & prorſùs importabile malũ homini ingenuo, quòd publicæ confuſionis, & erubeſcentiæ notam incurrat. Hinc apud Iſaiam, cap. 1. ait: *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniã Dominus locutus eſt: Filios enutriui, et exaltaui; ipſi autem ſpreuerunt me.* Perditiſsimos, & ingratiſsimos filios ſuos proponit Dominus, ad illoſque videndos, multæ malitiæ, & ingratitudinis reos conuocat vniuerſa cœleſtia, & terrena: cur non magis illos verberat, duriſsimoque percutit flagello? Cur neceſſum eſt, ſic publicare reos, & coram cœlo, & terra illos traducere; & non magis vult illos percutere? Sanè ingenuo animo duriſsimum flagellum eſt, & quauis percuſſione, aut morte grauius, quòd publicę cõfuſionis notam incurrat. Ait D. Zeno, lib. 3. ſerm. 35. *Quia apud ſapientes, & honeſtos grauius eſt aliqua nota confundi, quàm mori: Deus Iudaicum populum luxuriæ æſtu exuberante corruptum publica increpatione confutat: cœlum, terramque teſtes citat.* Nemo ſapiens, nemo bonus nõ plùs dolet ſub cõfuſione, & erubeſcentia, quã ſub ipſa morte. Et cur bonus non caueat plus quàm mortem, confuſionis notam, cùm & omnium improbiſsimi dæmones confuſionem ſuam ex Ieſu conſpectu metuentes, longè mallent duplicato torreri igne, quàm in conſpectũ eius venire. De illis Iſaias, cap. 9. iuxta Septuag. *Quoniam omnem ſtolam congregatam dolo, et veſtimentum cum commutatione reſtituent, & volent eſſe igne combuſti: quia puer natus eſt nobis, &c.* Expende illud, *volent*: quis velit igne comburi? Aut quomodo fieri poteſt, quòd creatura aliqua adducatur, vt ipſa ex ſeſe velit flammis ardere? Et dæmones libentiſsimè omne imperium in homines acquiſitum ponerent, & inſuper flammis maioribus torreri eligerent, dum confuſionem cauerent, quam ex Ieſu in terris agentis conſpectu ſibi imminẽtem viderunt. Id fatur Procopius, ibi: *Quoniã animæ ornatum, ipſiuſque ſtolam deprædari, nudamque relinquere, et deturpare auſus eſt diabolus, ideò reſtituẽt, inquit. Deinde reſtitutionis tempus metuentes, cupient igne potiùs eſſe combuſti, quàm Saluatorem omnium inter mortales agentem intueri.* Quanta hæc confuſio ſuperbiſsimi Angeli ad Dei ſolium immoderanter aſpirantis, adduci coram illo Deo, qui non refugit ſedere in puluere? Non miror, quòd ſic confundi caueat diabolus, plus quàm vri; & quòd flammæ illi ſint in delicijs, dum tantæ confuſionis, & verecundiæ occaſionem fugiat. Multa timenda nouerat, imò paſſus fuerat ille, qui ait Pſalm. 43. *Tota verecundia mea contra me eſt, et confuſio vultus mei operuit me. A voce exprobantis, et obloquentis.* Non flammas, non crucem meminit; non ferreos pectines, non exquiſita inſtrumenta pœnarum in medium adduxit, ſed vnam tantùm verecundiam; & confuſionem meminerunt. An quia hæc verecundia omnium habebatur cruciatuum maxima? Ait D. Chryſoſtomus, ibi: *Hæc verecundiæ ſupplicia illos magis cruciabant.* Non ſic horrori erat ingenuæ menti flamma, nec gladius, nec ardentes liquato plumbo ſartagines, vt verecundia, & confuſio faciei, hæc videtur ſuprema inter maximos cruciatus, & tormenta.

Iſai. 1.

Zeno.

Iſai. 9.

Procop.

Pſal. 43.

Chryſoſt.

§. IX.

Terrenæ, voluptuoſæque vitæ labores horrori ſunt illi, qui diuini iugi guſtauit ſuauitatem.

AVillicatione deturbandus, hoc eſt, à Dei obſequio in terrenarum cupiditatum

ditatum seruitutem eijciendus, importabiles prorsùs putat terrenæ vitę labores, cum suspirio clamans: *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo.* Mundialium operarum vitam difficilem, & laboriosam vniuersi clamant, sic illi voluptuosi homines, Sapient. cap. 5. aiunt: *Ambulauimus vias difficiles*; hic autem nõ solùm difficiles, sed prorsùs sibi incomportabiles asserit, dum ait: *Fodere non valeo.* Non ait, difficile est mihi terræ infodiendæ vacare; sed prorsùs non valeo tãtam laborum molem sustentare. Et cur hic sic labores mundiales præ illis expauet magis? Cur, quos illi solùm dixerunt difficiles, hic prorsùs incomportabiles? Fuerat hic sub Dei obsequio aliquandiu, dum villicationis munus accepit, dum illud sanctè administrauit: qui autem Dei suauitatẽ gustarunt, horrori habeant, necessum est, ad seruitutem terrenarum cupiditatũ trahi. Et verè, & sapienter aiebat Diu. Bernardus, serm. 35. in Cant. *Quæ enim anima semel â Domino didicit in intimis suis Dei præsentiam suspirare, & quærere faciem eius semper; talis, inquam, anima, nescio, an vel ipsam gehennam ad tempus experiri pœnalius, horribiliusvè ducat, quàm post spiritualis studij huius gustatam semel suauitatem exire denuò ad illecebras, vel potiùs ad molestias carnis.* Horribilissimum homini est, quòd à diuini obsequij suauitate, in terrenarum cupiditatum seruitutem, imò tyrannidem abire cogatur. Quis diuina dulcedine innutritus ferat amaritudines negotiorum mundialium? Quis suauitate Dei gustata, quis regnum cœlorum intra se expertus, ligonẽ non expaueat, quæ de terræ visceribus laboris summi fructus tenuissimos capiat? A matrici suæ animæ hoc minimè ferendum aliquando Dominus minabatur, Canticor. 1. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum.* Quanta hæc cõminatio ad animam? Et quantum est malum, quod quis post vestigia gregum suorum egrediatur? Et qui nihil aliud nouerunt, forsitan durum, & laboriosum æstimabunt, ad bestiarum conditionem non viuere. At qui semel Dei dona, & munera gustarunt, ad animales, & terrenas cupiditates mitti, id sibi omnium acerbissimum, & terribilissimum putabunt: etenim Diuus Bernardus, sermone. 35. in Cantic. sic inquit: *Dico ergo vobis, nihil est, quod in tantum formidet, quisquis Dei beneficium semel accepit, quàm, ne gratia derelictus, necesse habeat denuò egredi ad carnis consolationes, imò desolationes, rursùmque carnalium sensuum sustinere tumultus. Terribilis proinde, & nimis formidolosa comminatio. Egredere post vestigia, &c.* Equidem minimè ferret carnis iugum subire, qui gustauit diuini iugi suauitatem; vel Dei iugi suauitas tanta est, quæ semel gustata, non patietur hominem durare in seruitute, & tyrannide carnis, aut peccati. Prodigus ille filius sub seruitute carnalium cupiditatum iacebat; & dum sub hac seruitute iacet, sic cæpit intra se cogitare, Lucæ capit. 15. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, &c.* Tantùm in mentem suam reuocauit expertam domus paternæ abundantiam, & ex tunc iam putat intolerabilem famem, quam patiebatur sub cupiditatum carnalium tyrannide. Anteà esuriebat, & fame totus tabescebat, & vt fugeret famem, adhæsit vni ciui, cuius porcos pascendos suscepit: modò, & famem, & seruitutem iudicat intolerabilem, & vtramque à se eijcere decernit. Quis illum in tàm bonam mentem traxit, vt seruitutem illam, & famem intolerabilem reputaret? Vnà solùm memoria paternæ abundantiæ semel gustatæ. Ad hæc inquit Diuus Ephrem, sermone de pœnitentia: *Pœnitentia suauitatem percipiens prioris eius vitæ, ad reprehensionem conuersa est, & cùm non ferret afflictiones, reprehensionem tulit conscientiæ. Mollis igitur eius educatio, conuersionis causa extitit, ipsumque vel inuitum perduxit ad pietatem.* Fœliciss imus ille, qui sub Dei obsequio nutritus est, qui diuini iugi expertus est suauitatem; hæc faciet, vt minimè duret sub carnalium cupiditatum tyrannide; sed potiùs memor semel perceptæ suauitatis, voluptuosorum vitam fugiat, vt prorsùs intolerabilem.

Luc. 16.

Luc. 16. Scio, quid faciam: vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas, Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe captionem tuam, & sede citò; scribe quinquaginta. Deinde ali dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, scribe octoginta.

§. X.

Cibi, potusve cœlestis acceptio, quasi homines cogit ad referendas gratias. Vbi de damno ingratitudinis.

AD gratias sibi referendas, dum villicus iste cupit cogere debitorum animos, expende, quali astu vtatur; & oleum, & triticum domini sui remisit illis. Et quis non referat gratias Dei tritico donatus? Post cœnam vltimam Iesu notabat Matthæus, cap. 26. quòd *hymno dicto, exierunt in montem Oliueti.* Circa quæ verba fatur Diu. Paschasius, lib. 12. in Matthæũ: *Hoc est, quod in Psalmo legimus: Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ, quoniam nemo huius adipe frumenti satiatus, neque huius dulcedine sanguinis Christi ebrius, iam repletus cessat à laude Dei.* Hoc singulare habent dona illa, quæ circa cibũ cœlestem, potumvè sunt, quòd semper vel extorqueant gratias. Ait Dominus apud Ioan. cap. 4. *Aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Expende, quid fiat cœlestis aqua in eo, cui datur: non quidem fit stagnum, sed fons saliens in vitam; stagnum enim vni sibi retinet, & conseruat acceptas aquas; fons autem quas accipit, simul & refundit alijs, vt suis omnes viuant aquis. Sic cœlestis potus nescit in accipiẽte stagnari; sed inde salit, vt referat datori gratias. Aiebat Ruricius Episcopus Lemouicenus, lib. 2. epist. 33. *Planè aquam si quis fidelis, non gustu tantùm summo tenus orelibauerit, sed totis animæ visceribus appetens conuiua sorbuerit, protinùs in laudem Domini omnipotentis erumpent, et hoc incipiet ructare, quod biberit.* Nescit quiescere in visceribus accipientis cœlestis potus, sed inde erumpit in datoris laudem, & gratias. Idem os & accipit cœleste pabulum, & refert actiones gratiarum; vt sic fiat cœlestis cibus, vel potus fons saliens, non fiat stagnum. Numquam enim cœlestis cibus stagnatur in ore accipientis, ita vt nullam referat actionem gratiarũ, quòd non fiat stagnatio hęc in maximam eiusdem accipientis pernitiem, & damnum. Ioan. 13. *Cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ, et post buccellam introiuit in eum Sathanas.* Vbi meritò Diu. Augustinus notat, quid cum cœlesti cibo accipiat, qui non refert gratias; accipit Sathanam, accipit infensissimum hostem, à quo feratur in laqueum. Ait enim tractat. 62. in Ioannem: *Homini ingrato intrauit panis in ventrem, hostis in mentem.* Hostiles proculdubiò sentiet iras, qui de cibo accepto cœlesti nescit referre gratias. Ex Prouerb. cap. 25. ait Diu. Paulus ad Romanos. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Est cibus, potusque ignitus carbo super accipientis caput: & cur ibi dicitur ignitus carbo? Quia vel accendit in gratitudinem, & in gratiarũ actiones, vel adurit, & absumit ingratum. Id in Iuda completum notat Rupertus, libro. 11. in Ioannem. *Denique etsi carbonibus non est attactus pœnitentiæ, sed ex beneficio peior factus, attamen combustus est ardore iracundiæ. Siquidem post buccellam introiuit hostis.* Numquam cœlestis cibus aut certam gratitudinem non extorquet, aut certius infert exitium. Quis nesciat illam Pharaonis cladem, & Ægyptiorum in mari rubro, quando Hebræos persequebantur? De illa ait Exod. cap. 14. *Reuersæ sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare; nec vnus quidem superfuit ex eis.* Et quæ causa fuit tàm diræ, & extremæ cladis? Aliàs Aegyptij persecuti fuerant Hebræos, in illosque extremam sæuitiam exercuerant, propter quod varijs plagis vapularunt: sed numquam sic atrociter, numquam

Matt. 26

Paschi.

Ioan. 4.

Ioan. 13.

Rom. 12.

Rupert.

Exod. 14

sic funditùs perierunt. Quæ igitur causa fuit tàm miserandæ, & extremæ ruinæ? Illam optimè insinuat Gregorius Turonensis, libro. 1. histor. sic inquiens: *Super ripam Nili non Babylonia, de qua suprà meminimus; sed Babylonia ciuitas collocatur, in qua Ioseph horrea miro opere de lapidibus quadris, & cemento ædificauit, ita vt ad fundum capaciora, ad summum verò constricta sint, vt perparuulum foramen ibidem triticum iaceretur. Quæ horrea vsque hodiè cernuntur. De hac ciuitate Rex ad persequendos Hebræos, cum exercitibus curruum, ac multa pedestri manu directus est.* Nec miror, quòd indè in tantam fuerit dilapsus calamitatem. Qui enim visis horreis frumenti accepti ab Hebræo iuuene, quo tãdiu & vixit, & floruit Aegypti regnum, nullam animi gratitudinem inde cõcepit in Hebræos, sed peior, & acrior persecutor illorum est factus, nõ potuit non in summam calamitatẽ præcipitari. Horrea illa eadem frumenti, quæ sustentarunt Aegyptios in Ioseph um gratos; vbi acceperunt eos ingratos, & benefactoris sui persecutores, similiter fecerunt, vt extremam incurrerent calamitatem. Huc conueniant inconsiderati illi iuuenes Christiani, qui ad frequentissima veniunt templa, vbi sunt, & visuntur diuini frumenti à Deo in vitam accepti horrea, vt inde aduersus Deum scelerum bella moueant; fallar, nisi inde in certissimum exitium abeant.

Gregor. Turon.

§. XI.

Infirmis peccatoribus, quæ leuiora sunt, & faciliora pœnitentiæ, in primis proponenda.

VIllicus iste iratum Dominum cernit & iam imminentem suam damnationem pertimescit, quo anxius currit ad salutis suæ remedium. Sed scire cupis, ad quale confugiat remedium? Sanè ad remedium confugit omnium facillimum, & sibi aut parùm, aut nihil damnosum; hoc enim solùm facit, vt conseruis suis remittantur aliqua debita. Hoc singularissimũ est diuini spiritus consilium, quòd peccatores infirmi, & imbecilles ad faciliora, & suauiora ferantur remedia, ne strictioribus, & austerioribus deterreantur à pœnitentia. Sic prodigus ille, Lucæ cap. 15. in se reuersus, inquit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus; ego autẽ hic fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui, &c.* Profusissimus peccator, vbi meditatur salutis obtinendæ remedium, nihil austerũ, nihil strictum meminit; hoc vnum facere disponit, nimirùm: *Dicam ei: Pater, peccaui, &c.* Quid facilius, quàm id, quod solis absoluitur verbis? Dicam, ait; non ait, hoc faciam, me flagellis percutiam, ieiunijs conficiam, sub sacco, & cilicio macerabo. Et cur non magis ad hæc confugit? Sanè prudens pœnitentiæ affectus in homine infirmo illa consulit, quæ magis sunt facilia, atque suauia. Sic Diu. Ephrem, serm. de pœnitentia, fatur: *Cernis eam, non primum, quod austerum est, offerre peccantibus; verùm quod gratum, ac placidum est, simulque suaue, ac facile. Non mox ieiunium imposuit, non abstinentiam, ac temperantiã poposcit, non vigilantiã demonstrauit; sed â confessione ipsum appellauit, â leuioribus duxit principia, sciens gratam, ac candidam esse conscientiam.* Huc spectat Dei spiritus, vt homines infirmi sustententur, roborentur, ne oneri succumbant, sed magis in vitam alantur. Indè est, quòd suauiora, & faciliora consulit, ne quis deterreatur, & pereat propter intolerabilem sibi asperitatem. Hinc Dominus suic censens Pharisæorum pernitiosæ duritiei, ait, Matth. 23. *Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Hoc proprium est deterrentium à salutis via, non trahentium ad Domini caules. Pro quo eleganter, & sapienter ex Diu. Chrysostomo differit D. Thomas in Catena, sic fatus: *Tales sunt, qui graue pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt: & sic dum pœna præsens fugitur, contemnitur pœna futura. Si enim fascem super humeros adolescentis, quem nõ potest baiulare, posueris, necesse habet, quòd aut fascem reijciat, aut sub pondere confringatur: sic et homini, cui graue pondus pœnitentiæ imponis, necesse est, vt aut pœnitentiam reijciat, aut suscipiens, dum sufficere non potest, scandalizatus amplius peccet. Deinde, etsi erramus, modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est, propter misericordiam reddere rationem, quàm propter crudelitatem? Vbi pater familias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus, vt quid Sacerdos eius austerus.* Quid ad hoc pulchrius? Quid suauius? Sanè verus animarum cura-

Luc. 15.

Ephrem.

Matt. 23.

D. Tho.

tor

tor huc debet semper spectare, vt onera pœnitentibus alleuentur, vt facilis, & suauis illis salus acquirenda videatur. Et quidem sapienssimè dictum illud est: *Si erramus, modicam imponentes pœnitentiam, melius est, propter misericordiam reddere rationem, quàm propter crudelitatem.* Veniabilis est excessus in misericordia: in austeritate autem, & crudelitate excedete, inhumanum est, & damnationi proximum. Vndè dicebat Ericus, homil. in cap. 23. Matth. *Si erramus, modicam pœnitentiam peccatoribus imponentes, melius est tamen de misericordia à Deo iudicari, quàm de crudelitate condemnari.* Quasi austeritatis excessus numquam non appareat euidenter damnabilis. Eric.

§. XII.

Nimis rigidi, seuerique in proximos, nihil citiùs ad salutem obtinendam curent, quàm misericordiæ operam dare, qua à iudicio liberentur.

NEquam villicus vbi de obtinenda salute agit, nil magis curat, quã conseruorum debita leuare, relaxare. Et cur hoc solùm salutis obtinendæ medium sibi proponit, vt conseruorum debita ipse relaxet? Equidem qui seuerus nimis proximos conseruos perdebat, quasi vnam solam ad salutem viam habet, quòd nimirũ impartiendæ misericordiæ omninò vacet. Babylonio Regi, post explicatam immi- Dan. 4.
nentem cladem. ait Daniel, cap. 4. *Quamobrem, Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosinis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, &c.* Pro quo reuoca in memoriam Niniuitarum pœnitentiam, ibique neque à Rege, neque à Principibus, neque à popularibus vllum de eleemosinis, misericordijsque faciendis verbum procedit. Omnes ad cilicium, ad ieiunium, & plãctum festinant: ait enim, Ionę cap. 3. *Et peruenit verbum ad Regem Niniuæ: & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Et clamauit, et dixit in Niniue, ex ore Regis, et Principum eius, dicens: Homines, et iumenta, et boues, et pecora non gustent quicquam, nec pascantur, et aquam non bibant. Et operiantur saccis homines, et iumenta, et clament ad Dominum in fortitudine, &c.* Omnis hic sollicitudo de sacco, de cinere, de ieiunio, de planctu, de impartienda misericordia nec verbum vllum: ibi autẽ apud Babylonium Regem, nec verbum fit de ieiunio, aut de induendo sacco; sed vna proponitur misericordia facienda. Et cur Babylonio vna misericordia consulitur? Crudelissimo, sæuissimoque in suos tyranno hæc erat necessaria ad salutem via, si misericordię operibus incubuisset. Poscit enim ratio iustitiæ, vt qui sæuus, & crudelis in alios est; contrà, bonis mala compensando, in plurimos misericors, benignus, & beneficus existat. Pro quo aiebat Theodor. ibi: *His inexplebilem illius crudelitatem declarat, quam in sibi subiectis exercuerat: Vis, inquit, clementiæ fructum percipere? Hanc eamdem erga eos ostendito, qui vnam tecum sortiti sunt naturam; ita enim iudici persuadere poteris, vt minas extinguat, neque sinat eas ad exitum perduci.* Hæc restat via tyrannis, & crudelibus in proximos hominibus, qua ad salutem possint peruenire, nimirùm, si beneficentiæ, ac misericordiæ operibus erga eos incumbant. Crudeli homini, nimisque seuero in proximos, hoc necessarium ad salutem petitur, quòd misericordiæ erga proximos instet, sine qua minimè obtinebit misericordiam diuinam. Ait Isaias, cap. 28. ex- Isai. 28.
lectione Septuag. *Ponam iudicium in spẽ; at misericordia mea in stateris.* Ecce tibi, quàm nouum, & penè inauditum afferat Dominus, quòd nimirùm eius seueriss mũ iudicium sic ponetur, vt non timorem inferat, sed spem nutriat. Et quomodo Dei iudicium non ad timorem, sed ad spem erit? Ait ipse: *At misericordia mea in stateris*: erit in stateræ lance diuina misericordia, cui humana respõdeat, & totus metus tollatur iudicij. Fœlix, qui misericordię operibus insudat, huic diuina misericordia appropinquat, & elongat se rigor iudicij. Nazianzenus orat. 16. inquit: Nazian.
Nec vlli ali rei potiùs, quàm benignitati benignitas ab eo rependitur, qui iustè remetitur, atque in pondere, & mensura misericordiam ponit. Itaque benignitatem, & misericordiam exerceat, qui cupit rigorẽ euadere iudicij, quandoquidem benignitas Dei, nulli ali rei potius, quàm benignitati repẽditur: nullusque manet iudicij rigori locus, vbi à te opus misericordiæ exercetur. Hinc Dominus minabatur. Psalm. 74. *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo*; hoc est, cùm per tempus Psal. 74.

liceat, cùm vacauero, tunc iudicium faciam. Et quando Deus non vacat? Potest ne fieri, quòd sic Deus occupetur, vt minimè illi vacet iudicium facere? Equidem Deus, vbi misericordiæ viscera in hominibus videt, totus in illis videndis sic occupatur, vt minimè vacet ad rigorem iustitiæ exacerbandum. De Iesu puero ait D. Chrysol. Chrysolog. serm. 48. *Se claudit vtero, cunis metitur, vberibus occupat, arctat gremio.* Expende illud, *vberibus occupat*: & quidem nec in vteri, aut cunæ angustijs, nec inter infantiles fascias dicitur occupari; vbi autem ad vbera accedit, ibi iam vides Deum occupatum. Et cur, quem tot cunarum angustiæ, tot fasciarum ligamina minimè impediũt, solis vberibus dicitur occupari? Ab vberibus egens, & famelicus sustentatur, & inter opera, quæ egentibus consulunt, sic Deus occupatur, vt minimè illi vacet, aliquid timendum prestare.

Luc. 16. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius sæculi, prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.

§. XIII.

Tota prudentia est in quouis genere, quòd præsens damnum sustineas, vt maius tibi compares futurum lucrum.

DVm dissipatæ substantiæ reus in discrimen adducitur villicus, nõ veretur maiori alia iactura nouum sibi comparare periculum, dum debitoribus non paruam debiti partem dimittit. Et quidẽ quantum alijs remittit, tantum eripit defensioni suę, tantum eripit sibi. Quid agis, homo, quando non es soluendo, adhuc & illud, quod videris habere, perdere cupis? Hęc sanè est prudentia hominis; hinc habetur homo in negotio suo prudentissimus, si sciat in pręsenti facere iacturas, per quas maiora sibi lucra in futurum acquirat. Quis in temporalibus lucris acquirendis & sapientior, & ptudentior, quàm ille diues, cui fuerat ager feracissimus? Eius Luc. 12. hoc erat consilium, Luc. cap. 12. *Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona in annos multos, &c.* Expende decretum, & consilium hominis auarissimi, & pecuniarum tenacissimi, nimirùm decernit omnia horrea sua destruere, & maiora ædificare, quod minimè fieri posset sine ingenti pecuniarum sumptu, & iactura. Et qualis sapientia est, quòd homo pecuniarum amantissimus, de quarũ conspectu, vel memoria viuit, velit tot pecunias profundere in destruendis, & reædificandis horreis? Sanè vbi maius lucrũ apparet ibi reponendorum fructuũ, hæc est tota prudentia, & sapientia hominis, nulli parcere præsenti sumptui, & iacturę pro acquirẽdo lucro illo. Hinc magn⁹ Ioseph, & fratrum suorum amator eximius Genes. 44. illos in magnas facit venire angustias, furti cõuincit Beniaminum, reum tenet, & minatur supplicium, nullis lacrymis, & precibus placari vult, sed maiorem ostendit iram. Cur bonus fratrum amator sic perdis fratres tuos, sic eos calamitosos facis? Prudentissimè Ioseph nihili estimat iacturam, & calamitatem illam, per quam scit comparandas diuturniores lætitias in sui manifestatione: quippè ait D. August. August. lib. 1. quæst. in Genes. quæst. 146. *Non negligenter considerandum puto tantam miseriam in hac perturbatione fratrum suorum, quos Ioseph, quandiu voluit, tenuit, & quanta voluit mora protraxit; non eos vtique faciens calamitosos, quando tantæ etiam ipsorum faturæ lætitiæ exitum cogitabat. Et totum hoc, quod agebat, vt eorũ gaudiũ differretur, ob hoc agebat, vt eadem dilatione cumularetur, tamquam non essent condignæ passiones eorum in toto illo tempore, quo turbabantur ad futuram gloriam exultationis, quæ in eis fuerat reuelanda, fratre cognito, quem à se perditum esse arbitrabantur.* Bonus equidem, & prudens negotiator fraterni gaudij non veretur eorũ dispendia, & iacturas facere in luctu, & lacrymis, & in vinculis, per quæ noscit, illos ad maiora peruenturos gaudia, vbi in seuerissimo, & strictissimo iudice recognoscant sibi amabilissimum fratrem. Nulli enim iacturæ prudenter parcitur, quę seruiat ad maius lucrum reportandum. Quò spectans negotiatorum omnium prudentissimus negotiator, ait Matth. 13. *Simile est* Matth. 13 *regnum cœlorũm homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna pretio-*

pretiosa margarita, abijt, & vendidit vniuersa, quæ habuit, et emit eam. Pro vna acquirenda margarita, non veretur omnia præhabita bona profundere, omnia vendere. Et quanta hæc prudentia negotiatoris, vt omnia sua vēdat? Non dubito, quin prudentissimus sit negotiator, qui omniū iacturam patitur, vt sibi aliud, & sibi vtilius, & pretiosius habeat. Eusebius Gallicanus in natali huius virginis pulchrè inquit. *Pro amore cœlestis patriæ, et æternæ fœlicitatis, non solùm ea, quæ habuit, vendidit, verùm & se ipsam seruituti subiugauit, vt emere, et possidere valeat. Callidus enim negotiator est, qui ex his, quæ diu possidere non potest, tale aliquid emit, quod nũquam amittere timeat, & in quo vniuersa possideat.* Quid pulchrius? Ecce tota prudentia negotiatoris, quòd nimirùm sciat perdere substantiam, vbi acquirenda sunt alia lucra, in quibus & pretiosiora inueniantur, & omnia deperdita possint instaurari. Hoc in regni cœlorum negotiatoribus primò requirendum est, quòd sciant perdere, & pro Deo vero habendo, ne timeāt veram aliquam iacturam facere. Iudic. cap. 11. Iepte Israelitarum dux filiæ vnicę sanguinē decreuit Deo litare. Quid plura? Aris imponit victimam voluntariam, stringit gladium, *& fecit ei sicut vouerat.* Nulla cœlestis vox, nullus Angelus deterruit Iepte à sacrificio filiæ, sicut quõdam deterruerat Abrahamum. Et cur, qui Abrahamo filium eripuit sacrificandum, similiter non eripuit Iepte filiam? Ait D. Augustinus quæst. 49. ibi: *Ne non vera, sed simulata eadem vota essent, cùm velut exemplo Abrahæ, sperarēt, qui voluissent, Deum prohibiturum talia vota compleri.* Nequit Deus in suis fidelibus permittere simulationem in oblationibus, quòd scilicet sic offerant, vt nequeant vllum in oblatione sustinere pro Deo damnum; ideò quod semel Abrahamo permisit, vt oblatum filium, integrum recuperaret, hoc Iepte denegauit, vt sciant negotiatores cęlestium veram iacturam facere pro vita in cœlestibus æternanda. Id quod monebat Eccle siasticus cap. 29. aiens: *Perde pecuniam propter fratrem, et amicum tuum: et non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, et proderit tibi magis, quàm aurum.* Hæc sit prima prudentiæ regula in omni negotiatore, quòd sciat profundere, & perdere sua, vt ad maiora veniat.

Eusebius Gallicanus

Augustinus

Eccl. 29.

§. XIIII.

Regalissimi, diuinissimique animi virtus est, plus subditorum, quàm diuitiarum probare augmentum.

VIllicus reddendæ rationis in tempore, domini sui substantiam plus lædit, dum debitores à debiti pondere liberat; & tamen dominus laudat villicum, quòd prudenter fecisset. Mirabar, quòd in tàm sibi damnosa fraude posset dominus aliquid laudabile inuenire. Quid laudet, quid probet dominus in tàm fraudulento villico? Sapienter D. Bernardus inuenit, quod possit esse diuino Principi gratum, in hoc dispendio villici, qui licèt domini substantiam vacuat, subditos auget, dum eos debitis liberat, Regius autem animus id sibi maximè laudabile probat in ministris, vndè augentur subditi. Pro Sodomitis captiuis pugnat Abraham, hostes Sodomitarum fugat, captiuos liberat, & Abrahamo victori redeunti, spolijs hostium diuiti Rex Sodomorum occurrit. Quid pereret bonus Rex à tãto duce? Accipite vocem è Rege, Deo digna; quippè ait: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Septuag. posuere: *Da mihi homines.* Hæc est regalissimi, imò diuinissimi animi virtus, quæ non respicit aurum, non curat diuitias, dum subditorum augmentum, & lenamen nanciscitur. Pulchrè Gothus ille Italiæ Rex apud Cassiodorum, lib. 6. var. 23. ait: *Exeunt à nobis dignitates relucentes, quasi à Sole radij, vt in orbis nostri parte resplendeat custodita iustitia. Ideò enim tot emolumentorum commoda serimus, vt securitatem prouincialium colligamus. Messis nostra cunctorum quies est, quam non possumus aliter recordari, nisi vbi subiecti non videantur aliquid irrationabiliter perdidisse.* Expende, qualem faciat messem regalis animus, nimirùm ait: *Messis nostra cunctorum quies est, &c.* Spargere semina, vt frumento horrea impleantur, hoc agricolarum est; dare pecunias, vt cum vsura recipias, id est mercatorum, & negotiantiū. Regalis animi virtus eò solum spectat, vt homines merat, & subditos augeat, & in tuto asserat. Apud Luc. cap. 19. ait Dominus: *Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reuerti. Vocatis autem decem seruis, dedit*

Cassiod.

Luc. 19.

dit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiamini, dum venio. Quis credat, hãc vocem à nobili, & regio viro exijsse, & non potiùs à mercatore? Mercator negotiationẽ exercet, & in multitudine negotiationis suæ diuitias auget; quis credat, Regem, à quo solùm auditur verbum negotiandi? Cùm ergo audis negotiandi verbum ab homine regio exire, minimè putes negotia illa pertinere ad diuitiarum lucra, sed ad subditorũ augmenta, & leuamen. Hoc est vnum regium negotium, quòd homi-
Euseb. Gallic. nes, quòd subditi augeantur. Ait Eusebius Gallicanus, homil. in natali vnius confessoris: *Dei autem negotiatores omnes sunt serui, et nihil aliud, nisi seruos emunt. Nihil enim aliud de mundi diuitijs, nisi solùm seruos eorum Dominus concupiscit.* Frugum augmenta agricolis, diuitiarum lucra mercatoribus permittãtur, regius animus hoc quærat, quòd subditi augeantur. Pulchrè
Synes. enim Synesius de regno, ad Arcadium: *Rex autem pecuniæ appetens multò est institore turpior; hic enim familiæ egestati subuenit: in illo verò animi nequitia omni prorsus excusatione caret. Neque tributis ciuitates exhaurire, regium est; bono enim Principi vbinam tantis pecunijs opus est? Cùm neque insolenti animi fastu sumptuosa opera moliatur, nec temperanti vsus loco inanem, atque ambitiosam magnificentiam affectet, neque iuuenili consilio in Scenicos ludos gnauorum hominum labores consumat.* Vna sit Regum messis, ciuium quies, ciuium augmenta, & lucra; dum subditorũ augmenta regius animus acquirat, à cęteris omnibus libenter abstineat: quippè ait
Prou. 14 Prouerb. capit. 14. *In multitudine populi dignitas Regis: in paucitate plebis ignominia Principis.* Hebræus dicit: *Et in nõ gente fractio Principis.* Per hoc solùm regna franguntur, si ciues deficiant: vbi præclarè ostenditur, quàm distincta debeat esse ingenua Principum negotiatio à negotiatione illiberali mercatorum. Mercatoris negotiatio vt circa pecunias habẽdas est, sic deficientibus pecunijs frangitur; quis non audiat negotiatorũ fractiones ex defectu pecuniæ? Ab his longè alia est Principum negotiatio, quæ minimè circa pecunias est, sed circa populi multitudinẽ, in hac stat Principum dignitas, & in non gente fractio Principis. Mercatores frangat defectus pecuniæ; Reges non potest frangere, nisi defectus ciuium.

***

§. XV.

Tota sæcularis prudentia eò nititur, quòd augmentum suum quærat Princeps ex subditorum leuamine.

QVi à debitis subditos leuat, laudatur villicus, quòd prudenter egisset, ex cuius exemplo sęcularis prudentia laudatur in generatione sua, in augmento suo quærendo, quando illud quærit ex leuamine ciuium. Ridendum esset prudentium hominum cõsilium, qui vt populos augeant, vt ciuitates impleant, & regna stabiliant, hoc totis viribus intendunt, vt crebra sint nuptiarũ fœdera, vt nullus maneat adolescens innuptus. Quantum hoc ad augmentum populi sub debitis pressi, substantia vacuati? Permitte substantiam haberi, permitte oleum crescere, & triticum, & vel paucæ nuptiæ orbem implẽt, & imperia augebuntur. Ecclesiastes cap. 1. *Eccl. 1.* *Vbi multæ sunt opes, multi & comedũt eas.* Expressè in rem præsentem Chaldæus Casti ait: *Quo tempore maior rerum vbertas, augetur etiam & hominum numerus, vt his vtatur.* Ad augmentum pabuli crescit comedentium numerus: exemplum habes in villulis, & pagis Montanæ regionis, vbi rari innupti, & nihilominùs in sua paruitate perpetuò pagi illi manent, ea solùm ratione, quia nõ sunt ibi pabula, quibus numerus hominum augeatur. Permitte triticum, & vinum, & oleum populis, vt ijs fruantur abundanter, & fallar, nisi exurgant hominum examina, quibus regna stabiliantur. Exod. 1. dicitur: *Filij Is-* *Exod 1.* *rael creuerunt, et quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis, impleuerunt terram.* Quæ verba sic reddiderunt Septuaginta, causam multiplicationis tantæ insinuantes: *Filij Israel creuerunt: et multiplicati sunt, et effusi facti sunt, et inualescebant valdè; multiplicat autem illos terra.* Etenim pauci filij Iacob descendentes in Ægyptum, donati sunt terræ parte abundantissima, quæ vt multiplices fructus redderet, sic etiam comedẽtes homines multiplicabat. Quò spectans Psalm. 4. ait: *A* *Psal. 4.* *fructu frumenti, & vini, & olei sui multiplicati sunt.* Numquam non augmenta ciuium, & multiplicatio illorum, in abundantia, & vbertate alimentorum nititur; nec sęcularis prudentia aliunde nouit talibus

libus augmentis consulere. Hæc paucis attigi, propter aliquos, qui in Hispania Castellæ prouintiæ populationem tribuunt religiosis Ordinibus, qui virgineis floribus triumphalem coronant vitam. Non inde rarescunt homines, sed ex penuria orta à luxu, & otio nationis.

Luc. 16. Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

§. XVI.

Sanctorum patrocinia & validissima, & vtilissima in tempore angustiæ.

EO tendant beneficentiæ nostræ opera, vt sanctorum amicitiam venemur; plurimum enim valent sancti viri, vt tempore angustiæ, amanter à Deo recipiamur. Filij Iacob fame coacti sunt descendere in Ægyptũ, relicto apud patrem puero Beniamino; accedunt igitur fratres ad Magistratum Ægyptiorum, petituri frumenta, Genes. 42. *Et Ioseph erat Princeps in terra Ægypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adorassent eum fratres sui, & agnouisset eos, quasi ad alienos duriùs loquebatur, interrogans eos: vndè venistis?* Nec solùm illis duriùs loquebatur, sed & exploratores vocat, & vnum illorum vinculis constringit. Quid tunc? Abeũt ipsi ad patrem, secum deferunt Beniamin, & redeunt in Ægyptum, Genes. 43. *Igitur ingressus est Ioseph domum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus suis, & adorauerunt proni in terram. At ille clementer, resalutatis eis, interrogauit eos, &c.* Primò seuerè, & duriter loquebatur, metus inferẽs, vincula minãs: modò clementer alloquitur, totus factus apparet suauis, & mellifluus. Quis seuerum, & durum hominem sic in suauitatem conuertit erga afflictos? Vnus gratus Beniamin conspectus sic hominem affecit, vt non potuerit amplius apparere durus. Et quidem in Beniamino adumbrabatur filius eius Paulus Christi seruus, cuius patrocinium numquam non validissimum, & vtilissimum est illis, qui sub eius amicitia viuunt, vt in tempore afflictionis benè habeant apud æternũ Principem. Pulchrè enim aiebat D. Ambros. lib. de Ioseph, cap. 9. inquiens: *Iam videntur Hebræi, et videntur à Christo, qui verus Ioseph est, quando cum Pauli veniunt typo: et loquitur illis mitia, atque mansueta, vt pariter cibum sumant. Suprà autem, quia sine Beniamin venerunt, agnoscebat quidem eos, sed ab eis se auertebat, vt scriptum est, et loquebatur eis dura, quia ipsi non agnoscebant eum, à quo agnoscebantur. Pauli autem merito profecerunt, quem Dominus Iesus tamquam iuniorem fratrem, ex eadem matre generatũ, ampliùs cæteris fratribus diligebat.* Expende illa verba, nimirùm: *Pauli autem merito profecerunt*; vbi secum vel Pauli vmbram habuere, mitissimum, beneficentissimumque nacti sunt Magistratum, de cuius magnificentia ditati, à familia sua famem exturbarunt. Et quid nõ possent sub patrocinio tanti sancti? Valent equidem sanctorum vmbræ homines in tempore angustiæ sustentare. Aiebat Dominus ad amicos Iob, cap. 42. *Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, et ite ad seruum meum Iob, et offerte holocaustum pro vobis, Iob autem seruus meus orabit pro vobis. Faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Paulò acerbiùs hæc in Græco sonant: *Iobus autem seruus meus orabit pro vobis. Si enim non propter eum, perdidissem vos.* Sanè & ex iussu Dei victimas illi, & holocausta offerebant, & inter has oblationes audiunt à Domino: *Si enim non propter Iobum, perdidissem vos:* quasi non sic holocausta, vt Iobi preces potuissent illos liberare à perditione. Ait in Caten. Græca Diu. Chrysostom. *Illud etiam docet, haud illa satis futura esse sacrificia ad expiationem, nisi Iobi quoque merita accessissent. Illius, inquit, tanta vobis ignoui.* Validissima quidem sunt nobis sanctorum patrocinia pro cultu, beneficentiæque operibus procurata, & extorta. Et quæ nihil obtinerent per se sacrificia, amicorũ cœlestium fauore adiuncta, homines à perditione liberant. Solet enim Deus in sanctorum suorum gratiam, multa dissimulare in peccatoribus. Etenim. 2. Paralipo. 21. aiebat de Achab. *Et fecit malum coram Domino, & noluit Dominus perdere domum Dauid, propter testamentum, quod disposuerat cum Dauid.* Etiam peccante Achabo, & regiæ domus ruinam merente, potuerunt Dauidis merita Deum à vindicta reuocare, vt qui sciat in suorum sanctorum gratiam, viuis peccato-

Gen. 42.

Gen. 43.

Iob. 42.

Chrysost.

Par. 21.

catoribus aliquando fauere. Ibi ait Theo-
Theod. dor. *Malos etiam tolerat benignus Dominus, recordans virtutis defunctorum.* Sic sancti defuncti suis prosunt, etiam si peccatores existant. Vbi autem sanctorum orationes desunt, etiam viri iusti carent
Gen.19. commodis multis. Genes.19. *Recordatus est Deus Abrahæ, et emisit Loth ex media subuersione.* Sic legit, & ait D. Chrysost.
Chrysost. homil.44. in Genes. *Cur igitur dicet aliquis, propter orationem Patriarchæ iustus seruatus est, et non propter suam iustitiam? Ita certè propter orationem Patriarchæ. Quando enim quod ex nobis est, simul afferimus, & accedit intercessio sanctorum, plurimùm nobis confert.* Hæc ille.

§. XVII.

Patrocinia sanctorum tunc maximè prosunt, cùm pijs nostris operibus sollicitantur.

IVbemur de mammona iniquitatis facere nobis amicos tutelares, & defensores; nos enim sumus, qui facimus, quòd sancti viri efficaciter nos protegere, & defendere possint. Ipsi sancti per se nõ semper efficaces defensores sunt, sed tunc maximè sunt efficaces cùm tales fiunt à nobis per pietatis, & virtutum opera. Efficacia enim sanctorum in nostra defensione à virtutibus nostris manare solet. Quò respiciens D. Chrysost. homil.1. in
Thess.1. epist.1. ad Thessalon. aiebat: *Quid profuit Hieremias Iudæis? An non tertiò pro eis Deum interpellauit, & vicissim tertiò audiuit: neque oraueris, neque obsecraueris pro populo isto; non enim exaudiã te. Quid Saulem iuuit Samuel? Quid prosuit Israelitis? Nonne omnes perierunt? Nihil prosunt, inquis, preces? Prosunt plurimùm. Sed quando nos aliquid fategerimus. Adiuuãt enim, et auxiliantur. Auxilio autem quis ei demùm est, qui et ipsa operatur.* Etiam pro nobis vniuerso sanctorum choro orante, peribimus, nisi operibus virtutum, & nos illorum preces faciamus efficaces. Notissimum fuit peccatum Israelitarum in adoratione vituli, sed & pœnæ pro peccato datæ sunt notissimæ: post pœnas datas,
Exo.32. ait Moyses, Exod.32. *Peccastis peccatum maximum; ascendam ad Dominum, si quomodo quiuero eũ deprecari pro scelere vestro.* Ascendit igitur Moyses; precatus est, & salutem populi obtinuit, illumq; in terram promissam statim iubetur ducere. Sed
Num. 12. Num. 12. idem Moyses, videns sororem suam Mariam lepra percussam, pro illa orationem fundit. *Clamauit Moyses ad Dominum, dicens: Deus, sana eam:* & non vult Deus illam statim sanare. Cur oratio Moysis efficax fuit pro salute populi, & non pro salute sororis? Putat Chrysost. quòd pœnitentia, & clamore populi adiutus Moyses orauerit ad Dominũ pro eorum salute; verùm pro salute sororis exoranda nullo eius fuerit adiutus opere: quippè ait
Chrysost. homil.5. in cap. 1. Matth. *Habent enim vim pro nobis, & quidem maximam, orationes, supplicationesque sanctorũ: sed tunc profectò, cùm nos quoque id ipsum per pœnitentiam postulamus, & ad studia meliora confugimus. Alioquin ipse Moyses, qui & fratrem suum, & sexcẽta illa millia armatorum ab imminenti Dei liberauit ira, sororem tamen suam nequiuit eruere.* Pro liberandis nobis necessum est, vt sanctorum orationes, & patrocinia ex nostra cooperatione efficaciam sumant. Orabit sanctus pro te; sed tunc erit eius oratio efficaciter exaudita, ne tibi malũ aliquod contingat, cum etiam tu placendo Deo operam impenderis tuam. Compone modò duas Hierosolymitarum obsidiones, alteram à Senacheribo, alteram à Nabuchodonosore factam. Senacherib Hierosolymam multo cingit milite. 4. Reg. 19. eius autem feritatem, & blasphemias audiens Hierosolymitanus Rex Ezechias, humi prostratus longissimam Deo orationem fudit. Tunc
4. Reg. 19. Dominus ait: *Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum. Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia, &c.* Ecce tibi, perituræ vrbi merita Dauidis prosunt, ne veniat in ruinã: Sed & à Nabuchodonosore obsessa est ciuitas eadem, atque funditus destructa: ait
4. Reg. 25. enim 4. Reg. 25. *Et clausa est ciuitas, atq; vallata vsque ad vndecimum annum Regis Sedeciæ, nona die mensis, præualuitque fames in ciuitate, nec erat panis populo terræ. Et interrupta est ciuitas, omnes viri bellatores nocte fugerunt, &c.* Sanè Dauidis merita similiter nunc pro ciuitate sua stabant, ac steterunt tempore illius obsidionis primæ. Cur ergo nunc non possunt ciuitatem liberare, quam tàm facilè liberarunt prima illa vice? Tunc non erant sola sancti Dauidis merita, sed simul Rex Hierosolymitanus Ezechias prosternitur humi

mi, perces fundit, pijsque operibus miseri cordiam sollicitat diuinam. Modò nō est Rex, qui aliquod bonum operetur, sed sola Dauidis merita relinquuntur, quæ sola sine cooperatore Rege pio non valēt regnum à manibus tyranni eripere. Ait Diu. Chrysost. homil. 1 in epist. ad Thessalon. *Audi Deum dicentem: Protegam ciuitatem istam propter me, et propter Dauid seruum meum. Sed hoc dixit: Cùm esset Ezechias Rex iustus. Quare non dixit hoc Deus etiam, cùm Nabuchodonosor illos adoriretur, sed ciuitatem hanc tradidit? ideò scilicet, quòd plùs potuerit illorum malitia.* Parùm prosunt sanctorum merita pro te orantia; vbi tua exberat malitia: vbi autem tu operibus etiam iustis incumbis, eā prębes sanctorum precibus efficaciam, quæ te â calamitate eripiat.

Chrysost.

§. XVIII.

Sanctorum patrocinia permanentem fœlicitatem hominibus acquirunt.

ECce quid conferant nobis sanctorum patrocinia; ait enim: *Vt recipiant vos in æterna tabernacula*: ea enim sunt, quæ nobis fœlicitatem virtutis æternent. Quò spectans D. Germanus Patriacha Cōstantinopolitanus in theoria rerum Ecclesiasticarum, loquens de fœlicitate Ecclesiæ militantis, ait: *In qua propitiatorium, & sancta sanctorum est; in Prophetis prænūtiata, in Hierarchis exornata, & in martyribus consummata, & in throno sanctarum eorum reliquiarum fundata.* Ecce tibi, sanctorum martyrum reliquiæ pro cemento, & imperturbabili fundamento sunt Ecclesiæ Christianæ. Non equidem ea sunt tabernacula fidelium quæ facilè transferri possint; fundata enim sunt in throno sanctarum reliquiarū; hoc est, habent pro fundamento sanctorum patrocinia, quæ penè imperturbabilem conferunt firmitatem. De sua Ecclesia aiebat Dominus, Matth. 16. *Et portæ inferi non prævalebuunt aduersus eam.* Nō equidem lababit infernorum impetu Dei Ecclesia, vt quæ prętерquam quòd Christum pro fundamento habet, etiam tot firmissimos lapides in cæmentis ponit, quot ossa secum recipit, & patrocinia martyrum. Non negabo in præsenti D. Ambrosium, cuius lingua sic melle manat, serm. 77. *Semper nobiscum sunt sancti martyres, semper nobiscum morantur; hoc est, et in corpore nos viuentes custodiunt, et de corpore nos recedentes excipiunt. Hic ne peccatorū nos labes absumat, ibi ne inferni horror inuadat. Nam ideò hoc â maioribus prouisum est, vt sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat: dum illis Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes: euadimus inferi tenebras eorum proprijs meritis, attamen consocij sanctitate. Ait enim Dominus Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt ei. Si ergo Apostolo, & martyri Petro inferni porta non prævalet: quisquis sociatur martyri, tartaro non tenetur: martyres enim inferni porta nō possidet, quoniā eos paradisi regna suscipiunt.* Fœlix, qui martyri sociatur, qui eam imperturbabilem firmitatem vel de sanctorum martyrum cineribus accipit, quam minimè expugnant portæ inferi, si tamen martyri cōuiuit eius emulus vitæ. Huc trahe dicta tom. 2. lib. 6. §. 3.

Germa.

Matt. 16

Ambr.

§. XIX

Bona temporalia vt transmitti debeant in vitam æternam.

SAnissimum, & suauissimum consiliū Dei, vt de mammona iniquitatis faciamus amicos, qui in tępore defectionis nos recipiant in æterna tabernacula. Vtcumque enim nunc floreas, bonisq; omnibus abundes, te manet tempus defectionis, in quo tibi omnia hæc temporalia deficiāt, & omnibus nudus cogaris ire in domum æternitatis. Væ tibi, si nihil ibi inuenias amicorum manibus translatum. Accipe in rem præsentem pulchram historiā, quam confingit D. Damascen. in vita Barlaami, cap. 14. *Vrbem quamdam magnam extitisse accepi, in qua ciues hoc in more, ac instituto positum habebant, vt peregrinum quemdam, & ignotum virum, ac legum, & consuetudinum ciuitatis omninò rudem, & ignarum acciperēt, eumque sibi ipsis Regem constituerent, penes quē, per vnius anni curriculum, rerum omnium potestas esset, quique liberè, & sine vllo impedimento, quicquid vellet, faceret. Post autē, dum ille omni prorsùs cura vacuus degeret, atque in luxu,*

Damasc.

luxu, & delicijs sinè vllo metu versaretur, perpetuumq; sibi regnum fore existimaret, repentè aduersus eum insurgentes, regiamque ipsi vestem detrahentes, ac nudum per totam vrbẽ, tamquam in trtumphũ trahentes, in magnam quamdam, ac longè remotam insulam relegabant, in qua nec victu, neque indumentis suppetentibus, fame, ac nuditate miserrimè premebatur, voluptate scilicet, atque animi hilaritate, quæ præter spem ipsi concessa fuerat, in mœrorem rursûs, præter spem omnem, & expectationem commutata. Contigit ergo, vt pro antiquo ciuium illorũ more, atque instituto vir quidam magno ingenij acumine præditus ad regnum asciscceretur. Qui statim subita ea fœlicitate, quæ ipsi obtigerat, haud quaquã præceps abreptus, nec eorum, qui ante se regiam dignitatem obtinuerant, miserêque ejecti fuerant, incuriam imitatus, animo anxio, ac sollicito id agitabat, quonam pacto rebus suis optimè consuleret. Dum ergo crebra meditatione hæc secum versaret, per sapientißimum quemdam consiliarium, de ciuium consuetudine, ac perpetui exilij loco certior factus est, quo namque pacto, sine vllo errore, ipse sibi cauere deberet, intellexit. Cùm igitur hoc cognouißet, futurumq; propè diem, vt ad illam insulam ablegaretur, atque aduentitium illud, & alienum regnũ alijs relinqueret, patefactis thesauris suis, quorum tunc promptum, ac liberum vsum habebat, aurique, atque argenti, ac pretiosorum lapidum ingenti mole, famulis quibusdam, quos fideliſsimos habebat, tradita, ad eã insulam, ad quam abducendus erat, præmisit. Vertente autem anno, ciues commota seditione, nudum eum, quemadmodum superiores Reges, in exilium miserunt. At cæteri quidem amẽtes, & breuis temporis Reges grauißima fame laborabant; ille contra, qui opes suas præmiserat, in perpetua rerum copia vitam ducens, atque insuita voluptate fruens, perfidorum, atque sceleratorum ciuium prorsûs metu abiecto, sapientißimi consilij sui nomine beatum se prædicabat. Hæc ille, quibus in rem præsentem nihil pulchrius dici, excogitarive potuit. Temporanea sunt omnia, quæ accidunt hominibus bona, à quibus breui tempore vniuersi exuentur, & in tenebrosam terram, mortisque caliginem mittentur. Miseri, qui præsentibus immersi, hæc non cogitant, sed quasi æternùm duratura bona possideant, de defectionis tempore nihil curant; heu quanta in fine prementur penuria! Ille fœlix, qui malè credens præsentibus bonis, sollicitus est de eorum fine, is indagabit sanè tempora futuræ calamitatis, & sciens alium restare mũdum, in quem nudus, & omnibus spoliatus bonis est transmittendus; quæ hîc habet prę manibus bona, illuc per fidiſsimos famulos, & amicos curabit transmittere, & per manus pauperum proculdubiò transmittet. Quo esurientibus alijs, ipse etiam ab ijs bonis excluſus, in summa erit abundantia, & copia constitutus. Propterea monebat Eccleſiasticus, capit. 18. *Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatum paupertatis in die diuitiarum. A manè vsque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei.* Stultiſsimus est, qui nimis credens temporali abundantiæ, non meminit imminentis iam temporis paupertatis, in quo positus pro gutta aquæ clamabit, & dabit nemo. Ille sapiens, qui ita sua in præsenti disponit, vt & in futura vita ingens illi suppetat copia rerum. De sapientiſsimo Iob ait textus, cap. 1. iuxta lectionem Græcam: *Erant pecora eius ouium septem millia; camelorum tria millia; iugà boum quingenta; asinæ fœminæ sequentes pascua, quingentæ; & ministerium multum valdè.* Quantum hoc miniſterium? Sanè miniſterium erat illi adeò copioſum, vt suppeterent illi pro hac, & futura vita miniſtri. Vt enim de bonis terrenis miniſtrabat pauperibus, sic illum in ventura vita copioſa miniſtrorum turba expectabat. Sic inquit Origenes, libro. 1. in Iob. *Miniſterium eius nimis copioſum. Certum est, quòd mensæ eius, atque sedis eius miniſterium copioſum erat; sed plùs erat miniſterium copioſum, quod miniſtrabat hoſpitibus, peregrinis, et pauperibus infœlicibus. Pro horum ſuſceptione nimium copioſum habuit miniſterium: puto, quòd in cœlo & copioſum nimis habuerit miniſterium. Plurimi miniſtrarunt ei ſuper terram pro miſerorum ſuſceptione; ſed plures miniſtrabant ei in cœlis cœleſtes Angeli eleemoſinas, in memoriam coram Deo deferentes.* Hæc ille.

Ecclı 18.

Iob. 1.

Origen.

(·.·)

CAPVT

CAPVT XVII.

De Seruo arante.

HAEst serui conducti conditio, vt post aliquod laboris sui opus perfectum, illum excipiat, & vocet aliud, & post hoc aliud; nec cessat catenati laboris, operisque successio, nisi vbi totum seruitij tempus absolutum existens cessauit. Hæc omnium seruorum, siuè famulorum conditio est, quam qui penitùs adimplet, nihil eximium, nihil singulare, & præstãs super alios facit, nec inde habet, quare vltra communes mercedes, singularem aliquam aliam gratiam, aut fauorem sibi præsumat comparare. Quid fecit, quod non faciant alij? Imò & omnes id tenentur facere. Omnes Dei serui sumus peculiariter à Deo cõducti in adimpletionem præceptorum; horum aliquod dum instat, non excusamur ab eo, & si aliud maximum iam adimplerimus; per ordinem adimplenda sunt omnia, nec inde aliquid eximium, & singulare præstamus; sed vbi supra præcepta operamur, tunc vltra mercedem de singulari gloria, & laude possumus lætari. Sic ait Paulus. 1. ad Corinthios. 9. *Nam si euangelizauero, non est mihi gloria*; hoc est, non est laus, & gloria præcipua, & singularis; *necessitas enim mihi incumbit*, nimirùm necessitas seruitutis in adimpletione mandati, quod nisi adimpleam, & vapulabo vt seruus nequam, & mercedem non capiam. *Quæ est ergo merces mea? Vt euangelium prædicans, sine sumptu ponam euangelium.* Licebat Paulo de altari viuere, & cum sumptu ponere euangelium, sed ipse sine sumptu ponebat, aliquid supra præceptum addens, de cuius operis mercede, & præmio magis gloriatur, quasi de re singulari, & super omnes præceptorum adimpletiones præstanti.

1. Cor. 9.

***

Luc. 17. Quis autem vestrum habens seruum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro, dicat illi: statim transi, & recumbe, & non dicit ei: Para, quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem, & bibam, & post hæc tu manducabis, & bibes?

§. I.

Nobilium mensas comptuli, & otiosi adstantes seruuli vacuant, perdunt: operantes autem, & laborantes serui illas implent, ditant.

PArari sibi cœnam petit Dominus à seruo veniente ex agro, quem ararat; an non sunt alij quàm plures serui, qui nihil operis impendunt, sed tantummodò dominis otiosi assistunt? Sed cur necessarium fuit, requiri cœnam à seruo aratore: diuturni laboris improbitate defesso? Sanè quòd comedant domini, à seruis arantibus, & laborantibus venit: serui autem otiosi, & comptuli assistentes, ad fastum solùm inuenti, ij & mensas dominorum vacuant, & funditùs perdunt. Naum capit. 3. inquit: *Custodes tui, quasi locustæ*. Custodes posuit pro ministris Principum, & nobilium seruulis, qui eis assistunt, latera cingentes, custodientes. Quo posito, pulcherrimè legit Tygurina: *Comptuli tui locustas referunt*. Quid verius? Serui aratores segetes ditissimas faciunt, quibus Principum implentur horrea, implentur mensæ. Comptuli autem isti, porsùs otiosi, dominis solùm assistentes, locustas referunt, quæ absumant segetes, & famem inferant regnis. Fallar, si maius damnum à locustis venit segetibus, quàm ab istis comptulis otiosis recipiunt familiæ vniuersæ. Fœliciſsima domus illa dicitur, in qua serui, & famuli non ad otiosum, atque euanidum fastum, sed ad quæstum dominorum, & verum adiumentum sunt. Prouerb. 27.

Naum 3

Prou. 27. *Qui seruat ficum, comedet fructus eius, & qui custos est domini sui, glorificabitur.* Vt herum cum ficu comparat, sic famulum, seruumvè cũ fici cultore; nec otiosè cultorem agri iungit cum custode, seu famulo domus; sed vt doceat, quàm iungenda hæc duo munera sint, & quàm inseparabilia; & tunc domus floret, vbi famulus domini adhærens lateri, ab agri cultore non separatur, imò idē prorsùs est cultor agri, & domino assistens famulus. Atthæneus, Atthæn. lib. 6. propè finem, ait: *Agatharchides Gnidius libro trigesimo octauo rerum Europæ scribit, ex Dardanis aliquem seruos mille possedisse, quemdam etiam plures, ac eorum vnum quemque pacis tempore agros colere; belli verò, militiæ nomen dare, suosque illis duces esse dominos.* Cur non florerent Dardani, quibus nullus otiosus famulus, nullus comptulus, sed milleni erant in agris, vel in bello, vbi opus erat, certantes? Nec egeo prophanorum exemplis, vbi superGen. 14. sunt sacra. Gen. 14. de Abrahamo dicitur: *Cùm audisset Abraham captum videlicet Loth fratrẽ suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est eos vsque Dam. Et diuisis socijs, irruit super eos morte, &c.* Expende, quàm ingẽtem famulorum turbam habebat, ex qua trecentos expeditos assumpsit ad pugnam. At ipse tres Angelicos iuuenes domiGen. 18. excipiens, Gen. 18. *Festinauit in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcineritios panes. Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, et optimum, deditque puero, qui festinauit, & coxit illum. Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, et posuit coram eis: ipse verò stabat iuxta eos sub arbore.* Ecce tibi, conuiuia paraturus hospitibus, ipse ad armenta currit, & ex armentorum custodibus puerum vnum assumit, qui deferat vitulum, ipse solus prandentibus assistit. An non erant famuli Abrahamo? Vbi erant trecenti illi expediti, quos eduxit in pugnam? Erant equidem Abrahamo famuli plures, qui aruis colendis, armentis pascendis instarent, è quibus tempore belli, vt occasio tulisset, trecẽtos, aut mille in arenam produceret. Famuli verò, qui otiosi assisterent, nati solùm consumere fruges, non erant viro opulentissimo, & ordinato ex Deo ad regias acquiIob. 1. rẽdas diuitias. De Iobo item dicitur cap. 1. *Et fuit possessio eius septem millia ouiũ, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, et quingentæ asinæ, ac familia multa nimis.* Priùs recensuit possessiones armentorum, & statim addidit famulorum multitudinem, dicens: *Et familia multa nimis*, vt innueret, famulos non in aliud esse, quam in id, vt armentis prospicerent, & nauarent operam rei rusticæ. Id quod clariùs expressit Græcus, inquiens: *Et ministerium multũ valdè, et opera magna erant in terra.* Numerosa ministrorum turba armentorum, & agrorum fructibus respondebant; iuxta rei rusticæ operam, & labores mensurabatur famulorum numerus, ne vllus esset, qui prouentibus augendis nõ incumberet. Ex quo aiebat Ecclesiastes, cap. 1. *Possedi seruos, et ancillas, multamque familiam habui: armenta quoque, et magnos ouium greges, vltra omnes, qui fuerunt ante me.* Expende, quò referat multitudinem seruotum, famulorumvè, nimirùm gregum prouentibus augendis. Nissen. Ait D. Nissen. homil. 4. in Eccles. *Cùm dixisset, Possedi seruos, et ancillas, adiecit, quanta sibi priùs fuisset prosperitas in bobus, et ouibus.* Ne quis suspicetur, alios seruos, & famulos illi fuisse, nisi ex quibus potuisset nasci tanta prouentuum copia, quantam nullus anteà habuisset. Non absPlinius. simile ait Plinius, libro 18. cap. 6. *Turius Cresinus è seruitute liberatus, cùm in paruo admodum agello largiores multò fructus perciperet, quàm ex amplissimis vicinitas, inuidia magna erat, seu fruges alienas pelliceret veneficijs. Quamobrem à Sp. Albino Curuli die dicta, metuens damnationem, cùm in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit familiam validam, atque (vt ait Piso) benè curatam, ac vstitam, ferramenta egregiè facta graues ligones, vomeres ponderosos, boues saturos. Posteà dixit. Veneficia mea, Quirites, hæc sunt.* Prudentissimè vir sapiens ostendit familiam; hoc est, famulos omnes suos aratris, ligonibusque iunctos, vt inde ostenderet causas augendi prouentus, augendi diuitias. Hæc æmulentur Hispani nobiles, abijciantque famulorum otiosam multitudinem, illosque famulos sibi eligant ministraturos, qui ab aratro veniant, nisi velint, quòd breuissimè cœna deficiat.

§. 11.

§. II.

Famulorum iners multitudo minimè à Deo est, nec dum grata illi.

A Reuertente ex agro seruo debere mē sam parari, docet Dominus; quasi nō sit alius, cui possit tale munus mandari. Et quidem seruorum multitudo Deo nec grata, nec nota est. Leuit. cap. 21. sic Deus cauet: *Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus eius: septimo autem anno Sabbathum erit terræ requietionis Domini. Agrum non seres, et vineam non putabis: quæ sponte gignet humus, non metes, et vuas primitiarum tuarum non colliges quasi vindimiam; annus enim requietionis terræ est: sed erunt vobis in cibum, tibi, & seruo tuo, ancillæ, et mercenario tuo, &c.* Expēde illud, *Tibi, et seruo tuo, et ancillæ*, quasi supponat Dominus, quòd seruorum, famularumvè numerus nūquam exurget in plures, ideò noluit assignare pro cuiusuis familia nisi seruum vnum, ancillam vnam. Chrysostomus, in primam ad Corinthios, homil. 40. ait: *Verùm nec necessitate, nec humanitate adducti plures serui sunt, sed fastu solo. Nam quò familiares tot alis? Quemadmodum enim in vestibus, in vita necessitatem solam respicere oportet, sic in famulis. Quæ ergo necessitas est? Nulla sanè. Herum vnum vno seruo contentum esse decebit, imò vno seruo tres heros.* Non necessitas, sed vanitas multitudinem famulorum inuexit; nec à Deo venit, sed à vitio, quòd multis vndique cincti famulis appareamus. Meritò aiebat Seneca, lib. 6. epist. 47. *Superbissima consuetudo, cœnantem dominum stantium seruorum turba circumdedit, alius sputa detergit, alius reliquias temulentorum colligit: alius pretiosas aues scindit per pectus, & clunes certis ductibus circumferens erudita manu frusta excutit. Infœlix, qui huic vni rei viuit, vt altilia decenter secet, nisi quòd miserior est, qui hoc voluptatis causa docet, quàm qui necessitatis discit. Alius vini minister, alius cui conuiuarum censura permissa est, expectat, quos reuocet in crastinum, &c.* Sic pergit sapiens Philosophus, carpens famulorum multitudinem, non ob aliud introductam, quàm ob superbissimam consuetudinem. Res est superbiæ maximæ, velle extolli in multitudine famulorum, quasi non sit maior gloria, nullo egere. Superbissimi homines de pedissequorum multitudine in magnos spiritus exurgūt; facit equidem hoc ad vanitatem, & adumbratam gloriam, sed non magis ad gloriæ veritatem. Vera enim gloria, & præstantia est, nullo egere. Id quod in Angelis notandum putarim: quippè. 1. Regum. 29. ait ad Dauidem, illum patrocinio suo destituens Rex Achis: *Scio, quia bonus es in oculis meis, sicut Angelus Dei.* Quid ais, Rex, eijcis Dauidem à facie tua, destituis illum patrocinio tuo, vt solus abeat, & vocas Angelum? Cur Angelica appellatione delinire cupis hominem reiectitium, & desolatum? Angelum vocat, cùm solum abijcit, proponens illi ob oculos summam præstantiam, & gloriam, quæ in eo consistit, quòd quis nullius egeat famulatu, nullius requirat fulcrū, sed solus possit vbique agere. Aiebat Diu. Chrysostomus, in epistol. ad Hebræos, homil. 28. *Dic enim mihi, nonne Angeli soli totum mundum circumeunt, & pedissequis nullis egent? Num propterea à nobis inferiores existunt, indigentibus non indigentes? Sic itaque nequaquam indigere pedissequis Angelicum quidem est, quæ est ergo quæ Angelicæ vitæ propinqua est? Illa nè, quæ pluribus indiget seruis, an quæ paucis?* Sanè quò maiori famulorum multitudine eges, vt procedas in publicum, eò magis à præstantiori natura te ostendis distare.

Leuit. 21.

Chrysost.

Seneca.

1. Reg. 29.

Chrysost.

§. III.

Dei serui in nullo debent lassari mandato, sed omnia etiam perdiligentissimè obire.

A B aratro reuertens seruus ministerium domesticum suscipit, nec debet primi laboris lassitudinem sibi obijcere, vt à domestico labore se excuset, sed ab vno labore ad alium auidè transire, nec quiescere, donec omnia adimpleat. Hæc est seruitutis conditio, vt quisquis Domino seruit, non lassetur ex vno mandato, sed vniuersa adimpleat. De hominum exemplari Dei Filio sic inquit Paulus ad Philippenses, capit. 2.

Phil. 2. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu; qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem; mortem autem crucis.* Iussus ire in vincula, protinus sese dat vinculis; verberari iussus, non refugit flagella, imò de flagellis ad spinas, de spinis ad sententiã mortis, hinc arripit crucem. Cur nihil horum refugit? Imò vt fatetur apud Isaiam, cap. Isai. 50. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non auerti ab increpantibus, et conspuentibus.* Et si necessum fuerit, quòd Deus pateretur, vndè necessum fuit, quòd per tot labores in omnium acerbissimam mortem iret? Cur primò ad vincula, post vincula ad alapas, ad spata; hinc ad verbera, hinc ad spinas, tandem ad crucem? Causam insinuauit Paulus verbis illis, *Formam serui accipiens*; vbi enim Dei Filius seruum agebat, non lassabatur ex vno, sed per totos labo- Chryſoſt. res debebat currere. Chrysost. serm. 6. de passion. *Quare totius Dominus naturæ, formam seruitutis intrauit, nisi vt totas seruitutis iniurias sustineret?* Ex quo se seruũ fecit Dominus, omnia seruitutis munera, quamuis durissima præcurrit, non se lassatum ostendit in vno, aut alio; sed alacer, & in procincta steterit, vsque dum omnes labores absumpsit. Sic seruiat homo Creatori suo, vt minimè in vno mandato lassetur; sed ex vno completo, ad aliud prõptior se accingat, donec omnia perficiat. Hoc in lucidissimis Dei seruis, siue in lucis filijs notabat Iob, cap. 38. *Mittes ful-* Iob. 38 *gura, et ibunt, et reuertentia dicent tibi: Adsumus.* Non instar corui egreditur filius lucis, vt primo volatu fatigatus; cadauerum carnibus insideat; sed instar columbæ egrediens, nullam parat requiem pedibus suis, sed iterum reuolat, parata iterum mitti. Sic Ecclesiæ lumina, sic lucidissimi serui Dei viam mãdatorum arripiunt, nec lassantur in vno, aut altero; sed ab vno perfecto opere, & labore reuertentes, dicunt, *Adsumus*, se promptos, & alacres offerentes ad perficiẽda cuncta. Hæc sic elucidat Author Catenæ Græcæ: *Reuertentia tuo præstolabuntur imperio, hanc ferè vocem mittentia: Eu ipsa præstò sumus; quidnam est, quod optas facere?* Nullo præcepto lassantur, nullo franguntur, nec quòd laboris quies interrumpatur, maioris alicuius additione, impatientes ferunt, sed ad omnium executionem parati, promptique exiliunt. De præstantissimo Dei seruo Tobia dicitur cap. 1. *Contigit autem, vt quadã* Tob. 1. *die fatigatus, à sepultura veniẽs in domum suam, iactasset se iuxta parietem, et obdormisset, et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora incidissent super oculos eius, & fieret cæcus.* Ecce tibi, fatigatũ ab opere laborioso Tobiam maior alius labor requiescere non finit; sepulturæ labore fractum labor cæcitatis excipit. Quid tunc bonus seruus? Nouo hoc labore addito commouetur in Dominum? Absit; imò qui in omnibus decreuit seruire, nullo lassatur labore, sed à primis mandatis executioni datis, alacrior, & promptior ad vniuersa exãthlanda exurgit. Pulchrè ibi textus ponderat: *Cùm ab infantia sua semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deũ quòd plaga cæcitatis aduenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit.* Non is erat seruus, qui primis mandatis lassaretur, sed sic ab infantia sese Dei mandatis implendis tradidit, vt in nullo frangeretur, sed ad omnia etsi acerbiora sustinenda immobilis existeret. Dauid de se aiebat, Psal. 118. Pſ. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Quale hoc? Præstantissimum quidem seruitium est exhibitum Deo. Propone tibi ob oculos hominem in via equitantem, ante cuius faciem præit seruus præcinctus, & expeditus velocissimis pedibus, eamdem viam conficiens, & per illam currens; peruenitur tandem ad hospitium, vbi & lectus, & mensa lassum expectant. Quid tũc? Accedit seruus impiger præcursor, & quasi nihil egisset, sic promptus, hospitij munera suscipit; ab equo descendenti domino adstat; equi cibum procurat; sacculis oneratur; deponit onera; domini leuamẽ tractat in defessa opera, & vix dum adstat prandenti, cibum sumit: & statim ad equum currit, refert onera; vt ascendat dominus, inuitat, & egrediente domino, ipse primus alacer arripit viã. Sic laborem viæ excipit labor hospitij; & hunc alter labor viæ, & ab vno ad alium curritur. Hæc bonus cursor Dauid præstat, dum mandatorum currit vias; ad vnum currit, nec in huius perfectione, & consummatione sistit, sed statim ad aliud percurrendum exurgens, per omnia nititur ire. Hinc Dei seruos, atque ministros Paulus designans. 2. ad Corinthios. 11. inquit: *Ministri Chri-* 2. Cor. 11 *sti sunt? & ego, vt minùs sapiens dico, plùs ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra*

pra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas, vna minûs accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum; ter naufragium feci; nocte, et die in profundo maris fui. In itineribus sæpè, &c. Quorsum tot, tantaque iungit, vt se Christi ministrum probet? Nonne in paucioribus satis probaretur Christi minister? Equidem verus Christi seruus, & minister, nō ab vno, aut alio, sed à plurimis, sed ab omnibus seruitijs debitis ante vllum stipēdium exanthlatis, debet designari. Ait
Anselm. D. Anselm. ibi: *Plûs sum ego minister Christi, quàm sunt alij prædicatores, comprobatus in laboribus plurimis. Nam & illi laborauerunt, sed ego duriûs, et multipliciûs; quia & plura aduersa pertuli, et pluribus gentibus prædicaui, et plura scripsi, et stipēdium non accepi.* Quis ignoret catenatos Pauli labores? Nullibi quies; vnum laborem maior excipiebat alius, quo veri ministri veram referebat imaginem.

§. IIII.

Deo solus notus dominus ille, qui curam habet famulorum, seruorumque.

PRoposuit nobis Iesus ob oculos dominum illum, qui etsi seruum sibi seruire impigrè faciat, tamen ait illi: *Post hæc tu manducabis, & bibes.* Non omnes domini hæc seruis suis permittunt: quippè
Seneca. ait Seneca, lib. 6. epist. 47. *Superbissima consuetudo, cœnantem Dominum adstantium turba circumdedit. At infœlicibus seruis mouere labra, ne in hoc quidem vt loquātur, licet, nocte tota ieiuni, mutique perstant.* Cur ergo Dominus non magis meminit heros illos, quorum serui tota nocte, dieque ieiunant? Cur magis meminit illum, qui cibaria prouidit seruo suo? Equidem qui seruorum saluti non prospiciunt, non censentur, nec agnoscuntur à Deo. Ille fœlix in Dei memoriam venit, imò pro se habet Deum, qui sic à suis famulis exigit seruitium, vt simul eorum bono prospiciat. De fœlicissimo Centurio-
Matt. 8. ne ait Matthæus, cap. 8. *Accessit ad Iesum Centurio, rogans eū, et dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, et malè torquetur.* Quanta hæc fœlicitas Centurionis, quòd ad Iesum accessisset? Et in totā hanc fœlicitatē ideò deuenit, quia sollicitus est de famuli sui salute. Vndè pulchrè Diu. Basilius Seleuc. orat. 19. inquit:
Basil. Se. *O miraculum modo non opinabile! Puer membra dissolutus iacens Domino ducatum præbet ad Dominum. Serui sanationē Centurio perquirens Dominum reperit, dumque ipse serui sanationem venatur, fit ipse Domino præda.* Qui sic famuli saluti consulebat, non potuit non in Dei gratiam venire, annumerariq; gregi diuino: Deo enim maximè placet in dominis hoc erga famulos studium. Et fallar, si quis dominus famulis suis consuluit, qui à Deo ob id aliquod non receperit munus. Cùm hostiles exercitus appropinquarent, vt Elisæum percuterent, Elisæi famulus vehementi concutitur pauore, quē vt trementem Propheta videt pro timore eius tollendo preces fundit, vt eius oculi aperirentur, quibus cerneret sibi adstantia cœlestium auxilia. Quid tunc? Ait textus. 4.
4. Reg. 6. Regum. 6. *Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, et ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi. Hostes verò descenderunt ad eum: porrò Elisæus orauit ad Dominum, dicens: Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate. Percussitque eos Dominus, ne viderent, iuxta verbum Elisæi.* Priùs famuli oculos aperit, eiusque timorem tollit, deinde pro excæcandis hostibus orat, & illorum obtinet cæcitatem. Cur non priùs hoc petiuit, vt hostes cæcarentur? Sanè priùs famulo cōsulit, & inde erga hostes potentior euadit, & de beneficijs famulo collatis sic augescit, vt facilè possit hostiles exercitus prostrare. Ait D. Ambros. serm. 1. de Eli-
Ambr. sæo fatus: *Tunc igitur orauit Elisæus, & omnem hostilem exercitum cæcitate percussit. Non mirum, si aduersarijs cæcitatem intulit, qui famulo largitus est claritatem: & si hostibus aufert visum, qui ministro præstat aspectum.* Quid non posset, qui potuit famulo suo conferre beneficiū? Quid ex Deo non acciperet, qui famulo curauit dare subsidium? Deo placent filiorum studiosi parentes, sed domini, qui erga famulos habent idem studium, nescio quomodo citiùs Deum sibi obstringunt. Petenti famuli medelam Centurioni statim annuit Iesus, Matth. 8. dicens: *Ego veniā, & curabo eum*: mulieri autem Chananææ pro filia supplicanti, vel non respondit verbum, vel ait: *Non possum tollere panem filiorum, & dare canibus.* Cur sic duratur ad matris preces, & festinat molliri ad Centurionis petita? Herus hic erat, pro seruo supplicans; mater illa rogabat pro filia: & ideò non tanti æsti-

mat Dominus preces matris pro filia, quã ti æstimat heri voces pro famulo supplicis. Basil. Se. Quò respiciens D. Basil. Seleuc. oration. 19. ait: *Herus pro famulo rogans exorator fuit, mater pro filia rogitans tulit repulsam.* Sic gratissima est in dominis pro seruis sollicitudo, & cura.

Luc. 17. Numquid gratiam habet seruo illi, quia fecit, quæ ei imperauerat? Non puto. Sic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis: dicite, serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.

§. V.

Gratiæ, & fauores à Deo in homines proficisci solent in præsenti, cùm homines aliquid etiam supra debitum operantur.

IMperia domini famulo adimplenti non negat Magister noster Iesus reddendã mercedem, cùm seruitia consumauerit; sed negat interea illi deberi aliquam gratiam, seu fauorem aliquem. Et quidem gratia, & peculiaris fauor Domini tũc maximè venit, cùm seruus aliquid gratiosè, & vltra ex condicto debitum operatur. Is enim est Deus, qui peculiaribus fauoribus, & gratijs nõ omnes passim ditet, sed illos præcipuè, qui etiã supererogationis operibus Dei beneficentiam nouerint sollicitare. Ait parés meus sanctus Ignatius in constitutionibus. 19. Ignat. *Quantò aliquis se arctiùs Deo astrinxerit, et liberaliorem erga summam maiestatem se præstiterit; tantò eum in se liberaliorem etiam experietur, & ipse in dies magis idoneus erit ad gratias, et dona spiritualia vberiora recipienda.* Expende, ad gratias, & vberiores donationes excipiendas, quibus operibus idoneus magis fias, nimirùm ex operibus, quæ absque vllo debito liberaliter agas. Acquiruntur equidem Dei liberalia dona, & gratiæ peculiares, nullo magis, quã operibus superabundanter, & gratuitò factis. Ex quo lucem præbuerim Zachariæ, cap. 4. dicenti: *Et educet lapidem primarium, et exæquabit gratiam gratiæ eius.* Et cui gratia respondeat, nisi gratiæ? Hoc enim debet esse fundamentum perfectionis, imò & vitæ Christianæ, quòd Dei gratiæ peculiares, & fauores communiter nõ comparentur, nisi operibus supererogationis vltrò, & gratiosè factis. Abrahamus ille maximus non solùm credidit Deo sibi ingentes possessiones promittenti, sed cũ adhuc peregrinus esset, & aduena, spolia Sodomorum, quæ sibi, tamquam victori iure debebantur, & à Rege, cuius anteà fuerant, suppliciter offerebantur, nec digito acquieuit attingere: quippè ait, Genes. 14. *Leuo manum meam ad Dominum meum excelsum, possessorem cæli, et terræ, quòd à filo subtegminis, vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas, ego ditaui Abram.* Sic bonus athleta omnia spolia hostium dimittit, vt Dei fiduciæ morem gerat. Quid tunc? Ait textus cap. 15. *His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem, dicens: Noli timere, Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Duo illi promittit Dominus statim, & protectionem suam, & ingentem mercedem. Et sto à sententia illorum, qui apud nostrum Pereyram in præsenti existimant, verbis illis: *Ego protector tuus, & merces tua magna*, significata esse duo maxima bona, quæ felicibus hominibus contingunt. Et horum quidem vnum est æternum, id autem est æterna electio, & prædestinatio ad gloriam, idque significatum esse illis verbis, *Merces tua magna nimis*, quando collatio gloriæ fiet nobis in mercedem laborum. Alterum bonum, & donum Dei est temporale, sed maximum omniũ, quæ in hac vita dantur homini, & quod minimè cadit sub meritum hominis, sed pendet ex gratuita Dei bonitate, & donatione. Hoc autem est donum perseuerantiæ, & videtur id significatum illis verbis, *Ego protector tuus*; non enim videtur aliud esse donum perseuerantiæ, quàm singularis Dei assistentia protegentis hominem à malo, nec sinentis eum labi in peccatum mortale, aut si labi sinat, erigentis eum, rursùsq; in gratiam reponentis, in qua vitam claudat. His suppositis, expẽdendum venit, quo maximè tempore Abrahamo duo hæc dona, quæ ad mercedes futuras, & ad præstantissimam donationẽ, & gratiam in præsenti spectant, promittuntur. Promittuntur equidem immediatè post despecta, & dimissa ab Abrahamo Sodomorum

Zach. 4.

Gen. 14.

morum ſpolia; ait itaque textus: *His itaq; tranſactis, factis eſt ſermo, &c.* Alia egregia facinora egerat Abraham, & poſtmodùm facturus erat; egreſſus namque à cognatione ſua, & domo paterna, in alienis peregrinabatur: & poſtmodùm habens filiũ vnicum dilectiſsimum, non dubitauit, illum Deo petenti mactare: nec poſt adeò egregias virtutes accipit ſimilem huic promiſsionem à Deo, de infallibili gratia protectionis, & de gloriæ mercede. Nonne & abnegatio cognationis, & filij amantiſsimi litatio, præſtantiſsimæ virtutes erant? Cur ergo hæ non habent promiſsionem in dono infallibilis protectionis, quam tunc ſolùm accipit Abraham, cùm abſtinet à ſpolijs hoſtium accipiendis? Sanè vbi cognationem relinquit ſuam Abrahã, opus præcepti, & ex præcepto debitum adimplet. ſic enim habes Gen. 12. *Egreſſus itaque Abraham ſicut præceperat ei Dominus, &c.* Et dum filium litat, ſimiliter iuxta præceptum Domini operatur, dicentis, Gen. 22. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atq; ibi offeres eum in holocauſtum, &c.* Verùm vbi ab accipiendis ſpolijs abſtinet, nullum ibi opus præcepti facit, ſed multa opera præſtat ſupererogationis, & ſpontaneæ liberalitatis. Nullo audito præcepto, ipſe in defenſionem Lothi exurgit, & reuertens victor decimas offert Melchi ſedecho: & multa, & pretioſa ſpolia iure belli acquirens, ab omnibus mundas manus ad Deum leuat. Vbi ergo tot liberaliter Deo obtulit gratuita ſeruitia, ſimiliter à Deo in illum proficiſcuntur gratuita, & præſtantiſsima beneficia. Ait Chryſoſtomus, homil. 36. in Geneſ. *Poſt contemptũ illum ſpoliorum, poſtquam ea, quæ à Rege data ſunt, repulit; poſt doctrinam illam, quã reiectis donis pronuntiauit, vt pietate, & agnitione conditoris omnium Regem initiaret; poſtquam decimas Melchiſedech obtulit, tunc poſt verba hæc: Factum eſt verbum Domini ad Abrã in viſione noctis, dicens: Ne timeas, Abram, ego protego te; merces tua multa valdè erit. Vide miſericordiam Domini, qui ſtatim & ê veſtigio ſequens, beneficijs ſuum athletam remunerat.* Nõ hìc tam attendenda eſt merces, quàm beneficia, quæ remunerationem referunt obſequijs gratuitis. Vbi enim tot liberalia, & ſpontanea ſupererogationis opera exhibentur, non erat ſatis, ſi ſola merces proponeretur: vltra exhibendam mercedem, & debuit aſsignari gratuita, & liberalis protectio, quando gratuita obſequia iure ſuo petunt exſolui beneficijs gratuitis. Et quis ſperet gratuitum Dei beneficiũ protectionis infallibilis, ſi nunquam ipſe noluit aliquid Deo offerre ſpontaneum, & gratuitum? Hinc lucem affero notiſsimis verbis apud Matth. 25. vbi iudex ſupremus, nulla facta mentione de obſeruatione præceptorum, nec de illorum deſpectione, dicit iuſtis: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum ab origine mundi; eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, &c.* Deinde ad impios conuerſus ait: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum; eſuriui enim, & non dediſtis mihi mãducare; ſitiui, &c.* Et cur in tanto rigore ſæ iuſtitiæ ſpectaculo, ſola meminit miſericordiæ, & ſupererogationis operã? Non de præceptis, ſiuè adimpletis, ſiuè fractis agit, ſed ſolùm in medium producit vel exhibita, vel non exhibita opera gratuita, ne quis concedens æqualitatem retributionis circa hominũ merita, adhuc accuſet in Deo inæqualitatem circa largitionem liberalem auxiliorum efficacium, quando hæc non omnibus fuerunt data: vndè prouenit, quòd qui acceperunt ex Deo auxilia efficacia, in vitam æternam properarent, quam reſpuerunt omnes illi, quibus illa efficacia auxilia gratuita minimè fuerunt data. Ne ergo hinc vlla quærimoniæ anſa naſcatur, Dominus in iudicio ſupererogationis opera ab hominibus exhibita æſtimat; ne miremur, quòd qui debitis ex præcepto operibus addiderunt ſupererogationis alia, ſimul à Deo acciperent & gratuita auxilia efficacia, quibus ad vitam properarent. Rurſus, ne querantur, quòd talia auxilia efficacia gratuita non receperint, qui nihil gratioſum, & ſupererogationis fuerunt operati. Pulchrè enim ait ad hæc Euthimius in præſenti: *Iuſtiſsima eſt æquitas, vt inhumanitas in humanis, & miſericordibus miſericordia rependatur.* Ille meritò ſperat gratiam, qui gratioſis, & ſupererogationis operibus operam nauat; naturale enim eſt, gratias gratijs reſpondere. (.?.)

Gen. 12.

Gen. 22.

Chryſoſ.

Euthi.

§. VI.

Qui præcepta sola decernit implere, nihil supererogationis additurus, fallar, nisi periclitetur in salute.

NOn miror, quòd sola præcepta respicienti non habeatur gratia, nec peculiaris illi regulariter detur fauor; imò crediderim, illi imminere perditionẽ, & extremam ruinam. Quis credat, verum esse, quòd sine lethali vulnere inter tot hostes viuat, qui supererogationis operibus nequit sibi sollicitare peculiares fauores diuinos, sed totam operam nauat, vt sola præcepta impleat? Prouerb. 15. dicitur: *In abundanti iustitia virtus maxima est.* Equidem virtus, & fortitudo ad vincendas tentationes omnes, & firmitatem incõcussibilem acquirendam, ab ea iustitia venit, quæ minimè constringitur ad solam præceptorum obseruationem; sed magis abundat, vt multa alia supererogationis opera perficiat. Matth. 19. interroganti de medijs ponendis ad vitam æternam consequendam respondet Dominus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiui â iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Iesus: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus: et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me. Cùm audisset autem adolescens verbum, abijt tristis.* De abnegatione rerum, de danda eleemosina verbum audiẽs abijt tristis: qui se omnia adimplesse præcepta asserebat. In quo putat, illum mentitum fuisse D. Irinæus, lib. 4. cap. 26. D. Ambros. in Psalm. 1. & D. Basil. homil. 7. in ditescentes. Et vndè colligunt hi Patres, adolescentem mentitum fuisse? Crediderim, id manifestissimè colligi posse ex eo, quòd de operibus supererogationis verbum audiens, abscesserit tristis; qui enim supererogationis opera declinat, contentus sola adimplere præcepta, egregiè mentitur, si glorietur, quòd præcepta omnia adimpleat. Quomodo enim gratiam accipiet ad omnia custodienda præcepta, qui vmquam gratiosum, ac indebitum præstare nequit; Ille gloriari potest, quòd omnia adimpleat, qui supra præcepta addit multa alia opera, quæ à consilijs veniunt. Matth. 5. ait Dominus: *Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere.* Et quomodo venit adimplere legem Dominus? Plura docens gratuita, & ex vi præceptorum indebita addenda circa abrenuntiationem sæculi, circa virginitatem amandam, circa paupertatem sequendam: Hæc consilia sunt in Euangelio, non præcepta; sed cõsilia superaddita faciunt, dum gratiosa opera gratiam impetrant, vt adimpleantur præcepta. Ait Rupert. lib. 6. de operibus Trinit. cap. 27. *Verum, & matura grauitate ponderandum verbum locutus est Dominus, nimirùm conscius sibimet spiritus consilij, quem daturus erat, per quem multò melius, multò abundantius, quàm dicere potuimus, legem implere habebat: quia neminem docuit legem soluere, aut Prophetas, docendo potius, vt quod minùs iusserat infima lex, superadijcerent spontanea sui consilij electione.* Spontanea consiliorum electio, & supererogationis operis exhibitio est, quæ nos facit omnia præcepta implere; tunc enim quis potest sibi paratam promittere efficacem gratiam, qua omnia præcepta adimpleat, cum præceptis addit multa alia opera supererogationis, & cõsilij. Quòd spectans Tertul. in apolog. cap. 9. criminis Christianis à Gentibus impositi, quòd nimirùm frequentibus incestis corrumperentur, sic falsitatem retundit. *Nos ab isto euentu diligentissima, et fidelissima castitas sepsit: quantùmque ab stupris, et ab omni post matrimonium excessu, tantùm & ab incesti casu tuti sumus. Quidam multò securiores totam vim huius erroris virginea continentia depellent.* Et meritò securiorem à lapsu, & fœda transgressione præcepti ostendit illum, qui ad consilium de seruanda virginitate festinat. Vbi enim tàm excellens supererogationis cernitur votum, longè amandatur quæuis ruinæ suspicio. Hinc Luc. cap. 10. stabulario merces magis confirmatur; dicit enim. *Si quid ampliùs supererogaueris, cùm rediero, reddam.* In supererogationis opere redhibitio præmij firmatur. Quod in Paulo ostendit cõpletum D. Paulin. epist. 4. aiens: *Reddidit illi Dominus, & beatæ virginitati de innumeris huius boni fructibus vberes gratias, & innumerabiles coronas, quia hoc consilium præcepto adijciens, de suo supererogauit.* Ex pende, vndè in Paulo tot coronæ, tot gratiæ, tot fructus manarunt, nempè ex consilio præceptis addito. Quod qui non addunt, & infructuosi, & otiosi manent. Matthæi. 20. Dominus hora tertia, *vidit alios stantes in foro otiosos.* Qui erant isti? Imperfe-

Prou. 15

Matt. 19

Rupert.

Tertull.

Luc. 10.

Paulin.

Matt 20

Imperf. perfectus, homil. 34. in Matth. *Quis est otiosus? Qui opus Dei non operatur. Puta, si alienas res tollis, non es otiosus, sed mortuus. Si autem aliena quidem non tollis, tamen nec de rebus tuis impendis, tũc otiosus es. Vis non esse otiosus? Nec aliena tollas, et de tuis des, et operatus es in vinea Domini, et coluisti misericordiæ vitem.* Sic qui nil supererogat, timeat & otiosum esse, & extra vineam manere.

§. VII.

Dum homo de se loquitur, aliud est, quod de se dicit, & longè aliud, quod in veritate est.

MEritò homo post præcepta adimpleta omnia, iubetur, se inutilem seruum dicere; nullo enim magis se vtilem ostendit, & proficuum in obsequio diuino, quàm dum inutilem sese ostendit, & dicit ore suo. Talis enim est humana conditio, quòd hominum vita in se semper contraria sit verbis, quæ ipsi de se Chryſoſt. dicunt. Quò spectans D. Chrysost. hom. 3. in Mat. monebat: *Si te laudandũ esse dixeris, reprobus effectus es, etiãsi fueris antè laudabilis. Si verò inutilem te esse fatearis, factus es vtilis, etiamsi fueris anteà culpabilis.* Semper quæ loquimur de nobis, dissentiunt ab ijs, quæ sumus; si vis scire, quid sit in homine, audi eum de se loquẽtem, & huic loquelæ contrariũ puta. Paulus ad Romanos. 1. de sæculi hominibus locutus ait: *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Nihil mediat, vt se aliquid dicunt, contrarium existunt. Attendenda sunt hominum verba, quæ de se loquuntur, & vice versa iudicandus est, qualis homo existat. Luc. 18. Ait Lucas, cap. 18. *Dixit autẽ Iesus ad quosdam, qui in se confidebant tãquam iusti, et aspernabantur cæteros, parabolam istam. Duo homines ascendebant in templum, vt orarent, vnus Pharisæus, alter publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, &c. Et Publicanus â longè stans, nolebat nec oculos ad cælũ leuare; sed percutiebat pectus suũ, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Expende, quòd Pharisæus se iustum clamabat, Publicanus se dicebat peccatorẽ. Vter in veritate respondebat dictis? Neuter; ait enim textus de Publicano: *Descendit hic iustificatus præ illo*: qui se peccatorem dicebat, apparuit iustus; & qui de iustitia blandiebatur sibi, Deo, vt peccator fuit inuisus. Pulchrè D. Basil. Seleuc. orat. Basil. Sel. 35. ait: *Expendit oratione iustum de se magnificè sentientem, et peccatorem abiectè, vt inopinato versæ victoriæ spes fugam superbiæ annuntiet.* Expende illud, nimirùm, *versæ victoriæ*; semper enim vertitur conditio illorum, qui de se loquuntur, vt appareant in veritate contrarij dictis. Hinc lucem nõ paruam capit locus Oseæ, cap. Oseæ. 10. 10. vbi tota hæc serui arantis parabola videtur explicari: quippè ait: *Arabit Iudas, cõfringet sibi sulcos Iacob. Seminate vobis in veritate iustitiam, et metite in ore misericordiæ.* De Iuda, & Iacob in veri Dei cultu existentibus loquitur, non præsentia, sed futura spectantibus, vt qui arant, futuros fructus spectare solent. His ergo veri Dei cultoribus, perfectis seruis aratoribus, expende, quale detur monitum, nimirum: *Seminate iustitiã; metite in ore misericordiæ.* Quid magis cõtrarium, quam iustitia, & misericordia? Iustitia petit merita, & cõdignitatem operum; misericordia indignitatẽ supponit. Cur ergo iubet iustitiã seminari, sed messem fieri in ore misericordiæ? Pulchrè cùm in manibus petit opera, quæ condignitatem iustitiæ sonent contrarium debuit petere in ore, nimirùm verba significantia indignitatem, spectantem ad misericordiam. Semper enim verba, quæ quis de se loquitur, per contrarium sensum explicant, qualis sit homo.

CAPVT XVIII.

De Iudice iniquo.

QVEM Non frangas, & ad tua desideria trahas assidua precatione? Finge tibi seuerissimum, inexorabilissimũ, & penitus obduratum hominem, & hunc mollient preces continuatæ à miserabilissimo quoquam. Sic finxit Dominus iudicem, & Dei timore, & hominum reuerẽtia vacuum, vt à natura, & munere, & malis moribus obduratum proponat; à quo tamen assidua viduæ oratio extorquet defensionem; (quã nomine tenus vindictam vocat) ne quis putet, Deũ molliri continuatis precibus non posse; quando

quando & obduratissimus hominum eadem precum assiduitate flecti potest. Hęc in parabola de iniquo iudice.

Luc. 18. Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non verebatur.

§. I.

Potentiæ assecla est impudentia.

HOc frequentissimum vitium est, & penè naturale potestatibus, quòd ne minè reuereantur, quòd abiecto omni pudore, & respectu, effrœnes in affectus ferantur. De illis ait Diu. Ambros. 2. apol. Dauid, cap. 3. *Quę mihi tu huiuscemodi reperias virum, qui in potestate constitutus, non magis peccata sua diligat, culpam prædicet, crimina defendat: qui putet sibi, quod non decet, non licere: qui se legibus obstringat, & quod per iustitiam non licet, per potestatem non licere agnoscat?* Nullus est, aut rarus in sublimi constitutus, quivel obligatione officij accepti, vel respectu aliquo, vel pudore, & reuerentia frœnetur, ne post affectus suos currat. Nil magis alienum à mundiali potestate, quàm pudoris, & reuerentiæ frœnum; vt cui familiarissima, & penè inseparabilis sit audacia, & impudentia. Quid vereatur, quid erubescat, appetitibus suis raptata potestas? Ioan. cap. 19. *Exiuit iterùm Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo causam. Exiuit ergo Iesus portans coronam spineã, & purpureum vestimentum. Et dicit eis: Ecce homo. Cùm ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.* Et tota popularis multitudo aderat, & simul Pontifices, & Principes erant: non tamen simul omnes crucifixionem Iesu petunt, sed tacentibus populoribus, & Principes, & Pontifices clamare incipiunt: *Crucifige eũ, crucifige eũ.* Cur non magis id clamant populares homines? Cur soli Principes, & Pōtifices clamant? Sanè erubescentibus popularibus, & reuerentibus virum, à quo multa beneficia susceperant, soli Principes, & Pontifices clamant, vt qui impudentissimi erubescere, & reuereri aliquid nesciant. Ait D. Cyril. Alexand. lib. 12. in Ioan. capit. 17. *Cùm enim viderunt ipsum Pontifices, & ministri, clamarunt: Crucifige, crucifige eum. Nam cùm multitudo aliquo modo his factis suberubesceret, recordati forsan miraculorum illius, ipsi primùm clamant, & vulgus incendunt.* Dum pudor, & respectus populares tenebat, illorum Principes in Iesum exclamant, vt quibus familiarior sit impudentia, qua nihil sciunt reuereri; sed in maiora facinora plùs audent. Noui Absalonem aduersus patrem insurgentem, ad summa regni fastigia sublimatum, potentissimo cinctum exercitu, iam & palatium Hierosolymitanum, & solium occupare regale. Quid tunc ad tantam elatus potentiam Absalon? Quod consilium capit? Fallar, siquis in tãtam impudentiã, & audaciam fuerit præcipitatus: quippè ait textus. 2. Reg. 16. *Tetenderunt ergo Absalon tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram vniuerso Israel. Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum.* Impudentissimum, & fœdissimum Achitophelis consilium de stuprandis patris concubinis coram omni populo audit iuuenis Absalon, nec cunctatur, sed vt audiat, sic cōtinuò perficit, imò sic perficit, quasi â Deo consilium capiat. Quid horribilius? Sed qualiter homo non bellua tâm immanem impudentiam velut à Deo consultam potuit amplexari? Quare non magis refugit facinus adeò pudori humano contrarium? Quare non magis cunctatur fieri populorum fœdissima fabula? Equidem ructabat in eo regalis potentiæ nectar tunc primùm gustatũ: vbi enim throni gustum percepit, & pudorem exuit, & omnem respectum humanum, nihil veretur, & se, & populos, & parentem, & Deum turpissimè fœdare, imò religionis ergo, impudentiam amplexatur. Hanc maculam inurit sui temporis potestatibus Arnob. lib. 4. aduersus Gentes: *Verùm ita se res habet, vt quoniam plurimùm gladijs, & potestate valetis ferri, an teire vos etiam veritatis scientia iudicetis: & esse pro Dijs pios, quorum potentias primi opinionum obscœnitate fœdastis.* Sic potentia homines insolescere facit, vt nihil non audeant, nihil non præsumant, nihil quòd à se sit, vel in Deum, vel in homines fœdum vereantur. Ait Nazianzen orat. de laude Basil. de sublimiori loquens potestate: *Hic contrâ superbè stat, et arroganter præsidet, superciliumque aduersùs meliores attollit, nec thronis intremiscit; nec ex aspectu*

Ambr.

Ioan. 19

1. Re. 16

Arnob.

Basil.

aſpectu horrorem concipit, hominem continentiæ ſtudioſum infra ſe videns; verùm ſimul cum imperio ſapientiorem quoque ſe exiſtimat: prauè vtique ſentiens, atque à potentia, et auctoritate de mente deturbatus. Hinc gloria Dauidis maximè ſolet prædicari, quòd adulterij, homicidijque conuictus erubuit, & reueritus eſt Prophetam accuſantem. Cuius occaſione addubitare quis poſſet, vtrùm rarius, & glorioſius eſſet, vinci faſtidioſam potentiæ impudentiam, an libidinis intemperantiam? D. Ambroſ. pro victoria potentiæ aſſerit in. 2. Dauidis apol. cap. 3. *Bonus ergo Dauid, & multo admirabilior, qui poteſtatem vicit, quàm qui amorem. Facilius reperias, qui ſe in amore cohibeat, quàm in poteſtate moderetur.* Hæc veriſsimè Ambroſius, quando nullum libido potuit trahere in tantam impudentiam, in quantam regni potentia traxit Abſalonem. *Ambr.*

§. II.

Nulla vitia ſic funditus perdunt iudicem, vt illum perdit nimia mollitudo, & deſidia in puniendis delictis.

QVi nec Deum timet, nec hominē reueretur, adhuc à Deo dicitur eſſe iudex, ait enim: *Iudex quidam erat in quadā ciuitate, qui Deū nō timebat, et hominē non reuerebatur.* Quis ſic perditū, & flagitioſum vitiorum mancipium iudicē credat? Cur, Domine, à nomine, & re iudicis non excludis hominem impudentiſsimum? Cur neceſſarium fuit fingi iudicem illum, qui ſic perditè viuebat? Pulchrè noſter Salmeron putat, hunc à Deo fuiſſe introductum iudicem, propter cenſoriam, & rigidam ſeueritatem oſtendēdam; quaſi inter tot impudentias, & facinora hic rigidam ſeueritatem in puniendis reis retineret. Et quidem ille ſolus debet rem, & nomen iudicis perdere, qui nihil ſeueritatis retinet in puniendis delictis. Quo ſolo nomine & Deum, & iudicem à Marcione confictum expungit Tertull. lib. 1. aduerſus Marc. inquiens: *Quale eſt enim, vt præcepta conſtituat, non executurus; vt dilicta prohibeat, non vindicaturus: quia non vindicaturus, extraneus ſcilicet, ab omnibus ſenſibus ſeueritatis, & animaduerſionis. Cur enim prohibet admitti, quod non defendit admiſſum? Cùm multò rectiùs non prohibuiſſet, quod defenſurus non eſſet.* Tertull.

Vanè putatur, poſſe eſſe iudicem, qui omni ſeueritate careat animaduerſionis; imò ſapientius totam rem iudicij tollis ab illo, in quo nulla eſt ſeueritas in puniendis delictis. Poſt defunctum Sanſonem immediatè ait textus, Iudic. 18. *In diebus illis non erat Rex in Iſrael;* quæ verba non facilem expilicationem habent, ſi iuxta communioré ſententiam expoſitorum credatur Heli ſucceſsiſſe in iudicatura Sanſoni; de quo Heli communiter aſſeritur, iudicaſſe Iſraelem quadraginta annis, ex. 1. Reg. cap. 4. Si ergo tunc regnabat, & iudicabat Heli, cur dicitur Rex, vel iudex nō eſſe in Iſrael? Et cur Heli, qui tādiu reipublicæ illius clauū tenuit, non dicitur iudex, quin potiùs à iudicum albo prorsùs excluditur? An quia ipſe malus iudex? Sed & plures alij Reges fuerunt peſsimi, qui tamen in Regum cathalogo recenſentur? Cur ergo ſolus hic Heli à nomine, & cathalogo iudicum excluditur? Non equidem ob quamlibet improbitatem excluditur, ſed ob peculiarem illam mollitudinem, & indulgentiā, qua omni ſeueritate vacuus, nullum ſciebat inferre delinquentibus ſupplicium. Nulla enim improbitas, vt nimia hæc indulgentia ſic perdit iudicem, illumque & nomine, & re priuat. Rupert. lib. 4. de vict. cap. 10. ait: *Notandum quippè, quòd mortuo Sanſone, dignum non exiſtimauit ſcriptura, vt diceret: Poſt hunc fuit, vel hūc ſucceſſit Heli licèt iudicauerit Iſrael quadraginta annis. Sed inter infœlices dierum illorum hiſtorias iſta querela frequens eſt: in diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed vnuſquiſq; quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat. Quid niſi vecordiam Sacerdotis accuſat, & iudices huiuſmodi hoc dicendo. Idem namq; eſt, ac ſi dicat, qui in diebus iſtis iudicabat Iſrael, & ſi ſecundùm nomen, perſonāq; aliquis erat, ſecundùm rem, meritumque nullus erat: quia in diebus eius calce abijcere legem Dei, nimia fere omnibus licentia fuit.* Reorum impunitas; & peccandi licentia prorſùs iudicem perdunt, & faciunt eſſe, quaſi nihil: quis enim credat, poteſtatem eſſe, vbi nihil poteſtatis videt? vbi nullam cernit ſcelerum vindictam? Pulchrè Baruch, cap. 6. de idolis Gentium philoſophans, ait: *Sceptrum autem habent, vt homo, ſicut iudex regionis, qui inſe peccantem non interficit; habent etiam in manu gladium, & ſecurim, ſe autē de bello, & à latronibus non liberant. Vndè vobis notum ſit; quia non ſunt Dij.* Sane iudex vetus non ſine cauſa gladium portat, vt notat Paulus *Iud. 18.* *Rupert.* *Baruc 6.*

lus ad Roman. 13. Sed est Dei minister ad vindictam malorũ; vbi autem mala sunt, & gladius otiosus est, & nulla datur vindicta, sed impunitas in sceleribus viget, ibi notum sit nobis, quòd nec Dei, nec iudicis est spiritus. Nequit esse Deus, neque iudex, vbi mala sunt sine vllo seueritatis gustu. Ex quo præclarè Tertull. lib. 2. aduersus Marc. ait: *Igitur vsque ad delictum hominis, Deus â primordio tantùm bonus, exinde iudex, & seuerus; statim mulier in doloribus parere, & viro seruire damnatur, statim & terra maledicitur*, &c. Qua necessitate Deus erat, & iudex; eadem & seuerus iniquitatum vltor debuit apparere, vbi apparuit delictum. Tollat delictũ, qui seueritatem Dei, & iudicis amat expungere; qui enim, exorbitante malitia, seueritatem, & vindictam tollit, priùs tollat & Deum, & iudicem, quando vbi est delictum, nec Deus potest esse sine iudice, nec iudex sine seueritate vindictæ. Aiebat Tertul. lib. 2. in Marc. non longè à fine: *Iudicem quidem Deum esse iam ostendimus, et de iudice necessariè seuerum*, De seueritatis notione circa fontes, concluditur, quis sit iudex. Saulis depositionẽ nemo ignorat, qui tunc regno pulsus est, quãdo pepercit Regi Amalecitæ. Ibi enim dicitur illi. 1. Reg. 15. *Pro eo, quòd abiecisti sermonem Domini*, nimirum de occidendis Amalecitis, *abiecit te Deus ne, sis Rex*. De quo præclarè Theodor. quæst. 33. *Oprotebat enim, stultum intelligere, quòd vna gutta diuinæ clementiæ vincit omnem hominum bonitatem. Sed infœlix, cùm Deus iussisset punire, misertus est: et cùm Deus morte damnasset, ipse, vt estimauit, vitã tribuit. Non ergo fuit paruum eius peccatum, sed maximum.* Ob quam miserationis nimietatem funditùs eius nomen, & vita perijt.

Tertull.

1. Reg. 15.

§. III.

Ille bonus, & perfectus iudex, qui nihil facit, vndè possit timere.

SVnt, qui sub personа huius iniquî iudicis Christum Dominum vellent re præsentari, vt notat Salmeron in præsenti tract. 31. nec inficior, id, quod de hoc in malũ dicitur, posse dici de bono, & diuinissimo iudice in bonum. Quid magis Christo Domino proprium, quàm quòd in se nihil mali admittat, vndè Dei iram timeat, & hominum iudicium cogatur reuereri? Sanè hoc vnus Christus habet, & ille iudex perfectissimus erit, qui sic se cõponat, vt nihil admittat, vndè vindicem iram possit timere. Dum Moyses leges acciperet, quibus iudicaret populum, Exod. 24. *Ascendit in montem, et fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus.* Nisi per quadraginta dierum ieiuniũ non accipit Moyses leges, quibus iudicet populum. Et cur Deus ante dãdas leges tàm longo ieiunio vacuat Moysem, nisi vt in illo vacuetur tota infirmitas hominis, quo transferatur in superiorem, & diuinam naturam, quæ nihil ferendis legibus contrarium admittat, vndè habeat, quod timeat. Pulchrè id docet Chrysologus, serm. 166. fatus: *Moyses ipse dierum quadraginta ieiunio, ita humano defœcatus est, & exinanitus â corpore, vt totus diuinitatis mutaretur in gloriam. Meritò hic talis legem sancire meruit, qui totum, quidquid in homine lex vrgere poterat, peramisit.* Non priùs legum custos promulgatur, & vindex, quàm vbi ostenditur, quasi legi in se contrariari non posset. Facit hoc ad perfectionem iudicis, quòd nihil contrarium legibus admittat, vndè ipse aliquid timeat. Ex quo se commendabat Iob, cap. 29. *Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento, & diademate iudicio meo.* Non aliter iudicis munere vsus fuit, quàm vestibus communiter homines solent vtĩ. Et quidem homines hoc in primis spectant, dum vestes sumunt, vt ipsi se illis adornent, & vndequaque tegant, ne quid appareat in se incõcinnum, ne quid nudum, vndè temporis timeant iniurias. Sic de muliere forti, Prouerbior. cap. 31. *Non timebit domui suæ â frigoribus niuis; omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Profugando timore temporalis iniuriæ inuentæ vestes fuerunt: sic bonus, & perfectus iudex iustitiam assumit, non solũ vt aliorum componat mores, sed præcipuè vt ornet suos, & ab omni timore se protegat, ne quid in se admittat, quo vereatur alios, & vindicem timeat. Chrysostomus in Caten. Græc. inquit: *Non fuit ex hominum genere, qui cæteris præsunt; verùm ipsorum vita turpis est, & ingloria: non ita hic noster. Sed quid ille? Vestitus sum, inquit, iudicio, hoc ego vestitus genere exornabar.* Dum iudicem agebat, sic iustitiæ legibus vtebatur, vt vndequaque videretur fulgere sub ipsis, quasi sub pulcherrimo ornatu, nihil indeco-

Exo. 24.

Chrysol.

Iob. 29.

Prou. 31.

chrysos.

indecorum, nihil nudum exhibeat, ob quod posset vereri vindicem iram. Pulchriùs ad rem loquitur Sapient. capit. 5. vbi de Deo iudice ait: *Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum; sumet scutum inexpugnabile æquitatem.* Quis perfectior, & præstantior iudex? Sanè iudicandi munus sic accipiet, quasi nobilis Imperator arma accipit, quibus sese munit, vt omnes etiam hostilium telorum timores dimittat. Inter iudiciales administrationes sic vndique splendebit in se compositus, imò armatus, vt in notandis delictis aliorum nullam repercussionem vereatur. Vtinam sic se componant omnes iudices, vt dum iudicant alios, nihil ipsi habeant, vndè timeant; nihil admittant indecorum, nihil nudum, nihil infirmum. Ait enim sapientissimè Arnobius, libro. 2. aduersus Gentes: *Cuius est autem pudoris, quin imò inuerecundiæ cuius, quod agere te videas, in eo alterum reprehendere; maledicti, & criminis loco dare ea, quæ in te possint reciproca vicissitudine retorqueri?* Omnem equidem absoluit hominis impudentiam, & audaciam; alijs castigationem procurare, quam satiùs ipse sibi deberet timere. Sic ergo se iudex componat, vt nullam in se ostendat infirmitatem, qua repercuti valeat. Nec putet iudex, aliud sibi magis præ oculis, quàm se ipsum habendum, nec offendat. Numerorum cap. 24. dicitur: *Surrexitq; Balaam, & reuersus est in locum suũ: Balac quoque via, qua venerat, redijt.* Alij legunt, iuxta Septuag. lectionem, hæc vltima verba: *Balac abijt ad semetipsum.* Nec otiosè ponitur hæc differentia, quòd vbi de Balaam fit sermo, dicatur abijsse ad locum suum; de Rege autem Balac, non ad locum suum, sed ad se ipsum redijsse dicitur, quasi præcipuum dominij, & refugij locum in se ipsis Principes, & iudices habeant. Id quod insinuans Diu. Augustinus, libro. 4. quæstionum super Numer. quæst. 61. inquit: *De ipso autem Balac non dictum est, ad locum suum redijsse, sed ad semetipsum, id est, vbi dominans habitabat.* Idem esse putat Augustinus, dici de Rege, quòd redijt ad se ipsum, ac si diceretur, quòd redijt ad locum, vbi dominans habitabat; ipse etenim Rex sibi est locus præcipuus dominij, in quo præcipuè conuenit dominari, se ita componens, & muniens, vt nihil ibi, quod timeat, habeat, sed prorsùs appareat inuulnerabilis. Hinc Isaias, capit. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Nec dum nato infanti iam paratur esca, quæ in bono firmetur, & fugiat omne malum. Et cur tanta cura de confirmando infantulo in bono? Nascitur infans, vt iudicet orbem terrarum, ideò nil priùs ostendat, necessum est, quam vitam in bono obfirmatam. Procopius ibi ait: *Ab ipso enim ortus principio iudex, sponte naturæ, boni agendi, malique fugiendi vim sortietur: vt hinc commune illud vnius in omnes iudiciũ intelligas, quo tanquam ætate proiectus, scelera à virtute, quæ in bonis habetur, reijcere valeat.* Sic innatam impeccabilitatem prætendit pro iudicio iudiciariæ potestatis. Huc trahe dicta tom. 2. lib. 8. §. 10.

Sap. 5.

Arnob.

Num. 24.

Augustin.

Procop.

§. IIII.

Vbi leges nulli timori sunt Magistratibus, valdè infirmus est, & labilis status reipublicæ.

IN quadam ciuitate dicitur fuisse quidam iudex, qui nec Deum, nec homines timebat; nec determinat, quæ fuerit illa ciuitas, vt cuius vel nomen fuerat iam ab hominum memoria obliteratum. Nec miror, sic penitùs excidisse memoriam ciuitatis, cuius Magistratui nulli erant timori leges, sed ad arbitrium omnia impunè moderabatur: quippè ait Plato, dialogo. 4. de legibus: *Interitum paratum illi ciuitati video, in qua non lex Magistratibus, sed legi Magistratus præsunt. Salutem verò illi, vbi lex seruientibus Magistratibus dominatur.* Vbi leges minimè sunt timori Magistratibus, non potest inde non venire citissimus interitus, quandoquidem leges sunt, quæ firmant, & stabiliunt regnum, dum æquè sibi ab illis timent, & Magistratus, & populi. Verùm si non lex, sed Magistratus arbitrium imperat, inauditum erit, nisi omnia veniant in interitũ. 2. Machabæor. 7. sic aiebat ad tyrannum quintus frater occidendus: *Potestatem inter homines habens, cùm sis corruptibilis, facis, quod vis; noli autem putare,*

Plato.

2. Ma. 7.

genus nostrum à Deo esse derelictum: tu autem patienter sustine, & videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te, & semẽ tuum torquebit. Expende, vndè auguretur bonus iuuenis imminens supplicium, & interitum Regis Antiochi; ait enim: *Potestatem inter homines habens, facis, quod vis:* nullam legem vereris, non Dei, non hominis, sed regia potestate insolens, vna tibi est pro lege, & pro ratione voluntas. Et cur non citò pereat, non citò euaneat & Rex, & regnum, in quo Magistratus nullam legem veretur, sed pro arbitrio omnia componit, & explicat? Saul mandatum acceperat, quo debebat expectare septem dies, vt sacrificia offerret, ipse tamen non adhærens mandato ante præfinitum tempus, sacrificia perfecit. Quid tunc? Illi statim intonat vox Samuelis. 1. Regum. 13. *Stultè egisti, nec custodisti mãdata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non feciſſes, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum vltra consurget.* Ecce tibi, vbi primùm Saul se non continet sub præcepto legis, statim cæpit labare eius regnum, imò statim audit de ruina, & perditione regni. Et etiam. 1. Regum. 15. accipiens legem de occidendis Amalecitis, ipse selectioribus in Dei gratiam, vt putabat, pepercit. Cui etiam statim Samuel: *Melior est obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum: quoniã quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo, quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.* Hunc Samuelis sermonem de obediẽtia auidè arripiunt Prælati, dum subditis suis obedire persuadent. Sed velim, quòd animaduertant, non factum fuisse hunc sermonem ad subditorum exercitum præsentem, sed ad solum Regem. Nil enim sic ciuitates & ordines, & regna perdit, quàm vbi in Magistratibus, & Præsulibus non est reuerentia propriarum legum, & quando ij non multùm curant sibi iniunctas leges, sed omnia pro arbitrio moderantur, nihil non sibi pro potestate putãtes licere. Nõne hoc confecit Saulis regnum? Planè confecit; quippè tantæ pœnæ causam notans Rupertus, libro. 1. commentar. cap. 20. ait: *Duo peccata pœnam hanc præcedentia, dictæ Saulis superbiæ nobis indicia sunt. Primum est, quòd homo de tribu Beniamin regio fastu nihil sibi non licere arbitratus, &c.* Sic regia potestate insolescit, vt nihil verè, etiam sibi iniunctas leges pro arbitrio explicat, moderatur; quod in Magistratibus adeò maximum peccatum est, quod nisi regni perditione minimè castigetur. Ait enim Abulensis in præsenti, quæst. 10. *Quia Saul peccauerat per inobedientiam, meruit priuari regno, & non peccauit contra aliqua præcepta, quæ essent de lege communi, scilicet data vniuersaliter; sed peccauit contra ea, quæ specialiter fuerunt data sibi, ideò erat magis inobediens.* Vt hinc timeant Magistratus, non se ostendere obedientes iniunctis sibi legibus, à qua obedientia pendet regni firmamentum, & stabilitas. Nec potest dubitari, quòd multa mala veniant à Deo in regnum, cuius Rex nullum timorem habet ex eo, quòd leges frangat. Etenim Isaias, cap. 6. ait: *In anno, quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Tanti fauoris tempus cùm notatur, meritò dicitur fuisse in anno, quo mortuus est Ozias. Et cur non potiùs id accidit viuente ipso Ozia? Chrysostomus, homil. 4. in hæc verba ait: *Exiuit igitur Rex cum lepra, nec tamen eiecerunt eum è ciuitate, diadema illius, regiamque dignitatem reueriti: sed consedit in throno rursùs legem transgrediens. Hinc Propheta necessariò designat mortis tempus, dicens: Et factum est, anno, quo mortuus est Rex Ozias, videbam Dominum sedentem in throno excelso, & elenato. Cùm ille mortuus esset, tunc vidi Dominum: nam anteà Deum non videbam, nobis iratum. Venit mors impuri, & soluit iram.* Et quidem dum Rex inobediens legibus viuebat, nullus à Deo in populum veniebat specialis fauor, sed ira Dei stabat, proculdubio perditura populum, nisi Regem impurum mors raperet. Huc reuoca dicta tom. 3. lib. 14. capit. 4. §. 20.

1. Re. 13.

1. Re. 15.

Rupert.

Abul.

Isai. 6.

Chryſoſt.

Luc. 18.

Luc. 18. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me ab aduersario meo. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me.

§. V.

Culpæ populi meritò tribuitur, quòd Princeps peragat iniustitias.

QVis adeò infirmus ciuis se excusabit à culpa in Magistratus, seu Principis iniustitijs, quando vidua hæc vel importuno clamore persuasit impudentissimo iudici facere iustum? Sanè populi potentissimi sunt ad trahendos Principes suos in bonam frugem, si velint ipsi vel precibus, vel clamoribus importunis insistere. Vndè, quòd Principes iniusti sint, meritô populi culpæ tribuitur, & culpæ digno plectendæ supplicio. Iam nouem plagis erant Aegyptij affecti, & in nulla earum curarunt dimittere Israelitas, donec primogenita sua morte arripi viderunt; tunc dolore superati vniuersi Aegyptij, vnà cum Rege suo, sollicitant Iudæorum profectionem. Imò, vt ait textus, Exod. 12. *Vrgebantque Aegyptij populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur.* Sed vix egressi sunt Israelitæ, & ecce tibi Pharao datæ proficiscendi facultatis pœnitens, conuocat exercitum, & cum infinito penè milite Israelitas etiam per miraculosè diuisum mare persequitur. Quid tunc? Quæ diuidebantur vndæ ad ingressum Israelitarum; vbi intra se habent Aegyptios, ad sui vnionem redeunt, quo vniuersi Aegyptij cum suo Rege suffocati miserè pereunt. Dignus equidem Pharao tanto supplicio erat; at miseri Aegyptij qualem culpam habebant, vt sic rundituis perirent? Cur sic atrociter perimuntur, quando non à se, sed à suo Rege feruntur aduersus Hebræos? Sanè culpa erat populi, quòd Rex tyrannus non desisteret à persecutione Hebræorum; quando enim populus filiorum suorum damna sentiebat, clamoribus instans Regem mouit, ne noceret Hebræis, imô ipsi illos liberos emittebant. In quo si perstitissent, proculdubio Regem à persecutione remouerent: vndè, quòd duret Rex in tyrannide, culpa est, & socordia populi connuentis, & tacentis; nec mirandum, quòd ab eis Dominus tantæ culpæ exigat pœnas. Præclarè Diuus Chrysostomus, in Psalmum. 134. aiebat: *Ne quis diceret: Cur puniuntur omnes Aegyptij, cùm Rex Iudæos detineret, & peccaret? Per hoc vltimum soluit hanc quæstionem: Quoniam quando percussa sunt earum primogenita, vel inuito Rege Iudæos expulerunt. Quare etiam si voluissent ab initio, potuissent esse eo superiores. Non igitur Regem ideò non vicerunt, quòd non possent, sed quòd nollent.* Quid non concedant Principes importunis precibus, & importunis clamoribus subditorum? Et quid subditi semel, & bis clamantes, exorantes, humi repentes, à seueriſsimo quoque Rege non extorqueant? Equidem socordia est, desidia est culpabilis, & plectibilis ipsorum subditorum, si non trahant Principes suos in bonum. Legem tulerat Saul, & legem iuramento firmauerat, qua necessum erat occidi Ionatham, vt dicitur. 1. Regum, capit. 14. *Dixitque populus ad Saul: Ergo ne Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? Hoc nefas est: viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodiè. Liberauit ergo populus Ionatham.* Vidisti potentiam populi apud Regem suum, vbi aliquid bonum ab illo efficaciter vult extorquere? Accipe desidiam eiusdem populi. 1. Regum, cap. 22. Vehementissimè iratus Saul aduersus ciuitatem Sacerdotalem, illô cum vniuerso exercitu suo profiscitur, & comprehensos omnes Sacerdotes iubet à quodam Doeg Idumæo interfici, vidente populo, imò & indignè ferente nequissimam necem Sacerdotum. Sed quale hoc facinus populi? Sanè facinus Regis erat iratı, & Doeg: etenim populus dolebat vicem interfectorum: Qualem inde culpam

Exod. 12.

Ps. 134.

1. Reg. 14.

contrahere potuit ? Magnam equidem contraxit populus culpam, quia non instauit, non clamauit, non rogauit pro Sacerdotibus ; posset enim, si vellet, & hos à Rege irato liberare, sicut quàndo voluit, liberauit Ionatham. Chry
Chrysost. sostom. in Psalm. 134. *Quando Saulis filiũ eripere oportebat, omnes communiter assentantes Regem, licet se iniustè gessisset, eripuerunt. Quando autem volebat eripere tot Sacerdotes, ne vocem quidem emiserunt, nec eos defenderunt. Quòd si tunc habebant naturam, quæ pro eis faceret, hic etiam habebant iusti naturam. Erant enim Sacerdotes, & erat cædes nefaria, quæ ex ira, non ex recto iudicio oriebatur. Sed huius rei causa erat socordia, & quòd Sacerdotum vicem non valde dolebant. Vide ergo in quæ mala posteà inciderint; illius enim negligentiæ nõ leues pœnas dederunt. Quando ergo factum fuerit aliquid nefarium, nemo sit iners, & ignauus ; sed igne ardentior, nec minùs doleat, quàm ij quibus fit iniuria, & ita plurima mala sistentur.* Validissima equidem est vel vilissimi hominis obnitentia, vt magistratus trahat, vbi ius, fasque suffragatur.

§. VI.

Rarior, & præstantior, imò diuinior est patientia in abiectione, & desolatione.

VT Dominus exaggeraret abiectionem, & miseriam, & desolationem, sapientissimè viduam proposuit : nescio enim si persona abiectior, & miserior, & desolatior inueniri posset in ciuitate, quàm vidua ; sed nec importunior in contendenda vindicta, siue defensione de aduersario. Equidem quò abiectior, & magis desolatus status personæ est, eò ibi patientia rarior, & diuinior ; & præstantior. Dauid pedes cum paucis seruis suis eiectus à regia, filij rebellis iram fugiens incidit in Semei contumelias. 2. Re-
2. Reg. 16 gum. 16. quem volentibus interficere seruis suis patientissimus Rex ait : *Dimittite eum, vt maledicat ; Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid.* Quantum hoc, quòd Rex eiectus à ciuitate, & domo, nudis pedibus incedens, ad mortem quæsitus, in maledicum audacem non insurgat, nec permittat de illo vindictam sumi ? Sanè maximum, & præclarissimum fuit hoc in Dauide patientiæ specimen ; & quod raro, aut numquam reperitur in tantæ abiectionis, desolationisque statu: quippè ait Diuus Chrysostomus, homil. Chrysost.
de fide Annæ : *Si quis dixerit : Quid mirum, si non vltus est Dauid, cùm propter imbecillitatem, vlciscendi potestatem non haberet ? Primum illud dixerim. Non perinde mirarer eum, si diadema gestans, et regno potiens, inque throno sedens conuitiantem pertulisset, vt nunc illum et laudo, et admiror tempore calamitatis philosophantem, animoque moderantem. Neque enim æquè nos in rerum prosperitate, atque in aduersis opprobria mordere solent : sed vbi concidimus, tunc magis pungunt nos, acriùsque mordent conuitia.* Intolerabilis penè dolor venit ab iniurijs in hominem ad abiectionis, & desolationis statũ dilapsum cõgestis; quem dolorem, quę superet patientia, rara est, præstantissima est, imò diuinissima, & prorsus supra humanã naturam. De Christo Domino comprehenso, & in tenebrarũm potestatem tradito, & ad iudicium adducto locutus. Matth. Matt. 27
cap. 27. ait : *Et cùm accusaretur à Principibus Sacerdotum, et Senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus : Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia ? Et non respondit ad vllum verbum, ita vt miraretur Præses vehementer.* Homo discretus, & humana sapientia pollens valdè miratur, & inaudito tribuit miraculo, quòd vinctus pauper inter tot potentium & nobilium accusationes taceret. Et quàm mirum hoc ? Equidem quò accusati status abiectior, & miserior, eò maius miraculum, quòd ad conuitia taceat, & quòd inter tot falsitates, & patientiam referat, & humilitatem. Hæc patientia supra hominem est, & tàm clara manifestatio diuinitatis, vt in illa clarius, quàm in cæteris miraculis, deberet Iesus Deus credi, & vt Deus adorari. Id quod notans Diu. Chrysostomus, homil. 77. in Matthæum, Chrysost.
sic fatur : *Non temerè scripta sunt omnia, quæ Iesus fecit, quæ certè poterant Iudæos reuocare. Nam illos vel supinos in terram proiecit, & auriculam serui restituit, & humiliter eos allocutus est, & mirabilia pendens in cruce signa edidit, radios Solis auertens, lapides scindens, mortuos ad vitam reuocans, vxorem iudicis somnijs territans, & in ipso iudicio inauditam humilitatem ostendens, quæ non minus, quàm signa, potuissent eos attrahere.*

Expen-

Expende ab illis verbis: *Et in ipso iudicio inauditam humilitatem.* Supra hominem enim est, quòd quis ad miserabilem reorum statum deturbatus, ibi prorsus taceat, nullumque edat clamotem, qui vel querela sit, vel defensio, vel supplicatio. Quando hoc silentium admirabilem virtutem, imò diuinam testatam non facit? Rem apertiùs conficiebat D. Paschas. *Pasch.* lib. 12. in Matth. latus: *Fortior namque erat in Iesu virtus, quam humana natura se habeat. Ideò poterat non solùm admirari Pilatus, verùm etiam vehementer, quoniam dignum ei videbatur pro magno miraculo admirari valdè, vt exhibitus homo ad criminale iudicium, & adiudicatus morti imperturbabilis maneret, & imperterritus: vt staret ante mortem, quæ omnibus terribilis est, sine vllo pauore mortis, et taceret sine vlla defensione sua, cùm posset se, si vellet, in iudicio defendere.* Nemo, mihi crede, abijcit defensionem suam, nisi qui virtutem habet supra hominem.

§. VII.

Innocentia iniuriarum acceptarum acuit dolores.

QVis miretur viduam de iniusto aduersario vindictam postulantem? Stimulus enim, qui ab iniustè accepta iniuria venit, durissimus est, & qui vehentissimè impellat hominem ad vindictam. *Arnob.* Pulchrè in hanc rem dicebat Arnobius, libro. 4. aduersus Gentes: *Maioris contumeliæ res est, falsis quemdam notare, atque insignire criminibus, quàm vera ingerere, atque obiectare delicta. Quod enim sis, dici, & quod esse te sentias, morsum habet minorem testimonio tacitæ recognitionis infractum. Illud verò acerbissimè vulnerat, quod inurit innoxios, & quod decus nominis, atque existimationis infamat.* Multùm equidem minuit de infamiæ dolore conscientia criminis; sed vbi crimen non est, acerbissimè vulnerat, quod inurit innoxium. Nescio, an quis intolerabiliùs percutiatur, quàm qui in se nullã agnoscit causam percussionis, sed potiùs de suis meritis potuisset sperare fauorem. Dauid in dies petebatur ad mortem à Saule; & Saul in dies vitam recipiebat à Dauide. Tandem dum latet in spelunca Dauid, ecce in manibus habet infensissimum hostem, cui licèt pepercerit, tamen egredientem post tergum sequitur, & inter alia, sic ad illum loquitur. 1. Regum, capit. 24. *Cùm præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te; animaduerte, & vide, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te: tu autem insidiaris animæ meæ, vt auferas eam. Iudicet Dominus inter me, & te, & vlciscatur Dominus me ex te.* Ecce mitissimus Dauid ad Dei tribunal stat, iudicem clamat, de vindicta, seu defensione loquitur. Quis fortissimũ virum ad iudicem ire cogit? Quis mitissimum, suauissimumque virum trahit in vel iustæ vindictæ, seu defensionis cogitationem? Sanè dolor iniustissimæ acceptæ iniuriæ sic etiam fortissimos homines commouere potest. Do pulcherrima verba D. Basil. Seleuc. orat. 16. dicentis: *Qui iniuriam fecit, ac deinde ad supplicium conquiritur, ex perpetrati facinoris audacia mali solatium capit, & conscientiam circumferens accusatricem sui, persequenti ex animo patrocinatur, actaque sua iustè diiudicans, pœnam non queritur. At qui sollicitè ab eo, quem non rarò seruauit, ad necem circumuenitur: beneficentiæ suæ recordatione attonitus, quòd per eam in arma contra se concitarit aduersarium, intolerabilis doloris morsu sanciatur. Ita Dauid aduersis vndequaque ingruentibus obruebatur.* Mordebat sanè Dauidem intolerabiliter iniuria iniustissimè illata: & qui in se nihil videbat, quod non iure repeteret, & vitam, & gratias immortales, vehementissimè commouebatur, vbi solam metebat relationem iniuriarum. Quis sub hoc dolore non fremat? Quis homini tolerabile putet, iniustè pati? Huc reuoca dicta 1. tom. lib. 4. cap. 4. §. 15.

§. VIII.

Iudicialis fori iniquitas, non parua est in dilatione causarum.

INiquus hic iudex non dicitur iniustam aliquam sententiam tulisse; sed hoc ei crimen datur, quòd sententiam ferre de iniurijs illatis viduæ *nolebat per multum tempus.* Neque enim parua est iniquitas in iudicijs forensibus, dilatio litigantium, quæ, & eorum vehementissimè cruciat animos, & substantias vacuat.

Philo Iudæus lib. in Flaccum, de iniquo iudice Lampone, hoc in primis crimen exaggerat: *Iudex malitiosè differebat sententiam, vt etiam si reus absolueretur â crimine, saltem metu incerti euentus impendentis cruciaretur quàm diutissimè, & vitam morte grauiorem viueret. Imò et postquam euasisse visus est, aiebat, se mulctatum facultatibus.* Philo. Hæc est communis in forensibus hominibus malitia, quæ omnia ferè iudicia, & tribunalia peruadit. Vbi causæ protrahuntur, dilatantur in summum incommodum litigantium, & vt officiales, & ministri iustitiæ auctiores inde prædas faciant. Hos pungebat Sophonias, cap. 3. *Iudices eius lupi vespere.* Soph. 3. Sed cur vespertinis lupis iudices comparat? Quia tota eorum ferocia consistit in dilatione, & quòd nihil non serò faciant. Prouerbium est, de quo agit Delrius noster, tom. 1. summam ferociam, & rabidissimam famem non matutinis, & prædam maturantibus lupis tribuere; sed eis, qui pigrescunt in die, & fame protracta in vesperum surgũt in prædam. Et crediderim, non adeò nocentiores esse iudices illos, qui maturant causas vel iniustè finire, quã qui protrahũt, & differunt, nihil celeriùs, sed omnia nimis serò, & morosè perficientes. Moræ namque hæ, non nisi ad venationem bonorum, imò ad populationem spectant ciuium. Pro quo sic monebat D. Bernar. Bernard. Eugenium suum, lib. 1. de consid. *Ergo illas, quas ad te necesse erit, intrare causas, diligenter velim, sed breuiter decidere assuescas, frustratoriasque, & venatorias præcidere dilationes.* Pulchrè dilationes causarũ venatorias vocat, vt quæ ad prædam, & venationem faciendam de litigantium bonis institui soleant. Sanè lupi isti differunt causas miserorum, vt quod potentiores prædones reliquerunt, ipsi venentur. Id quod sapienter adnotãs Ambr. D. Ambros. serm. 59 ait: *Aiunt plerumq; lupos leonum subsequi vestigia, & non longè ab eorum venatibus aberrare, scilicet vt rabiem suam rapina satient aliena, & quod leonum saturitati remanet, id luporum rapacitate consumatur. Sic & isti auaritiæ lupi* (nempè fori officiales) *prædonum vestigia subsecuti sunt, vt quod illorum rapacitati superauit, horum cederet feritati.* Et quidem si notentur fori negotia, plura ibi visentur retia posita à ministris iustitiæ, vt venentur pecunias relictas à prædonibus, quàm vt vlciscantur factas iniurias. Qui acceptæ iniuriæ satisfactionem petit, saltar, nisi magis perdat in foro inter iustitiæ ministros, quàm in solitudine inter feres. Cauebat lex, Exod. 22. *Captum â bestia non comedent.* Exod. 22. Ex qua lege iudicum venationes pungens D. Ambros. serm. 59. Ambr. ait: *Dicit scriptura sacra ad filios Israel: A bestia captum ne tetigeritis. Et per hoc deterior bestia est, quisquis sumit, quod bestia superauit. Dic igitur mihi, Christiane, cur prædam relictam â prædonibus præsumpsisti? Cur quod hostilis superauit bestia, tu sæuior bestia deuorasti?* Conijce oculos per vniuersa tribunalia iudiciorum, diligenter perquire, quod comedant turbæ illæ officialium, quæ forum implent? Sanè id comedunt omnes, quod bestia potentior reliquit in misero, crudeliores inde bestijs ipsis. Tota horum saturitas in extensione, & dilatatione litium consistit; tunc macrescunt, vbi finiuntur causæ; vbi hæ differuntur, & est illis venatio securior, & certius lucrum. Hinc Dauid tribunal Dei extollens, hoc prædicat de illo, quòd nullas dilationes admittat. Ait Psalm. 9. *Parauit* Psal. 9 *in iudicio thronum suum.* Quod expendẽs Chryso. D. Chrysostom. ait: *Omnia enim sunt parata, et supplicia, et coronæ, et sententiæ. Non est cunctatio, nec tempus, nec tarditas apud Deum.* Vtinam hoc haberent humana iudicia, quàm multorũ fortunæ adhuc consisterent!

§. IX.

Fœdissimum est magistratui ea facere, quæ potestate deposita non possint defendi.

IMpudentissmum iudicem vnus tandẽ pudor continuit, nimirùm, ne ea faceret, quorum fugillationem in fine saltem muneris cauere nõ posset. Et quid turpius homini, quàm quòd in potestate constitutus ea perficiat, quæ potestate exutus minimè valeat defendere? Ingenui, & præstantis iudicis formam exprimens Isaias, cap. 11. ait: *Vitulus, & leo, & ouis* Isai. 11 *simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Non virile brachium funda, aut baculo potens, sed paruulus puer exhibetur, & præficitur gregi composito ex ouibus, & leonibus, & vitulis. Et putas, quòd in hoc monstretur pastoris dignitas, an infirmitas? Et qualis in hoc pastoris dignitas? Maxima equidem, & præstantissima, quando talis ostenditur esse in exequendo munere suo, vt nulla potestate egeat,

sed

ſed etſi omni appareat poteſtate exutus, ad paruulique infirmitatem redactus, adhuc poſsit vel à tauris, & leonibus ſua defendere facinora. In hoc enim ſtat tota dignitas, & præſtantia iudicij, quòd nō timeat à poteſtatis fine, ſed & ſine poteſtate timores fugiat: quippè ait Caſsiodor. lib. 7. var. 1. dum iudicem inſtruit: *Nec quicquam præſumas facere, niſi quod priuatus poſsis legibus vindicare. Ipſa eſt enim recta adminiſtratio, quæ & ſine poteſtate defenditur.* Turpis eſt, infamis eſt adminiſtratio, quæ ſolùm habet poteſtatis patrocinium, adeò vt extra poteſtatem poſita neceſſum habeat in conculcationem venire. Illa adminiſtratio & recta, & præclara, & ingenuo homine digna, quæ omnē etiam poteſtatem exuens in rationes, legi bus defenſionem inuenit, qua vincat. De hac gloriabatur Iob, cap. 31. inquiens. *Si cōtempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo, et ancilla mea, cùm diſceptarent aduerſum me.* Non equidem ſupercilio poteſtatis aduerſorias ſibi ſeruorum rationes abigebat, cō tēnebat; ſed potiùs ſic ſe conſeruis, & ſubditis æquabat, vt ſi ipſe in eadē eſſet ſeruili fortuna cōſtitutus, poſſet ſe ab illis defendere, & illos vincere. Quod adſtupens D. Greg. lib. Moral. 21. c. 10. ait: *Ecce apparet mira modò in poteſtate Principibus potentior, in certamine ſeruis æqualis.* Sic ius adminiſtrat, vt poteſtatis nō meminerit, ſed ea faciat, quæ poſsit ſuſtentare ſub habitu ſeruuli. Nec otioſè vir ſanctiſsimus, dum Iobi iuris adminiſtrationem commemorans vſus eſt verbis illis, *in certamine*, ſed vt oſtendat, quàm par debeat eſſe honor magiſtratuum honori pugilum. Pugil enim in certamen prouocatus inexpugnabilem exuit loricam, nudat pectus, fœdiſſimum ſibi reputans, ſi ſuperiori ferri poteſtate putetur, ſolùm poſſe vincere. Sic magiſtratus, ſic iudex in certamine iudicij rem ſibi facit turpiſsimam, ſi in ea non perficiat, quæ etiā nudus, & priuatus non timeat. Matth. 17. in Thabor aſcendens Ieſus transfiguratus eſt. *Et reſplenduit facies eius ſicut Sol; veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Et ecce apparuerunt illi Moyſes, & Elias cū eo loquentes.* Quòd ſi quæras, quid loquerentur in tanta manifeſtatione poteſtatis, nil aliud loquebātur, quàm exceſſum, & paſsionem eius, vt alij Euangeliſtæ teſtantur. At Ioann. cap. 12. clamans Ieſus ait: *Nunc iudicium eſt mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. Hoc autem dicebat, ſignificans, qua morte eſſet moriturus.* Compone modò hæc cum illis; illic glorioſus apparens in poteſtate ſua, nec verbum facit, nec admittit de iudicando mundo; hic dum mortem prædicat ſuam, dū ſe inſtar vermis vombicis in ligno morientis proponit, iudicium clamat, iudicium minitat. Et cur, dum in cruce infirmus, nunc iudiciū mundi, nunc Princeps mundi iudicio frangitur, & non potiùs dum in gloria poteſtatis elucet? Equidem præſtantiſsima iudicij adminiſtratio eſt, quam non pro poteſtate, ſed etiam priuatus videtur efficere. Præclarè aiebat D. Auguſt. quæſt. 58. ex nouo teſtam. *Idcircò cōmiſſus eſt Chriſtus à Deo Patre ſuo, qui dæmonem vinceret, et ſe manifeſtaret, regnum eius auferens ratione, non poteſtate: quamquā omnia poſsit Deus, ſed illud facit, quod congruit rationi, vt irreprehenſibilis perſeueret.* Quaſi non poſsit Deus reprehenſionem omninò fugere, ſi ea ſolùm faceret in adminiſtratione iudicij, quæ niſi poteſtate nitētia ſtare nō potuiſſent. Quis hoc non reprehenſibile, & turpe clamaret in iudice? Quare vbi iudicare venit Dominus mundum, & mundum prorſùs vincere, in ea forma ſeſe exhibuit, in qua non poteſtas appareret, ſed infirmitas, ſciens illam eſſe optimam adminiſtrationem, quæ poteſtate non defenditur, ſed & defendi poteſt à nudo. Pro quo dicebat S. Max. ſerm. 9. de magiſtratu, ex Ariſtotele: *Sapientes magiſtratus non propter magiſtratum, ſed propter virtutem in admiratione eſſe debent, vt mutata fortuna, eiſdem laudibus digni iudicentur.*

§. X.

Turpiſsimum eſt iudici, poſſe timere ſubditum.

QVi nec Deum timebat, nec homines verebatur, hoc vno timore concutitur, ne in nouiſsimo fugilletur ab inaudita vidua: quippè ait: *Vindicabo illam, ne in nouiſsimo veniens fugillet me.* Et quantula hæc res timoris erat, quòd iudex fugillationem viduæ incurreret? Sanè turpiſsimum eſt ſemper, quòd iudex faciat, vndè priuatos ſubditos timeat. Caſsiod. lib. 11. var. 9. iudicibus prouinciarum regio nomine inquit: *Nullos veſtrorum actuum facimus eſſe cuſtodes, nec ſub priuato arbitrio ingenium iudicis inclinamus: ſed*

omnia sic gerite, ne fiat necessarium, quod nunc credimus esse turpissimum. Equidem à nemine non credetur esse turpissimum, quòd iudex viuat sub metu, & tremore cē furæ subditorum; & ea efficiat, ob quæ ne cessarium sit illi, timere accusationem, vel vilissimi subditi. Audi Iobum se inde
Iob. 31. gloriantem, cap. 31. *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cùm disceptarent aduersum me.* In Hebræo dicit: *Si abhorrui subire iudicium cum seruo, &c.* Sciebat vir optimus, quantum faceret ad cōmendationem iudicis, quòd non abhorreret descēdere in iudicium etiam cum vilissimo; quando nihil turpius iudice illo, cui timor sit, & horror, venire in
Philo. iudicium, & accusari à subdito. Ait Philo in Flaccum: *Nihil est molestius, quàm maiores ab inferioribus, & magistratus accusari à subditis, haud secùs, quā si herus reus postuletur à vernis suis, aut emptitijs mancipijs.* Quis non condoleat hero trementi sub serui sui flagello? Ex malis, quæ in vita hac solēt accidere, illud est semper omnium horribilissimum, quod non oculi seruorum in manibus dominorum suorum, sed oculi domini in manibus serui sint, à quibus vel expectet veniam, vel caueat censuram. Dauidi expulso à regia, & fugienti obuiauit cum alimenti misericordia Siba seruus Miphiboseth; deinde adstat Semei multa in illum congerens ma-
2. Re. 16 ledicta; ait enim. 2. Reg. 16. *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul, quoniam inuasisti regnum pro eo.* Quantum hoc ad dedecus Dauidis? Mul-
Salu. tùm sanè; ait enim Saluianus, lib. 12. de prouidentia: *Fugiens Dauid cum metu, cum dedecore deiectus vsque in suorum seruorum, vel quod graue est contumeliam, vel quod grauius in misericordiam, vt vel Siba eum pasceret, vel maledicere Semei publicè non timeret.* Nescio, an Regi, & iudici grauius aliquid in hac vita possit accidere, quàm quòd cogatur timere subditorum probra, nisi illud grauius sit, nimirùm, quòd cogatur mendicare à seruis misericordiam, & salutem.

***

Luc. 18. Ait autem Dominus: Audite, quod iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die, ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quòd citò faciet vindictam illorum.

§. XI.

Iusti oratio non frustrari solet pro defensione sua.

NOn desistat iustus ab oratione, & fallar, ni Deus properet in eius defensionem, & vindictam. Exemplū præclarissimum habes in Sirorū exercitu, qui cingebat Dothaim, vt caperet Elisæum. Quid tunc? Ait textus. 4. Reg. 6. *Orauit Eli-* 4. Reg. 6.
sæus ad Dominum, & dixit: Percute iam gentem hanc cæcitate. Et percussit eos Dominus cæcitate, iuxta verbū Elisæi. Vt iustus orauit, hostes suos obcæcatos in manus sibi traditos vidit. Quocirca D. Am-
Ambr. brosius ibi, serm. 1. inquit: *Tunc igitur orauit Elisæus, & omnem hostilem exercitum cæcitate percussit. Vbi sunt, qui dicunt, plùs quàm preces sanctorum hominum, arma posse? Ecce vna oratio Elisæi totum exercitum vulnerauit, & vnius Prophetæ meritis omnis est hostium numerus captiuus.* Et simul fuit oratio, & defensio orantis; non plùs tardauit Deus, vt veniret in defensionem sui Prophetæ, & in vindictam hostium illius, quàm tardauit Elisæus, vt ad Dominum oraret. Non equidem potest tardare pro nobis defensio diuina, quādoquidem Deus vt acceleret, adest in propinquo oraturis. Deuther. 4. *Non est alia natio tàm* Deuth. 4.
grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. In rem præsentem expressius transtulit OnKelus: *Quis est populus* OnKel.
magnus, cui Deus ita appropinquet, vt suscipiat orationem eius in tempore tribulationis, sicut est Dominus Deus noster in omni tempore, quo nos oramus coram eo? Vix oratio nostra incipit, & iam nobis Deus quasi latero hæret, protegens nos, & defendens ab omni malo. Quò respiciens Psalm. 11. ait: *Propter miseriam inopum, &* Psal. 11.
gemi-

gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus, &c. Vna vox, vnus gemitus pauperis, hoc est, iusti afflicti sonat, & Deus ait: *Nunc exurgam*: non amplius expectat, vt in auxilium, & protectionem eius aduolet, nisi vt vel gemat pauper. Vndè Chrysostom. ibi: *Magna est vis eiulatus, quæ supernum euocat auxilium. Timete, quicumque pauperem iniuria afficitis. Habetis vos potentiam, opes, et pecuniam, et iudicum beneuolentiam; sed habent illi arma omnium validissima, luctus, & eiulatus, quæ è cœlis auxilium attrahunt. Hæc arma domus effodiunt: hæc fundamenta euertunt: hæc integras gentes submergunt, gemitus dico eorum, qui afficiuntur iniuria.* Vbi vox, vbi gemitus iusti afflicti in aure diuina sonat; dicto citiùs solet palàm cerni defensio diuina, & hostilium incursuum ruina. Quid mirum, quòd orante iusto afflicto, statim Dei defensio appareat, & hostium ruina? Sanè & vel iusto tacente, eius hostis de se celerrimam sumit vindictam. Ponite ob oculos Paulum à vipera morsum, Actor. 28. *Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nil mali passus est.* Rem pulchris verbis tractans Theodoretus, quæst. 18. in Gen. ait: *Vipera, quæ dentes iniecerat in manum Apostoli, cùm nihil peccato tenerum, aut molle in eo reperisset, mox resilijt, & in ignem se coniecit, supplicium quodammodo de se ipsa sumens, quòd corpus sibi nullatenus conueniens adorta esset.* Quis credat, posse tardè à Deo venire defensionem iusti sui, quando & aduersarij illius tàm festinanter per se currunt ad pœnam sumendam pro facta iniuria?

Chrysost. Act. 28. Theod.

CAPVT XIX.

De operarijs in vineam missis.

VT Gratiæ auxilia Deus pro libito largitur, nullo spectato merito condigno, sic posset & gloriam suam similiter largiri. Attamen in largienda gloria sic merita spectat, vt nihil magis, minusve tribuat, quàm id, quod merita postulare videt. Horum per se qualitas, & quantitas sola spectatur, quæ vt in disparibus alijs circumstantijs. v. g. tẽporis, potest esse par, & prorsus similis: sic fieri potest, vt breuis hora æqualem diuturno labori coronam accipiat. Quod non aliter fit in virtutum cultu, ac in cultura vineæ, in quam pacta mercede mittuntur operarij à patre familias. Mittuntur, inquam, alij primo manè, alij hora tertia, alij hora nona, serò nimis: sed finito labore, omnibus æqualis merces præstatur, cũ hoc discrimine, quòd postremi mercedem accipiunt primi. Quis credat, hoc prouenisse ex mero libito patris familias, volẽtis gratis seros, & immerentes operarios æquare ijs, qui strenuam operam labori impenderant tota die? Sanè ipse queribundus respondet: *An non possum, quod volo facere?* Nõ quòd id de facto faciat, sed quòd hac certa, & euidẽti ratione facilius ora querelarum oppilet. Alioquin nullus pater familias inuenitur, qui in remunerando labore operariorum, eius qualitatem diligentius non trutinet, iuxta quam & his æquauit omnes in præmio, quia & nouissimi laborem exhibuerunt æqualem primis: & pro breuitate temporis, qua implent aliorum tempora multa, similiter lucrantur, vt citiùs debitam mercedem accipiant. Quis serus operarius aliud expectaret à prudenti patre familias? Nec dum à Deo, qui in hoc se prudentissimo patri familias assimilat?

Matth. 20. Simile est regnum cœlorum homini patri familias, qui exijt primo manè conducere operarios in vineam suam.

§. I.

Nihil sic hominem auget, vt cultura cœlestis vineæ, hoc est, cultura fidei. Vbi de Hispani populi gloria.

ECce tibi, paruulus ille, qui natus est nobis, & filius, qui dat[a] est nobis, Isai. cap. 9. qualiter iam non paruulus, nõ filius, sed pleno ore dicatur pater familias: quippè ait Diu. Hilarius: *Patrem familias hunc Dominum nostrum Iesum Christum existimari necessum est.* Et cur ibi paruulus, & filius vocatus est, hic autem pater familias vocatur? De puero, & paruulo dicit

Hilar.

dicit Isaias, cap. 8. *Antequam sciat puer vocare patrem, aut matrem, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.* Verùm de patre iam facto dicit Matthæus: *Simile est regnum cœlorũ homini patri familias, qui exijt primo manê conducere operarios, &c.* Vbi arma tractantur, nullum augmentum ostenditur; sed adhuc puer, & paruulus, & filius mõstratur. Vbi cultura exercetur, & procuratur, quòd de diuina vite fęcundissimi excrescant palmites, omnis pueritia euacuatur, & in tantum crescit Dominus, vt pater familias appareat. Ad hęc Hilarius ait: *Patrem familias hunc Dominum nostrum Iesum Christum existimare necesse est, qui totius humani generis curam habens, omni tempore vniuersos ad culturam legis vocauerit.* Vbi ad culturam legis, non vbi ad arma vocat, auctus in patrem familias apparet, quando non bella, sed cultura fidei mũdiales etiam dominos auget. De Saul exercitus in prælia paranti ait scriptura, 1. Reg. 23. *Filius vnius anni erat Saul, cũ regnare cæpisset, duobus annis regnauit super Israel. Et elegit Saul sibi tria millia de Israel.* Etsi enim multo cinctus milite hostiles exercitus adortus millia prælia conficeret, multas reportaret victorias, quia tamen nihil in cultura veri numinis profecit, numquam mẽsuram filij vnius anni, aut duorum excessit. Non enim bella, sed veri Dei doctrina, & cultus augẽt homines, augent mundiales Principes. De magno Alexandro post innumeros penê triumphos moribundo dicitur. 1. Machabæor. 1. *Et vocauit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti â iuuẽtute, et diuisit illis regnum suum, &c.* Et quidem nemini dubiũ est, quòd ij, qui pueri dicuntur, strenuissimi fuissent Alexandri duces, quorum opera, & labore tot victoriæ comparatæ, sunt tot celebrati regnorum triumphi. Imò de illis locutus Gorionides, lib. 3 ait: *Alexander partitus est terram in quatuor Principes magnos ê familia sua.* Qui magni, & præstantissimi erãt militari gloria apud Alexandrum, vocantur pueri ab scriptura. Hoc pondera, & simul illud ex 1. Paralip. 4. vbi de Hiram dicitur: *Omnia vasa* (nimirùm omnia templi vasa) *fecit Salomoni Hiram pater eius, in domo Domini ex ære mundissimo.* Sed & de eodem Hiram locutus Rex Tyri, ait. 2. Paral. 2. *Misi ego tibi virum prudentem, et scientissimum Hiram patrem meum.* Expende modò, cur Alexandri duces, validissimi regnorum expugnatores, propugnatores, vocentur filij, siuè pueri; Salomonis autem, & Tyri Regis seruus, non puer, non filius, sed pater absolutè dicatur? Vndè hic in tantum creuit, vt pater habeatur Salomonis, & Regis Tyri? De Rege Tyri ait Hieron. in traditionibus, citatus à nostro Pineda, lib. 5. de rebus Salom. cap. 13. num. 23. *Idcircô vocat illum patrem suum, quia docuit eum timorem Domini, & adduxit eum ad cognitionem Dei.* Et meritò numquam pueritiam excedentibus bellatoribus ducibus, is in tantum creuit, vt Regum pater sit, vt qui alteri omnia vasa templi ad cultum religionis veræ perfecit, alterum ad notitiã veri Dei adduxit, qui enim veri Dei notitiæ, & cultui propagando operam nauat, is solus non potest nõ crescere in patrem familias. Quis ignoret paruulam Hispanorum familiam? Quantula illa fuit, tota erat in spelunca apud Astures conclusa; ibi regia proles, regius filius Pelaius cum paucis pueris suis erat, & inde egressus homo Hispanus, vt puer paruulus, & filius vnius anni, hodiè apparet auctus in patrẽ familias, vt cui non vna familia, sed plura imperia fuerint addita. Et cur omniũ minimo populo, & abiectissimo tàm ingens augmentum accidit? Ob bellicam virtutem? Ob armorum potentiam, & dexteritatem? Apage; non equidem creuit imperium Hispanum, quia eius militaris gloria maior, sed quia eius arma non tàm internecioni hostium, quàm fidei culturæ operam nauant. Huc spectat Isaias, cap. 2. *Et iudicabit gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Non vnum, sed multos populos, plurima regna acquirẽs, gladios in vomeres, & lanceas in falces conflat; & quid sibi vult eo, quòd ê gladijs, & lãceis & vomeres, & falces faciat? Pulchrè Procopius ait: *Vt qui gladius fuerat ad interimendi vsum fabricatus, in aratrum iam conuersus, semina illa viuifica, quæ sapientiæ beneficio, rationis participibus animis innascuntur, præparet: lancea autem eminûs petere, & propellere solita in id, quod propê cogendi, colligandique facultatem habet, verteretur. Falx enim, quæ dispersa sunt, cogens in vnum, manipulos ad colligationem præparat. Conferunt verô ista ad verbi messem.* Sunt eteniam Hispanorum arma in vsum excolendarum gentium, colligendarumque nationũ in messem euãgelicam. Et gladij, & lanceæ Hispanicæ seruiunt Deo pro aratris, quæ terram pręparent ad recipienda diuini verbi semina, pro falcibus ad colligendas natio-

Isai. 8. Hila. 1. Re. 23 Mac. 1. Gorion. 1. Par. 4 2. Par. 2 Hieron. Isai. 2. Procop.

nes

nes in cœleste regnum. Quò deuenerunt Hispanorũ arma, vbi non cernantur retia gelij messes? In Gallia, in Italia, in Belgio, in Germania gladij Hispani, non tàm gladij, quàm aratra, vt sentes hæreticorum, & spinas eradicent: in Mexicanis, & Peruanis, aliorumque Barbarorum aruis lanceæ Hispanæ, non tàm lanceæ, quàm falces, quæ in arcam Christi colligunt barbarissimas, perditissimasque gentes. Vbi ergo Hispanorum arma in aratra, & falces versa sunt pro cœlesti messe facienda, nõ mirum, quòd pusillum Hispanorum regnum crescat in immensum. Pusillus Israelitarum populus in Aegyptum descendit, ibique captiuus quatuor sæcula egit; sed inde egressus, potenti Dei virtute maximo cæpit incremento: hostes in mari submersos vidit, quod ipse transiuit siccis pedibus: cœlestem commeatum habuit; tubis cecinit, quæ æreis machinis valentiores inexpugnabilia penè mœnia æquarunt terræ. Regna multa vel exterminarunt, vel sibi seruire in tributis fecerunt: vndè tanta augmenta eueniebant populo omniũ miserrimo; Theodor. serm. 10. de prouidentia, ait: *Israelem immensum auctum Aegyptiaca seruitute liberare volẽs Deus, per multa signa liberat, inde gloriam, & magnificentiam ipsis concilians. Hanc etenim gentem, vt omnibus gentibus, ad Dei notitiam magistra esset, elegit.* Electa fuit Hebræorum gens, vt veri Dei notitiæ haberet ad vniuersas gentes magisterium, inde signis, & prodigijs cœlestibus seruitutem excutiens in magnam gloriam, & magnificentiam deuenit. Sed dum ij desipuerunt, quid fecit illis Dominus vineæ cœlestis? Ipsi aiunt, Matth. 21. *Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis.* Equidem locata est Dei vinea alijs agricolis, locata fuit viris Hispanis, qui sub barbarissimæ nationis seruitute pressi diu iacuerunt, & placuit Deo illos à seruitute liberare, & post septingẽtos annos per multa signa liberat, adeò, vt pro illis in certaminibus adsit cœlestis eques Christi Apostolus Iacobus, qui hostiles sæpius visus est prosternere exercitus. Inde gloriam militarem, & magnificentiam Deus suis Hispanis concilians, quæ per vniuersas nationes perstrepat, & qua in summum orbis imperium deuenerunt. Vndè hęc Hispano populo, seu potiùs paruæ coronæ Castellæ? Ait suprà Theodoretus: *Hanc etenim gentem, vt omnibus gentibus ad Dei notitiam magistra esset, Dominus elegit.* Da mihi aliquã nationem, vel è propinquis, vel è remotissimis, & barbaris, in qua veræ fidei, verique Dei, siuè Hispani, siuè Hispanorum nutritij non exercuerint magisterium. Nullam dabis: Alumni Hispanorum sunt, & eorum sumptibus nutriti, & edocti, qui stant in Britania pro fide vera. qui vtriusque Aethiopiæ hominibus & barbaris, & non adeò barbaris candidam salutẽ referunt, Hispani sunt. Qui apud Indos Occidentis, & Orientis, apud Iapponios, apud Sinas, & alios penè innumeros insulanos pro Dei notitia ingerenda virilem operam nauant, Hispani sunt, & Hispanorum regijs classibus, & sumptibus illuc asportati perueniũt. Crescat ergo necessum est populus à Deo electus in fidei culturam, in Euangelij messem, in lucem gentium.

Theod.

Matt. 21

Theod.

§. II.

Quò citiùs à primis annis vocatur quis, eò in virtute est perseuerantior.

MAnè festinat exire Dominus conducere operarios, certus perseuerantiores futuros esse in labore virtutũ, qui à primo vitæ manè illius viã arripuerint: quod enim ab infantia penè cum lacte fugitur, id vsque in nouissimũ diem solet retineri. Dicebat Angelus matri Sansonis, cap. 13. Iudic. *Concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero, & ipse incipiet liberare Israel.* Quæ verba referens mulier marito suo, aiebat: *Erit enim puer Nazaræus ab infantia sua, & ex vtero matris suæ, vsque in diem mortis suæ.* Et quidem Angelus nihil dixerat de Nazaræatus perseuerantia vsque ad mortem: illam mulier addidit de suo. Id quod notans Diu. Augustinus, quæst. 52. ait: *Quod ait mulier dictum sibi ab Angelo, quoniam Nazaræus Dei erit puer à ventre vsque ad diem mortis, non legitur ab Angelo dictum.* Cur ergo mulier retulit ea, quæ minimè ab Angelo dicta sunt? Cur non contenta fuit dicere præproperum filij Nazaræatum ab infantia, imò ab vtero incipientem; quod solùm Angelus dixerat? Cur maluit addere perseuerantiam eius vsque mortem, quæ minimè ab Angelo fuerat dicta? Sanè prudentissima fœmina nihil dixit,

Iud. 13.

August.

dixit, quod non putaret contentum esse sub verbis Angeli; eo enim ipso, quòd ab Angelo dictum accepit de prepropero Nazaræatu filij, inibi etiam putauit, fuisse dictum de eius perseuerantia vsque in finem vitæ; quando quæ ab infantia fugitur virtus, perseuerare soleat vsque in nouissimum diem. Hinc est, quòd Diu. Basilius putet, firmitatem, & adhæsionem Angelorum in bono venire ex eo, quòd gratiam, & sanctitatem à primo instanti
Psal 32. suæ receperint vitæ: quippè ait in Psalm. 32. *Angeli in prima constitutione & quasi conspersione suæ substantiæ, simul habuere infusam sanctitatem. Quapropter & ad malitiam difficilè se poterant transmouere, nimirùm sibi indulta sanctitate, quasi tinctura quadam confirmati.* Firma equidem est virtus, quæ à primo vitæ manè sugitur, & quæ vix sinat dubitari, quòd perseueratura sit vsque in finem. Paruulum Samuelem offerens Dei templo mater, dicebat,
1. Reg 1. 1. Regum. 1. *Ego commodaui eum Domino cunctis diebus.* Vel vt legit Chrysostom. *Et ego commodo eum Domino, vt seruiat Domino omnibus diebus, vitæ suæ.* Vndè scis mulier, quòd ipse vellet omnibus diebus vitæ suæ in Dei obsequio persistere? Cur offers Deo, quòd nescis, an sit præstandum? Callet bona fœmina efficaciam virtutis, quæ primis bibitur annis, & ideò quem à primis vnguiculis Dei donum facit, non dubitat, in eo inueniendum esse
Chryso. etiam in vltimis annis. Ad hæc Chrysostomus, de Anna, & Samuelis educatione fatur: *Ascendit igitur in templum, & agnellum induxit in ouile, ac vitulum perduxit ad armentum, & in pratum deduxit rosam à spinis liberam; rosam, inquam, quæ numquam marcescit, sed floret perpetuò, quæque possit ad ipsum vsque cœlum exilire, cuius fragrantia in hodiernum vsq; diem iuuantur, ac reficiuntur omnes; tantus annorum numerus præterit, et tamen virtutis illius fragrantia semper augescit, nec tanta temporis magnitudine facta est languidior.* Hoc habent recentes anni, vbi odore virtutum imbuuntur, quòd illum nulla temporis diuturnitate dimittent. Ideò Dauid nihil magis curabat, quàm inuenire remedium, quo prima hominis ætas curaretur: quippè ait Psalm. 118. *In quo corrigit*
Psa. 118. *adolescentior viam suam?* Cur magis sollicitus est de corrigendis iuuenibus, nisi quòd quam fugit prima ætas virtutem, in ea constantior perseuerat? Ait Diu. Hila
Hilar. rius hìc: *Placiturum Deo virum Propheta conformãs, non spectat post longam, ac diuturnam criminum consuetudinem doctrina Dei, & præceptis timoris constitui, sed rudes à peccatis annos, et ætatem adhuc criminum nescium vult non modò studijs aliquando innocentiæ, sed etiam ipsa adolescentiæ consuetudine imbui. Difficile est, ab vsitatis desiuere, difficile à familitaribus abstrahi.* Hæc ille, & valde sapienter probans, quantùm conducat ad perseuerantiam, quòd virtus à primis annis incipiat. De Ioanne ait Matthæus, cap. 11. *Ioannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, &c.* Vide Ioannis constantiam; nec carcer obscurus, nec vincula impedimentum illi attulere, quominùs quærat Christum. Quid mirum? Et in ipso vtero sciuit se naturæ, vinculis expedire, vt Iesum honori habeat Ait D. Ambrosius homil. 1. in Ioan-
Ambr. nem: *Mirari non debemus, quòd ab Herode missus in carcerem, clausus Christum suis discipulis intimaret, cùm etiam clausus in vtero eumdem Dominum gestibus prædicauit.* Quò referri possunt dicta. 2. tom. lib. 6. cap. 1. §. 15.

Matt. 11

§. III.

Nec qui à Deo deficiunt, labores in hac vita fugiunt, ideòque digniores sunt supplicio.

OPerarios vocat Dominus in vineam suã; nõ qui tunc primò operarij fiant, cùm vineam Dei ingrediuntur; sed qui & antè operarij sunt, & etiam à Dei vinea fugientes, & ærumnas, & labores subeunt. Seruus ille nequam, qui otiari maluit, quàm negotiari Dei lucrum, vbi rationem reddit, Luc. 19. ait: *Domine, ecce*
Luc. 19. *mna tua, quam habui repositam in sudario.* Miraris, quòd otiosus homo, qui vt otiaretur, Dei negotiationem fugiebat; adhuc sudarium haberet, quo otiosas pecunias obuolueret. In Dei negotijs forsan labor, & sudor esset, & sudarij necessitas; sed & qui fugit Dei negotia, vt quærat voluptatum otia, & labores maximos habet, & sudores; nec dari potest, qui à Deo fugiat, qui sudarijs non egeat fractus laboribus.
Euseb. Gallic. Ait Eusebius Callicanus, homil. 1. in Natali vnius Confessoris: *In sudario namque talentum reponit, qui gratiam sibi datam in hac carne laboribus, & fatigationibus tradita torpescere sinit.* Non equidem Dei

nego-

negotium finitur, quin in laborioſa, & fatigationibus plena abeatur. Numquam, mihi crede, gratiam Dei torpeſcere in te ſinis, imò à te ablegas, quin te totum laboribus, & fatigationibus tradas. Propone tibi ante oculos veteres illos Iſraelitas, ij vbi cœleſtem panem faſtidire cœperunt, in ceparum, & aliorum cupiditatē abeūt. Numerorum cap. 11. dicitur: *Nu. 11.* *Inmentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepæ, & alia. Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man.* Expende, quid eligant, quando cœleſtem panem faſtidiunt; eligunt quidem & porros, & cepas, & alia, quæ vix comedi poſſunt, quin à comedentium oculis extrahant ingentem vim lachrymarum. Huiuſmodi eſt miſera conditio mortaliū, qui Deum faſtidiunt, vt abeant in labores. *Procop.* Procopius, ad primum caput Iſaiæ, fatur: *Lugebant memores cucumerum, & peponum, cibi videlicet Ægyptij, quem numquam comederet verus Iſraelita cœleſti pane nutritus; quem qui faſtidiebant, cepas, et alia depoſcebant. Talis enim eſt, quæ voluptatibus vita indulget, pruriens, & acris, & lachrymas ex illius inſtituto viuentibus prouocans.* Quiſquis Dei negotium fugis, quiſquis Dei refugis colere aruā; in otio, & voluptate nihil aliud inuenies priùs quàm labores, quàm lachrymas. Nullibi non laborandum eſt, nullibi non flendum; miſer, & multo dignus ſupplicio, qui Dei labores fugit, vt voluptatum labores grauiores amplectatur. *Eccl. 10.* Eccleſiaſtes, cap. 10. inquit: *Qui transfert lapides, affligetur in eis.* Syrus ponit, *cruciabitur in eis*: & meritò cruciatum, & dolorem acquiret, qui eò ſolùm ſpectat, vt transferat lapides; hoc eſt, vt vnum lapidem ex loco tollens, alium ſumat, quem ibi reponat. Et quorſum hæc? Pulchra equidem metaphora mordentur homines, qui diuinarum legum pondera abijciunt, non vt à pondere ſuſtinendo vacent, ſed vt ſumant aliud pondus vitiorum, quo fracti labore nouos ſibi cruciatus acquirunt, & afflictiones. Rem in particulari de Rege Manaſſe explicat Chaldæus Coſti aiēs: *Inquit verò Rex, & Propheta Salomon: Compertum habeo Manaſſem Ezechiæ filium, eò ſcelerum deductum iri, vt ſimulachra, & lapides adoret: quare in manus Aſſyriorum veniet, qui eum domabūt fræ-nis, quia vel ab ipſis radicibus ſermones legis in tabulis lapideis excīſos euulſerat.* Tabulas legis contempſit, eorum lapideum pondus abijciens, ſed vt aliud lapideum etiam pondus ſubiret. Pro diuinarum legum lapide reiecto, lapidea idola quæſiuit, qui labor magis ſtultus? Magis dignus ſupplicio? Si vel in cultu Dei, vel in idolorum cultu lapideum pondus erat ſubeundum; ſtultus eſt, qui non mauult Dei pondus, quàm idolorum pondus ſubire. Nec miror, quòd pœnas det, qui legis diuinæ lapides reijcit, vt idola ſibi lapidea conſtituat. Huc reuoca dicta. 1. tomo, lib. 3. cap. 4. §. 26. & lib. 4. cap. 4. §. 16. & alibi.

Matth. 20. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam.

§. IIII.

Potentiſſimæ Dei manus facinus eſt, quòd adoleſcens non declinet à Dei ſeruitio.

MATVTINOS Hos operariòs dicitur Deus notāter miſiſſe in vineam ſuam: de cæteris infrà ſeriùs vocatis non dicitur, quòd Deus miſit illos; ſed ſolùm ad illos loquebatur Dominus, aiens: *Ite & vos in vineam meam*: non additur, & miſit illos. Cur autem ſolis primis additur, *& miſit illos*, imò & non miſit vtcumque, ſed pacta priùs mercede ex denario diurno? An difficilius erat, quòd irent ij in Dei vineam? Sanè difficillimum eſt, & non niſi potentiſsimæ diuinæ manus opus, quòd qui in primo ſunt iuuentutis flore, primiſque in ætatis annis vocantur, Dei, rationiſq; ſequantur ductum, vitiaque protinùs aſpernentur. Vates Philiſtinorum hoc conſilium dederunt, quo poſſit manus diuina apertiſsimè demonſtrari in ſuos reſurgere. 1. Regum. 6. *Facite* *1. Reg. 6.* *plauſtrum nouum, vnum, & duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugum, iungite in plauſtro, et recludite vitulos earum domi. Tolletiſque arcam Domini, & ponetis in plauſtro: & dimittite eam, vt vadat. Et aſpicietis: & ſiquidem per viam finium ſuorum aſcenderit, contra Beth-ſames, ipſe fecit nobis hoc malum grande;*

sin autem minimè, sciemus, quia nequaquã manus eius tetigit nos. Hæc Vates consulebant sapienter ex iuuencularum recta via, adeò nulla posset vi retardari, conijcientes, an Philisthinorum calamitas opus potentissimæ Dei manus fuerit. Et quãdo manifestior apparet Dei potentissima manus, nisi vbi iuuentus, & prima ætas onus Dei sustinet, rectaque cum illo incedit? Id quod amplius explicat Diu. Chrysostomus, homil. 6. in Matthæum, dum hæc verba pulchra paraphrasi expendit. Ait enim: *Tunc eorum responderunt Vates, vt iuuencas indomitas adhuc primiperas ad plaustrum iungerent, quo arca veheretur, nulloq; eas regente, quò vellent, ire permitterent: sic appariturum esse, vtrùm â Deo plaga illa veniisset. Si, inquiunt, iugum superba ceruice contriuerint, atque mugientes ad vitulos recurrerint, casu id factum esse, manifestum est: si verò directo itinere contenderint, et neque ad mugitum tentauerint redire vitulorum, neque in aliam regionem ignotæ viæ errore detorserint, liquidò patebit Dei manus, &c.* Expende, quæso, singula signa operantis manus Dei; in primis duæ iuuencæ indomitæ, adhuc primo iuuentutis flore lasciuientes assumuntur, vt sub iugo diuinæ arcæ consistant. Quid tunc? Si iugum non contriuerint; si non resiliant ad delicias suas; si rectà ierint; si in regionem ignotam non detorserint, liquidò manus Dei ibi esse constat. Et quidem Luc. cap. 15. iugum paternum non sustinens: *Adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam*: quòd ergo iuuenis non conterat iugum Dei, sed rectà incedat, nec in regionem ignotam declinet, nõ humanæ potestatis opus est, sed facinus manus diuinæ. Psalm. 118. *In quo corrigit adolescentior viam suam? In custodiendo sermones tuos.* Anxius erat Dauid, vt inquireret, quo medio posset iuuenis viam virtutis arripere, & tenere, & vix de hoc medio agit quærendo, & statim subijcit: *In custodiendo sermones tuos*: quasi vna diuina potestas in eo posset præsentiri. Ait enim Diu. Ambrosius, ibi sermon. 2. *Hic deliberantis est finis, quo viam suam corrigat. Et respondet: In custodiendo verba tua. Et benè ad Deum conuersus respondit deliberanti, quasi prece, atque oratione delata, consilium hoc Domini inspiratione reperiret, vt non præsumptionis humanæ, sed dignationis diuinæ remedium crederetur.* Sola enim diuina manus potentissima potest præstare remedium, quo iuuenis non præceps fiat, sed intra legis diuinæ terminos se contineat. Hinc est, quòd Ioannes Euangelista, qui cæteris Apostolis iunior erat, longè maiori fulcro in hac vita opus habuit, quo stare potuit. De se enim capit. 19. scribit, quòd in sua acceperit Dei matrem; quippè ait: *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Quid est, quòd accepit eam in sua? Pulchrè D. Augustinus ait, tract. 119. in Ioannem: *Quia Actorum quarto legitur: Quotquot enim possessores prædiorum, vel domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, et ponebant ad pedes Apostolorum; distribuebatur autem vnicuique, prout cuique opus erat: intelligendum est, sic distributum fuisse huic discipulo, quod opus erat, &c.* Ergo vt suorum loco, dabatur cuique, quod opus habebat; sic data est Dei mater Ioanni: qui enim iunior erat, opus habebat toto Dei matris patrocinio, vt in virginea pudicitia firmaretur. Huc facilè transferri possunt dicta tom. 3. lib. 14. cap. 1. §. 11. & lib. 15. cap. 1. §. 23.

Matth. 20. Et egressus circa horam tertiam vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa sextam, & nonam horam, & fecit similiter.

§. V.

Miserè fallitur, qui efficacia Dei auxilia, & vocationes sibi assiduas, & pro quacumque ipse hora voluerit, esse paratas præsumit.

EGreditur bonus pater familias ad operarios trahendos, non singulis momẽtis, & horis, sed certis, & determinatis, sibi vni notis, ne quis vanè putet, habenda efficacia Dei auxilia, & eiusdem peculiarem assistentiam, quacumq; hora, vel momento voluerit homo illam susci-

pere.

cere. Ecce tibi, in foro apparet Dominus trahens operarios hora tertia, & sexta, & nona; at hora quarta, quinta, septima, octaua nullibi visitur. Initat equidem Deus trahendis efficaciter hominibus, sed non cõtinuò, nec pro humano libito; sed quando ipse vult, & vult pluries abesse, quàm adesse, adeò vt etiam amicissimis, & vehementer de eius absentia querentibus sese frequentissimè subtrahat, & eos in lachrimis sinat. Sponsa erat, & valdè dilecta illa, Canticor. 1. *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Cant. 1. Sufficeret amanti scire, vbi pasceret dilectus; dum enim pastionis locum nosceret, plenam ibi pastoris sui copiam inueniret. Cur non contenta est, sibi demonstrari hunc locum? Cur adhuc & ad alterius cognitionem festinat, nimirum, vt etiam vbi cubet, sciat? Nota est sponsæ dilecti sui conditio, qui nullibi assiduus sit, nec perpetuò sciat cum etiam sibi dilectis morari, quin potiùs crebris fugis se subtrahit illis, & ideò omnia eius scire amat suffugia, ne vllum locum, nec tempus ab eius inquisitione prætermittat. Diu. Bernardus, serm. 32. in Cantic. *Cum vigilijs, & obsecrationibus, & multo labore, & imbre lachrimarum quæsitus Dominus affuerit, subitò dum teneri putatur, elabitur; & rursum lachrimanti, & insectanti occurrens comprehendi patitur, sed minimè retineri, dum subitò irerũm quasi manibus euolat. Et si institerit precibus, & fletibus deuota anima, denuò reuertetur, & voluntate labiorum eius non fraudabit eam; sed rursum mox disparebit, & non videbitur, nisi iterũm toto desiderio quæratur. Ita ergo et in hoc corpore potest esse de præsentia sponsi lætitia, sed nõ copia, quia etsi visitatio lætificat, sed molestat vicissitudo.* Bernar. Huc, quæso, conueniant omnes, qui otiosam vitam agunt in mundiali foro, & dum in cupiditatibus suis implendis sunt, nullam sollicitudinem, nullam æstimationem habent de Deo habendo; nec magni ducunt hos, & illos dies, imò hos, & illos annos negare Deo, eiusque vocationi repugnare, negotium salutis vel non curantes, vel in aliud tempus differẽtes certi, quòd Deum pro quacumque hora ipsi voluerint, paratum, & expeditum habebunt, vt eis efficacia auxilia præstet, & singularem sui assistentiam. Vndè hæc sibi promittere, aut confingere possunt? Sanè & qui omni studio, & labore, in lachrimis, & sollicitudine quærunt Deum, talia sibi promittere vix possunt, quandoquidem Deus nec ijs amicissimis assiduus peculiariter adstat, nec pro quacumque hora, & momento certus est, sed frequentibus fugis se illis eripit, & absentem exhibet. Si ergo etiam laborantes, & anxiè quærentes, pro quacumque hora certò Deum sibi peculiariter assistentem non inuenirũt, sed illum lugent absentem; qui otiosi in foro viuunt, in lecto stertunt, nec vlla Dei habendi sollicitudine tenentur, qua temeritate præsumunt, illum sibi præstò futurum pro quacumque hora ipsi voluerint? Adfuit aliquandiu sponsæ foribus, Canticor. 2. *Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, amica mea, immaculata mea.* Cant. 2. Quid tunc? Ipsa inquit: *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat.* Quis crederet, non magis expectaturum eum, qui sic ad ostium dilectæ, & immaculatæ pulsabat? Quæ dilecta non præsumeret, à se inueniendum illum, quem sentiebat pulsantem, & ad ianuam vocantem? Et nihilominùs dum paulisper moratur respondere, cùm vult admittere, iam non inuenit, quem admittat. Non equidem pro omni hora, qua vult homo, adest Deus efficaciter vocaturus, sed frequenti fuga, & inopinata & absentiam, & alienationem ostendit suam. Mirabundus Iob cap. 30. inquit: *Comparatus sum luto, et assimilatus sum fauillæ, et cineri. Clamo ad te, et non exaudis me; sto, et non respicis me.* Iob. 30. Quantum hoc, quòd Deus non respiciat, sed prætereat hominem lutum, & linum factum? Multum equidem, & penè inauditum in Deo, qui sic in homine humili sibi complacet, vt in hoc humilitatis humanæ luto penè maneat infixus, nè inde possit prætereire. Forsan id notabat in Psalm. aiens: *Infixus sum in limo profundi.* Sed & Genes. 1. vbi limus venit in Dei manus, vt homo fiat, ait Tertullianus, libro de resurrectione carnis: *Limus in manus Dei peruenit, satis beatus, & solummodo contractus. Recogita totum illi Deum occupatum, ac dedicatum, manu, sensu, opere, consilio, ipsa in primis affectione, quæ lineamenta docebat.* Tertull. Sic limus totum Deum rapit, & eius tenet cogitationem, oculos, manus, & tamen tota hęc limi valentia apud Deum, in Iobo deficit, ipse namque ad limum redactus, totum suum obiicit Deo lutum, & Deus lutum pertransit, nec ibi figit oculos, neque ponit aures. *Comparatus*, inquit, *sum luto: Clamo ad te, & non exaudis; sto, & non respicis.* Nihil sic Deum prendit, quod non à Deo prætereatur; in

nullo sic Deus figitur, & hæret, de quo nō euolet, & longiùs abeat, adeò vt pluries se sine Deo possit lugere, quàm cum pre-
Cant. 3. sente Deo gaudeat. Canticor. 3. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Nescio, an vnum diem integrum ab sponsa cum Iesu inuenies actum, & plures noctes vides, in quibus Iesu præsen-
Guillel. Abb. tia caret. Hinc dicebat Guillelmus Abbas, serm. 1. in Cant. *Noctes eius frequenter interpolantur absentia sponsi; cùm adest, lux est; cùm abest nox est. Ideò multæ sunt noctes sponsæ, quia multi sunt elapsus sponsi, et multæ latebræ.* Quandoquidem nox correspondet absentiæ Dei, necessum est, quòd multæ sint noctes, quia multæ, & frequētissimæ sunt Dei absentiæ, ne quis putet, quòd verbum Dei posset esse alligatum, vt illud pro quacumque hora homo voluerit, habeat. Sæpè enim præsumunt multi de Deo certis temporibus habendo, & miserè se fallunt. Huc reuoco dicta. 1. tom. lib. 5. cap. 2. §. 3.

§. VI.

Periculosum est homini, quòd Deum nec ad se venientem, nec à se recedentem obseruet.

NOn otiosè notat Dominus horas, quibus exit pater familias conducere operarios, sed vt ostendat, non minimum salutis negotium in eo consistere, quòd homo diligenter attendat, & sciat quando Deus accedit, vel quando abest. Mirari ego soleo homines in mundiali foro adeò suis voluptatibus, vel lucris deditos, vt vix Deū in aliquo meminerint, nec curant, nec attendunt, an inter alia negotia, vel otia aliquos Dei impulsus patiantur, vel potiùs illis careant. Proh dolor, quàm periculosa est humanæ
Ioan. 3. saluti hæc ignorantia! Aiebat Dominus, Ioan. 3. *Spiritus vbi vult, spirat, et vocem eius audis, et nescis vndè veniat, aut quò vadat.* Vndè veniat Deus ad nos, & quò vadat, semper ignoratur, sed venientis vocem numquam vult Deus ignorari à nobis, sed potiùs ait: *Vocem eius audis.* Sed quandoquidem vndè veniat, & quò vadat, ignoramus, cur tàm diligenter curat, vt venientis vox audiatur, nisi vt saltē accessus eius, & recessus ex voce percipiantur, qui sine magno salutis periculo non possunt ignorari. Ait Diu. Bernard. serm. 17. in Cantic. *Venit spiritus Dei, et vadit, prout vult, et nemo facilè scit, vndè veniat, aut quò vadat. At istud sine dāno forsan salutis nescire licet. Cæterùm quando veniat, vel quando vadat, id planè periculosissimè ignoratur. Mens enim, quæ ignorat abscessum, patet seductioni; et quæ reditus non obseruat, erit ingrata visitationi.* Et ratò sine ingenti salutis periculo tàm inerter, & inconsideratè viuitur, vt minimè vel Dei accessus per intimas pulsationes, vel Dei recessus obseruetur. Etenim qui periclitari in salute meruit, nil magis debet attendere, quàm ne se inscio accedens Dominus cum salutis occasione prætereat. Ex Isaiæ cap. 49. monebat id Paulus. 2. ad
2. Cor. 6. Corinth. 6. *Ait enim Isaias: tempore accepto exaudiui te, et in die salutis adiui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Docebat Isaias, Deo tempus esse certum, & determinatū, quo ipse declinabat ad homines exaudiendos, diesque certos etiam eidem esse præfixos salu ti causandæ. Quid inde infert Paulus? Nimirum, *Ecce nunc tempus, &c.* Expende illam particulam, *Ecce*, quæ summam attentationem, & vigilantiam postulat, ne res per illam designata, innota, & incognita prætereat. Et quando certas horas habet Deus designatas ad accipiēdos homines, summa vigilantia homines attendere debent, ne inscienter & Deus, & horæ illæ
Adamus prætereant. Aiebat Adamus in cap. 49. Isaiæ: *Ecce nunc ait, tempus acceptabile: quasi dicat Propheta: Qui iam viuitis, attē dite diligenter ad tempus illud placabile, ad diem illum salutis, id est, ad diem Christi, ne vos fallat, nevè prætereat.* Quis sine ingenti periculo ruinæ fallatur in occasione salutis? Et quis saluus erit, qui nescit, quando Deus accedit, & quando præterit? Fœlix ille, cui attendenti, & conspicienti Deus accedit. De Abrahamo, Gen. 18. Genes. 18. dicitur: *Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stā tes propè eum. Quos cùm vidisset, cucurrit, &c.* Nota, quòd solùm dicatur Deus apparuisse Abrahamo, pro summo Abrahami lucro: & quantum lucrum, quòd solùm appareat Deus homini? Non ibi lucrū, quod solùm appareat, sed quod appareat stanti in ostio. Virtutis hospitalitatis auidissimus in ostio continuus erat, ne se inscio hospes accederet, & præteriret, sed

magis

magis caperet vel à longè apparentes. Solent equidem diligentiſsimi venatores in ſyluis ſtare, paratos, & intentos arcus præ tendere, ſumma vigilantia obſeruare, & attendere, an præda aliqua accedat, vel ſaltem à longè appareat: cuius venationis negotium totum ab illa obſeruantia, & oculorum intentione pendet. Sic bonus virtutis venator ad oſtium erat, quaſi in ſpecula, ne præda, ſe inſcio, appareret, ac perderetur, ſed omnes fierent præda. Ait Chryſoſtomus: *Tempus hoc vt idoneum e-* Chryſoſt. *legit, & ſedens eos, qui præteribant, venabatur.* Diligentiſsimo, & oculatiſsimo venatori nullus hoſpes, neque Deus ipſe apparuit, qui non iret in prædam. Sic qui nouit attendere omnes Dei acceſſus, vel receſſus, fallar, niſi vniuerſas Dei fœlicitates venetur. Huc refero dict. 1. tom. lib. 2. cap. 7. §. 9.

§. VII.

Vanum, & prorſus otioſum, imò & pernitioſum crucis viti eſt ſtudium illorum concionatorum, qui forenſi eloquentiæ, ſiuè acquirendæ, ſiuè oſtentandæ totam ſuam operam impendunt.

IN foro otioſos inuenit Dominus, quos ad vineam ſuam iubet ire; & quidem præclariſsimi operarij fierent, ſi Dei vineæ, ſcripturis ſacris, doctrinis Patrum operâ nauarent; qui dum forenſi eloquentiæ dant operam, & extra Dei ſepta ſunt, & prorſus euanidi, & otioſi; Imò vt verũ etiam dicam, & Deo, & ſibi, & omnibus ſunt pernitioſi. De hac eloquentia forẽſi Dam. locutus Petrus Damianus, lib. 8. epiſt. 9. ad Bonifacium Cauſidicum, ait: *Hæc & huiuſmodi eloquẽtiæ phalerata ludibria ij, qui ſpiritu Dei viuunt, vt re vera friuola, & vana contemnunt, et ſicut Apoſtolus ait, arbitrantur, vt ſtercora. Qui etiam locutum ſe eſſe perhibet, non humanæ ſapientiæ verbis, vt nõ euacuetur crux Chriſti. Et quàm pulchra, quàm vtilis, quã honeſta locutio, quæ dum authorem ſuum vento vanæ gloriæ per arrogantiam inflat, crucem Chriſti, qui eſt mundi ſalus, euacuat.* Compone modô totum crucis negotium cum otio eloquentiæ forenſis, & mundialis; crux inuẽta eſt, vt veram ſalutem parturiret; hæc vt parturiat vanitatem, & adſtruat mendacia. Crux ſtat brachiata, vt omnes ad ſalutem rapiat; hæc nihil habet, quod brachium requirat, nec manus, ſed in locis parandis, vbi verba otioſa conſideant, occupatur. Præclara ſanè locutio, quæ totum negotium crucis euacuat, & ſuos artifices reddit euanidos. Non equidem poteſt ſtare per crucem ſalus, & hæc locutio. De longiſsima captiuitate Iſraelitarum locutus Dominus, Geneſ. 15. ait: *Generatione au-* Gen. 15. *tem quarta reuertentur huc, nec dum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus.* Itaque Iſraelitarum redemptio, & terræ promiſſæ poſſeſsio non ſtabit ſimul, vbi liberè ſteterint Amorrhæi; ſed neceſſum eſt, vt primùm Amorrhæi iniquitates ad ſupplicium compleantur, & tunc redemptionis Iſraeliticæ fructus in poſſeſsione terræ explicabitur. Et qui ſunt Amorrhæi, qui ſic impediũt fructus redemptionis? Si nominis ſignificationem attendas, Amorrhæi ſignificant loquentes; & quidem non poſſunt ſimul & fructus redẽptionis, & phaleratæ, & forenſis eloquentiæ vanitas ſtare. Ait Philo, libro, Quis rerum diuina- Philo. rum ſit hæres: *Amorrhæi loquentes interpretantur. Ergo donec conſumentur Amorrhæorum peccata, hoc eſt, ſermones ſophiſtici, qui valent nos rationibus perſuabilibus ductare, non poſſumus eos auerſari talibus ineſcati illecebris, et manere apud eos cogimur.* Detinemur ſermonibus ijs, ne in terram lacte, & melle manantem abeamus, ne redemptionis fructus percipiamus: nũ quam enim inanis hæc, & ludicra verborum phalanx, non euacuat redemptionis fructum. Adhuc addit Philo, horum loquacium trutinans ingenium nociuum: *Hi ſunt adulatores, præſtigiatores, inuentores ſophiſmatum perſuaſibilium, impoſtores fallaciarum peritiſsimi, de mendacio vitando haud ſolliciti, et inſuper affectatores obſcuritatis; eſt autẽ obſcuritas caligo profunda in ſermone, res commodatiſsima furibus. Quapropter Moyſes ſummum Pontificem claritate ornat, et veritate, volens perſpicuum ſimul, et veracem eſſe viri boni orationem. At vulgus hominum obſcuram, atque mendacem mauult ſectari, in quorum grege cenſetur contemptiſsimus quiſque.* Hoc auidiùs dixiſſet Philo, ſi nuperos in Hiſpania noſtra eloquentes, ſiuè elingues notaſſet; quorum tota laus è caligine in ſermone petitur. Tonant verbis compoſitis, quæ ſi attendas,

das, nihil præter sonos capis, quorum infantiam rident, qui sapiunt, qui parùm docti sunt, & vulgariter sentiunt in verborum caligine, nescio quid arcanum de monte Sina fumante, & inter nebulas perstrepente stupent, & adorant. Imò dignam oratore, & sacro concionatore claritatem, & dicendi lumina fastidientes, ad caligines illas verborum, & tenebras quasi noctuæ euolant. Quàm longè hæc à vera sapientia absunt; videbit quisquis ad fructus conuerterit oculos. De vera sapientia enim locutus Apostolus Iacobus in canonica, cap. 3. *Quæ autem desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et operibus bonis.* Expende, quo flumine impleatur veræ sapientiæ alueus, nimirùm misericordia, & operibus bonis; vbi non solùm turbida, & crepitantia verba voluuntur, sed perspicuus fructus virtutum apparet, ibi vera, & cœlestis sapientia ostenditur, quæ non de forensi, & profano strepitu, sed de cœlestis vineæ operatoribus debet colligi. Ad rem enim aiebat D. Paulinus epist. 4. *Vbique aucupemur verbum Dei, de omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem spiritus Dei spirat, & necesse est à minimo Dei seruo vel guttam cœlestis sapientiæ distillare, quæ aliquando ditatem mei cordis irroret, & mihi supra omnium sæculi sapientum flumina, ad portum vtilitatis exuberet: quia malo quinquè verba loqui in lege, quam multa millia in lingua.* Expende illud, *ad portum vtilitatis.* In prophanis eloquentiæ fluminibus nulla ripa fertilis, nullus vtilitatis ros visitur; vtinam qui super illa flumina sedent, ad Dei vineam confugiant, operamque dent diuinis scripturis, fallar, nisi vtiliſsimi, atque fructuosissimi operarij fiant.

Iacob. 3.

Paulin.

Matth. 20. Circa vndecimam verò exijt, & inuenit alios stantes, & dixit illis; Quid hìc statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam.

§. VIII.

Otiosus est, & prorsùs infrugifer, qui solis præsentibus rebus immoratur.

MEritò otiositatis, & inutilitatis accusantur, qui hìc stant, hoc est, qui solis huius vitæ præsentis rebus innituntur, & parum, aut nihil de venturis, & longè positis comminiscuntur. Genes. 18. de Abrahamo dicit: *Apparuit autè ei Dominus in conuallè Mambre sedenti in ostio tabernaculi, in ipso feruore diei. Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propè eum, quos cùm vidisset, occurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi.* Otiosissimâ vitam ostendit senis Abraham sedentis ad ostium tabernaculi sui; sic nihil aliud agit, quàm sedere in tabernaculi ostio vir bonus? Quid otiosius? Sanè vnũ agebat, quod solùm vniuersa abigit otia; ait enim textus, *Cumque eleuasset oculos, &c.* Non fixis oculis in terra præsenti herebat, quin potiùs eleuabat oculos, vt vel longè à se dissitos perspicere posset, quo solo etiam si nil aliud ageret, minimè erat otiosus: quippè ait D. Ambros. lib. de Abrah. cap. 5. *Respiciens, inquit, oculis vidit, &c. Non otiosus sedet, qui longè aspicit.* Satis vtilè, & fructuosam vitam agit, qui longè posita respicit, & oculos eleuat, vt ventura sæcula timetur. Qui nihil de futuris, nihil de longè positis curat, præsentibus solis intentus, & immersus, is otiosus prorsus est, nihilque operis humani exercet, sed ad belluinam desidiam deflectit. Ioel cap. 1. locutus de infructuositate, & desidia hominum huius præsentis vitæ amatorum, ait: *Computruerunt iumenta in stercore suo: demolita sunt horrea: dissipatæ sunt apothecæ: quoniam confusum est triticum. Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? Quia non est pascua eis.* Nihil humanum, nihil operosum in his videre licet; iumenta sunt, armenta sunt, nihil aliud agentia, quàm sedere in stercore suo, & ibi torpentia computrescere, & cùm nec pedem inde moueãt, mugitus, & clamores edunt. Cuiusmodi hæc turpissima, & infructuosissima vita est? An solius armenti? imò & hominis nil aliud spectantis, quàm hæc præsentia, & super hæc incumbentis, & putrescentis. Pulchrè ait Rupert. ibi: *Brutis animalibus,*

Gen. 18.

Ambr.

Ioel. 1.

Rupert.

libus, & gregibus armenti similes eos vult haberi, quamuis homines sint, qui ingemiscere nesciunt, nisi pro penuria tibi, nullum habentes dolorem de peccatis suis, & solum esse miserum, siue dolendum reputantes, si ventri quippiam desit. Qui oculos non habent, vt videant à sensibus remota, vt longè posita, sed tamen instantia animæ mala prospiciant; sed toti sunt in præsentibus, ij licèt homines sint, nihil distant à bruto torpente, & armento sedente, & putrescente in stercore suo. Propone tibi ob oculos ingentem bouem putri fœno incubantem, ibique insidentem, & macellum expectantem, cùm in otio sagina creuerit. Huic similis est homo, qui de solis his sensibilibus bonis curat, nihilq; aliud æstimat, nisi hæc, quæ à Paulo reputantur stercora, inter quæ sedet totus inutilis, & infructuosus, nisi vt maiorem faciat putri materiam. Aiebat Eccles. 1. *Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub Sole?* Syrus legit: *Quæ vtilitas filio hominis, &c.* Quasi enim inutilis, & prorsus truncus hæret homo, qui nihil aspicit ex ijs, quæ sunt in venturo sæculo, & supra Solem. Id quod notat ibi D. Gregor. Neocæsar. inquiens: *Nemo est, qui vtilitatem vllam ijs annexam dicere possit, quæ homines humi reptantes perficere contendunt rebus caducis, et temporarijs addicti, supra sydera autem generoso animæ oculo ne tantillum quidem aspicere valentes.* A qua otiositate, & sterilitate ille alienus est solus, qui longè posita spectat, & pro futuro sollicitatur sæculo. Hinc apud Oseam, cap. 14. ait Dominus: *Ephraim quid mihi vltra idola? Ego exaudiam, & dirigam eũ ego vt abietem virentẽ: ex me fructus tuus inuentus est*, vbi noster posuit, *vt abietem.* Posuere Septuag *iuniperum*: & ponderandum venit, vndè nascatur, quòd Deus Ephraimum fructificum faciat, dum ait, *ex me fructus tuus*. Vndè ab Ephraimo fructus? Ibi exprimit Dominus, dum ait: *Dirigam eum ego vt iuniperum virentem.* Homo enim qui velut iuniperus surgit, virès frondibus, quibus arceat æstus; spinis scatens, quibus pro futuro sæculo sollicitetur; is fructifer est, ingentique fructuum abundantia plenus. Theophilactus apud Delrium nostrum in adagijs, tomo. 1. ait: *Iuniperus arbor est densa, densos habens ramos, semper virens, & quæ comam habeat spinosam. Ait ergo Dominus: Sic te ornabo densis ramis, & protegam meo auxilio, vt tu viuas sub auxilio meo, & protectione Dei cœli: spina verò omninò est ei qui secundùm Deum volet viuere, et sic necesse est ei vita aspera, quæ pungat cura iudicij postremi.* Quæ iuniperus habet ornamenta à virētibus foliis, ab spinis, hæc habeat Christianus homo, qui frugis cupit esse, & fructibus abundare; exurgat licèt velut arbor procera, & pulchra, habeat tamen spinas, quibus minimè dormire sinatur, sed magis vrgeatur sollicitudine de ventura vita, de futuro iudicio, & fructuum abundabit copia, multasque ex Deo mercedes recipiet. Elias fugiebat Iezabelem. 3. Reg. 19. *Cumque venisset, & sederet subter vnã iuniperum, petiit animæ suæ, vt moreretur, & ait: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam; neque enim melior sum, quàm patres mei. Proiecitque se, & obdormiuit in vmbra iuniperi. Et ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. Respexit, & ecce ad caput subcineritius panis, &c.* Dormienti, imò stertenti parat Angelus cibum, & vbi est illa Apostolica lex. 2. ad Thessalon. 3. *Quoniam si quis nõ vult operari, non manducet.* Et quis magis ab operibus desistit, & otiosus vult esse, quam qui se somno tradit? Cur ergo Angelus cibum parat sic otianti, sic dormienti, sic stertenti? Meritò non putat otiantem quem dormire cernit in vmbra iuniperi, eius spinis sic transfixum, vt præ oculis habeat futuram vitam, illamque vehementissimè cupiat, omnia præsentia fastidiens, petens animę suæ, vt præsentẽ hanc vitam finiat. Non equidem otiosus dormit, qui longè aspicit, præ oculisque habet futuram uitam.

Eccl. 1.

Gregor. Neoc.

Osea 14

Theoph.

3. Reg. 19.

2. The. 3.

§. IX.

Miserum homini, quòd nullo salutis æternæ profectu sese laboribus conficiat.

QVàm miserũ est homini, quòd nec sedere liceat, sed tota die cogatur stare, & hoc sine vllo profectu, sine vllo salutis æternæ fructu? Sic quasi summam horũ operariorũ miseriam illis obiciens, ait Dominus: *Quid statis tota die otiosi?* Et quidem valdè miserum est homini, sic tota die stare, vt numquam sedere liceat, Daniel, cap. 7. dum quatuor potentissimos Reges ob miseram fortunam venturos sub quatuor bestiarum figuris, & nominibus repræsentaret, ait de primo. *Prima quidem leæna, & alas habebat aquilæ* aspi-

Dan. 7.

aspiciebam, donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit. Ecce tibi potentissima bellua, regium leonum ingenium habens; imò & aquilarum pennas, quibus sese extollat in altum, & pro libito prædas faciat, in quantam deuenit calamitatem. Euulsæ sunt alæ eius, à throno eiecta est, & quæ postrema est miseria, *super pedes quasi homo stetit.* Et meritò quasi summum malum de illa dicitur, quòd nec ei sedere liceat, nec ambulando proficere, sed quòd sine requie, sine fructu vllo salutis stet supra pedes suos, se inutiliter cõficiens. Ait Richard. Victor. lib. 3. de erudition. homil. part. 1. cap. 7. *Iam non volat in summis, sed ambulat in imis; imò iam non ambulat, sed stat, qui amorem, et spem proficiendi amisit. Nõ autem iacet, sed stat, vt numquam requiescat. Assiduè ergo stat, quia sine intermissione laborat. Pedes sine incessu fatigat, sine fructu laborat.* Quid miserius? Requiẽ ableganat, vt nec sedere liceat, assiduum laborem assumunt, continua fatigatione conteruntur, nec vllum veræ vtilis, veræq; salutis percipiunt fructum. Hos pungebat Dominus, Isaiæ cap. 55. aiens: *Quare appenditis argentum, & non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate?* Ad summam equidem miseriam pertinet, quòd inter summos labores, inter largissimos sũptus vacuus maneas, omni fructu, & emolumento vero frustratus. Labores ij adeò dedecent hominem, vt magis videantur esse labores belluarum, vt dicat Ecclesiastes, cap. 10. *Labor stultorum affliget eos, qui nescisunt in vrbem pergere.* In rem præsentem expressiùs Syrus: *Labor stultorum defatigat eos, quia ignorauerunt ire in ciuitatem.* Inde belluina, & stulta defatigatio est, quia inter laborandum nec gradum faciunt, quo cœlesti approximent ciuitati. Qui sic infructuosè laborat, sui similem habet pœnam. Matth. 18. *Expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, &c.* Homo enim qui sine spectatione salutaris, cœlestisque lucri laborat, & ipse est asinus ligatus ad molam, cuius pondere tàm ipse, quàm triticum conteritur, nec vllam inde vtilitatem capit. Nõ sunt ij in labore hominum, sed iumentorum, & nõ cum hominibus, sed cum iumentis flagellantur. Quò respiciens Chrysolo. serm. 27. ait: *Benè ergo illi, sicut alibi, dixit, vt mola asinaria colligetur collo eius, & inde sumat pœnam, vndè sumpsit et sensum, et exæquetur iumentis insipientibus, qui noluit hominibus superna sapientibus comparari.* Qui nihil vltra sensum iumentorum cogitant, nec vllum ex laboribus fructum salutis æternæ respiciunt, miserè tamquam iumenta molæ illigata conteruntur. Vide dicta tom. 2. lib. 6. cap. 7. §. 7.

Richar. Victor.

Isai. 55.

Eccl. 10.

Matth. 18

Chrysol.

§. X.

Vita terrenis curis immersa, quò diuturnior, eò miserabilior.

SIc objicit Dominus ijs operarijs, quòd stent tota die extra Dei vineam, quasi illis obijciat rem & calamitosam, & penè incomportabilem, qua terreantur. Et quidem longa in præsenti statio, calamitosa est, & miserabilis ijs, qui solis immergũtur rebus sæcularibus, qui pro beneficio habere debẽt, quòd citiùs inde abripiantur. Eccles. 1. *Generatio præterit, generatio aduenit; terra autem in perpetuũ stat. Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans vniuersa in circuitu, pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur. Omnia flumina intrant mare, & mare non redundat: ad locũ, vndè exeunt, flumina reuertuntur, &c.* Ecce vobis, inter tot deficientes naturas, de sola terra dicitur, quòd in se perpetuũ stat; si pulcherrimi omnium mixti spectetur natiuitas, sanè sepulchrum sequitur pulcherrimorum incunabula; ait enim: *Generatio præterit, generatio aduenit*, vt priùs omniũ occasus, quàm ortus appareat. Idque non solùm in mixtis videre licet, sed in pulcherrimis elementis. Sole quid pulchrius? Quid splendidius aqua? Sed & vocalissimi riuuli, & splendidissima flumina immensum maris gurgitem pro sepulchro habent, à quo glutiuntur: & pulcherrimus Sol quoties ortum ascendit, labitur in occasum. Inter hæc Solis, & fluminum, & omnium pulchritudinum funera, *terra autem in perpetuum stat*, Quanta hæc dignitas terræ supra omnes? Imò quanta hæc infra omnes terræ indignitas? Quæ pulchriora sunt in sæculo, celerem finem pro beneficio habent, ne diutiùs cogantur inter sæculares labores suspirare: quę autem vilior, & ponderosior est, suæ vtilitatis patitur damna, & condemnationem, dum diuturniorem permanentiam, & stationẽ habet. D. Nissen. homil. 1. in Eccles. *Terra, quæ vt stet, est condemnata, manet in stabili*

Eccl. 1.

Nissen.

bili immobilis. Non beneficium, sed supplicium, sed condemnatio est terræ, quòd diutiùs stet. Condemnatio est equidè hominis terreni, & nihil præter terram cogitantis, quòd longa die, quòd longo tempore stet. Nec putes, paradoxū esse Christianum, quòd terrenam diuturnitatē instar supplicij, & condemnationis habeat; sic & illam habuere Philosophi Ethnici. De diuitiarum terrenarum custode, & præposito locutus Lucianus aiebat.

Et Rector terræ, quem longa insæcula torquet
Mors dilata Deum.

Nec miror, quòd terrenis curis immersum diuturnior vita torqueat, quando sunt, qui hanc diuturnitatem, nescio, quē gustum, seu imaginem putent esse tormentorum, quibus plectuntur sontes apud infernum. Aiebat Dauid, Psalm. 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Notanter dixit, *ex inferno inferiori*; quasi duos statuat esse infernos, alius superior, alius inferior. In hoc damnati post mortem plectuntur, in illo, & in vita hac homines terreni miserabiliter dolēt. Remigius ait: *Est infernus superior, & est inferior. Vita enim ista, quantùm ad dignitatem illam, in qua sunt Angeli, infernus superior dici potest; sed infernus inferior, pœna, quæ consequitur post hanc vitam.* Quis non horreat vitam, quæ potest comparari inferno damnatorū? Sapienter iam dictum puta, quòd terreni homines condemnantur, vt stent, vt viuant: cuius vitæ diuturnitatem non donum, sed tormentum, & damnationem æstimabat Amasia illa Iouis Iuturna, apud Virgil. Aeneid. 6. aiens:

Quō vitam dedit æternam? Cur mortis adempta est
Conditio? Possem tantos finire dolores.
Nunc certe & misero fratri comes ire per vmbras
Iam mortalis ego.

Nec meliùs de diuturnitate vitæ sentire potest, quisquis illam immersam terrenis curis, & ærumnis sentit. Vndè sapientiùs Iob, cap. 14. conditorem humanæ vitæ extollens, huius breuitatem, & ærumnarum plenitudinem simul ponit; ait enim: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs*; non equidem adeò benè actum esset cum homine, si longior fuisset vita, quæ tot ærumnas in se colligit. Quapropter bonus ille senex, qui oculis carneis visurus erat natum Dominum, sic sustinuit vitam, vt fideliū animæ sustinent carcerem, & ignem purgatorij, ex quo purificatæ transeant ad Dei visionem: quippè ait Luc. 2. *Nunc dimittis seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Expende illud, *Nunc dimittis*, vbi D. Ambros. lib. de bono mortis, cap. 2. *Ita dimitti petit, quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret.* Itaque vita illa terrena carcer erat, catena erat, infernus erat, in quo purgante ignē præparabatur, vt videret Dominum. Huc reuoco dicta. 1. tomo. lib. 3. cap. 9. §. 7. tom. 2. lib. 12. §. 15. & alibi.

§. XI.

Quò diutiùs hæres terrenis bonis, eò inuenies ea proximiora nihilo.

QVi serò in vineam vocantur, à nemine se conductos fatentur; & quidem terreni homines, vitijsque seruientes verissimè à Paulo dicuntur *venundati sub peccato.* Cur ergo, si venundati sunt, emptorem, imò conductorem se habere negant? Sanè post integrū diem seruitutis sapienter confitentur conductorē suum neminem esse; quibus enim seruiūt carnales homines, nihil sunt, & tunc nihilo proximiora apparent, cùm diutiùs illis homines inhæret. Hinc est, quòd otiosi illi, qui hora tertia vocantur, non dicunt, se esse conductos à nemine, adhuc putabant, aliquid esse boni in rebus illis sensibilibus, quibus tunc primùm seruire incipiebant: at qui post horam vndecimam, post consumptam penè ætatem vocātur, ij meritò, vt diutiùs reb⁹ sensibilibus sunt immorati, sic certiùs conductorem suum neminem esse inueniunt, & nihil in huiusmodi rebus esse substantiæ. Eccles. cap. 1. *Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, qui laborat sub Sole?* Meritò non conuenit eos, qui sub lucenti aurora solùm laborarunt, ij forsan sibi persuadebunt, aliquid lucri, & boni esse in diuitijs, in voluptate; sed sapienter conuenit eos, qui integrum Solis cursum in labore peregerūt, quos à longo, & diutino labore reuocat vitæ occasus. Ait Hugo: *Qui dixit, sub Sole, idem est, ac si dixisset, sub tēpore:* veniant ergo huc, qui longum peregerūt

tempus

tempus, inseruiendo voluptati, & creaturæ sensibili, quid inde lucri, quid receperunt substantiæ? Sanè ab ijs necessum est, cognosci, omnia hæc sensibilia & nihil esse, & omni vtilitate vacua. Ex quo præclarè infert Diu. Nissenus, homil. 1. in Eccl. *Quoniam ergo est temporaria, & quæ mox interit, sensuum operatio, per sublimẽ hanc vocem, hoc dicamus, quòd qui ad hæc aspicit, nihil aspicit.* Hoc vnum inuenies in vniuersis bonis sensibilibus, post longa in eorum seruitute tẽpora exanthlata, quod de illis possis prædicare, nimirùm illa omni prorsus carere substantia, & vtilitate. Protrahentium tempora in vitijs, & concupiscentijs ingenium, & confessionem pulchrè depingit Isaias, capit. 28. aiens ex illorum nomine: *Manda, remanda; expecta, reexpecta; expecta, reexpecta; modicum ibi, modicum ibi.* Ecce carnalium hominũ ingenium totum positũ in dilatando tempore seruiendi suis cupiditatibus; non enim cupiunt solùm expectari, vt ab illis se excutiant, sed & reexpectari, & iterùm, & bis, & sæpè reexpectari: & cur tàm longam, & prolixam expectationem faciunt? Ipsi aiunt, *Modicum ibi, modicũ ibi.* Quò plura tẽpora consumunt in pascendis sensibus, eò minora omnia illorum bona esse inueniunt. Ait Richard. Victorin. datus à Delrio nostro in adag. *Certè ad satiandum desiderium suum, totũ huius vitæ spatium videtur carnali menti per modicum. Et de eiusmodi anima, quæ modò in vno vitio, modò in altero multa tempora expendit, totumque tamen velut momentaneum reputat; quid, quæso, aliud in diuinæ patientiæ aure, quàm modicum ibi, modicum ibi, resonat?* Post multa tempora in carnali vita consumpta, hoc vnum in ore carnali resonat, nimirùm, *modicum ibi, modicum ibi*: nihil enim est in rebus sensibilibus, quòd modicum, & inane longa experientia nõ sentiat. Iob cap. 29. *Dicebam, In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos.* Vbi à vulgata posita *palma* est, alij ex proprietate vocis originalis *arenã* posuere, vt dicat Iob. *Et sicut arena multiplicabo dies meos*: & meritò vbi dierum longa multiplicatio asseritur, eò deducitur vox similitudinis, vt non solùm palmam, sed & simul significet arenam. Quã enim mundialem gloriam longi anni nõ videant in arenam inutilem, & infrugiferam conuersam? Diu. Nissen. homil. 1. in Eccl. *Omne studium hominum, quod versatur in ijs, quæ ad vitam carnalem pertinent, est planè puerorum ludus in arena, hoc est, humana vita, arena est ambitio, arena est potentia, arena diuitiæ, arena est, quidquid est.* Hoc penitùs callebant illi, qui aiebant Sap. 2. *Vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter*: diutior enim creaturarum vsus nihil in illis inuenit, nisi arenam.

Nissen.

Isai. 28.

Ric. Vic.

Iob. 29.

Nissen.

Matth. 20. Cùm serò autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos. Cùm venissent ergo, qui circa vndecimam horam venerant, accepe runt singulos denarios.

§. XII.

Vt salus inueterati criminis primas tenet in triumpho de peccatis.

QVi diutiùs otio stabant torpentes, & vix tandem ad Dei vineam serè ceperunt, ij primi iubentur salutis mercedem accipere: & meritò ij primi donantur salute, quando in eis saluandis & difficilius, & summæ Dei potentiæ opus extenditur. Quò enim difficilius est opus, eò illud in primis Dominus aggreditur. Ait Paulus. 1. ad Thessal. cap. 4. *Et nos, qui viuimus, qui residui sumus, non præueniemus eos, qui dormierunt: quoniam ipse Dominus in iussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cælo: et mortui, qui in Christo sunt, resurgẽt primi. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis, in nubibus obuiã Christo.* In Christi aduentu futuro omnia sanctorum corpora glorificanda sunt; sic vt corpora sanctorum mortuorum simul à sepulchris eruenda, & in gloriam trãsmutanda sint: corpora autẽ sanctorum, qui tunc viui inuenientur, vt multorũ fert sententia, solũ in gloriam sunt transmutanda. Sed dubiũ esse poterat de singulorum corporum glorificatione, vter chorus illorum primus in gloriam transmutabitur, an chorus mortuorum, an chorus adhuc tũc viuentium? Dubium absoluit Apostolus, dicens: *Nos, qui*

1. Thes. 4

qui viuimus, non præueniemus eos, qui dormierunt: quinimò, *mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, deinde nos ſimul rapiemur*. Cuius rationem pulchram inuenit Imperfectus in eo, quòd maius, & præſtantius Dei opus ſit, ſuſcitare, & glorificare ſimul mortuorum corpora, quàm viuorum corpora ſolùm tranſmutare in gloriam, & ideò illud in primis oſtendendũ, quia maius, & præſtantius; quippè ait homil. 34 in Matth. *Magis ſecundùm rem erat, vt priùs viuentes immutarentur, poſteà mortui reſurgerent incorrupti. Sed quia in conuertendis viuentibus vna eſt virtus, hoc ſolum, quòd ad immortalitatem mutantur: quòd autem mortui incorrupti inſurgant, duo ſunt opera: primò, quia reſurgent; ſecundò quia incorrupti reſurgunt. Ergo vt oſtẽdat Deus inæſtimabilem potentiã ſuam, quando (quod difficillimum eſt) mortuos ſuſcitat incorruptos, poſteà viuentes immutat.* Quod difficillimum eſt, & maiorem requirit poteſtatem diuinam, hoc in primis opus aggreditur Deus, & hoc oſtendit exemplum ſuorum facinorum. Et quidem magis ſecundùm rem erat, quòd qui venerunt in Dei vineam nouiſsimi, & etiam nouiſsimi mercedẽ reciperent ſalutis. Sed quia difficillimum eſt, quòd qui adeò ſerò peccatis deſiſtunt, aliquam poſſint obtinere ſalutem, vt oſtendat Deus inęſtimabilem potentiam ſuam, in primis aggreditur, & oſtendit difficillimum, & nouiſsimos ſalutis mercede remunerat. Sic vt verbi diuini potentiſsima virtus oſtenderetur, dicitur Ionę, cap. 3. *Et cæpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Et crediderũt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis â maiori vſque ad minorem*: primos propoſuit maiores natu ad pœnitentiam cõuerſos, in quibus maior oſtendebatur diuini verbi potentia, valens etiam triumphare deijs, qui in peccatis adoleuerũt. Compone modò Petrum cum beato latrone: Petrus cupiebat cum Ieſu & in carcerem, & in mortem ire, & omnium primus intrare regnum illius; & meritò quando & ipſe fuit vnus è primis, qui ſecutus fuerat Chriſtum. Petro tamen hęc cupienti ait Dominus, Ioã. 13. *Non potes me modò ſequi, ſequeris autem poſteà*. Latro autem, qui nuſquam vineæ Chriſtianæ labores, nec operas viderat, acceſsit tamen in tempore vindemię, quando botrus cypri Ieſu ſub prælo exprimebatur crucis; & vix diuino liquore tota crucis torcularia exũdare vidit, & cũ Ieſu in cœleſtẽ petijt intrare paradiſum. Quid tunc? Ait illi Ieſus, Luc 23. *Hodiè mecum eris in paradiſo*. Expende modò verba latroni, & Petro data; Petro dicitur, non modò, ſed ſequeris poſteà; latroni autem, non poſteà, ſed hodiè, ſed modò. Pulchrè id expendit D. Maxim. homil. 8. de ſancto latrone, aiens: *Petro dicitur â Chriſto: Non potes me modò ſequi, ſequeris poſteà. Et huic dicitur: Hodiè mecum eris in paradiſo. Tanquam diſcipulus ille differtur, & hic tanquam ſocius inuitatur. Ille adhuc reſeruatur ad præmium, etiam ad conſortium iſte deligitur. Non in aliud differtur tempus, non in diem alteram reſeruatur. Cur tantorum criminum inueteratus latro, & ſcelerum ſuorum confeßione damnatus paradiſum in ipſo patibulo potuit promereri, & tanta fuit celeritate ſaluatus?* Equidem quò magis criminibus erat inueteratus, eò eius ſalus difficilius erat Saluatoris opus: inde venit, quòd in triumpho Chriſtiano de peccatis, qualis fiebat in cruce, in primis oſtenderetur ſalute donatus ille, cuius ſal'eô difficilior, quô diu turnior fuerat infirmitas peccati. Ab hac ſententia videtur ſtare Diu. Chryſoſtom. ſerm. de latrone: *Quid ais, ô Chriſte; Cruci fixus es, & paradiſum tâm facilè polliceris? Volo, inquit, vt in cruce poßint meam omnes inuenire virtutem, vt in ligno mea largitas demonſtretur. Et quoniam crux dedecoris erat ſignũ; crucis infamiam mirandis beneficijs decoraui, & ex hoc magis, magiſque virtutes eius oſtenduntur. Non enim illo tempore mortuum aliquem reddidit luci, nec mare â ſuo tumore compeſcuit, nec expulit dæmones, ſed latronis auerſam mentem valuit commutare, vt ex omni parte eius diuinitas ſentiretur.* Oſtendatur in primis ſalute donatus ille, in cuius ſalutis acquiſitione & diuinitas Saluatoris apparet clarior, & potentia maior. Vt difficilius eſt opus Dei, & potentius, & præſtantius, ſalus hominis inueterati in criminibus, ſic opus hoc primas debet tenere in triumpho Chriſtiano.

Imperf. Ioan. 3. Ioan. 13 Max. Chryſoſt.

§. XIII.

Quò quis plus de ſuo ex Dei gratia præſtat, eò magis mercedem operis adauget.

NOn abnuo ad mercedis cumulũ maiorem pertinuiſſe, quòd nouiſsimi operа-

operarij in primis, cæteris spectantibus, & expectantibus mercedem caperent. Et vndè illis aduenit merces auctior? Sanè labor forsan omnibus fuit æqualis, licèt dispar tempus: sed disparem modum operãdi inuenio in illis, in quo excedunt nouissimi operarij: qui enim primi vocantur, non anteà in viam pergunt, quàm post pactam mercedem à Deo missi sunt, quasi Deus illos, velut mercedis, & præmij brachijs portaret; at qui nouissimi venerunt, nullo mercedis fulcro accepto, necdum audito, ipsi de se, de suoque ingenio, & liberali animo gratia vocationis tracto in vineam vadunt. Et cur, qui de suo magis offerunt, non illis respondeat merces auctior? Cùm Israelitæ de Ægypto profectionem parant, conuiuia ex Dei oraculo celebrant, in quibus iubentur agnum anniculũ vorare. Sic habes Exod. 12. *Tollat vnusquisque agnum per familias, et domos suos*: ab integra familia agnus iubetur tolli, & manducari: sed pro reuertenti filio ad patrem, Luc. 15. non agnus, sed vitulus saginatus mactatur: quippè ait: *Adducite vitulum saginatum, et manducemus, et epulemur, quia filius meus mortuus erat, et reuixit.* Illis agnus permittitur, huic vitulus saginatus datur: & cur huius conuiuium maius, & præstantius? Cur quando illi accipiunt agnum, hic vitulum saginatum meretur accipere à patre? Ambo in seruitute fuerant, ambo captiui; ambo miseram seruitutem dimittunt, vt sub Dei Patris viuant vmbraculis. Cur in tam pari obsequio tam dispar conuiuium illis paratur, vt alter agno, alter vitulo saginato vescatur? Vide disparem modum proficiscendi vtriusque. De Israelitis ait Deutheron. cap. 32. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* De filio prodigo ait Lucas, cap. 15. *Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccaui in cœlũ, et coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Et surgens venit ad patrem suum.* Illi pergebant, sed ingentis mercedis spe tracti, imò quasi humeris patris portati: hic non portatus vadit, sed ipse pedibus suis, de vocantis tamen beneficio, iter agebat; inde est, quòd auctiorem mercedem capit. Ait Ruricius Episc. lib. 1. epist. 1. *Datur etiam ipsi iuniori vitulus reuerso, qui seniori agnus datus fuerat ex Ægypto profecturo; quia ipse educit ex Ægypto pater.* Vbi totum est gratiæ diuinæ, & parum, aut nihil laboris humani, nõ adeò debuit esse merces aucta, quam auctiorem accepit, qui ex gratia Dei multum laboris humani præ se habuit. De sanctorum puerorũ martyrio locutus Hierem. 31. ait: *Vox in Rhama audita est, ploratus, et vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.* Et meritò sanctis occisis pulcherrima Rachel datur, quæ eorum honoret funus lachrymis suis. De Christi autem palmitibus, nimirum sanctis martyribus Christianis locutus Iob, cap. 8. ait: *Super aceruum petrarum radices eius densabuntur, et inter lapides commorabitur. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, et dicet, non noui te. Hæc est enim lætitia viæ eius, &c.* Non in lachrymis, non in luctu, sed in lætitia, & exultatione absorbentur à morte martyres Christi. Et cur Ecclesiæ Christianæ martyres celebrãtur hymnis, & cantibus, & lætitia; sancti illi pueri non sine lachrymis, & luctibus pro Christo honorantur occisi? Ij totum habuerunt ex diuina gratia, nihil suum, inde minorem honorem recipiunt, vt qui cõstet funereis luctibus; at nobiles Ecclesiæ palmites vt ex gratia Dei multum impenderunt sui laboris, sic & lætiores, & præstantiores obtinent triumphos. Pulchrè ad hæc Galliæ martyres extollit Eusebius Gallicanus, homil. de sancta Blandina, inquiens: *Legimus in Bethlehem ab Herode millia fœlicium extincta esse puerorum, dicente Propheta: Rachel plorat filios suos, et noluit consolari, quia non sunt. Hæc autem beata parens* (nempè Gallia) *etsi ad momentum orbari visa est, non plorat filios suos, quia dum perderet, acquisiuit. O Bethleem, in martyrum titulis, tu fortè numero præcedas, ego merito, in tuis interfectio fuit, confessio non fuit. Tu in sanguine paruulorum potuisti videre pereuntes, non potuisti spectare triumphantes: te coronauit innocentia morientium, me gloria triumphãtium.* His vocibus suorum martyrum glorias extollebat Gallia; vt enim in illis plus cernebatur humani laboris ex Dei gratia, quàm in pueris Bethleemiticis, sic & in illis triumphus maior. Id quod etiã in præsenti de suis martyribus potest Ecclesia Iapponia prædicare, quos vt videt pro Christi vite plantanda, & colenda immensè sudare, nec tot externis miraculis recreari, sic in illis gloriosissimas coronas auspicatur.

Exo. 12.

Luc. 15.

Deut. 32.

Luc. 15.

Hier. 31.

Iob. 8.

Euseb. Gallic.

Matth. 20.

Matth. 20. Venientes autem & primi arbitrati sunt, quòd plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant aduersus patrem familias, dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus?

§. XIIII.

Cœlestis præmij vicinitas labores humanos vel omninò tollit, vel valdè minuit.

DE nouissimis operarijs in vinea Domini laborantibus locuti, dicunt, quòd *vna hora fecerunt*, non dicunt, quòd *vna hora laborarunt*: & cur laborandi verbum effugiunt, & libentiùs faciendi verbum assumunt? Meritò de his, qui appropinquante iam tempore retributionis, in vltima hora cõstituti operi incumbebant, non dicitur, quòd laborassent; vicinitas enim cœlestis præmij vniuersos labores vel penitùs absumit, vel valdè minuit. Quis enim laborosior, quam latro ille suffixus cruci iuxta Filium Dei crucifixum? Et tamen quia manibus Domini in cruce extensis retributuris paradisum proximus erat, meritò putatur nullos iam labores pertulisse. De illo ait D. Maximus, *Maxi.* serm. de latrone, & Petro, &c. *Peccata latronis gratia præuenit, antequam pœna, & priùs in malis suis gloriari cœpit, quàm puniri. Non enim patitur supplicium, dum paradisum promeretur.* Sic vicinus iam paradisus omnes labores ablegauerat, vt magis bonus latro videretur gloriari, quàm puniri; magis putaretur lumine gloriæ vestiri, quàm mortis caligine. An non quasi lumen gloriæ, quo Deum in patibulo intuebatur, confitetur? Ait Diu. Augustinus *Augusti.* serm. 120. de tempore: *Apostolis post diuina miracula desperantibus solus hic non acquiescit scandalo crucis, & mortis. Solus hic testis est maiestatis, qui socius probatur doloris. Et ideò adhuc in latrocinijs positus, inuisibilem Deum Angelicis iam oculis vi-*

det. Non tàm de fidei nubilis, quàm de Solis radijs videbatur fœlix hic latro viuere; diceres nouum hunc Prometheum de cœlesti lumine aliquid surripuisse, quo magis in patibulo glorioſus splendescere videretur, quàm reus puniri? Sic labores vniuersi euanent, vbi adest glorioſi regni vicinitas: pro quo ostendendo hæc erat huius beati latronis ad Iesum vox prima, Luc. 23. *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Circa quæ verba pulchrè Eusebius Gallicanus, homil. de latrone beato, inquit: *Memento, inquit, mei; glorioſa voce præsentes temperat cruciatus. Temperat, diximus, quia etsi pœna cœperit in latrone, nouo genere cõsummatur in martyre: de ligno crucis clamat, sed iam tempora media retributionis absentat.* Qui cruciatus, qui labores non temperantur, imò nõ potiùs disparent, vbi illis cernitur respondere gloria martyrij, & hoc tempore dilationis in retributione abrupto? Sanè vbi temporales dilationes cœlestis mercedis absentantur, nouam temperiem, imò nouam suauitatem, & dulcedinem cruciatus, & labores induunt, qua labores ipsi videantur esse delitiæ. Discipulis suis metum laborum in prædicatione erepturus ait Dominus, Ioann. 4. *Ego misi vos metere, quod vos non laborastis: alij laborauerũt, vos in labores eorum introijstis.* Qua metaphora ostendit Deus, quàm absorbeat labores omnes præsens iam fructus: quippè labores non in Apostolis dicũtur esse, sed in antiquis Prophetis, vt sunt labores in seminatoribus frugum, non in messoribus. At cur solùm labores putantur esse in seminatoribus? Nonne & qui metunt, laborant, & æstus pondus sustinent? Nonne & Apostoli, etiamsi messores erant, laborabant, cùm cruciabantur, secabantur, torrebantur? Sanè & ij laborens erant in messoribus? Absit; seminatio sola est laboriosa, quæ longa fatigatur expectatione; messis autem non potest habere labores, vt cui adsit iam largissimus fructus operis. Ait Hugo Cardin. in præsenti. *In messe facilitas est, et securitas, et iucunditas de præsentia fructus. In semine autem multus labor diutina expectatio.* Mercedis, fructusque præsentia, & vicinitas neminem finit laborare, imò labores omnes conuertit in festa, in iucunditates. Huc reuoca dicta. 3. tom. lib. 14. cap. 3. §. 19.

Luc. 23.

Euseb. Gallic.

Ioan. 4.

Hugo.

§. XV.

Summa est de viro iusto prædicatio, quòd videatur prioribus æqualis.

NOn silentio prętereundum est, quò nouissimorum operariorum præstantissimus labor peruenerit, nimirùm, quòd primorum labori videatur æqualis; quippè ad Dei cum illis liberalitatem summè exaggerandam aiunt primi: *Et pares illos nobis fecisti*. Et quidem potuisset nouissimorum superior esse labor, & superiores coronas ex Deo reportare; cur non potiùs de superiori virtute prædicantur? Absit hoc inter viros sapientes, & sanctos, quòd nouissimi diei permittantur superiores, satis est ad summam horũ commendationem, quòd prioribus dicantur æquales. Hanc euidentissimam modestiam sapientissimis viris propriam nouit etiam Ethnica philosophia; sic ait Seneca, lib. 11. epist. 80. *Iam cupis grande aliquid, et par prioribus scribere. Plùs enim spe rare modestia tua tibi non permittit, quæ tanta in te est, vt videaris mihi retractaturus ingenij tui vires, si vincendi periculum sit, tanta tibi priorum reuerentia est. Inter cætera hoc habet bonum sapientia. Nemo ab alterno potest vinci, nisi dum ascenditur, dum ad summum peruenerit, paria sunt.* Caueant, qui de sapientia, aut iustitia amant prædicari, quòd se super primos ament extolli; summa hæc est in præsenti sapientis, & iusti viri prædicatio, quòd par prioribus habeatur. Quàm etiam regulam similiter Dominus obseruauit, Matthæi capit. 11. dum in præcursoris sui Ioannis exigit laudes. De illo enim ait: *Inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne Baptista.* Ioannem comparat cum priorum iustorum choro, & hoc studet, vt nullus maior appareat, sed omnes videantur æquales. Fatur Hieronym. ibi: *Non cæteris Prophetis, & Patriarchis, cunctisque hominibus Ioannem prætulit; sed cæteris Ioannem exæquauit. Non enim statim sequitur, vt si alij maiores non sunt, ille maior aliorum sit: verùm vt æqualitatem cum cæteris sanctis habeat.* Quidquid sit de intrinseco, & occulto meritorum excessu, aliquis maior potest esse, & maximus, at in ordine ad externam in hac vita prædicationem, summum est, quod aliquis prioribus dicatur æqualis. Non multum ab his distant alibi tradita, præcipuè 1. tom. lib. 2. cap. 7. §. 3.

Seneca.

Matt. 11

Hieron

§. XVI.

Minimè solidum est præcellentiæ fulcrum, quod à solo temporis excessu sumitur.

QVàm familiare est hominibus, vnam temporis longæuitatem prætendere, qua in omnibus vincant, tàm familiare est Deo, nullum ibi firmum excellentiæ fulcrum constituere, sed solam operum, facinorumque qualitatem respicere. Toti in temporis longæuitate erant, qui queruli in præsenti repræsentantur apud Deum, dicentes: *Ij nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, et æstus.* Nihil minùs inueniunt in nouissimis, quã tempus; nihil pro se magis proponunt, quàm tempus idem. Tempori tota nititur humana præsumptio; fœlicior ille est, qui non tempori, sed operibus, sed facinoribus nititur. Fœlicitatem auguraturus Ioseph filijs Iacob, Geneseos. 48. *Extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat.* Et sanè omnia sibi dextra promittebat Manasses per excessum ætatis; imò ex hoc capite omnia illi dextra deberi putabat Ioseph pater; sed Deus ostendit, quàm vana, & infirma sit præsumptio in sola longæuitate fundata, fœlicitatem benedictionis in iuniorem transferens, qui operum excellentia præstabat. Hinc Diu. Paulinus, epistola quinta, Christianorum gloriam supra Iudæos exaltans, sic inquit: *Nobis Ephrem sinister ad dexteram benedictus profecit, illos in Manasse, qui præsumptione senioris, quo dexter adsciterat, translata in caput sinistra denotauit.* Qui præsumptione senioris dextras sibi affectant, in Manasse denotantur, vt in eo videant, quàm vanum, atque infirmum fœlicitatis fulcrum habeant. Quam translationem gloriæ nullo modo pertimescant ij, qui operibus parcentes, toti

Gen. 48.

Paulin.

sunt

ſunt in longæuitatis ſuæ obſeruantia? Nobis proficit iunior ad dexteram benedictus, dum docet, non tempora, ſed facinora eſſe, quæ veram, & ſolidam gloriam aucupantur. Vt enim ait Diu. Ambroſ. lib. 2. de pœnit. cap. 9. *Infirma deinde ſpes, quæ committitur tempori*: & meritò vocatur infirma hæc ſpes, quando longiſsima temporis curricula breui facinorum hora poſſunt ſuperari. Notiſsimum eſt illud Sapient. 4. *Conſummatus in breui expleuit tempora multa.* Circa quæ diſertiſsimè D. Bernardus, epiſt. 253. ait: *Benè multa, quia & vniuerſa complectitur. Quanta ſanè tempora non longæuitate, ſed longanimitate, hoc eſt, non annorum ſerie, vel dierum numero, ſed mentis deuotione, et inextinguibili ſemper proficiſcendi deſiderio percurrere potuit, tanta ſibi in meritis non immeritò vindicauit. Retinet quidem virtute, quod amiſit in tempore.* Poſſunt ſine dubio temporis damna virtutum cumulis reparari, nec multùm intereſt, quòd ille in ſacerdotio agat Heli annos, ſi tu Samuelis referas in virtutibus alacritatem. Quot ardenti deuotione, & animo annos ſeruiiſſe cupis, tot ſeruiſti. Non enim ſic annos agunt momenta temporis, vt vita operibus plena, & facinoribus clara; nec canities venerabilis tàm venit à tempore, quã à virtutum meritis, & operum claritate. Quis neget, veniſſe hominem in mundum poſt omnia animantia? An ideò inferior homo eſt aſino, quia ille antiquitate commendatur? Abſit: ait enim D. Ambroſius epiſt. 39. probans & in nouiſsimis poſſe eſſe virtutes, quæ prioribus præferantur. *Ne fortè adhuc moueat, quòd nouiſsimus homo factus eſt, idem equus nos doceat, non ad contemptionem referendum eſſe, ſed honorem. Portat poſteriorem ſuum, nec deſpicit.* Et meritò qui tanta ſtultitia agitur, vt de ſola temporis prioritate intumeſcat, ad animantia mittitur, vt ab illis doceatur, non nimis in illa prioritate gloriari, quando & ipſa priora ſunt, & antiquiora in mundo, & nilominùs poſteriori ſuo homini honorem maiorem habent. Phariſæis hanc tribuebat Dominus ſtultitiam, quòd ſolùm temporis prioritatem venerarentur: quippè ait Matth. 23. *Væ vobis, Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum.* Quale hoc peccatum, monumenta iuſtorum ornare? Sanè in eo notabatur eorum ſtultitia, qui nullum putabant dignum honore, niſi illum, qui iam deceſſerat, qui priori vixerant ſæculo. Euſebius Emiſſenus, homilia in Diu. Petrum: *Stultiſsimus, qui dum videt Prophetas, eos vituperat: poſt mortem verò eos veneratur, & monumenta eis ædificat, neque tales vlterius naſci poſſe arbitratur.* Et ſanè ſtultitia eſt, ſolis prædeceſſoribus honorem tribuere, nec putare, tales vlterius naſci poſſe, quales illi fuerunt.

Amb. Sap 4. Bernar. Ambr. Euſeb. Emiſſ.

§. XVII.

Qui ab incunabulis virtutem ebiberunt, fortiores, & aptiores inueniuntur, vt grauiora, & difficiliora ſuſtineant, quàm qui poſt plures annos vitijs datos, tandem ad Deum accedunt.

ECce qui dicantur portaſſe onus diei, & æſtus, non qui nouiſsimo ſub tempore acceſſerunt, ſed qui primo manè in Dei vineam conducti ſunt. Equidem minimè datur onus, neque æſtus portandus illis, qui poſt exactos carnalis vitæ annos ad Deum veniunt, ſed illis ſecurius creditur onus, creduntur grauia, & difficilia virtutum, qui nihil primò nouerunt, quàm virtutem ſuggere præuenti à Dei gratia. Sic Hieremias, Threnorum cap. 3. inquit: *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcẽtia ſua.* Quòd ſit melius, portari Dei iugum ab adoleſcentia, nemo eſt, qui ambigat, luce id clarius eſt: vndè crediderim, à Propheta aliquid ampliùs addi, quando non comparatiuè dixit: Melius eſt viro, &c. Sed ſimpliciter aſſerit; Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia, quaſi portare velle iugum non ab adoleſcentia, ſed à ſenectute, & periculoſum ſit, & penè malum. Pulchrè ait Diu. Hilarius in Pſalmum. 118. ſub littera Beth: *Nouit Hieremias iuuentutis beatitudinem, dicens: Bonum eſt iuueni viro, cùm fert iugum graue in iuuentute ſua. Non expectat frigeſcentes ſenectutis annos, nec emortuam iam per ætatem vitiorum conſuetudinem; vult longi prælij militem, vult eum Chriſti ſeruum, quem nec ipſa quidem præteritorum criminum recordatio polluat. Nam in*

Thren. 3. Hilar.

ijs, qui iam proiectioris ætatis crediderunt, ineſt quidem per donum gratiæ præteritorum indulgentia, ſed non abeſt per conſcientiæ naturam geſtorum recordatio. Onus iſtud maturi ad obediendũ anni ægrè ferunt. Cæterùm ætas tenera, grauis oneris moleſtiam per virtutis incrementa non ſentit. Ætas tenera virtutibus innutrita, & adulta oneris moleſtias non ſentit, ſine dãni periculo & grauia, & difficilia aggreditur, & triumphat in illis. Non ſic frigeſcentes ſenectutis anni, præcipuè qui iuuenilem vigorem conſumpſerunt in vitijs, ij etſi aui dè virtutis viam arripiant, ægrè ferunt onera, & timendum eſt de illis, ne oneri ſuccumbant. Ad hæc etiam ait Diu. Ambroſius: *Ei autem, qui poſt decurſæ iuuentutis annos iugum tulerit, non eſt ſtatim perfectum bonum; ſtimulant enim eum peccata ſua, exagitat conſcientiam conſuetudo peccandi, & vſus erroris inſtabilem facit. Luctandum eſt huiuſmodi viro, vt abolefaciat inueterata, atque diurna. Huic in periculo res eſt, illi in bono.* Itaque res oneris, grauia, & difficilia virtutum periculoſa ſunt ſerò venienti ad Dei veniam; bona, & vtilia illis, qui à primo manè fuerunt conducti. Ambr.

§. XVIII.

Præſtantiſſimum meritorum argumentum eſt, quòd voluptatum ardores ſuperaueris.

PRæſtantiſſimo argumento ſua merita extollunt ij operarij, dicentes: *Portauimus pondus diei, & æſtus*: quis enim ſub libidinum, voluptatumque æſtu non fatigatur? Quis ad Ethnæos carnis ardores non contremiſcat? Cui ſub hac forna ce vel legum vincula non laxentur? Hos tamen ignes ſuſtinuere inuicti boni operarij, dum primum ætatis florem in vinea Dei conſumunt; nec dubitari poteſt, eum in illis laborem fuiſſe magni, & præſtantiſimi triumphi. Notus eſt Eliæ triũphus, de quo. 4. Reg. 2. ait: *Ecce currus igneus, & equi ignei, & aſcendit Elias, &c.* Nulli Imperatorum datus fuit ſimilis curſus ad triumphum; nullus Sanctorum viſus eſt tali pompa ferri in cœlum; qualia fuerunt Eliæ merita, propter quæ fulgentiſſimum aſcendit currum? Cantatiſſima fuit ſemper in Elia caſtitas virginea, quam à primis annis coluit, & ob quam inaudito donatus fuit triumpho. Ait Diu. Ambroſius, ſerm. 2. de Eliſæo: *Elias magiſter Eliſæi nonne Angelis ducentibus raptus ad cœlum eſt, et quadriga ignea impoſitus, quaſi in quodam triumpho victor aſcendit? Victor enim extiterat non gentium barbararum, ſed ſæcularium voluptatum.* Vbi voluptates domantur, vbi laſciuientis carnis æſtus comprimuntur, nullus non debetur triumphus; meritò totus ſplendeſcens currus aptatur? Cui magis vm quam debitus triumphus, & laus, & prædicatio, quàm florenti ætati domatrici voluptatũ? Cõmendaturus Ioſephi merita Iacob pater ait, Geneſ. 49. *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, decorus aſpectu: filiæ diſcurrerunt ſuper murum, ſed exaſperauerũt eum, &c.* Et creſcentia eius merita ſtupet, & nil priùs meminit, quàm eius pulchritudinem, & apud fœminas gratiã. Quantùm hoc ad Ioſephi meritum? Quantùm hoc in ſanctiſsimi viri commendationem eſt, quòd pulcher ſit aſpectu? quòd fœminis placuerit? Hoc in laudem Paridis aſſumat Homerus; at in laudem ſanctiſsimi, commendatiſsimique Ioſephi, cur in primis aſſumi debet? Sanè Ioſephi pulchritudo fuit præcipua materies, & cauſa certaminum eius; imò clariſsima omniũ victoria inde venit, quòd iuuenis, & pulcher, à laſciuientis carnis ardoribus inter ipſas laſciuiæ tædas inuictus maneret. Ideòq; immediatè ad eius creſcentia merita, eius inuicta pulchritudo celebrari debuit. Ab hoc placito ſtat Rupertus, lib. 9. in Geneſim, cap. 36. *Niſi filiæ vagæ, ac petulantes diſcurrentes ſuper murum, iniecciſſent oculos in eum, dixiſſentque, Dormi mecum, non adeò memoriæ traditum eſſet, eum aſpectu fuiſſe decorum. Nunc autem quia decor aſpectus eius, cauſa certaminis, et vinculorum, magnæque fuit victoriæ occaſio, dignè prædicatur filius fuiſſe decorus aſpectu.* Nil priùs ad hominis meritorum commendationem aſſumi debet, quàm victoriæ de laſciuia occaſio: hæc eſt victoria magna; non ſic fratrum inuidia, non ſic ferrum Ioſephi merita extulerunt, vt illum extulit pulchritudo victrix laſciuiẽtium flammarum, ex qua digniſsimè debuit prædicari. Maximè equidem inter hominis commendationes, merita adauget laus caſtitatis. Ipſius Ioſephi fratres vnà cum iuniori Beniamino venientes, excepti ſunt ab ipſo Ægypti Prorege, & ad

3. Reg. 2.

Ambr.

Gen. 49.

Rupert.

& ad conuiuium magna cum lætitia vocati. Genes. 43. mensis assident vnanimiter omnes. *Et mirabantur nimis, sumptis partibus, quas ab eo acceperant, maiorque pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.* Iunior frater erat Beniamin, & iuniori iubetur dari in conuiuio pars quintupliciter maior. Cur tantus excessus in parte Beniamini? Quid iuuenes eius anni præferebãt, quòd adeò multiplicatas merebatur accipere Proregis gratias? In Beniamino merita Pauli notabantur condecorati, & certaminibus pro castitate tutanda, & victorijs in illa virtute reportatis, quibus se multipliciter super alios cœlestis vineæ operarios exaltauit. Notabat Diu. Ambros. lib. de Ioseph, cap. 10. *Ideò in conuiuio pars Pauli quintupliciter maior effecta est, quòd haberet superioribus anteferri, non solùm mentis prudentia, sed etiam militia corporis, et gratia castitatis.* Qui iuuenis castitati militauit, & ardentes repulit libidinũ flammas, quẽ non excedat in triumphis? Quales glorias sibi non acquirat super omnes multiplicatas? Ad hæc loquitur etiam D. Paulin. epist. 4. aliàs datus: *Redditurus est Dominus Paulo, & eius beatæ virginitati de innumeris huius boni fructibus vberes gratias, et innumerabiles coronas, quia hoc consilium præcepto adijciens, de suo supererogauit.* Expende illud, innumerabiles coronas reddẽdas Paulinæ virginitati; id enim est certamen pro castitate initum, vt minimè vna corona gaudeat, sed ad innumeras aspiret reportandas.

Gen. 43.

Ambr.

Paulin.

§. XIX.

Qui externis laboribus multùm impendit, alios sibi minores, & inferiores putare solet.

NOn prætereo istorum operariorum querelam aduersus Dominum vineæ, qua inquiunt: *Ij nouissimè nobiscum vna hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, et æstus.* Querela sanè propria, & naturalissima in ijs, qui portant põdus diei, hoc est, qui multum temporis externis laboribus tribuunt, in illisque se aspiciunt. Quandò ij non queruli? Quãdo cæteros omnes non sibi inferiores putant? Exemplum sit illa deuotissima Christi hospes, Luc. 10. de qua dicitur: *Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare?* Sæpè de Martha sermo fit in Euangelio, & numquam dicitur quicquã fuisse de sorore, nisi in præsenti; cur modò magis queritur? cur modò ipsum Iesum Magistrum in causam vocat? Numquam crediderim deuotam fœminam magis traditam externis laboribus; sanè modò satagebat circa frequens ministerium, in multis se occupatam cernebat, nec mirandum, quòd à qua tot labores cernebantur externi, simul ad uersus sororem querela existeret, & in illam quòd minùs laboret, causa dicatur. Diu. Thomas in Caten. ex Augustino inquit: *Ecce quod Maria audiebat, Verbum caro factum est. Ecce cui Martha ministrabat, laborabat ista, vacabat illa; verumtamen Martha laborans multùm, in illa occupatione, & negotio ministrandi interpellauit Dominum, & de sorore conquesta est.* Dum multùm externis laboribus impendebat, in ea statim præsumptione fuit, quòd sibi inferiorem sororem putaret, & simul sororem, & magistrum vocaret in causam. Vtinam non ad externos labores sic aspiceret, sed animum internum, sed intima cordis sui penetralia magis lustraret, fallar, si cui sese præferre fuerit ausa. Propone tibi ob oculos colloquium, inter Iesum, & Petrum, de quo Ioannes, cap. 21. vbi sic: *Dixit Iesus Simoni Petro: Simon Ioannis, diligis me plùs his?* Dicit ei: *Etiam Domine, tu scis, quia amo te.* Nõ ait, tù scis, quia amo te plùs his; & quidem de hoc signanter interrogabatur à Domino, non si amaret simpliciter, sed si amaret plùs cæteris condiscipulis? Cur, Petre, non respondes ad hæc? Cur non intrepidè asseris, amo te plus omnibus? Nonne aliquando dicebas, Matth. 26. *Etiam si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor?* Quibus nunc te præferebas, cur modò te præferre non audes? Didicerat iam Petrus, non ad exteriora aspicere, sed interna sui cordis lustrare, ex quo hoc commodi accepit, quòd suos affectus testetur, de aliorum comparatione prorsus taceat. D. Augustinus, serm. 24. de Sanctis, inquit: *Reuocabat ergo oculos suos ad cor suum Petrus, quando interrogabatur à Domino, & fidens respondebat, quod sibi videbatur. Non ausus est tamen dicere, quod Dominus interrogauerat. De alijs discipulis ille non potuit dicere, visi amo te, non ausus est dicere,*

Luc. 10.

D. Thom.

Ioan. 21.

Matt. 26.

August.

plus his, sufficeret ei testimonium perhibere cordi suo, non debuit esse iudex cordis alieni. Qui circa cordis intima versantur oculi, hanc ebibunt medestiam, quòd nesciant quid inferius videre in alijs. Parùm interna lustrat, multùm credit externis, qui sibi in aliquo inferiores inuenit cæteros fratres.

Matth. 20. At ille respondens vni eorum, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle, quod tuum est, & vade.

§. XX.

In futura vita id solùm inueniemus, quod nostrum fuerit, bonorum operum pretio comparatum.

CVm præsentis vitæ labor finitur, nemo speret aliud inuenire, quàm id, quod suum fuerit, quod bonorũ fuerit pretio comparatum; hæc est enim pro omnibus hominibus tunc sententia, nimirum, *Tolle, quod tuum est.* Nõ ibi recipies, nisi quod tuũ sit, non ibis nisi in tua. Magnus Abraham dum defunctæ vxori parat sepulchrum, spelunca duplicem emere curat, ait enim Genes. 23. *Det mihi spelunca duplicem, quam habet in extrema parte agri sui: pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri.* Nullibi legitur Abraham emisse terram, nisi in possessionem sepulchri, quando curabat sepelire vxorem suam: nec vllis precibus adducitur, vt sepulturæ terram accipiat, antequam illam numerata emat pecunia. Et cur, qui viuenti nullam emit terram, tàm anxiè curat illam emere defunctæ? Agebatur sanè magnus pater illo Dei spiritu, quo docemur viuentes posse consistere aliquandiu de aliorum solis beneficijs; at morientes nõ posse ire nisi in sua. Ait Diu. Basil. homil. in Psalm. 14. *Incola fuit Abraham, qui nec terræ quidem vestigium propriè possedit; sed vbi opus ei sepulchro fuit, id argento mercatus est. Ex quo sanè scriptura demonstrat, quemadmodum in carne viuẽtem incolam esse oporteat, migrantemque ex hac vita in locis proprijs requiescere.* Expende, quæ loca expectent migrantem ex hac vita, nimirùm *loca propria*; non ampliùs emendicare licet beneficia, non ampliùs valent preces; vbi ex hac vita exieris, ad sola illa ibis, quæ tua fuerint, quæ proprijs laboribus empta tibi venerint. De Diu. Stephano iam iam in cœlum migraturo ait textus, Actor. 7. *Lapidabant Stephanum inuocantem, et dicentem: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus clamauit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Dum persecutorum negotia agit, genua flectit, orationem supplex fundit: dum pro se loquebatur, stans loquitur, & ait: *Suscipe spiritum meum.* Dimissius ageret, si etiam pro se non staret, sed genu flecteret, & diceret: Domine omnium, suscipe spiritum hunc tuum: sic enim Dauid aliquãdo precabatur: *Saluum me fac, tuus sum ego*: nihil in se suum agnoscebat, sed se totum Dei esse putabat. Cur non simili spiritu orat Stephanus inquiens, accipe hunc spiritum tuum? Cur in illo articulo maluit spiritum suum agnoscere, & prædicare, quàm Dei? Sanè iam tunc à vita migrabat, iam futuro sæculo erat vicinus, in quo quis abit in sua, & cum suis agit, non aliena spectãs, sed sua, & debita sibi vt propria exigens, non genu flectens, sed stans clamat: *Suscipe spiritum meum.* Id quod meditabatur D. Augustinus serm. 93. inquiens: *Intùs clamabat, Domine Iesu, accipe spiritum meum, et hoc stans. Exigebat enim debitum, quando dicebat, Domine Iesu, accipe spiritum meum.* Nõ beneficia, aut gratiam sperat in futuro examine, sed pro sibi debitis clamat, & ideò nõ genu flectit, quasi accepturus gratiam ibi, nec impetraturus fauorem; sed stat, quasi ad sua, & propria ingressurus, nihilque in ore sumit, quod suum nõ dicat. Non enim alia ibi, sed sua obueniunt cuique. Pro quo aiebat Paulus 2. ad Timoth. 4. *Cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus iudex.* Ibi Anselm. *Quam nõ dabit, sed reddet mihi quasi debitam.* Non ibi spectanda sunt dona, sed debita; vbi enim cursum consummaueris, nõ de alienis fauoribus, sed de tuis viues. Vndè idem Paulus. 2. ad Timoth. 1. *Scio, cui credidi, et certus sum, quia potens est Deus depositum meum seruare in illum diem.* Quale depositum? D. Thom. ait, *opera mea.* Et cur Paulus sic æstimat, quòd opera sua apud Deum sint deposita in iudicij diem? Nonne meliùs peteret,

Gen 23.

Basil.

Aug.

2. Tim 4.

2. Tim 1.

D. Tho.

teret, & æstimaret, quòd Dei gratia pro tunc parata esset? Scit sapientissimus gentium Doctor, tunc non licere homini abire, nisi in sua; vndè nihil sic æstimat, quàm quòd opera sua ex Dei gratia peracta permaneant pro illo die custodita in thesauris diuinis.

§. XXI.

In solis cœlestibus est homo quasi in suis, quasi in proprijs, in alijs quasi in alienis.

VBi merces gloriæ datur benè operanti, simul dicitur illi: *Tolle, quod tuũ est*; in sua enim, sibique præparata ingreditur quisque hominũ, quàndo ingreditur in cœlestem gloriam, quam dum nõ tenet, in alienis est. Sic Matt. 25. iustis hominibus ait Dominus: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum â constitutione mundi.* Vbi autem ad impios loquitur, ait: *Discedite â me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Cælestia homini præparata dicuntur; æternus ignis non homini, sed diabolo paratus est, ne putet homo habere aliquid suum præter regnum cœleste. Sed vt benedictis parata sunt cœlestia à constitutione mundi, cur & simili phrasi non dicitur maledictis ignis paratus æternus? Sanè quantumuis maledicti, tamẽ homines sunt; & homini solùm est proprium cœlum, præter quod cætera maximè sunt illi aliena. Ait enim D. Irinæus, lib. cap. 35. *Non homini principaliter præparatus est æternus ignis, sed ei, qui seduxit, & offendere fecit hominẽ.* Datur homini, quod suum est, quod illi paratum fuit ab origine, nempè cœleste regnum; ignis æternus non est res hominis, sed quàm longè ab homine aliena. Quò respiciens Sapiens, Prouerb. 5. monebat: Ne *des alienis honorem tuum, nec annos tuos crudeli.* Et quidẽ quidquid cœlo acquirendo nõ datur, alienis datur; in alienis es, crudelissimis tradi tus tyrãnis, quoties à cœlesti domo, à Deo habendo deflectis. Ad hæc elegãter Chrysostomus homil. 15. in Matth. *Quæ est ergo insipientia, vt contentus sis super terram, id est, in alienis seruire diabolo, cùm possis in cœlis, id est, in proprijs regnare cũ Christo?* Habes propria tua, ad quæ eas, in quibus cum Christo regnes; caue, propria perdas, & in alienis versatus miserè pereas. Extra Dei domum quidquid est, & alienum, & extraneum tibi est, in sola Dei domo habes omnia tua, & quæcumque ibi sunt, tibi reputa propria. De regno Salomonis ait 3. Reg. 4. *Habitabatque Iuda, & Israel absque timore vllo, vnusquisq; sub vite sua, & sub ficu sua, â Dan vsq; ad Bersabee cunctis diebus Salomonis.* Hoc de terreno Salomone in figuram veri Salomonis crediderim dictum; quando enim ad clarissimos dies immortalis Salomonis ascendemus, tunc sub ficu sua, & sub vite sua stabit homo securus; quidquid ibi erit, suum erit. Ait Origen. homil. 15. in Iosue: *Tunc tibi dabitur requies, vt requiescas sub vite tua, qui est Christus Iesus, & sub ficu tua, qui est Spiritus sanctus.* Quid non putabit homo in cœlestibus suum, quando & Dei Filiũ, & Spiritum sanctum accipiet in sua? Fœlix possessio, in qua Iesus vitis est, in qua Spiritus sanctus est ficus. Hęc sola possessio putatur propria hominis, quidquid extra hanc inuenitur, non reputat homo suum: de vno Iuda audio, quòd dum descendit in infernum, dicatur descẽdisse in locum suum. Sic Actor. 1. *Prævaricatus est Iudas vt abiret in locum suum.* Quomodo terra horroris, & vastæ solitudinis dici potest locus proprius Iudę? An sic hominem exuerat, sic diabolũ induerat, vt inde diaboli propria, ipse solus acciperet in sua? Ait Ioan. cap. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* Diabolus sit, necessum est, qui suũ aliquid putat extra cœlum; qui autem penitùs diabolus non est, dolet se in alienis esse, dum non est inter cœlestes ciues: Vndè monebat Ecclesiast. cap. 7. *Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo*, quasi hæc sit prima peccatorum pœna, quòd in alienis sint, quòd nihil suum, nec tempus ipsum videant. Longè aliter iustus, qui in paradiso Dei plantatus est, de illo Psal. 1. *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tẽpore suo.* Et quale est tempus suũ? Tempus futuræ fœlicitatis, tempus gloriæ. De quo Eusebius in Caten. Lyppom. ait: *Illius tempus sæculum futurum est, quoniam præsentis non domesticus est, sed alienus.* Nihil non alienum tibi est extra cœlum; cœlestia omnia tua sunt, vt dicat Psalm. 149. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Vbi Diu. Augustin. serm. 100. de temp. ait: *Tunc resurgent corpora sepultorum, tunc exultabunt sancti in gloria, tunc in suis cubilibus lætabuntur.*

Matt. 25.

Irinæus.

Chrysost.

Origen.

Act. 1.

Ioan. 6.

Eccl. 7.

Psal. 1.

Eusebi.

Augusti.

buntur. Nec res lætitiæ potest in alienis placere. *Quomodo enim cantabimus in terra aliena?* Psalm. 119. At vbi glorioso sæculo appropinquauerimus, nihil alienum ibi inuenient iusti, sed lętabuntur in cubilibus suis. Id equidem tuum habes solùm, quod in cœlis spectas. Apud Lucam, cap. 16. sic cum terrenis hominibus argumentatur Dominus: *Etsi in alieno fidelis non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* Expẽde, quid vocet alienum, & quid nostrum vocet: alienum est, quidquid extra cœlum; quæcumque in cælo sunt, ea sunt nostra. Theophil. ibi: *Nostræ sunt diuitiæ cœlestes, & diuinæ, illic noster municipatus est, eo quòd homo ad imaginem Dei est conditus. Pecuniæ autem, & possessiones aliena sunt, nil enim simile illi ex his. Diuinorum autem bonorũ fruitio, & participatio Dei, nostra sunt.* Ecce, homo, vbi tua habeas; habes equidem tua in cœlis, quidquid cœleste est, quidquid diuinum, tuum est, & ipse Deus est tuus. Vndè monemur petere, Matth. 6. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; dum enim supersubstantialia, & cœlestia petimus, nostra petimus. Vbi pulchrè Diu. Paschas. lib. 4. ait. *Quia puer natus est nobis, & filius datus est nobis; illum oremus, quasi thesaurum nostrum; oremus, vt cibum nostrum: noster enim est, & ideò cũ eo simul omnia nostra sunt. Propterea, quod nostrum est, ante omnia, & super omnia requiramus, quatenus ille sit nobis panis, ille cibus, ille vita, pro cuius amore quæ mundi sunt omnia postponẽtes, quasi aliena deputemus.* Expue aliena extra cœlum, qui in cœlesti ciuitate habes tua reposita in annos plurimos.

Ps. 119. Luc. 16. Theoph. Matth. 6 Pasch.

Matth. 20. Volo autem & huic nouissimo dare sicut tibi. Aut nõ licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequã est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.

§. XXII.

Oculus, qui in aliorum defectus intendit, vix fieri potest, quòd nequitiam, & præsumptionem in videnti non parturiat.

NOn querimoniæ iniustæ verbis succenset Dominus, nec linguã murmurantem, sesequè de exanthlatis laboribus, ponderibusque portatis extollentem taxat. Tota Dei seueritas ad oculos dirigitur, oculumque nequitiæ accusat, & dãnat, inquiens: *Oculus tuus nequam est.* Cur non magis lingua murmurans, & de laboribus præsumes damnatur? Cur hac omissa oculus arguitur? Meritò oculus solus arguitur, qui defectus videbat, qui eò intendebat, vt notaret, quid nimis pater familias præstaret. Rarò enim, aut numquam non efficitur fons præsumptionis, & nequitiæ oculus ille, qui, quod alij minus faciunt, amat prospicere. Accipite Luc. cap. 22. vbi proponit Dominum dè proditore suo ante passionem verba facientẽ ad discipulos suos: Tunc sic: *Et ipsi cœperũt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.* Nota connexionem, quærebant Apostoli inter se proditorem, tanti mali signa inter se ipsos singuli speculantes; nec mora, statim & contentio oritur inter eos, quis eorum videretur maior. Vndè hæc contentio maioritatis in tempore tantæ consternationis fuit orta? Vndè, qui per triennium humilitatem, & demissionem didicerant à Deo ipso, tàm facilè rapiuntur modò spiritu elationis? Sanè vbi incepit quisque in alio notare signa proditionis, & defectionis à Magistro; & eò intendit oculum, vt ex his signis proditorem per singulos discurrens cognosceret, quasi necessum fuit ex aliorum defectibus notatis, eũ ebibere spiritum elationis, quo se super alios superponeret. Vt sapienter, sic sanctè D. Thom. ex Theophilacto ait in Caten. *Cùm inter se quærerent, quis esset Dominũ traditurus, consequens erat ad inuicem sibi dicere: Tu proditurus es; & ex hoc coacti sunt dicere, ego potior, ego maior.* Vbi in singulis quęrebant singuli signa defectus, signa proditionis, quasi necessariò coacti sint in illum spiritum deuenire, quo se quisq; reputaret cæteris omnibus potiorem, & meliorem. Oculos custodi tuos, ne eò tendant, vt videant, quod alij faciunt minùs, nisi velis inaniter efferri, & gloriari super illos. Sanctissimus erat Elias, & in summis angustijs constitutus, dum fugiens Iezabelem iaceret in montis Oreb spelunca. Inter hæc requisitus à Deo respondit. 3. Reg. 19. *Dereliquerunt pactum Domini filij Israel: altaria tua destruxerũt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus.* Se vnicum, & solum in Dei seruitio audet prædicare, nec vllũ sibi parem

Luc 22. D. Tho. 3. Reg. 19.

rem esse permittit. Quis in tanto viro, & tantarum angustiarum tempore tantam elationem, & præsumptionem crederet? Illam meritò carpunt Eucherius, Rabanus, & alij Patres plurimi; nos videamus vndè inter tot calamitates, inter tot angustias, inter tot timores, quando tædebat ipsum viuere, potuit elatio, & præsumptio subrepere Eliæ. Nec difficile est id inuenire, quando apparet Propheta eo intentus, vt Israelitarum notet, & prædicet sola crimina. Ecce ait, omnes derelinquunt Dei pactum, altaria destruunt, Prophetas occidunt: dum autem sic Israelitarum proponit, & expendit errores, ex hoc coactus est sese extollere, & se prædicare solum, & vnicum, nec parem admittere. Ad hęc Diu. Gregorius. 3. Moral. 18. inquit: *Dum in alio pensat malum, quod ipse non habet, in se negligit considerare, quod habet: sicque fit, vt dum ad aliena diiudicanda mens ducitur, propij iudicij lumine priuetur, vt durus contra aliena superbiat.* Sub quacumque virtute floreas, quibuscumque meritis sis munitus, te procul dubio elatio prosternet, si oculus tuus pateat, vt aliorum errores videat. Quem cumque oculi tui ictum ad videndū proximi errorem, puta tibi appositam trabalem machinam, quæ te erigat, vt deijciat. Matth. 7. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo, sine, eijciam festucam de oculo tuo; & ecce trabs est in oculo tuo?* Scire cupis, quæ sit ista trabs, quæ sic vel in aera suspedit, vel deprimit aspicientium oculos? Sanè trabs hæc non est alia, quàm visio, & scrutatio festucarum, hoc est, defectuum, qui sunt in fratre tuo. Sic enim B. Doroth. doctr. 6. per oculi trabem intelligit iudicium, quo intentus es, vt iudices, & ventiles vel minutissimos instar festucarum errores fratrum: à qua trabe quid aliud expectas, quàm vel subtolli, vel suspendi in aere? Ex quo sic monet Doroth. *Qui optant igitur saluari, numquam curiosi sunt circa minima proximorum delicta, sed circa sua semper occupantur.* Hæc ibi.

(.?.)

Gregor.

Matth. 7

Doroth.

§. XXIII.

Non temporis, sed diligentiæ est, quod primas in Dei muneribus feras.

NOn officit temporis tarditas, vbi diligētia suffragatur, quę vel nouissimū tempus ad ferendas primas de manu Dei potest præparare. Passim fiunt nouissimi primi, quando nouissimorum diligentia ea est, quæ nescit tardare. Egregium exemplum proponit Luc. cap. 23. in latrone cum Domino crucifixo: hic vt ascendit crucem, seseque iuxta Dei Filiū vidit in stipite eleuatum, nō moratus est, sed ad illum pro regno clamat. Cui statim Iesus: *Hodiè mecum eris in paradiso.* Cur tàm cita Dei venia in latronē venit? Pulchrè D. Ambros. ibi: *Citò igitur ignoscit Dominus, quia citò ille cōuertur.* In adeò sero tempore citissima potuit esse latronis conuersio, quia nihil moratus; sed vbi salutis authorem vidit, diligentissimè festinauit salutē postulare, Meritò ergo non moras passus est, sed primas redemptionis sortitur, qui vel in nouissimo tempore omnes conuersionis moras sciuit fugare, Vt enim homo velox est in Dei vocatione exequenda, sic Deus est velox in homine munerando, adeò vt nemo primus appareat in Dei muneribus, quàm qui velocissimus in respondendo eius vocationi apparuerit. Isaias cap. 9. *Primo tempore aleuiata est terra Zabulon, & Nephtalim, &c.* Si ordinem tribuum spectes, inuenies Nephtalim inter postremas, cur ergo Nephtalimo, & Zabuloni in primis peccatorum leuamen offertur? Id insinuat singularis lectio Sepruag. inquiens: *Hoc primùm bibe, velociter fac regio Zabulon, terra Nephtalim.* Sanè vbi cœlestis doctrina ijs regionibus affulsit, statim ipsæ credidere runt, velocissimę quę fuerunt in suggēdo succo euangelico. Quid tardauit Petrus? Quid Ioānes? Quid Iacobus? Ad primam Christi vocem, relictis retibus, secuti sunt eum. Hinc omnia Christi prima meruerunt. Pro quo D. Hieron. ait: *Hoc primùm bibe, velociter fac, quia terra Zabulon, & Nephtalim prima Christi videre miracula, vt prima biberet fidei potionem, quæ prima viderat Dominum signa facientem. Et primo tempore reuelata esse dicuntur onere peccatorum, quia crediderunt velociter, vt audien-*

Ambr.

Isai. 9.

Septua.

Hieron.

audientes: Venite, faciam vos piscatores hominum, statim & patrem relinquerent, & nauiculã Non obfuit Zabuloni, & Nephtalimo postremus natiuitatis locus, quando cæteros vicerunt velocitate, vt sequerentur Dominum: in nouissimo natiuitatis tẽpore omnia prima inuenerunt apud Dominum, Habes, homo, quo tempora postrema facias prima; habes, quo in nouissimos annos, quo in occasum vitæ trahas primitias auroræ: si velociter Deo vocanti respondeas, si vt Deum sequaris, omnes abrũpas moras. Ad hæc præclarè monebat D. Ambros. in Psalm. 1. sic loquens: *Bibe Christum, quia flumen est, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei. Bibe Christum, quia pax est. Bibe Christum, quia flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Bibe ergo citô, vt lux tibi effulgeat magna. Lux non quotidiana, non diei, non Solis, non Lunæ, sed lux illa, quæ vmbram mortis excludat.* Quippè licêt sub vmbra mortis sis, bibe citô Christum, velocem eius volũtatis executorem te vel tunc præbe, & omnes surgentis auroræ primitias ad te allicies.

Ambr.

CAPVT XX.

De decem mnis datis ad lucrum.

VERE Nobilis homo id regnum affectasset, quod longê esset à sensibus remotum; caduca hæc, & temporalia regna quis crederet affectanda ab eo, qui Deus est, & ex diuino origine verè nobilis? Hunc Regem norint carnales Iudæi; qui verè nobilis sit, & regnũ habeat à sensibus remotum; ni velint perire in tanti regni, & Regis administratione. Huc præsens spectat parabola, ptoponens hominem nobilem proficiscentem in longinquam regionem, vt ibi regnum accipiat, & inde reuertat, minutissimam exacturus â primis seruis de creditis pecunijs rationem. Ex longinqua, & remota regni ratione facilè osteditur, qualia sunt paranda lucra tanto Domino, ea nimirũ, quæ non in carnalibus consistant, sed ad animarum profectũ spectare possint. Fœlix lucrum, quod gratiã habebit apud nobilissimum Dominum, à quo vel lucri cessatio iram trahit, damnationẽ extorquet.

Luc. 19. Homo quidam nobilis abijt in regionem lõginquam accipere sibi regnum, & reuerti.

§. I.

Quò à sensibus remotires res quæsieris, eò magis in te veram ostendis nobilitatem.

VErè nobilis dicitur, qui non in præsentibus, & proximis sensibilibus rebus suam cõstituit coronam, sed è longinquo, è rebus à sensu remotis illam petit. Numquam credam nobilitatem esse, sed vilem, & abiectam seruitutem, quæ præsenti temporalitati nititur. Ad Rom. 8. *Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe. Quia & ipsa creatura liberabitur â seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Sanè & ipsa insensibilis creatura vilissimam, & abiectissimam seruitutem putat, quòd vanissimis huius temporis rebus immergatur. In rebus enim præsentibus non ingenuitas, nec nobilitas, sed seruitus, sed captiuitas, sed abiectio inuenitur, quibus vel insensibilia polluantur. Ex quo monet hominem Chrysost. *Nec tu creatura efficiare deterior, nec tu præsentibus rebus acquiescas; non enim illas solùm non amplecti oportet, sed ingemiscere ob retardationem nostræ ab hoc orbe profectionis.* Vanè se iactat de nobilitate, & ingenuitate, qui præsentibus amat incubare; pulnere vilior est, & verme abiectior, quisquis à sensibilibus, & temporaneis profectionem non parat, quisquis ad longè posita nequit properare. Inde profectô vera elucet nobilitas animi, si despectis ijs, ad ea, quæ altiora sunt, & à sensibus remotiora festinamus. Apud Luc. cap. 11. ait Dominus: *Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos, quia venit â finibus terræ audire sapientiam Salomonis.* Adulterinæ Iudæorum generationi opponitur ingenua, & regalis fœmina, quæ à finibus terræ veniens, Salomonis gloriam adeô mirabatur, vt diceret. 3. Reg. 10. *Beati viri tui, & beati serui tui, ij, qui stant coram te semper.* Sed valdè notandum, quòd vbi Abrahamides

Rom. 8.

Chrysost.

Luc. 11.

3. Reg. 10.

mides vocantur adulterini, & nothi, fœmina hęc prædicetur regalis, & ingenua, & iudicatura Iudęos, de qua nil maius dicitur, quàm quôd Salomonis gloriam intuita admirabatur, eiusque seruos longis acclamationibus beabat. Quid hoc oſtendit ingenuũ? Quid regale? An regale eſt, præſentem gloriam ſtupere, & temporũ ſeruituti inuidere? Abſit; nõ ideò hęc regia, & nobilis, & iudicatura aſſeritur, quia temporalis Salomonis præſentis gloriam admirabatur, ſed quia ex hac præſenti Salomonis gloria, ad celſiorem, & remotiorem à ſenſibus Chriſti gloriam ſpectabat.

Paulin. Ait D. Paulin. epiſt. 1. *De Iudæis adulteris iudicandis ipſius ore iudicis digna cenſetur, quia Chriſtum in Salomone mirata, verum Reginæ cœleſtis affectum in imaginẽ myſtica Eccleſiæ prouidentis implenerat.* Expende, quo impleuerat verum Reginæ cœleſtis affectum, nimirùm quatenus non præſentis Salomonis gloriam ſtupebat, ſed ex illa præſagus animus remotiorem aliam Chriſti veri Salomonis rimabatur. Meritò qui præſentibus glorijs inhærebant Iudæi, minimè nobiles, ſed adulterini, & vilos nothi prædicantur; illa verè regalis, & nobilis anima, quæ per præſentia, futura, & à ſenſibus remota ſpectabat. Hinc Paulus ad Hebr. cap. 11. Hebraicæ nobilitatis ſigna capit; ait enim: *Propter quod & ab vno orti ſunt, & hoc emortuo, tanquam ſydera cœli in multitudine, & ſicut arena, quæ eſt ad oram maris, innumerabiles. Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed â longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram: qui enim hæc dicunt, ſignificãt ſe patriam inquirere.* Duo genera hominum ponit, qui ab Abrahamo originem trahant; aliud ſyderibus cœli, aliud arenæ maris comparatur: illud illuſtre, & nobile, hoc abiectum, & vile, humi repens, & ſub pedibus iacens. His duobus in ſyderibus, & arena notatis, ſtatim ſubijcit: *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, nõ acceptis repromiſſionibus, ſed â longè eas aſpicientes, &c.* Sed qui ſunt omnes iſti, qui ſic dicuntur defuncti non acceptis in terra repromiſſionibus, ſed remotiora, & cœleſtia ſpectantes? An ij ſunt vniuerſi filij Abrahæ, tàm qui ſyderũ claritudine, quàm qui arenæ vilitate notantur? Abſit, imò hoc ſolius clariſsimi, & nobiliſsimi hominis teſtimonium eſt, quôd non præſentibus terræ bonis hæreat, ſed ad cœleſtia illa, & à ſenſibus remotiora ſpectanda, & ſperanda pertranſeat. Ait D. Anſelm. *Quod autem ſubditur, iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, de illis ſolũmodo qui ſtellis comparantur, intelligendum eſt. Iſti omnes non elongati à fide, ſed iuxta eam perſiſtentes defuncta ſunt, non acceptis in terra repromiſſionibus, & ideò ſpectabant eas in cœlo. Credebant enim, ipſas promiſſiones nõ eſſe factas de terreſtribus, ſed promiſſa ſperabant de cœleſtibus.* Nõ enim nobiles, & clariſsimi, inſtar ſtellarum firmamenti animi ſibi perſuadebant coronas ſuas in præſentaneis ijs, & fugitiuis rebus fuiſſe poſitus; & ideò hic egredientes, hoc maximè curabãt, nimirùm ab hoc mundi alium bonorum puluere, & affectum, & manus, & pedes prorsùs excuſſos oſtendere, quæ lõgè poſita ſunt cœleſtia bona ſalutantes, & appetẽtes. Qui arena vilis eſt, & è puluere natus, vt vilis eſt, ſic vilibus, & preſentibus eſt contentus, hoc gaudens ſi humi licet repere; qui ſtelliferis gaudet, clariſsimiſque natalibus, veramque ingenuitatẽ, & nobilitatem in ſe monſtrare prætendit is non in terra, ſed in altiſsimis, & æternis cœli theſauris bona ſua poſita cernit, & illinc ea nititur comparare, Pallar, niſi huc reſpexit Eccleſiaſt. cap. 10. fatus: *Væ tibi, terra, cuius Rex puer eſt, & cuius Principes manè comedunt. Beata terra cuius Rex nobilis eſt, & cuius Principes veſcuntur in tempore ſuo.* Ecce tibi Regi puero opponitur Rex nobilis, quaſi puer Rex nobilis non ſit. Et quomodo fieri poteſt, quòd Rex nobilis non ſit? Expende ſignũ, quo creſcit, vel perit omnis nobilitas in Principibus, nimirùm, *Cuius Principes manè comedunt*; hoc eſt, nihil ſciunt ſpectare futurum, ſed toti preſentaneis rebus ſe dedũt. Ita D. Auguſt. lib. 17. de ciuit. cap. 20. inquit: *Principes manè manducantes, id eſt, ante horam congruam, quia non expectant opportunam, quæ in futuro ſæculo eſt, fœlicitatem, feſtinanter beari huius ſæculi fœlicitate cupiẽtes.* Ecce tibi, Rex & Princeps, qui nobilis non eſt, ſed puer, ſed ſeruus, & abiectus, nimirũ ille, qui feſtinat in præſenti beari, qui neſcit expectare futura, nec longè à ſenſibus remota intuetur. In hoc nulla ingenuitas, nec nobilitas eſt, ſed vilis, & abiecta ſeruitus.

Anſelm.

Eccl. 10.

Auguſt.

Quò adduco dicta tom. 3. lib. 14. cap. 1. §. 3.

§. II.

§. II.

E mundialibus nobilibus, aut rari, aut pauci in salutem abeunt.

SI aspicias ad cœlestium mandatorum vias, quibus itur in longê â sensibus remotissimam patriam, sanê nõ multi in eis nobiles apparent, vt ait Paul. 1. ad Corinth. 1. Sed ex nobilibus rarus est, qui eas vias terat, propter quod introducitur in præsenti quidam nobilis, in illã regionem viuentium proficiscens. Nobilis homo quidã dicitur, vtpotè singularis; multitudinem enim nobiliũ mundialium cœlestis via non tenet, sed perditionis barathrum. Diabolus equidem, quos in perditionis via amat confirmare, nobiles facit, Sic Luc. 15. vbi accepit filium illum prodigum, substantiæ dispatorem, meretricum amatorem, quid putatis de illo fecisse? Ait textus: *Misit illum in villã suã*, hoc est, illum villis, & oppidis præfecit, vt de dominatus fibulis splendesceret inter nobiles mundiales, & sic difficiliùs à meretricum fæce desisteret, & à dissipatione substantiæ, & vix ad cœlestia posset reuocari. Ibi ait Beda: *In villam mitti, est substantiæ mundialis potentiæ subiugari. De qua in alia parabola quidam spirituales epulas, ad quas invitabatur fastidiens dixit: Villam emi & necesse habeo exire, &c.* Ecce tibi diaboli astutia, quos sibi adhærere cupit, in quibus cœlestium fastidia amat generare, villis præficit, hoc est, dominatus mundialis potestate, & claros, & conspicuos facit. Alter villę præficitur, vt securiùs à diabolo in scelerum fæce retineatur; alter, ex quo villam emit, cœlestia omnia fastidiens, nec diuinas epulas amat gustare. Vtinam hæc non tàm frequentia essent in nobilibus, & dominis mundialibus, qui de dominatus flexuris hoc solùm videntur capere, quòd cœlestium virtutũ decora fugiant, & vitiorum fæces auidè rapiant. De illo nobili primogenito dicitur Luc. cap. 15. quòd audiens in domo paterna symphoniam, & chorum, *indignatus nolebat introire.* Et cur nobilis primogenitus dedignatur intrare, vbi chorus cãtorum est? Vbi symphonia sonat? Quid regalius, & nobilius; quàm inter canentiũ choros versari? Hoc regni signum, & auspicium datur Sauli, 1. Reg. 10. *Et hoc tibi sig num, quòd eligit te Deus in Principẽm: obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharã, ipsosque prophetantes. Et insiliet in te spiritus Domini, &c.* Inter canentium choros ebibit Saul primos spiritus, nobiles, & regales; cur ergo qui nobilis, imò regius primogenitus est, vbi symphonia, & chorus est, sic refugit intrare? Sanè erat ille chorus lætantium de abolitione vitiorum, qui chorus solis Dei Principibus placet: mundiales autem Principes non ad choros de tollendis vitijs, sed ad choros theatrales, in quibus meretricum vocibus fæcês vitiorum bibunt, & magis accenduntur voluptates; Pulchrè Diu. Ambros. ibi fatur: *Chorum, & symphoniam ille audire non potest, hoc est, non plebis concordiam concinentis, quæ de peccatore saluato dulcẽ resultet lætitiæ suauitatem; sed theatralis illa incentiua lasciuiæ.* Refugit quidem mundialis dominus choros, in quibus lætitia agitur de tollendis vitijs; ad hos choros non ingreditur, & si cogatur ingredi, vel dormitat, vel non curat tales cantus percipere: non sic in theatralibus canticis, vbi accẽditur lasciuia, ad hęc auidissimè curritur à nobilibus, stupentibus, & vocem, & cantus, & saltus meretriciũ. Et quod vel rideas, vel lugeas, videbis ingentem nobilium partem eò stoliditatis deuenisse, vt ingenti substantiæ ruina emant ingredi ad theatralem saltatricem, vel cantatricẽ, vilissimam fœminam, ab stabulis eductã, & gratis à mille agasonibus subactam primò. Pro his sunt vigiliæ Principum mundialium, apud quas dormiũt agasones vilissimi: & qui pro illis vigilant Principes, ad omnia cœlestia æterno somno apparẽt sepulti: Ait Psalm. 75. *Ab increpatione tua, Deus, dormitauerunt omnes, qui ascẽderũt equos.* Mirabar, ad diuinos cantus dormitasse mundiales Principes, sed quod mirere magis, expende, quòd non solũ ad cãtus, sed ad increpationem diuinam etiam dormitare dicuntur. Id quod adstupens Ruffidus, & ipse nobilis ait: *Sonat euangelica tuba, minatur iudicium, minatur æternales pœnas. Inter tãta tonitrua adhuc dormiunt superbi, adhuc vitam veterem nolũt damnare, neque in nouam vigilare. Quare hoc, nisi quia ascenderunt equos, id est, extulerunt se in honoribus, in potestatibus in incerto diuitiarum? Tales sunt equi eorum, quibus tanquam indomitis in æternum feruntur supplicium.* Proh stultissimi equites, qui denobilitatis, & potestatis

Beda. Luc. 15. Ambr. Psal. 75. Ruffi.

tis, & honorum, & diuitiarum titulis, hoc solùm eliciunt, quod gregatim per vitiorum fæces in æternos cruciatus prosiliant.

Luc. 19. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini, dum venio. Ciues autem eius oderant eum, & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus, hunc regnare super nos.

§. III.

Beneficia principaliùs in propinquiores egentes conferenda.

NObilis hic homo & ciues habebat, & seruos; cùm autem argentū partiri vult, seruos, hoc est, domesticos omnes vocat: nec vllum ciuem audis vocatum, qui mnam accipiat, cùm nullus seruus maneat sine accepta ex Domino mna. Vt hinc discant sæculi potentes, quorum & ventres, & manus præcipuè impleant, nimirùm domesticorum, & illorum, qui
1. Tim. 5 sunt propinquiores sibi. Ait Paulus 1. ad Timoth. 5. *Si quis autem suorum, maximè domesticorum curam non habet; fidem negauit, & est infideli deterior.* Expende illud sæpiùs alibi à nobis repetitum, *maximè domesticorum*, à domesticis egentibus debet semper Christina beneficentia in-
Ambr. cipere. Ait Diu. Ambrosius, lib. 1. offic. cap. 30. *Est etiam illa probanda liberalitas, vt proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim, vt ipse subuenias tuis, quibus pudor est, ab alijs sumptum deposcere.* Non infirmior, sed potior est causa propinqui, & domestici pauperis in charitate Christiana. Quò propinquior tibi quis est, eò maximè ad eius indigentiam euola subleuandā. In Christi Domini genealogia audio multos peccatores egentes Dei gratia numerari. Ait e-
Matt. 1. nim Matth. cap. 1. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar*: & rursus ait: *Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* In super addit: *Ioatham genuit Acham, &c.* Thamarem, & Bersabee, & Achab, & alios ibi audis magnis criminibus conspurcatos, nec detrectat Matthæus has maculas in clarissima diuini Solis generatione annumerare. Et cur non magis cauet Matthæus Dei ortum ab his maculis? Rationem reddit Diuus Ambrosius in 2. Dauidis apolog. ca-
Ambr. pit. 6. aiens; *Denique ea dispositione Bersabee, & Thamar inter auctores Dominici generis computantur; quarum altera adulterium fecit, altera commisit incestum. Ea dispositione & Achab, & Iechonias adnumerantur maioribus Christi, vt omnes homines redempturus, beneficium à suis maioribus inchoaret.* Hoc semper est Christianissimum, quod in accipiendis beneficijs propinquiores egentes ferant primas. De hoc plura dixi tom. 1. lib. 1. cap. 8. §. 6. & lib. 4. cap. 5. §. 19. & tom. 3. lib. 15. cap. 3. §. 9. & cap. 9. §. 17.

§. IIII.

Regnis non tàm damnosa bella, quàm pacifica prosperitas, diu prolongata.

VIx profectionem parat nobilis homo, vt regnum accipiat, & ecce tibi ciuū rebellio, ecce illorum clamor importunus: *Nolumus hunc regnare super nos.* Cur, Domine, non magis comprimis hos rebelles ciues? Cur non magis sollicitaris clamoribus his in regni initio? Sanè sapientissimus rerum moderator nouit regnantium vires, & potentiam non sic infringi pugnis, & bellis aduersariorum, vt infringuntur prosperitate pacifica. Aiebat ipse Matth. cap. 18. Matt 18
Necesse est, vt veniant scandala; nec solùm putat scandala, & seditiones vtiles, sed necessarias, ne penitùs cœleste regnum in hominibus collabatur. Et quod regnum, vbi nec pugnæ, nec bella, sed pacifica prosperitas versabatur, non fuit penitùs collapsum? Ad hæc Diu. Chry-
Chrysost. sostomus, homil. 60. in Matthæum fatur: *Quod si vis, à primo statim homine id considera. Nam si cum breui tempore, nec die fortasse integra in paradiso deliciarum vixerit, ad tantum prauitatis deuenit, vt æqualitatem Dei falsa cogitatione sperauerit, & seductorem huius beneficij auctorem opinatus, vnum præceptum seruare non potuit; quid ille*

non fecisset, si longissima in tranquillitate illa tempora vixisset? Vel breuis tranquillitas, & prosperitas totum humanum imperium quassauit; fortissimum Regum omnium, & clarissimum prostrauit, deiecit: vt hinc discant homines, quid humanæ mentes à longa, & desidiosa prosperitate trahant; trahunt equidem eam desidiam, qua funditùs euertantur, vt firmiter nequeant stare. Legi imperia seruata, imò aucta inter hostiles incursus, hinc inde à contrarijs petita, dum in prælijs sudant, & per aduersos casus prosperitates liquant. Ast vbi pax vndique floret, nihil aduersum existit, nunquam legi, nisi effœminatorum scaturigines, sceleſtorũ turbas, & tandem miseras ruinas. Vt sapienter dicat Diu. Chrysologus, serm. 131. *Qui aduersa non senserat, prospera seruare nescivit.* Romanum imperium in ferreis cruribus defigiabat, Dan. cap. 2. Ait enim: *Tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* Equidem dum imperium ferreum erat, dum non vacabat Romanis à ferro exui, omnia domabant, vniuersasque nationes redigebant sub tributo. Vbi autem licuit ferrum dimittere, & pacificos, prosperosque dies habuerunt, illicò & terrenæ voluptates emerserunt, & exsufflati sunt, tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. Rem graphicè depingit, & plorat Saluianus, lib. 5. de prouident. vbi inquit: *Si quando Deus â se ipso exoratus pacificos nobis dies, prouentus vberes, diuitem bonis omnibus tranquillitatem, & abundantiam dederit supra vota crescentem: tanta secundarum rerum prosperitate corrumpimur, tanta morum insolentium prauitate vitiamur, vt & Dei penitùs obliuiscamur, & nostri, & cùm omnem fructum datæ â Deo pacis in hoc consistere Apostolus dicat, vt quietam, & tranquillam viam agamus, in omni pietate, & castitate: ad hoc tantùm â Deo data quiete vtimur, vt in ebrietate, vt in luxuria, vt in flagitijs, vt in rapinis, vt in omni scelere, atque improbitate viuamus: quasi verò beneficiũ datæ pacis vocatio sit probrositatis, & ad hoc inducias tranquillitatis, Deo dante capiamus, vt licentiùs atque securiùs peccemus. Et miramur pòst omnia ista, si ruinam rerum suarum passi sunt, qui tanto antè mentibus corruerunt?* Nunquam non longa tranquillitas, & effœminatos parit, & ruinas trahit imperijs. Vndè sapientes Reges tunc maximè sibi cauere debent, cùm pace, & tranquillitate florent. De Babylonio Rege Nabuchodonosor dicitur, Iudith. 2. *Factum est verbum in domo Nabuchodonosor Regis Assyriorum, vt defenderet se.* Et sane nullum tunc experiebatur hostem, nullum aduersarium videbat, sed placidissima pace fruebatur; & nihilominus hoc intonat in domo eius verbum, vt defenderet se: nunquam enim maior cura debet esse Regibus se defendendi, quàm vbi vndique floret tranquillitas. Quod curabat Theodoricus ille cantatissimus Rex Italiæ, in cuius panegyrico ait Diu. Ennodius: *Vrbis omne pomerium simulachro congressionis atteritur, agit figurã certaminis, ne cum periculo vera nascantur.* Dum pax diurna bella tollebat, non tollebat bellorum meditamenta; ad bellorum formam comparabantur ludi vniuersi; nihil nisi puluereum, & bellicum etiam in pace placebat, ne vera bella ê pace periculosè nascerentur. Illa sola pax vera, & minimè periculosa, quæ non torpet otio, sed bellicis machinis parandis, munitionibus instruendis, militibus exercendis operam impendit. Vide tom. 1. lib. 5. cap 4. §. 6. & tom. 2. lib. 6. cap. 9. §. 38. & tom. 3. lib. 14. cap. 15. §. 19.

Chrysol.

Dan. 2.

Salu.

Iudith. 2.

Ennod.

Luc. cap. 19. Et factum est, vt rediret, accepto regno, & iussit vocare seruos, quibus dedit pecuniam, vt sciret, quantum quisque negotiatus esset.

§. V.

Vt in prosperitate modestia, sic in calamitate animositas magis plauditur.

COmpone antecedentia verba cum præcedentibus; ibi enim dicitur, quòd abeuntẽ prosequebãtur rebellium ciuium legati, qui clamarent: *Nolumus hunc regnare super nos.* Equidem inter hos clamores, atque inter rebellium, impugnantiumve turmas, accepto regno, apparet ipse conspicuus,

picuus, conuocat ſeruos, rationes exigit. Cur non magis latet, cur non magis cauet calamitoſo propter rebelles tempore? Sanè ad laudabilem quemque hominem magis pertinet animoſitas in calamitoſo tempore, vt tempore proſperitatis pertinet modeſtia. Mirantes Apoſtoli Ieſum aſcendentem in cœlum, audiunt
Act. 1. Angelicas voces, quæ dicebant. Actor. 1. *Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt â vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Semel venerat Ieſus in mundum, natus ex virgine, puer, pauper, & humilis, mundiales omnes glorias deſpiciens, & habens ſuſpectas, imò & diſſimulans, & abſcondens glorias cœleſtes. Modò iterùm venturus aſſeritur, & qualiter veniet? Sic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum, vt glorioſus, & conſpicuus aſcendit, ſic glorioſus, & conſpicuus veniet. Et cur, qui primò humilis, & abſconditus venit, ſecundò glorioſus, & manifeſtus veniet? Hanc diuerſitatem non ipſe fecit, ſed diuerſa tempora fecerunt; in primo aduentu omnia mundialia pace florebant, vbique viſebatur pacifica proſperitas: in ſecundo aduentu, nihil pacificum, nihil proſperum, vndique exurgent prælia, & ſeditiones, & terræmotus, & fames, & peſtilentiæ. Vt ergo inter proſpera venientem decuit modeſtia, ſic inter ſeditiones, & calamitates venientem animoſitas decebit
Galfr. Ait Galfridus apud Tilmannum in allegorijs ſuper cap. 21. Lucæ: *Nec modò aduentus eius poſterior â priore longè alius erit, ſed ipſa eius qualitas valdè diſſimilis; ſiquidem turbulentiſſimo ſæculi tempore veniet eius reparare ſtatum, cuius pacatiſſimo tempore venit prædicare contemptum. Occultum ſeſe præbuit in ſæculi gloria, ſed manifeſtabitur in ruina. Væ, qui apparere in proſperis, latere cupiunt in aduerſis, nec caput dimittunt inter proſpera humiles, nec leuant inter aduerſa ſecuri.* Manifeſtatio, & animoſitas ſplendet inter aduerſa & calamitoſa; inter proſpera autem magis latibulum decet. Fœlix es, quiſcis latere, & cauere proſpera ſæculi, & ſimul ſcis te te oſtendere in aduerſis. De ſe aiebat
Galat. 6 Paulus, ad Galatas, cap. 6. *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini.* Omnis gloriatio in hoc ſæculo ſuſpecta eſt viris ſanctis; nihilque magis cauere ſolent prudentes viri, quàm ſeculares gloriationes: quod ſciebat Paulus, vbi ait: *Mihi abſit gloriari:* & cùm hoc ita ſit, vbi ad crucem ventum eſt, vbi ſeſe inter cruces conſiderat, tunc minimè gloriari refugit; imò tunc clamat. Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini, quaſi inter cruces libenter admittat gloriationem. Et quidem id ſapientiſsimè præſtat, oſtenſio enim, & animoſitas tunc maximè decet, quando nubila ſunt tempora. Ait enim Diu. Vale- Valer.
rianus, homil. 11. *Ibi ſanè de ſe gloriari hominem oportet, vbi pro nomine Domini voluntaria pœna ſuccedit. Quæ tamen gloriatio hunc habet fructum, ſi auxiliante Chriſto mereatur effectum.* Expende tempus, quo gloriatio ſecura eſt homini, nimirùm quo tempore pro Chriſti nomine homo ſub pœna eſt, quo tempore eſt in perſecutione, in tentatione, in tormentis, inter has cruces magis animoſitas, & oſtenſio ſplendet. Accipe exemplum ex 4. Regum. 4. ibi Eliſæi hoſpes fœmina de mortuo filio dolens cucurrit ad Prophetam: *Cumque veniſſet ad virum Dei* 4 Reg. 4.
in montem, apprehendit pedes eius, &c. Vbi autem Eliæus puerum reuocauit in vitam, *Venit illa, & corruit ad pedes eius, & adorauit ſuper terram.* Expende diſcrimen, in præſenti non apprehendit Prophetæ pedes, quos primò apprehenderat. Et cur in præſenti, quando tantum beneficium acceperat, cauet tangere Eliſæi pedes, quos paulò antè ambabus manibus tenebat? Pulchrè ait Caietanus ibi: Caiet.
Cerne diſparitatem, quòd mœrore affecta tenuit pedes Eliſæi: læta autem ob reſuſcitatum filium non tangit pedes Eliſæi, ſed iuxta pedes ſuper terram ſe proſternens, ſolitam ſeruat modeſtiam, quam maternus dolor obliuioni tradiderat. Inter proſpera, & læta magis ornat homines modeſtia, quibus licet mœroris tempore, eius obliuiſci cancellos, & in animoſitatem ſecuriùs exurgere. De poſtremis ſæculi periculis locutus Dominus ait Luc. 21.
apud Lucam, cap. 21. *His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra, &c.* Expende conſilium pro tribulationis tempore; non ait, proſternimini, humi ſedete; ſed quod oſtenſionè, & animoſitatem ſonat, nimirùm: *Leuate capita veſtra.* Pro quo eleganter differit Galfridus apud Tilmannum, in allegorijs, inquiens: *His autem fieri incipientibus, terræ ſcilicet motibus, confuſione ſonitus maris, & fluctuum, ſignis in Sole, & Luna, & ſtellis. Leuate capita veſtra. Non expectemus, vt mundus nos obruat, quia neceſſe eſt, ruat. Dimittamus in proſperis* Galfr.

capita, ne vanitatis aura nos rapiat. Leuemus in aduersis capita, ne nos torrentis mergat vnda, vel trahat. Leuandum igitur est caput, & resistendum his, qui dicunt, incurnare, & transeamus. Sic enim loquuntur tentationes, &c. Tunc enim maximè licet homini animosi tas, quando ob impetum aduersariorum posset de illo timeri, ne cadat animo.

§. VI.

Regno Christiano inter omnes affectus maximè suspectus videtur affectus ad pecuniam.

POst acceptum regnum, nil priùs dicitur nobilis hic vir curasse, quàm rationes petere pecuniarũ, quas dederat seruis, antequam regnum accepisset. Quis hoc crederet de homine ad regnum euecto? Sanè Diu. Chrysologus, serm. 23. ait: *Chrysol.* *Est consuetudinis, est animi fœlicis, vt adscitus ad regnum, quod fuit proprium, quod priuatum, mox parentibus, mox propinquis, ciuibus indigentibus, liberaliter prorogare, ne sit mendicus animo, qui censu fuerit ditatus, & honore.* Et quando hoc ad regium, fœlicemq; animum pertinet, quòd Rex factus non curet proprias anteceden tes fortunulas, sed eas liberaliter dimitat. Cur hic homo diuinus, regno accepto, exactam rationem petit sibi reddi de datis anteà pecunijs? Ne mireris, quòd Rex hic ad rationem vocet, non alia, sed solùm datas pecunias; forte enim alia bona dimittet, sed pecuniarum affectus sic suspectos habet regno Dei, vt pro illis examinandis, & purificandis maximoperè inuigilet. Tibi caue, homo, à pecunijs; harum possessio nunquam non sollicita, & plena timoris; nunquam securus de examine, de ratione raddenda est ille, qui nescit contemnere pecunias. Huc reuoca factum illud cantatissimum Abrahæ, qui oblatum sibi sepulchrum Sacræ, renuit illud accipere aliter, quàm data pecunia. *Gen. 23.* Ait enim Genes. 25. *Dabo pecuniam pro agro: suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in agro.* Sapienter pensabat vir sanctus mortis quietem, securitatem iudicij, quæ in sepultura significantur, minimè haberi posse, nisi abiecta priùs, contemptaque pecunia. Pro quo exclamat Diuus Hieronymus, epistola ad Geruntiæ filias: *Hieron.* *O veritas, ô altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei! Quid est sepulchrũ? Locus quietis, vbi iuxta mundi rationem defunctorum corpora collocantur. Vera ergo intelligentia locum sibi requietionis pater Abraham fide sua, & contemptu pecuniæ comparauit.* Prudentissimus homo ad finalem quietem nihil sibi actum putabat, dum contemptum in se non ostendebat pecuniæ. Semper equidem pecunia suspecta fuit sanctis viris, à qua & solet vinci, qui cætera omnia temporalia bona facilè superat. Proponite vobis ob oculos Ananiam & Saphiram, Actorum. 5. qui diuitem agrum possidebant; sed audito nomine Christi agrum facili negotio despiciunt, illumque à se abijciunt: quippè ait textus: *Ananias cum Saphira vxore sua vendidit agrum, & fraudauit de pretio agri,* Expende, quid vendat, & quid defraudet; vendit agrum, & fraudat de pretio; qui enim potuit agrum pro Christi nomine despicere, non potuit omnimò despicere pecunias, à quibus miserè vincitur. Quò aspiciens Diu. Ambrosius, serm. 59. *Ambr.* ait de Anania: *Solus ergo in cœtu sancto pestilens fuit, qui cunctis contemptu pecuniæ lucrum vitæ requirentibus, ipse tantùm lucrum magis pecuniæ mercatus est, quam salutis, & dum pretij sperat compendium, animæ reperit detrimentum.* Non postposuit salutem agro diuiti, & illam postposuit pecuniæ, vt ostendat, quàm lethalis sit Dei regno pecunia. Et meritò quasi exaltans firmitudinem primorum Romanorum, canebat Iuuenalis *Iuuen.* Satyra. 1.

---Et funesta pecunia templo.
Nõdum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Dum enim pecunia non colitur, pacata imperia durant, & maximè floret regnum diuinum; quod mirum erit, si non periclitetur, vbi datur pecuniæ cultus.

Luc. 19.

Luc.19. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisiuit. Et ait illi: Euge, bone serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates.

§. VII.

Summa fœlicitas, & gloria est viri, quòd nihil suum ostendat in operibus suis, sed in omnibus solus Deus appareat.

MIraris gloriarum cumulum, quem Deus congerit super hunc seruum suum? Quippè ait: *Eris potestatem habens super decem ciuitates.* Tantumne meruit acquisitio decem mnarum? Quantulæ sunt mnæ, vt pro illis decem ciuitatum detur dominium? Non propter solas acquisitas mnas, crediderim tantum gloriæ augmentum fuisse, sed propter illam ingentem animi virtutem, qua seruus hic bonus in acquisitione mnarum nihil suum ostendit, sed omnia Deo tribuit; ait enim: *Domine, mna tua decem mnas acquisiuit.* Non ait, ego acquisiui, sed mna tua acquisiuit; hoc curans, vt non ipse, sed Deus solus appareat in laude virtutis acquisitæ: quod & fructuosissimum, & præstantissimum Dei seruis existit. Magnus ille Noe, Geneſis cap. 9. cumulaturus benedictionum glorijs filios suos, vbi ad Sem peruenit: *Dixitque: Benedictus Dominus Deus Sem*; amabat benedicere Sem; & non Sem, sed Deus Semi apparet benedictus: & quidem hoc ad gloriarum, & benedictionum Semi maximè conducit, in cuius laudibus, & facinoribus vnicus author videatur Dominus Deus innui. Vndè aiebat Diuus Chrysostomus, homilia. 29. ibi: *Benedictus Dominus Sem. Hoc fortè quis dixerit, non est benedicere Sem: imò valdè benedixit illum. Quando enim Dominus benedicitur, & aguntur illi gratiæ ab hominibus, tunc vberior ab illo solet istis benedictio dari, propter quos ipse benedicitur.* Tunc vberior, & altior benedictionum cumulus à Deo in se proficiscitur, quando in exhibitione tuarum virtutum; non tu curas apparere, sed Deus solus apparet, qui ab omnibus debèat benedici. Huc reuoco Isaiæ illam promissionem, capit. 44. *Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.* Et qui erunt digni tanta effusione diuini Spiritus? Quis capiet tam largas, & magnificas Dei benedictiones? Iam dicit, inquiens: *Et germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta præterfluentes aquas, Iste dicet, Domini ego sum: & ille vocabit in nomine Iacob; & hic scribet manu sua, Domino.* Salix arbor est ex se infrugifera, & debilis, opaca tamen, & diues foliis, & vmbris: sic fœliciſsimi illi, quibus cumulatissimè effunduntur benedictiones diuinæ, instar salicum se ostendent, ex se infrugiferos, & infirmos, imò & se totos vmbris dabunt, vt vnus in illis eluceat, & intonet Christus. Nihil aliud in ore ipsorum, nec in vultu, nec in manu videbitur, quod non referat vnius Dei virtutem; vt in se obscuri, & infrugiferi ostendentur, sic in Deo exaltando inuenientur vocalissimi. Alius enim dicet, Domini ego sum; alius scribet manu sua, Domino: vel vt legit Arabicus, *Hic scribet se è proprietate Domini*, ne quam in se ostendat virtutem, quę à Deo non venerit, & Dei non sit. Quem spiritum ebibit Abraham, de quo legitur, Genes. 21. *Abraham autem plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni.* Expende iustissimi viri, cœlestibusque benedictionibus dignissimi perfectionem; vt nemus plantat, statim Dei nomen inuocat, ne quid suum ibi appareat, sed quidquid ab eius cultura creuerit, vni Deo militet. Ex quo monet Lyppomanus in Caten. *Vt nos quoque discamus studium promouendæ gloriæ Dei, vt omne nostrum studium, peculium, eloquium Domino Deo nostro seruiat.*

Hæc ille.

Gen.9.

Chryſoſt.

Gen.21.

Lyppo.

Luc. 19. Et alter venit dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates.

§. VIII.

Potestas, quæ à Deo venit, mensuratur benefaciendi facultati.

QVę Dei mna decem alias fecerat, potestatem accepit homini suo super decem ciuitates; quæ verò quinque alias tantùm fecit, etiam tantùm potestatẽ accepit super alias quinque ciuitates. Nũquã enim à Deo maior potestas homini datur, quàm est facultas benefaciendi, quando diuina potestas beneficiorũ, gratiarumque augmentis innotescit: quippè qui de accepta mna, alias ipse facit, ille est, qui de accepta gratia, etiam alias ipse gratias facit, vt bene faciendo homines Deo trahat. Quantam ergo quis in se ostenderit benefaciendi facultatem, tantam à Deo solet accipere regendi populos potestatem. Tres menses egerat populus Israeliticus in deserto, potentissimam Dei prouidentiam in aquis à rupe eductis, in manna dato, in carnibus adductis, in hostibus deuictis expertus; & post hanc experientiam. Exod. 19. intonante, & fumante Sina monte, clangente buccina, supremæ potestatis leges cæpit audire. Cur nõ anteà hæc Dei potestas super populum in exhibendis legibus monstrata est? Vt potestas hæc condendi leges super populum ostenderetur diuina, quæ non priùs apparet, quàm apparuit facultas promouendi, & sustentandi, imò augendi populum in media deserti sterilitate. Quippè ait Philo, lib. de Decal. *Philo.* *Quoniam oportebat persuasum esse mentibus, leges has non esse commenta humana, sed oracula certa diuinitùs prodita, adducta est multitudo longè ab vrbibus in vastam solitudinem omnium fructuum mitium sterilẽ, atque etiam aquæ carẽtem limpida: vt constituti in summa cibi, potusq; inopia, & salutis periculo; repentè inuenirent sponte oblatam rerum copiam, in panis vicem defluente mannæ alitũs, accedentibusque in obsonium coturnicibus; aquis autem tunc edulcatis depositæ salsugine, nunc è rupe largo fonte promanãtibus, ne posthac Deum esse legum nouarum auctorẽm ambigeret, sumpto bonitatis eius experimento manifestissimo in tãm insperato egestatis remedio.* Necessarium fuit, quòd beneficiorum lucris, & facultati auxiliatrici, & sustentatrici potestas cõdendi leges super populum responderet, vt monstraretur esse diuina. Nullus enim ambigendi locus manet diuino spiritu agi legislatorem, cuius potestas faciendi leges, paret facultati præstandi beneficia, faciendi lucra in reparatione ciuium. Et quando diuina potestas non mensuratur benemerendi facultati? Equidem sic puto huic illam respondere, vt vbi parua sit benefaciẽdi, benemerendiq; facultas, etiam parua appareat ibi potestas diuina, & vix hæc vlla appareat, vbi illa fuerit nulla. Accipite Exod. 32. dicentem Dominũ: *Cerno, quòd populus iste duræ ceruicis sit: dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Expende, quòd petat Deus à Moyse dimitti, quasi ipse non sit in sua potestate, sed Moysi sit subditus. Et vbi est, Domine, illa tua ingens potestas, qua facis, quod vis, qua omnium dominaris, qua super omnia Rex, & Princeps es cõstitutus? Cur sic te ostendis subditum homini, quasi nullam, aut pusillam habeas potestatem faciendi quod vis? Planè totum negotiũ Dei in præsenti erat plenum ira, qua non acquirere, & sustentare, sed perdere populum decernebat, adeò vt vix parua ostenderetur benefaciendi scintillula, & sic necesse fuit, vt parua, aut nulla etiam ostenderetur potestas diuina, quando hæc mensuratur facultati auxiliatrici, benefactrici. Sapienter ad hęc aiebat Tertull. lib. 2. in Marc. *Satis & tunc pusillus Deus in ipsa etiam ferocia sua, cùm ob vituli consecrationem efferatus in populum, de famulo suo postulat Moyse: Sine me, & indignatus ira disperdam illos.* Vbi in dispersionem populi, & non in acquisitionem exurgit Dominus, pusillus satis apparet in ferocia illa, quia in misericordia penè se ostendebat tunc nullum. Et simul se ostendebat totum vltorem, & totum subditum, vt potestas videretur diminuta in diminutione facultatis benefactricis.

Exo. 32.

Tertull.

***

Luc. 19.

Luc. 19. Et alter venit dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario: timui enim te, quia homo austerus es tollis, quod non posuisti, & metis, quod non seminasti.

§. IX.

Id suum habebit homo ex Deo, quo vtitur in Dei obsequio.

MEritò hic seruus de mna accepta loquitur, quasi de depósito, nõ quasi de proprio; ait enim: *Repositam habui in sudario*; vbi enim cum illa non laborauit in Dei obsequium, non potuit illam vt proprium quid æstimare, sed vt alienũ depositum. Equidem id solùm suum propriũ videtur habere homo, cum quo Deo seruiendo operam nauat. Aiebat Paul ad Rom. 8. Rom. 8. *Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, et parturit vsque adhuc. Non solùm autem illa, sed & nos ipsi spiritus primitias habentes.* Expende hæc verba, *spiritus primitias habentes*, & mirare Pauli sapientiam, quôd quasi sub Apostolorum possessione primitias spiritus constituat. Et vndè sic audet vir diuinus, vt à se, & à cæteris Apostolis putet haberi, & possideri spiritus primitias? In se, & in alijs videbat spiritus gratias non vacuas, non otiantes, sed operantes, sed lucra Deo reportantes; & meritò suas putat primitias spiritus, quas in se ipsis cernit Deo impẽsas, & oblatas. Sic explicabat D. Anselm. Anselm ibi: *Non solùm illa ingemiscit, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, id est, qui iã spiritu Deo seruimus, qui iam mente Deo credimus, & in ipsa fide primitias quasdam dedimus, vt primitias nostras sequamur.* Meritò primitias spiritus se putant habere, qui Deo seruiendo tribuunt spiritus primitias; quas ideò vocant suas, quia in Dei obsequium illis vtuntur. Cantatissi- 1. Reg. 1. ma illa Elcanæ vxor. 1. Reg. 1. donum ex Deo accepit Samuelem filium, quem ablactatum Sacerdoti offerens ait: *Pro puero isto oraui, et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulaui eum. Idcircô et ego commendaui eum Domino, &c.* Sic relicto puero in templo, abijt Anna in suam domum, de qua statim capit. 2. loquens textus ait: *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo. Et tunicam paruam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus.* Expende illa verba, *mater sua*, nunc enim primò verba proprietatis dicuntur circa Samuelem; anteà prudens fœmina non se vocat illius matrem, nec illũ vocat filium suum, nec vllum verbum proprietatis erga illum profert, sed quasi acceptum depositum, sic illum Deo reddit. Nunc autem vbi ostenditur puer Deo ministrans, iam vocatur Anna mater sua, quasi ex quo, accepto filio vtitur in Dei obsequiũ, illum suum habeat. Id quod sanctissimè Ambr. ponderabat Diu. Ambros. in exhortat. ad virgin. fatus: *Egregia sanè fœmina, quæ sibi nihil reliquit: totum, quod habuit, Deo obtulit: cuius vita institutio disciplinæ est. Procedit in Ecclesiam, domesticum decus inuehens, et inuenit in Ecclesia, quod suum dicat, filium sacrarum lectionum oracula personantem.* Quæ filium à se sciuit alienare, & totum Deo offerre, vt Deo in templo ministret, ex tunc inuenit in templo quod suum dicat; nihil enim magis tuum habes, quàm id, quod Dei obsequio à te mancipatum vides. Quo vteris, vt Deo impendas obsequium, id facis tuum, & tibi acquiris, quidquid impenderis Deo. Felix illa peccatrix, Luc. 7. lachrymis riga- Luc. 7. bat Domini pedes, osculabatur, capillis tergebat; inter hæc ait illi Dominus: *Fides tua saluam te fecit.* Quid magis Deo propriũ, & ab homine magis alienũ, quã fides? Sanè si qua fides in peccatrice erat, donum Dei erat; cur ergo dicitur illi, *fides tua*? Ex quo accepta fide vtebatur, vt talia Deo obse quia exhiberet, non solùm quidquid Deo præstat, suum facit, sed & ipsam fidem suam fecit. D. Paulin. epist. Paulin. 4. ait: *Quidquid Christo impendimus, nobis potiùs conferimus. Denique illa perfundendo Christum, se abluit; pedes illius detergendo, sua peccata mundauit. Illum diligens, se dilexit. Et ideo meruit audire: Fides tua te saluam fecit.* Eô peruenit Magdalena seruiens Deo, Christo ministrans, vt vel dono acceptam fidem suam operationibus redderet. Id enim specialissimè suum homo facit, quo vtitur, vt operã nauet Deo seruiendo. Hinc est, quod petimus, Mat- Matt. 5. thæi. 5. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè*: quem panem nostrum vocamus, cur adhuc dari nobis petimus, nisi quod ex dono Dei habemus, adhuc specialiter

nostrum facimus operationis effectū? Aie
Pasch. bat Diu. Paschasius, lib. 6. *Noster quippè est, quia nobis iam iure debetur; ideò oramus, vt quod nostrum est per donum, quotidiè tribuatur per effectum.* Tunc nobis per effectum bona omnia acquirimus, cū illa Deo impendimus; nihil enim nostrum putare debemus, nisi quod Christo exhibemus. Vide dicta. 3. tom. lib. 15. cap. 2. §. 7.

Luc. 19. Dicit ei: De ore tuo te iudico, serue nequam, sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens, quod non posui, & metens, quod non seminaui: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam?

§. X.

In mensa Eucharistica totus suauis, & magnificus Deus apparet.

NEquissimus seruus vt Domini austeritatem fugeret, in sudario acceptā mnam reposuit, cùm facilius posset non austeritatem, sed suauitatem, sed munificentiam Domini sentire, si non in sudario, sed in viuifica altaris mensa acceptam mnam collocasset. Reposuisses, miser, pecuniam in hac Dei mensa, & fallar, nisi Deum ibi & munificentissimum, & suauissimum spectares. Mensa enim diuina numquam non ostendit patentissimos bonitatis, & suauitatis thesauros.
1. Co. 10 Paul. 1. ad Corinth. 10. ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Ecce qui vocetur calix Eucharisticæ mensæ, in quo Christi sanguinem participamus; vocatur equidem calix benedictionis, quasi ab hac mēsa omnis maledictio, & asperitas absit, solique omnium benedictionum, & suauitatum ibi inueniātur thesauri. Ibi ait Chry-
Chrysost. sostomus, homil. 24. *Cùm benedictionem dico, Eucharistiam dico; & dicendo Eucharistiam, omnem benignitatis Dei thesaurum aperio.* Qui austerum, & nimis rigidum Dominum metuistis, currite ad hanc viuificam Eucharistiæ mēsam, & in ea apertos thesauros totius inuenietis benignitatis. Nihil ibi deficit mansuetum, nihil benignum, nihil suaue; nihil horrendum, nihil metuendum adest. Quò respiciens Isaias, cap. 65. aiebat: *Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus: Ecce serui mei comedēt, & vos esurietis. Ecce serui mei bibēt, et vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, et vos cō fundemini. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, &c.* Expende, quid faciant Dei serui, vbi comedunt, & bibunt; sanè non aliud faciunt, quàm lætari, & exultare; in Dei enim conuiuio nihil inueniunt, de quo metuant, sed omnia ibi sentiunt & suauitate, & exultatione plena. Ait Diu. Cyrill. Alexand. lib. 5. tom. 6. in
Cyr. al. Isaiam, ex translatione Turriani, de Sacramento Eucharistiæ, cap. 30. *Cœlestibus benedictionibus verè perfruentur, qui corda sua opima reddiderunt, accubantes mensæ mysticæ Domini, et Saluatoris nostri Iesu Christi, et panem vitæ comedentes, ac diuinum potum potantes; qui quidem potus cœlestis lætitiæ participes eos efficere potest. Purgat enim peccata, et extrahit, quod mœrore afficit, neque patitur, vt metus suppliciis animas nostras perterreat.* Qui tanto cibo munitur, qui tātæ accubat mensæ, omnes ibi ponit metus; nihil enim metuendū finitur apparere à mensa cœlesti, quin potiùs terribilis omnia fugat, & solos munificētiæ, & suauitatis thesauros iubet petere. Hinc Paul. 1. ad Corinth. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis,* 1. Co. 11 Inter manducandum diuinum epulum, nihil priùs annuntiatur, quàm Domini mors; cur non magis ibi annuntiatur Dominica resurrectio, vel Dominica ascensio, vel secundus Domini aduentus? Sanè in nullis Christi magnalibus sic suauitatis, & munificentiæ thesauri patuerunt, vt in morte eius, ideoq; in cœlesti mensa sola mors Christi annuntiari permittitur, in qua totius suauitatis, & munificentiæ memoria exhibetur. Ait enim Chrysostom.
Chrysost. homil. 4. ad Ephesios: *Quoties, ait Paulus, hæc facitis, mortem Domini annuntiatis; hoc est, salutis vestræ memoriam instauratis, nempè munificētiæ Christi omnibus collatæ.* Nihil in hac mēsa permittitur, quod medelam non clamet, quod profusissimā Dei non ostendat suauitatem. Totam Iesu mortem ibi ob oculos ponit, ne videamus aliud, quàm scaturigines gratiarum, quàm apertos thesauros suauitatis, quàm

rigo-

rigoris aculeos confractos. Huc reuocadicta tom.3. lib.14. cap.10.§.11. & tom. 1.lib.3.cap.8.§.6.& alibi.

§. XI.

Ab Eucharistiæ mensa plurima lucra.

INexcusabilis est hominum ignauia apud Deum, quando vel si asperitatis alia opera horrent, per hoc ingentia possent lucra comparare, si vel altaris sacræ mensæ assiderent. Vndè meritò huic seruo obijcitur, non quòd horreret virtutũ asperitatem, sed quòd nec ad mensam curreret, in qua sine difficultate plurima lucra teneret. Sic enim ait Hieron. epist. ad Heliodorum: *Serue nequam, quare non dedistimihi pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris exegissem eam? Id est, deposuisses ad altare, quod ferre non poteras.* Quidquid graue, & ponderosum refugeres, non otio torperes, sed pro illo dimisso ad altaris sacri mensam accederes, & fallar, nisi omnia lucra inde suppleuisses. Quale bonum à sola altaris mensa lucratus non esses? Matth.6. petimus: *Panẽ nostrum quotidianũ da nobis hodiè*; & quia diuinæ mẽsæ panem petituri accedimus; nullum est cœleste bonum, quod nobis cum illo non donetur. Quippê ait ibi D. Paschas.lib.4. *Vndè illum, quia puer natus est nobis, & filius datus est nobis; oremus quasi thesaurum nostrum, oremus vt cibum nostrum; noster enim est, & ideò cum eo simul omnia nostra fiunt. Sit tantùm ille cibus nobis quotidianus, & omnia in eo simul nostra erunt.* Vnum est nobis opus, nimirùm quòd ad cœlestem mensam conuolemus, quòd cœlesti epulo reficiamur frequenter; ex quo proculdubio illud commodum adipiscemur, quòd omnia in eo cœlestia lucra nostra habeamus. Quęstuosissimum enim est Eucharisticæ mensæ negotium, adeò, vt plùs ab illa lucrorum acquiras, si vel obiter accedas, quàm si mũdialibus nummularijs ingentem operam naues. Quis nesciat Saulis iuuenis diligentiam in quęrendis asinis patris? Huc intentissimum adijciebat animum, vt nullus esset locus, in quo ipse non requireret amissas asinas. Intereà à Samuele inuentus, sic ex illo audit.1. Reg.9. *Ego sum videns, ascẽde ante me in excelsum, vt comedas mecum hodiè, & dimittam te manè; & omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. Et de asinis, quas nudius tertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inuentæ sunt. Et cuius erunt optima quæque Israel? Nonne tibi, & omni domui patris tui?* Expende, quot bona cum prophetico epulo Saul nanciscatur: solas asinas ex intentione quęrebat, ijs inueniendis totam suam operam, & diligentiam dabat, & dũ has anxius requirit, obiter Prophetam adit, ibiq; excipitur prandio. Quid inde? Cum prandio prophetico omnia optima Isralis accipit, plùs acquirens ex prophetica mensa, cui obiter accubat, quam ex ingenti labore, & diligentia præstita quærendis asinis. Id quod notans Nazianzen.orat.20.ait: *Mihi dispari modo idem, quod Sauli accidit, qui patris asinas quærens, regnum inuenit plûsq; in ea re, quam obiter agebat, quâm in ea, quæ præcipue ipsi curæ erat, lucri fecit.* Id quod & cuiuis Christiano homini accidit, si vel obiter diuinum prandium adeat, plùs sanè in ea re lucri faciet, quàm si vel immensam curam, & diligentiam adhibeat negotijs mundialibus. Quęstuesissimum enim omnium negotium inuenitur in mensa sacri altaris. De hoc vide tom.3. lib. 14. cap.10.§.4.

Hieron. Matt.6. Pasch. 1.Reg.9. Nazia.

Luc. 19. Et adstantibus dixit. Auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur: ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.

§. XII.

Qui in Dei gratia viget, languentium vicinorum sugit augmenta.

QVi vsque ad decem gratiarum mnas florenti virtute peruenerat, iussus est accipere & vnicam mnam, quã piger, & ignauus conseruus videbatur habere. Sic arbor robusta, & vigens infirmioribus vicinis plantis succos eripit, & dum vni sibi omnia rapiat augmenta, necessum est, circa illam infirmiores decrescere. Sic iustus in gartia vigens languentium vicinorum

norum augmenta fugit, quibus prosperatur, & crescit in dies, decrescentibus illis. Propone tibi oboculos, ex. 1. Reg. 17. Dauidem iuuenem splendidum, & præcinctum in prælium, quem Dei gratia in coronas audere faciebat: hunc adeò per Dei gratiam strenuum iuuenem Saul suis vestibus, & armis decorabat: quippè ait
1. Re. 17 textus: *Et induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica.* Quid tũc? An casu agebatur, vt ignotus iuuenis acciperet, & armaret vestimenta regia? Absit; imò gratia Dei tunc vigens, & florens in Dauide, id iam operabatur, vt languentis vicini alumno suo raperet ornamenta. Languidum possessorem deserebant augmenta, vt ad vegetiorem, & præstantiorẽ Dauidis gratiam confluerent. Pulchrè ait
Basil. Se. D. Basil. Seleuc. orat. 15. *Imprudens Saul diuinæ gratiæ obsecundabat, & cùm ornaret armis, quem anteà ornarat gratia, ornamenta dignitatis exuebat.* Regijs vestibus exuebatur Saul, quibus induebatur, & ornabatur Dauid, ad hoc præparatus à gratia; vt enim gratiæ ornamentis vigebat, sic languenti vicino ornamẽta eripiebat, quæ ille à se exuens, gratiæ Dauidis deseruiens imprudens donabat. Dauidis item filia erat Maria, vbi trima in templo Hierosolymitano præsentata apparuit: cuius nomine, iuxta Damascenum canebat ille
Psal. 51. Psal. 51. *Ego autem quasi oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei, &c.* In domo Dei, in templo Dei apparuit quasi oliua fructifera, præclarissima Dauidis filia Maria Virgo. Quid tunc? Accipite Oseam cap. 14. dicentem:
Ose. 14. *Israel germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani. Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius.* Mariam in templo fructiferæ oliuæ comparat Spiritus Domini, idemque Spiritus Israelem comparat liliorum germini, & Libani virgultis infrugiferis, non tamen sic inquiens, manet Israel, sed rami eius ibunt; & quò ibunt rami eius? Eò ibũt Israelis rami, vbi in oliuæ gloriam translati appareant; quidquid enim succulentum, & glorioſum fuerit in Israele, id omne confluet ad Mariam, vt crescens in gloria hęc fructifera oliua decrescant penitùs vmbratilia arbusta circa
Georg. illã. Quò spectans Georgius Nicomediensis Archiepiscop. in orat. de Deipara, apud Surium posita, die 21. Nouemb. inquit: *Postquam autem fuit introductum eius spatium, quod est vel cœlis ipsis latius, signum eorum dissolutionis, quæ in templo fieri consueuerunt, eam statim viderunt, gloriã quidem sua sponte ad eam currere: se autem ea in dies priuari animaduerterunt.* Quid mirum, quòd fructifera, & vigens oliua Maria vmbratilibus templi arbustis succum prærripiat, & cadẽntibus illis, de illorum gloria glorioſior exurgat? Sic procera, & vigens arbos eripuit succum vicinis oleribus, & arbustis, & rapit sibi, quo hæc depereant, & ipsa prosperetur in dies. Sic aiebat Baptista de se, & de Iesu. Ioann. 3. *Illum oportet crescere; me autem minui.* Sic non poterant simul crescere Baptista, & Christus? Sic augmentum externæ gloriæ eripiebat necessariò Christus Baptistæ? Equidem apparente viuidissima arbore Christo, non poterant humilium arbustorum gloriæ non ire ad illum: apparente sanctitatum palma, non poterant peccatoris hominis virtutes non disparere circa illam. Vndè Diu. Augustl. tractat. 14. in Ioannem. *Quid ergo est, illum oportet crescere, me autem minui? Antequam veniret Dominus Iesus, homines gloriabantur de se. Venit ille homo, vt minueretur hominis gloria, et augeretur gloria Dei. Etenim venit ille sine peccato, et inuenit omnes cum peccato.* Nequit peccator non minui, vbi iuxta fructuosissimum appareat iustum, quãdo iustus arbor vitæ est crescens, & vigẽs, quæ vicinorum olerum, & vilium virgultorum augmenta exsugit. Augustl.

CAPVT XXI.

De vinea conducta agricolis.

DVLCHRE Ingratissimis Iudeis eorum ingratitudo, & ingratitudinis pœna monstratur in rusticorum agricolarũ capite. Ij dum conductæ sibi vineæ redditus Domino negant, non solùm aduersus modestissimos exactores insaniunt, sed nec Domini filio parcunt, quem ne vel insensibiles vites defenderent, extra vineam ejectum acerbissimæ morti tradunt. Quis inultum fineret scelus tantum? Non equidem Dominus vineæ, qui vbi agricolarum rabidissimam vidit feritatem, vel de ipsorum reorum suffragio, nefarios perdit, præstantiores alios exaltat in hæreditate. Huc adeste, Iudæi,

de

de vobis enim tota hæc compositio narratur; vos vineam ex Deo, hoc est, veræ religionis Ecclesiam sortiti, affluenti omnium cęlestium, terrestriumque bonorum copia ditati, prouentuum loco insidias Prophetis, & necem crudelissimam ipsi Dei Filio estis machinati. Nec tantũ scelus potuit sine digna mercede relinqui, quando miseri Iudæi omnibus bonis spoliati, funditùs perditi, gemunt expositi omnium populorum ludibrijs, & rapinis, coacti videre in summa exaltatione æmulum suum, nimirùm populum Christianum. De hoc Mat. 21. Marc. 12. Luc. 10.

Matth. 21. Homo erat pater familias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.

§. I.

A Dei manibus, quæ proficiscuntur bona, non mobilia, sed stabilia sunt, & permanentia.

QVis nesciat, apud mundiale forum vineas inter bona stabilia, & permanentia censeri, nec vllo modo ad mobilia pertinere bona? Et quidem talia debebant esse bona, quę Dei manibus plãtantur, nimirùm stabilia, & permanentia. Propone tibi ob oculos. 1. cap. Genes. in quo nota differentiam causarum, & effectuũ; ex vna parte dicit: *In principio creauit Deus cœlum, et terram*: post hæc statim ait: *Fecit duo luminaria*: immediatè pòst: *Fecit firmamentum*. Ex altera parte dicit: *Germinet terra herbam virentem*: insuper addit: *Producant aquæ reptile*. Vbi Deus suis manibus cœlum, & stellas, & firmamẽtũ condidit, permisit terræ, & aquis, quòd herbas, & reptilia producerent. Cur non magis omnia Deus per se condidit? Meritò diuinæ manus abstinuere à condendis herbis, reptilibusque, vt quæ corruptioni subiaceãt; à diuinis enim manibus illa veniunt, quæ stabilitatem, & firmitatem habent. Rupert. ibi fatur: *Quæcumque Deus fecisse dicitur, manẽt, stabilia sunt. Dictum est, quia fecit Deus firmamentum, et vocauit cœlum, et ipsum manet: dictum est, quòd plantauit paradisum, et ille manet. E contrâ, quæ mouentur in terra, et in mari non manent, idcircò cautum est, vt non dixerit Deus, fiant reptilia, quorum esse citò præterit; sed dixit Deus, producant aquæ reptilia.* A corruptibilium, mobiliumque bonorum productione cauit Deus, cauerunt diuinæ manus, vt quæ per se solas nesciãt, nisi stabilia; & firmissima bona præstare. Multi fuerunt impij, qui hominem posse resurgere in vitam immortalem negarẽt, ijs fundati D. Pauli verbis, quibus ait: *Præterit figura huius mundi*, quasi mundialia omnia, vt similiter sunt facta, sic similiter corruptioni, & interitioni subiaceant. Cũ istis confligit Tertullian. lib. de resurrect. carnis, quorum vt opilet os, illud obijcit verbum diuinum, quo ait Deus: *Faciamus hominem, &c.* quasi nequeat corruptibilitati funditùs subiacere, qui Dei manibus conditus comprobatur. Quippè ait: *Homo & sermone Dei constitit propter formam, ne quid sine sermone. Et ampliùs manu propter prælationem, ne corruptibili vniuersitati comparetur.* Manus applicuit suas Deus condendo homini, ne quis auderet illum prorsus inter mobilia, & corruptibilia numerare, quando diuinæ manus nesciant suis effectibus non tribuere stabilitatem, firmitatem. Nihil enim licet corruptioni, vbi per se adest virtus Domini. Accipite Deuther. 34. vbi sic dicitur de Moyse: *Mortuusque est ibi Moyses, seruus Domini in terra Moab, iubente Domino, et sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor; et non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem. Moyses centum & viginti annorum erat quando mortuus est, non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti.* Ecce tibi Moyses etiam in morte incorruptus, nihil in eius morte apparet, quod corruptionem ostendat, nec ipsum sepulchrum. Et vndè potuit vel in ipsa morte sic incorruptus ostendi, nisi inde, quòd mortem accepit de manu Domini? Ait enim: *Mortuus est Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino.* Ex quo pulchrè Diu. Ambros. lib. 1. de Abel, cap. 2. ait: *Moyses autem mortuus quidem legitur, sed per verbum Dei mortuus est, per quòd facta sunt omnia. Verbo autem Dei cœli firmati sunt. Per verbum igitur Dei non lapsus operis, sed firmamentum est. Non ergo tanquam relapsus in terram deprehenditur corporis solu-*

Gen. 1. Rupert. Tertull. Deut. 34 Ambr.

solutione', sed tanquam verbi cœlestis operatione donatus, et munere, vt quietem magis caro eius, quàm bustum acceperit. Sic vbi innuitur Deus operans, firma, & stabilia sunt omnia, vt corruptioni nihil liceat, etiam in morte. Hinc Abraham, Ge
Gen 22. nes. 22. mortem à Deo decretam non dubitat inferre filio, quem simul suæ posteritatis fulcrum existimabat. Imò *cùm alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* Quid facis, senex, sic morti tradis, quem magis deberes donare æternitate? Cur non magis metuis perdere, quem accepisti fulcrum tuæ posteritatis?
August. Pulchrè ad hæc D. Augustinus ait serm. 73. de tempore: *Magna fides Abrahæ, magna pietas, non solùm in Deum, sed etiam in vnicum filium, cui nihil mali credidit ipse pater, quidquid de illo iusserat, qui creauit.* Vbi Dei iussio intererat, nihil etiam in morte credebatur fore contrarium Isaaci perennitati.

§. II.

Ea est spiritualis hominum vita, vt etiam de lethali vulnere conualeat, imò fructuosior resurgat.

SPiritualem animarum salutem, & religiosam vitam vocat in præsenti Dominus vineam, & meritò; vt enim ea est vinearum natura, vt de vulnere palmi tum reuiuiscant, & vberiores fiant; sic spiritualis hominum vita non funditùs perit de accepto lethali vulnere, imò inde & cõualet, & fructuosior solet existere. Aiebat Eccleſiasticus, cap. 42. *Melior est iniEccl. 42. quitas viri, quàm mulier benefaciens.* Mirabar quòd posset sapiens in aliquo inuenire iniquitatem meliorem, quando iniquitas nũquam bona est. Et cui potest iniquitas esse bona? Sanè viro fideli, & sapienti sic bona iniquitas, vt sectio, & vulnus vitibus solet esse bonum, in quo non pereunt, sed exurgunt in vitã vberiorem.
Gregor. Huc spectans D. Gregor. lib. 11. Moral. cap. 26. ait: *Discretus quisque ex eo, quòd malè se egisse intelligit, ad districtionis regulã artiùs se reducit: et inde altiùs ad iustitiam proficit, vndè ad tempus â iustitia decidisse videbatur. Quia nonnũquam etiã culpa fortium, occasio virtutis fit.* Sic composita est à Deo plantatio humanæ salutis, ne funditùs pereat primo in vulnere, sed & à vulneribus conualere possit, & vegetior exurgere. Sanè fœlicissimæ sunt plantationes diuinæ, quæ de lapsu se erigunt, de vulnere viuunt, & ditantur ictu ris. Fœlicitas hæc vt sequitur vinearum naturam, sic sequitur plantationes diuinas, à quibus nemo tollet, quòd possint de vulnere reuiuiscere. Hinc Sanson supernaturalis fortitudinis suæ fundamentum assignat Deo sacratam capillorũ cæsariem; quippè ait. Iud. 16. *Ferrum nunquã* Iud. 16. *ascendit super caput meũ, quia Nazaræus, id est, consecratus Deo sum de vtero matris meæ.* Et cur Deus concessi doni fortitudinis signum capillos Sansonis statuit? Cur non potiùs tantum donum addixit lacertis brachiorum eius, seu potiùs digitis manuum? A Deo acceptam fortitudinem in manibus suis videbatur recognoscere Psaltes, dũ ait: *Qui docet manus meas ad bellum, et digitos meos ad prælium.* Cur non sic Sansonis digitis fortitudo addicta est, sed maluit illam Dominus capillis eius addicere? Hoc habent capilli singulare, quòd de vulnere vegetiores crescãt; manus si abscindatur, si amputetur digitus, sub vulnere perit. Caput, si capillis rasum fuerit; radices retinet, ex quibus capilli maiori solent excrescere incremento: vndè Deus capillis suam gratiam addicere maluit, docens nulla vi posse fieri, quòd plantationes diuinæ, etiam post lethale vulnus, nõ iterum crescant. Ex quo
Dam. ait Diu. Petrus Damianus, opusc. 7. cap. 23. *Philisthæi crines Sanson potuere radere, sed non euellere; quia & iniqui spiritus licèt charismata Spiritus sancti â te ad tempus excluserint, non prævalent diuinæ reconciliationis remedium irreparabiliter abnegare.* Est vitæ hominis spirituali vel in vulnere, vel in morte ipsa remedium, quo reparari possunt, quæcumque bona hostiles incursus confecerant. Et vix est in animarum pastore maior virtus, quàm quòd sibi persuadeat, in nullo vulnere de ouicularum salute desperandũ. Hinc maximè extollit Lupum antistitem Sidonius Apollinaris, libro. 6o. epist. 1. fatus: *Sidon. Apoll. Nosti, vt apparet, ex aduersa acie sauciatos, dux veterane, colligere; & peritissimus tubicen ad Christum â peccatis receptui canere, & euangelici pastoris exemplo non amplius lætaris, si permaneant sani, quàm si non permaneant desperati.* Hanc præstantissimam lætitiam habeant omnes

nes pastores animarum, quòd in nullo ouicularum vulnere est desperandum, quominus ex illo conualeant. Huc possunt trahi, quæ dicta sunt tomo 3. lib. 14. capit. 4. §. 13.

§. III.

Angelica, spiritualisque præstantia sumitur ex virtute, qua protegunt alumnos suos.

VBi sepem vineæ circumdatam audiũt, statim Patres, & alij expositores per illam Angelorum intelligunt patrocinium hominibus exhibitum. Nec putant indignum, quòd Angeli sepes vocentur vineæ, quando Angelicæ, spiritualisque naturæ præstantia à virtute sumitur, qua protectionem, & defensionem exhibent hominibus. In defensionem populi Israelitæ iubebatur ire Barach, qui Iudicum cap. 4. sic respondet Delboræ Prophetidi: *Si veneris mecum, vadam; si nolueris venire, non pergam.* Quibus verbis addunt Septuaginta, apud Diu. Augustinum, quæstion. 26. *Nescio diem, in qua prosperat Dominus Angelum mecum.* Expende verba illa, *Prosperat Dominus Angelum*; quasi Angeli prosperitas, & fœlicitas inde etiam posset venire, quòd fugatis hostibus, populares Israeliticæ manerent securi, & tuti. Et quidem facit hoc ad præstantiam, & prosperitatem Angelicæ naturæ, quòd incolumes eorum pupilli viuat. Paulus ad Galatas, cap. 6. monet: *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, &c.* Expende, quòd peccator dicatur homo; & illi, quibus curandus traditur, dicuntur spirituales. Sed quid requirit à viris spiritualibus? An vt fugiant à peccatore? An vt consortium carnalium caueant, & sibi consulant? Imò hoc ab spiritualibus viris magis requirit, nimirùm quo homines peccatores in spiritu lenitatis instruant, & protegant à perditionis via. Id quod ponderans Diu. Chrysostomus, homil. de nomine Abrahã, inquit: *Is, qui peccat, homo; qui verò benè operantur, spirituales dicuntur. Hìc virtutis vocabulum posuit, illic naturæ nomen dixit. Multùm autem differt homo, & spiritualis. Vos, qui spirituales estis. Si spiritualis es, ostende mihi virtutem tuam: non à tua, sed à mea salute, sed à subsidio, quod lapso fers. Hoc enim spiritualis est, non despicere sua membra periclitantia.* Non se spiritualem putet, qui sibi soli consulit, qui nulla tenetur proximi sollicitudine; ex subsidio lapsis præstito, ex protectione, & defensione salutis animarum, spiritualitatem debemus metiri. Nec vllus est magis spiritualis, quàm est proximis proficuus. Inde etiam Paulus spiritualitatem suam mensurabat, inquiens. 2. ad Corinthios, cap. 10. *In carne enim ambulantes, non secundùm carnem militamus. Sed arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, &c.* Vndè probat Apostolus, nec se, nec arma suæ militiæ esse carnalia? Sanè ex eo, quòd tàm sibi, quàm Deo, & animarum saluti, & defensioni operam impendat. Quò militia Pauli magis circa animarum salutem versatur, eò probatur spiritualior. Quò spectans Diu. Anselmus ait: *Arma militiæ nostræ, non carnalia, sed spiritualia, & potentia Deo Regi nostro, cui militamus. Ideò arma, quia repugnant vitijs, & debellant regnum diaboli. Potentia Deo, vt per hæc valenter expugnemus inimicos eius, & subijciamus ei orbem vniuersum.* Hinc nosces, si secundùm spiritum milites, si spiritualis es, nimirùm ex affectu, quem habeas circa saluandas, & Deo seruandas animas. Qui vt tibi consulas, non adeò sollicitaris de proximi salute, carnalis es, nondum es effectus spiritualis.

Iud. 4. Augustin. Gal. 6. Chrysost. 2. Co. 10. Anselm.

§. IIII.

Nomen Dei veneratum præstantissima hominum protectio est. Vbi de iuramentis.

SEpis vineam circumdantis nomine intelligit Diu. Hilarius, Abrahami, Isaaci, & Iacobi nomen, sub quo antiqui Hebræi defendebantur: quippè ait can. 22. *Deus Iudæos sanctificatione paterni nominis, id est, nobilitate Abrahæ, Isaac, & Iacob, intra fines suos, tamquam septo aliquo custodiæ peculiaris inclusit.* Inexpugnabilem sepem, & murum populi meritò Diuus Hilarius in

Hilar.

sanctificatione paterni nominis constituit, vt hinc discamus Christiani, qualem habeamus pro nobis murum in sanctificatione nominis diuini. Hoc cura, Christiane, vt apud te sanctificatum Dei nomen vigeat, & sepem habes, & murum habes, quem opponas non solùm demoniacis, sed & diuinis iris. Esdras, lib. 4. cap. 3. sic Deo iratoin populum suum clamat: *Numquid meliora facit Babylon, quàm Sion, aut alia gens cognouit te, præter Israel? Nunc ergo pondera in statera nostras iniquitates, & eorum, qui habitant in sæculo, & non inuenietur nomen tuum, nisi in Israel.* Etiam dato quòd idololatræ Babylonij meliora faciant, quàm fideles Iudæi; imò dato, quòd ij flagitijs superent omnes gentes, audet Esdras, & petit à Deo, quòd Iudæorum iniquitates maximæ in statera constituantur, & etiam Ethnicorum flagitia. Quis hoc petat? Siquidem admittis tuorum scelera maiora, & grauiora, & numerosiora esse; cur vis, vt in statera constituantur cum alijs minoribus gentium sceleribus? Nonne magis Iudæi perdentur ob crimina maiora? Absit; etiam si maiora habeant crimina, non possunt, nec debent perdi; habent enim pro se firmissimam sepem, validissimum propugnaculum, nimirùm nomen Dei in Israele veneratum, blasphematum in gentibus. *Nunc ergo pondera nostras iniquitates in statera, & eorum, qui habitant in sæculo, & non inuenietur nomen tuum, nisi in Israel.* Nostræ iniquitates si ponderentur, superabunt iniquitates nationum; maiora in nobis crimina inuenientur, quàm in gentibus; sed etiam inuenietur in nobis maior sanctificatio nominis Dei, qua sola debemus præillis defendi. Nec miremur, quod Diuus Ambrosius, libro. 7. in Lucam, fatur de Dei nomine, nimirùm: *Tantum est Christi nomen, vt etiam parùm sanctis opituletur ad præsidium.* Quantum hoc? Ego crediderim, non solùm parùm sanctis, sed & grauissimis peccatoribus firmissima obuenire præsidia ex sanctificatione diuini nominis. Fœlix, apud quem Dei nomen sanctificatur, vel ex hoc capite munimentum habet, quod nulla expugnetur mala incursione. Et sanè Matth. 6. nil priùs iubemur postulare à Domino, quàm *sanctificetur nomen tuum*; hæc est prima petitio nostræ orationis, & debet esse prima cura, & sollicitudo hominis. Si enim hoc in primis obtinemus, vt in nobis sanctificetur Dei nomen, in eo habemus, quo excludamus aduersa omnia. Ait Diu. Chrysologus, sermone. 71. *Petimus, vt sanctificet nomen suum Deus, quod sanctitate sua totam saluat, & sanctificat creaturam. Hoc nomen est, quod supernæ potestates pauent, quod tremenda suspiciunt seruitute: hoc nomen est, quod mundo perdito dat salutem; sed petimus, vt nomen Dei actu nostro sanctificetur in nobis.* Nullum præsidium deficit illi, in quo Dei nomen apparet sanctissimum; sub huius enim tota consistit creatura. Vndè Iob inter hostiles impetus, inexpugnabilis factus, in has voces prorrumpit, cap. 1. *Sit nomen Domini benedictum*, quasi vni Dei nomini tribuat, quòd hostiles impetus superet. De quo ait Origenes, libro. 1. in Iob: *Sit nomen Domini benedictum. Nomen Domini, inquit, propter quod omnia sustineo, atque suffero, propter quod omnibus, quæ mihi obuenerunt, superior exisio. Non est nomen aliud sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Hoc, inquam, nomen Domini sit benedictum, quod iram auertit, quod maledictum abstulit, atque remisit, quod dæmones terruit.* Nihil mali nouit intrare in locum, vbi Dei nomen venerabile fuerit; imò de hac diuini nominis venerabili inuocatione clarissimum signum habebis, te seruari in possessionem æternam. Aiebat Moyses, Exod. 33. *Non indicas mihi, quem missurus es mecum, præsertim cùm dixeris, Noui te ex nomine.* Hinc magnum quid autumat, quod sibi dictum à Deo sciat, *Noui te ex nomine.* Sed quid magnum est, quòd Deus noscat Moysem ex nomine? Nonne Deo omnia notissima sunt? Quid singulare, quòd Moyses notus sit ex nomine? Crediderim, non inde ostendi Moysis præstantiam singularem, quòd sit notus Deo ex nomine proprio, sed quòd sit notus ex inuocatione diuini nominis; qui enim ita venerabiliter curat in se vocari, & inuocari Dei nomen, vt ex hac inuocatione sit notus, is in numero ostenditur intrantium æternam possessionem. Rupertus lib. 4. in Exod. cap. 39. *Igitur cùm dicit, te ipsum noui ex nomine, subauditum est, Dei, quod inuocatum est super te. Ex hoc enim nomine, Deo notus est omnis, qui scriptus est in libro vitæ.* Ecce tibi, vt in vno Dei nomine venerato habeant homines, vndè se protegant à malis, vnde acquirant omnia bona. Vt è conuerso in vilipendio diuini nominis, quale fit per quotidiana hominum iuramenta, penè confis-

Esdr 3.
Ambr.
Matt. 6.
Chrysol.
Iob 1.
Origen.
Exod 33.
Rupert.

consistit perditio omnium bonorum. Ge-
Gen. 26. nes. 26 iuxta lectigonem Septuag. dicit: *Et venerunt pueri Isaac, et nuntiauerũt ei de puteo, quem foderunt, et dixerunt ei: non inuenimus aquam: et vocauit nomen eius iuramentum.* Nec desinit dubitare D. Hieron. ibi, ob quam conuenientiam vocetur puteus ille iuramentum, ex eo quòd in eo non inueniantur aquæ? Quid interest, quòd non inueniatur aqua, vt iuramẽtum locus appelletur? Si vocabulorum attendatur consonantia, non miror, quòd nulla inueniatur inter sterilitatem aquarum, & iuramentum; at si res ipsæ attendantur, non parua ibi est, sed maxima cõsonantia, & connexio est. Quid enim magis sterile, quàm iuramentum? Vt aquarũ penuria omnium rerum affert sterilitatem; sic iuramentum vbi est, omnium rerum perditio protinùs adest. Vndè sapien-
Chryso. ter monet in præsenti D. Chrisostomus: *Quia effoso fonte nihil inuenerunt in die illo, quo iuramenta inter se fecerunt, puteum iuramenti vocauerunt nomen loci, vt facti duraret memoria.* Nec posset inueniri vocabulum, quod euidentiùs poneret ob oculos omnium rerum defectum, & cladẽ, quàm iuramentum; quando contẽptus nominis Dei, qui per crebra iuramẽta fit, causa est omnium penuriarum, & cladiũ. Huc trahe dicta tom. 3. lib. 14. cap. 6. §. 8. & cap. 16. §. 21. Item de protectione nominis Dei, vide dicta tom. 2. lib. 12. cap. 3. §. 13. & alibi.

§. V.

Scholasticæ disciplinæ vtilissimæ ad defensionem Ecclesiæ.

AVdio à Deo vineæ suæ datas firmissimas sepes, quę longè amãdent vastatrices feras; nec dubito per has sepes diuinę vineę intelligere scholasticas illas disciplinas, quibus Theologi quotidiè quasi in dialectico stadio decertant. Sic
Isai. 58. Isaias cap. 58. de bono Ecclesiaste locutus ait: *Et vocaberis ædificator sepium, auertens semitas iniquitatum.* Vbi sapien-
Procop. ter Procopius ait: *Maceriam rursùs ædificare dicitur, qui Ecclesiæ dogmata dialecticis demonstrationibus, tamquam excitato muro obsepit, ne eadem, veluti hortum desertum, quicumque voluerint, peruagentur.* Quot disputationes scholasticæ excitantur, tot construuntur sepes; aculeisque argumentorum muniuntur, ne singulari feræ liceat demoliri, & depascere Dei vineam. Vndè semper odi homines, qui offenduntur theologicis speculatiuis argumentis, quibus inueniendis, & explicandis insudant florentissima ingenia. Putantur illa à multis inutilia, infructifera; & quidem si fructus, succosque morum, & aliorum sensibilium emolumentorũ spectes, tibi infrugifera erunt; sed pro Ecclesiæ sepe, & propugnaculo, ad arcendas feras non potest esse dubium, quin afferant vtilitates ingentes. Vbi lex diuina cauebat de lignis infrugiferis, sic ait apud Phi-
Philo. lonem, libro de agricultura: *Omne, quod non fert fructum cibo vtilem excides, & facies inde vallum oppido, si quis tibi bellum inferat.* Quæ verba pulchrè tractans ipse Philo in rem præsentem, ait: *Huiusmodi arbores sunt similes doctrinis contemplationem solam habentibus; huc accedunt & dialecticæ, geometriæque partes, quæ momenti nihil ad morum correctionem habent, sed intellectum solùm acuunt, ne hebetior sit ad singula, de quibus ambigitur; sed diuidendo, distinguendoque proprietates singulorum discernat â communibus qualitatibus. Certè philosophiæ rationem triplicem priscos aiunt agro assimilasse; ita vt naturalem arboribus, stipitibusque facerent similem; moralem verò fructibus; propter quos sunt arbores: denique rationalem sepi, & maceriæ. Quemadmodum enim maceria fructum, plantasquè agri conseruat, arcens irrumpendi, nocendique cupidos, ita & rationalis pars philosophiæ præsidium munitissimum est reliquarum duarum, moralis, atque naturalis.* Hæc ille; quibus patet, quàm muniatur fœcundissima Dei vinea, etiam sterilibus scholasticorum disputationibus, vt quæ ingenium acuãt, ne permittat veritatis colore mendacium irrepere vineæ.

§. VI.

Securissima sanctorum munitio non nisi à cruce Christi.

NOn otiosè sepi vineæ apposuit torcular Dominus; nulla enim seps, nullus murus, hoc est, nulla potest dari sanctorũ tutela, & munitio, nisi de vi

cinio crucis Christi, quæ per præsens torcular exprimitur, vt ait Simon Cassiensis lib.6. cap.32. Nec est ingrata patribus expositio, sed communissima: iungatur ergo torcular sepi vineæ; iungatur crux Christi munitionibus fidelium, de qua sancti viri tutelam obtinent præstantissimam. Propone tibi ob oculos Salomonis illud magnificum templum, cuius parietes ædificabantur de lapidibus dolatis, atque perfectis; quibus lapidibus & pulcherrimi, & validissimi iam erant parietes constructi. Quid tunc? Insuper addit textus. 3. Reg. cap.6. *Et ædificauit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis: â pauimento domus vsque ad summitatem parietum, & vsque ad laquearia operuit lignis cedrinis intrinsecùs.* Ecce tibi, pulcherrimis, & validissimis lapidibus constructos parietes operit intrinsecùs lignis; & quid necessum fuit ligna addere parietibus lapideis, nisi vt appareret, quod in Dei domo, & hæreditate nulla firmitas esse potest, nisi à crucis ligno? Ait D. Isidorus in lib.3. Reg. cap.2. *Quòd parietes templi interiùs ligno teguntur, hoc ob mysterium Dominicæ crucis imaginatum est, sub cuius tutela proteguntur omnes sancti, qui indisruptæ pacis perseuerantia solidantur.* Nisi enim adderetur lignum crucis, nullum præsidium, nulla tutela vel à lapideis muris posset sancto viro obuenire. Quòd muri quadratis lapidibus cõstructi non cerei sint in defensionem, & protectionem sanctorum, hoc habent ex adiuncto ligno crucis. Lapideæ enim erant, imò marmoreæ legis tabulæ, quæ tamen facili negotio Moysis manibus confringuntur; ait enim Exod. 32. *Proiecit de manu tabulas, & confregit eas.* Quid tunc? Deuth. 10. iubet Deus alias tabulas sibi fisti, in quibus iterùm lex inscribatur, quæ in arca custodiantur, ne vlteriùs confringi valeant. Et cur posteriores tabulæ nulli subiacent cõtritioni, sed securissimè asseruantur in arca? An harum marmora firmiora, & duriora erant, quàm prima? Non equidem exmaiori robore marmoris, sed ex ligno arcæ addito, in quo crucis memoria repræsentatur, illud acquirunt robur, quo nulli ruinæ patent. Ad hæc Diu. Petrus Damianus, serm. de inuentione sanctæ crucis, ait: *Posteâ verò dantur tabulæ, sed non frangũtur, quia noui testamenti gratia, quæ per crucis est solidata mysterium, nullum nouit habere defectum.* A cruce venit, quòd sanctorum gratia eam acquirat firmitudinem, qua ruinas omnes possint vitare, & arcere mala. Vbi autem crux abest, nullum robur, nulla securitas etiam in marmoribus, æneisque muris potest constare. Matth. 16. dicit Dominus Petro: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quid Petro firmius? Quid magis marmoreum? Sed accipe, quæ dicuntur post pauca: *Assumens Iesum Petrus, cæpit increpare illũ, dicens: Absit â te, Domine, non erit tibi hoc, Qui conuersus dixit Petro: Vade post me, Sathana, scandalum mihi es.* Quid Petro infirmius? Quid fragilius, cum Sathanas vocatur? Paulò antè firmissima petra videbatur, modò Sathanæ Angelis labilior apparet; vndè tanta firmitas tãtam contraxit infirmitatem? Sanè qui anteà diuinitatem Christi prædicabat, modò eius crucem detrectat; & qui ex diuinitatis cõfessione firmus apparebat, non potuit non monstrari labilis, & infirmus, vbi beneficium crucis cæpit detrectare. Ait Germanus Patriarcha, oratione in exaltatione crucis, cõtra Bogomillos: *Quid Petro firmius, cui nec caro, nec sanguis Filium Dei reuelauit? Nihilominùs cùm Magistrum ad crucis patibulum festinantem intelligeret, conatus quidem est cursum illũ, & festinationem prohibere. Sed contrà audit: Vade post me, Sathana. O miraculum ingens! Sathanas appellatur magnus Petrus, quòd crucem detrectet; & vt petra scandali, & lapis offensionis retrò abijcitur infractum illud Ecclesiæ fundamentum.* Sic æneimuri labant, vbi abest lignum crucis, à quo omne tutamen, & præsidium accrescit sanctis viris. Aiebat Dominus, Matth.6. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, et sequatur me.* Quæ verba ponderans Diu. Chrysostomus, oratione in adoratione crucis, apud Grethserum, tom.2. inquit: *Vides, quomodo militem qui se sequitur, Rex cælorum armat: non dedit scutum, non galeam, non arcum, non thoracem, nec aliud quid de genere horum, sed quod his omnibus firmius, et valentius est, præsidium â cruce, et symbolum victoriæ contra dæmones. Hoc gladius est, hoc clypeus, hoc thorax, hoc tutum propugnaculum, hoc portus, hoc perfugium, hoc corona, &c.* Nullũ tutamen requiritur, quod sanctis viris nõ veniat à cruce Christi, sub cuius vmbra tràquillam, securamq; possunt ducere vitam. Tandem ait Esdras relatus à Lactantio; lib.4. cap.18. *Hoc pascha Saluator noster est, et refugiũ nostrũ: cogitate, & as-*

3. Reg. 6.
9. Reg. 2.
Exo. 32.
Dam.
Matt. 16
Germa.
Matt. 6.
Chryso.
Esdras.

& ascendat in cor vestrum, quoniam habemus humiliare eum in ligno: & post hæc sperabimus in eum: quasi à Christi ligno humanæ spei omne fulcimentum existat.

Isai 5. Vndè meritò canebat Isaias, cap. 5. *Vinea facta est dilecto meo in cornu filij olei.* Expende illud, *in cornu*; alludit enim ad illud

Abacuc. Abacuch. 3. vbi de diuinissimo botro Cypri dicitur: *Cornua in manibus eius*, nimirùm in manibus habebat brachia crucis, quibus mirum in modum tutabatur

D. Basil. fructus vineæ suæ. Sic denique D. Basilius ibi: *Ob hoc, in cornu tamquam aduersus inimicum, habente arma tutelaria, nempè crucem Christi.* Sic ibi.

§. VII.

Crux Christi in nobis virtutum exprimit facinora, & diuitias.

QVid vinea sine torculari? Quid homo sine cruce Christi? De torcularis beneficio habet vinea, quòd dominos diuitijs impleat; sic homo à crucis potentia habet, quòd in se exprimatur vir

Exod. 7. tutum facinora. Exod. 7. ait Dominus ad Moysem, *Cùm dixerit vobis Pharao, ostendite signa: Dices Aaron, tolle virgam, &c.* Expende, quid in primis iubeatur Moyses tollere, vt signa, & virtutes faciat, nimirùm iubetur tollere virgã, quippè sine crucis ligno nullum virtutum facinus potest ab hominibus perpetrari. Me

Seuer. ritò enim ait Seuerianus in Caten. Lyppom. Exod. 5. *Virgam ferre Moyses iubetur, vt per illam miraculorum vim declararet, virgam non aliunde vim miracula efficiendi habuisse, quàm ob latentem in ea pretiosæ crucis figuram, atque sine illa, quæ crucis signum fuit, nihil admiratione dignum Moyses fecit.* Nec sèlùm Moyses, sed nec vllus alius potuit insigne aliquod exprimere virtutis, nisi de crucis Dominicæ beneficio. Huius meritum in nobis perficit, quidquid & admiratione, & laude videtur dignũ: & quid potest esse boni sine merito crucis? Iter faciebat Agar cũ Ismaele pue-

Gen. 3. ro, Genes. 3. & deficiente aqua, puer penè exarùerat siti: *Cumque consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborem quæ ibi erat.* Quid tunc? *Aperuitque oculos eius Deus; quæ videns puteum aquæ, abijt, implenit vtrem, deditque puero bibere.* Non sic puero salutaria erant matris brachia, vt salutaris fuit arboris vmbra; dum matris brachijs tenebatur, omnia illi deficiebãt, & penitùs peribat aquæ penuria. At vbi à matre proiectus est, & sub arbore iacuit moribundus, ecce omnia suppetunt: mater videt: puteus adest: aquæ prosiliunt: impletur vter, & puer bibit, vt possit viuere. Quot Iudæi, qui pereunt in Synagogæ manibus, omniaque sibi abesse cernunt virtutũ insignia, si ad arborem crucis confugissent, præstantissima quæque sibi reciperent! Ait S. Isidor. in Genes. cap. 17. *Quod filium mo-* Isidor. *rientem siti sub arbore proiecit, & sic demonstrante Angelo aspicit fontem, significabat quosdam ex eo populo ad vmbra ligni crucis refugium petituros*: Expende illa verba: *Filium morientem sub arbore proiecit, & sic demonstrante Angelo, aspicit fontem.* Proiecto sub crucis arbore, non potuit non statim patere fons vitæ: non potuit amplius indigere, qui sub vmbraculo erat crucis, sed absque mora recipit, quo abundantissimè viuat. Et fallar, nisi de crucis potentia omnia bona tibi non possis acquirere. Sanè latro ille, quia Iesu latere pendebat, Luc. 23. vix fatus est, & statim audit; *Hodiè mecum eris in paradiso*: nudus, & pauper, & miserabilis erat, & horæ momento factus est omnium diuissimus, habens sibi totum cœlestem paradisum. Et vndè tàm breui tanta bona potuit pertingere? Ait Diu. Chrysomus, serm. 3. de resurrect. *Fecit latro de cruce impetum, & intrauit paradisum rhomphea flamma circumdatum.* In quæ bona non intret, qui crucis potentia nititur. Crux est illud lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum, dabitque fructum tempore suo, vt habes Psalm. 1. De quo ait Diu. Augus- Augustin. tinus, serm. 101. de tempore: *Dedit hoc lignum fructum in tempore suo, dedit fructum interim Domini resurrectione, dabit & cũ apparuerit de cœlis ille, qui visus est super terram, cùm præcedente ipso crucis signo iam fulgido, venerit de supernis, tunc resurgent corpora sepultorum, tunc exultabunt sancti in gloria, tunc insuis cubilibus lætabuntur, qui de sui Regis, ac Domini cruce non confunduntur, sed potiùs gloriantur.* Quid fructuosius quàm lignum crucis?

(·.·)

§. VIII.

Christus passus, & crucifixus intima humanorum affectuum penetrauit, & sibi rapuit. vbi quod passio Christi debeat in corde figi.

NOtanter dixit, quòd Dominus in vinea sua fodit torcular; potuisset solùm dicere, quòd fecit torcular, sed notãter dicit, *fodit*, vt ostẽderet, per Christi passiones, & pressuras humana corda fuisse defossa charitate. Et quò non penetrauit Christus passus? Sanè intima nostrorum affectuum tunc maximè penetrauit, & sibi rapuit. Cant. 7. *Ascendam in palmã, apprehendam fructus eius*. Miraris, quòd fructus apprehendat Dominus? Imò ex quo in crucem ascendit, & intima cordis penetrauit, & affectus humanos omnes allicit. Aiebat enim Petrus Damian. serm. de inuent. Crucis: *Ascendit igitur Dominus palmam, & apprehendit fructus eius, quia mox vt in cruce pro nostra salute pependit, omnes electos ad semetipsum per amoris desiderium traxit.* Quem affectum non caperet, cuius viscera non perfoderet crucifixus Dominus? Meritô dicit D. Bernard. serm. 20. in Cant. *Super omnia reddit amabilem te mihi, bone Iesu, calix, quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omninô amorem nostrum facilè totum vendicat sibi. Hoc, inquam, est, quod nostrã deuotionem & blandiûs allicit, & iustiûs exigit: & arctiûs stringit, & afficit vehementiûs.* Quid est, afficit vehementiùs? Omnia cordis intima penetrat, & perfodit, vt crucis claui non solùm Christi manus, sed viscera transigant fidelium, & succendant amore. Sic se transfossam Christi passione experiebatur illa, quæ Cant. 2. ait, iuxta Septuag. lect. *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius, quem desiderauerã, sedi: & fructus eius dulcis guturi meo. Introducite me in cellam vinariam, ordinate in me charitatem; fulcite me vnguentis; stipate me in pomis, quoniã ego amore sum vulnerata.* Ecce tibi, vbi lignum crucis apparuit, vbi Iesus mensuratus, affixusque fuit ligno, quanta torqueatur siti sponsa, quæ in cellam vinariam petit introduci; quantis transfigatur aculeis, quæ se charitatis iaculis transfossam dicit! quippè ait ibi Psellus apud Theodor. *Siti vrgeor, inquit sponsa, ad spõsum meum; ad vitæ botrum illum maturũ, atque diuinum, per crucis mortem dulcedine fluentem. Quamobrem in huius cellã me quoque introducite, vt purè sponsi pulchritudinem conspicata, amoris ignem erga illum adaugeam. Quoniam sagitta amoris istius confixa sum.* Nec miror, quôd crucis arcui affixus Dominus, sic vulneret sponsæ suæ intima, sic eius transfodiat viscera, Ibi enim crediderim fuisse, quãdo inquit per Isaiam: cap. 46. *Posuit me sicut sagitã electam.* Nec vnquam magis apparuit sagitta, quàm vbi crucis arcui fuit affixus, ex quo trans fixit fideliũ intima. Pulchrè ad hæc dicebat Chrysost. hom. de turture: *Ista sagitta vulneratus mente Dauid, dicebat: Adhæsit anima mea post te. Ista sagitta vulneratus Petrus dicebat Christo: Domine, tu nosti, quoniam diligo te. Ista sagitta vulneratus Paulus, & conuinculatus Christo dicebat: Quis nos separabit â charitate Christi? Ista sagitta vulnerata omnis casta Ecclesia dicebat: Vulnerata charitate ego sum. O gemitus de medio cordis amabilis!* Ea sunt crucifixi Domini amoris spicula, quæ nesciant sistere nisi in cordis intimis; dum enim in corde effosso amoris iaculis non figitur crucifixus, vix vllum fructum ex tanto crucis arbore percipies. Vt captiuitatem Aegyptiacam fugerent Israelitę, cauit Dominus, Exod. 12. vt hyssopi fasciculus agni sanguine tingeretur, quo vtrumque postem portæ linirent. Quid inde? Petrus Dam. serm. de inuent. crucis, sic monet: *Præferimus igitur crucẽ in fronte, sed eamdem crucem multô salubriûs recondamus in corde. In vtroque poste sanguinem percussor Angelus videat, vt exclusus euadat, non perempturus irrumpat.* Non equidem quæ foris geruntur passionis signa, sed quæ in effoso corde figũtur, ea causant salutem. Quô respiciens Moyses, Deuth. 28. ait populo Iudaico: *Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die, ac nocte.* Cur non magis sperabit à vita pendente? In pendẽtis à cruce Christi manibus, tota mundi salus constituitur. Cur non sperat Iudæus à pendente Iesu, magis, quàm timet? Ipse explicat, dũ ait: erit pendens ante oculos, non in corde habebitur crucifixus, sed solùm præ oculis; inde est, quôd non sperant ab illo salutẽ. Hinc Diu. Leo, serm. 8. de passione: *Isti nihil in crucifixo Domino præter factum suum cogitare potuerũt, habentes timorem, quo conscientia iniqua torquetur. Noster*

verô

Cant. 7. Dam. Bernar. Cant. 2. Psellus. Isai. 46. Chrysost. Dam. Deut. 28. Leo.

verò intellectus, quem spiritus veritatis illuminat, gloriam crucis cœlo, terraque radiantem puro, ac libero corde suscipit. Hinc illorum damna cẽsentur, quòd solum exteriùs cernant crucifixum; hinc nostra lucra, quòd crucis bona intimo corde sentimus.

§. IX.

Tunc fructuosa sunt crucis mysteria, cùm corda terrenis affectibus vacua intrant.

ADhuc insto verbis illis, *fodit torcular in ea*; numquam enim torcularis lignum adducitur, vt possit seruire, nisi priùs lacunæ effodiantur in terra, & omni appareant vacuatæ puluere. Sic etiã vt totum crucis mysterium fructuosum sit, priùs debent humana corda terreno affectu vacuari, & apparere prorsùs munda. Abraham vt Deo faceret conuiuiũ, Gen. 18. *Ad boues cucurrit, et vitulum tenerum, & bonum sumpsit, & dedit puero, & festinauit facere illum.* Cur non magis ipse per se attulit vitulum? Cur maluit illum tradere puero? Meritò vitulum, in quo exprimebatur passio Christi, noluit portari ab alio, quàm à puero, qui pueritiã innocentia florebat, nullumque veteris hominis terrenum affectum videbatur habuisse. Ait Diu. Ambros. lib. 1. de Abrah. cap. 5. *Vir occurrat ad boues, sumat vitulũ, & sacramentum Dominicæ passionis, festinato impiger studio, non lento otio remissus accipiat, tradat illud puero, qui innocentiã teneræ seruet ætatis, dolum nesciat, referire non nouerit, incorrupti corporis castimoniã custodiat.* Ille aptus crucem Christi suscipere, qui nihil in se habet terrenæ malitiæ, qui & induit nouitatem vitæ, & vetustis terrenorum affectibus vale dixit. Psalm. 1. *Et erunt tamquam lignum, quod plãtatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Non videtur in terra plantatum hoc lignum, sed in aquarum decursibus, quasi inde habeat viuificum lignũ crucis, suauissimos posse producere fructus, si non inter terrenos affectus existat. Ait Diu. Petrus Damian. serm. de inuen. crucis: *Postquã crux â terreno cespite præcisa est, frondet: quia quisquis per amorem crucis â terrenis desiderijs ipsam mentis radicem præcidit, ad hæreditatem immarcescibilem capessendam, et semper virentia æternæ vitæ pascua conualescit.* Fallitur, qui terrenis deditus putat & ditissimos, & suauissimos crucis fructus posse percipere: priùs euellat, necessum est, à terra radices suas, affectus suos, & tũc currat ad crucem, ex qua conualescat in pascua æternæ vitæ. Cum duceretur Iesus in mortem, baiulans sibi Crucem, ait, Luc. cap. 23. *Apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa, & imposuerunt illi Crucem portare post Iesum.* Expẽde cui permittitur imponi crux post Iesum, nimirùm operario homini venienti de villa, & pergenti in ciuitatem sanctam Hierusalem. Quid inde? Pulchrè Theophilact. ibi ait: *Ille autem potest fieri subditus Christi, & tollere crucem suam, qui virtutis operarius est, qui venit â villa relinquens mundum, & ea, quæ sunt in mundo, & ad Hierusalem illam supernam, & liberam tendit.* Terram, mundumque relinquat, necessum est, qui velit gloriari in abundanti fructu crucis Christi.

§. X.

Gloria Filij Dei paucos, crux autem, & passio ingentem multitudinem traxit in vitam.

VIneam suam locat Dominus agricolis; sic enim ait: *Et locauit eam agricolis*: sufficiisset, quòd vna vinea vni locaretur agricolæ, cur necessum fuit eam non vni, sed pluribus locatam dici? Sanè hoc veniebat de adiũcto vineæ torculari; vbi enim torcular crucis cœlesti vineæ adiunctum est, nõ potuit in vno, nec in paucis coangustari tantum beneficium, sed necessum fuit plures admittere, quos in vitam perduceret. Dum in Thabor Iesus glorioſus apparuit, apparuerunt simul Moyses, & Elias in gloria, loquentes de excessu, quem operaturus erat in Hierusalem. Cuius gloria captus Petrus sic aiebat ad Iesum, teste Luc. cap. 9. *Præceptor, bonum est nos hìc esse; faciamus tria tabernacula, vnum tibi, et vnum Moysi, et vnum Eliæ: nesciens, quid diceret.* Cur nesciebat, quid diceret? Amat à Iesu gloria non discedere, amabat nõ separari à Iesu; & quidem bonum est, à bono non disungi. Vnde ergo nescit, quid diceret? Meritò vt stultus Petrus reijcitur, qui gloriam, quam audit Hierosolymis complendam per cru-

cem vult coangustari in paucis illis hominibus, & non magis amat, quòd extendatur ad plures. Fortassis enim Iesu gloria sine crucis beneficio in paucis stagnata quiesceret; at postquam verbum crucis auditur, non quiescit gloria, nisi dum plures implet. Damascen. orat. de transfigur. inquit: *An non bonum est, â bono minimè seiungi? Non absurdè sanè Petrus hoc prolocutus est. Verùm quoniam omnia tempore suo bona sunt, ac suum cuique rei tẽpus Salomon pronuntiat, oportebat porrò, non ijs dumtaxat, qui illic erant, bonum circumscribi, sed ad omnes, qui fide præditi essent, diffundi, quo plures essent, qui beneficium perciperent, quod quidem per crucem, ac mortem perficiendum erat.* Sanè minimè oportebat stagnari in paucis vitam, vbi crux inuenta fuit, de cuius munere venit, beneficas Dei manus extendi ad plures. Huc spectabat illa non semel à Christo Domino prolata vox, Ioan. 12. *Ego si exaltatus fuero â terra, omnia traham ad me ipsum.* Non vno, aut altero contentus est Iesus, dum sublimis effertur in gloria crucis, sed vniuersos ad se iam cupit allicere. Vt dicat D. Leo, serm. 8. de passion. *O admirabilis potentia crucis! Traxisti, Domine omnia ad te, & cùm expandisses manus tuas tota die, ad populum non credentem tibi, confitendæ maiestatis tuæ sensum totus mundus accepit. Traxisti, Domine, omnia ad te, vt quod in vno Iudææ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno, apertoque sacramento, vniuersarum vbique nationum deuotio celebraret.* Non potuit in vno concludi crucis beneficium; vbi enim apparuerunt extensa eius brachia, nec aues cœli, nec terræ animalia excluſa sunt à fructu tantæ arboris, quę proculdubio ad omnium rerum vniuersitatem abũ dauit. Quis dubitet, & prædestinatorum numerum creuisse per crucem Christi, & multos admissos ad cœleste conuiuiũ, qui non admitterentur, nisi tanta arbor suppeditaret fructus suos? Matth. 26. vbi de Eucharistico agitur conuiuio, dicit: *Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit: deditque discipulis suis, & ait: Accipite, et comedite, hoc est enim corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex eo omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur, &c.* Ad hæc eleganter addubitat Theophilactus, cur porrecto pane non iubet Dominus, quòd edãt panes; id autem iubet, vbi porrigit calicem, dicens: *Bibite ex hoc omnes?* Cur similiter non dixit, comedite ex hoc pane omnes? Imò & in calice adiecit, quòd fit in eo sanguis pro multis effundendus; de pane autem non dixit, quòd esset corpus tradendum pro multis. Cur multitudinem saluandorum calici, non pani adscripsit? Crediderim in pane nõ sic explicatum esse torcular passionis, vt in calice, & sic maluit calici attribuere multitudinem saluandorum, vt ostenderet euidentiùs, non ab alio, quàm à passione, & crucis morte venire, quòd plures sint in cœlestes rapiendi coronas. Non longè abest D. Anselm. ibi: *Hoc est corpus meum, quod sub specie panis videtis. Talẽ dedit, quale per naturam erat, videlicet immortale, & impassibile, quia immune erat â peccato. Non esset ei necessarium mori, vel pati, nisi quia sic fuit sibi voluntarium. Et accipiens calicem, passionem suam præsignantem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex eo omnes.* Itaque ex Anselmo in corpore magis impassibilitas, & immortalitas Christi videbatur repræsentari; in calice autem clariùs mors, & sanguinis effusio apparebat: ideò huic iungit imperiũ, quo iubet ab omnibus participari, quasi de sola passione veniat, quòd crescat multitudo cœlestium conuiuantium.

Damasc.

Ioan. 12.

Leo.

Matt 26

Theoph.

Anselm.

§. XI.

In magno discrimine est homo, cuius ab oculis sese Deus eripit.

DAta vinea agricolis, Dominus abit; ait enim: *Peregrè profectus est*; nec habent agricolæ, quod multum lætentur de accepta vinea, cùm Dei præsentia careant. Quid tibi, homo, proderit, quòd præ manibus habeas Dei dona, si ob oculos Deum non habeas? De cantatissimo illo prodigo filio ait Lucas, cap. 15. *Congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam.* Et quidem paternis bonis, & donis plenas habebat manus, solùm longè ab oculis remouit patrem, & nihil priùs in illo apparuit, quàm perditio, & ruina substantiæ. Ait Chrysolog. serm. 1. *Ecce quemadmodum census sine patre nudauit filium, non ditauit.* Fœliciùs ille ageret sine censu, quàm sine patre: fœliciùs eius manus bonis vacuarentur, quàm vacuantur oculi conspectu tanti patris. Hoc maximè & timendũ, & lu-

Luc 15.

Chrysol.

& lugendum est homini, si Deum ob oculos non habeat. Ioan. 19. dicit: *Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius, et soror matris eius, Maria Cleophæ, et Maria Magdalenæ.* Vide mulierum constantiam, quę intrepidè iuxta crucem stant, nec dicuntur ibi iacere resolutæ in lachrymas. Et post pauca vbi Dominus à cruce sublatus è sepulchro iam surrexerat, dum vacuum extaret sepulchrum, dicitur de Magdalena, cap. 20. *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans, &c.* Ad crucem non plorat, & ad vacuum monumentum tota soluitur in lachrymas. Qualis tuus amor, Maria? Vides Deum pendętem in cruce: vides dilectum summis, & extremis doloribus excruciatum: vides in siti ardentissima felle potatum: vides clamantem spirare; videns lancea transuerberari, & non diceris flesse; & tunc lachrymaris, vbi cernis à sepulchro sublatum diuinissimum cadauer? Cur magis de cineribus doles, quā de vita Domini ablata? Sanè in ablatione cinerum penitùs videbat Dominum ab oculis ablatum; nihil cernębat manere, quod ad dilecti conspectum, & memoriā faceret, quo nil magis sibi dolendum, nil magis sibi putabat lachrymandum. Pulchrè D. Augustin. tractat. 121. in Ioan. *Oculi, qui Dominum quæsierant, et non inuenerant, lachrymis iam vacabant, amplius dolentes, quòd fuerat de monumento sublatus, quàm quòd fuerat in ligno occisus, quoniam Magistri tanti, cuius & vita subtracta fuerat, nec memoria remanebat.* Id ad dolorem, id ad lachrymas maximè facit, quòd penitùs Deus ab oculis abeat; quòd nil maneat, in quo vel ob oculos Deum habeamus. Et cur non fleam, Deum abijsse ab oculis, quando & qui eius gratiam perdiderunt, inde sumant salutis auspicium, quòd vel præ oculis habuerunt Deum? Ait Dauid Psalm. 5. *Et malum coram te feci*; non quidem vt augeat miseriam, sed vt inde auspicetur salutem, quòd vel peccans non auerterit oculos à Deo. De quo Saluian. Saluian. lib. 7. de gubernat. ait: *Quid plura? Puto, quòd semper Deum & in ipso erro re respexerit, à quo hoc obtinere potuit, ne diutiùs erraret.* Hæc est felicitas illius, qui vel errans præ oculis habet Deum, à quo accipit, ne hęreat in errore. Numquam enim Deus non ostenditur magis salutaris, & beneficus in eum, cuius præ oculis est. Quis nescíat prodigia facta à Moysę coram Pharaone? Ad nutum virgæ eius omnia elementa gubernabantur: aquæ in sanguinem vertuntur: aer grandines fabricabat: venti locustas afferebant; & dum omnia hæc Moysi aduersus Pharaonem famulantur, numquam dicitur Deus illi famulari. Vbi autem Iosue succedit Moysi, & hostes insequitur, cupiens sibi diem maiorem facere, audet ad Solem loqui, & imperare, ne pergat in occasum. Quid tunc? Ait textus, Iosue cap. 10. *Stetit itaque Sol in medio cœli, et non festinauit occumbere spatio vnius diei. Non fuit anteâ, et posteâ tam longa dies obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel.* Expende verba illa, *Obediente Domino voci hominis*: non solùm cœlestia famulantur Iosue, sed etiam Deus se ostendit quasi eius famulum. Cur numquam sic se gessit cum Moyse? Cur voluit Dominus magis Iosue famulari, & obedire eius mādatis? Moysem superauit Iosue in eo, quòd persequens hostes, non terram, sed cœlum spectauit, cœlestiaque, & ipsum Deum præ oculis habuit, in quo quasi deuinctū Deum ad se magis traxit. Ait Procopius in Glossa: *Moyses nō dixit stet Sol, non suspexit in cœlum, non signum cœleste ostēdit. Verūm Iosue dixit, stet Sol, ac scriptura testis est, nulli vmquàm hominum, Deū ita morem gessisse.* Cur Deus non magis gerat morem homini, cui vix vmquam ab oculis abesset.

Ioan. 19

Iosue 10

Procop.

Matth. 21. Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius, & agricolæ, apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. Iterùm misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.

§. XII.

Potentes viri caueant vinum, cum quo ebibunt feritatem, & crudelitatem in suos.

EXpende, qui dicantur interfectores, & lapidatores conseruorum suorum, nimi-

nimirùm illi qui pleni erant fructibus vineæ; & quidem nulli aptius assumi potuissent, qui suorum repræsentarent occisores, quàm qui vinearum tractabant fructus. Hanc enim ebibunt cum vino feritatem viri potentes, quòd æquè sint crudeles in suos. De seruo super omnia Domini bona constituto ait Luc. cap. 12. *Quòd si dicat seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cæperit percutere pueros, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari, &c.* Expende, quàm iuncta sint & vini potus, & cõseruorum suorum percussio. Ait Chrysolog. serm. 26. *Propriè dixit, edere, & bibere, & inebriari, & percutere. Ebrietas cædis mater, parens litium; hanc qui habet, se non habet, homo nõ est.* Sic à vino tota humanitas exuitur, vt percutiãtur omnes tàm alieni, quàm propinqui. De Sansonis matre locutus Angelus, sic monet eius maritum, patrem futurum tanti ducis. Iud. 13. *Quidquid ex vinea nascitur, non comedat; vinum, & siceram non bibat, &c.* Nil magis curans ex tunc Angelus, quàm quôd cantatissimus Israelis dux Sanson minimè nutriatur fructibus vineæ. Et cur tàm anxiè cauit à Sãsone vineæ fructus? Præclarè in rem præsentem monet Procopius in Glossa: *A vino, ac vinetis ipsum iussit abstinere, ne ad naturalem vinolento ascito, contra propinquos quoque, et cognatos indigna patraret.* Ne Sanson, qui à Deo armabatur in alienigenas, simili ira ferretur in cognatos, meritò cauet Deus, vt ab omni abstineat fructu vinearum. Est hoc in vino peculiarissimum discrimẽ, quo nec parcitur cognatis, nec æstimantur iura amicitiæ, seu propinquitatis. De illo. 3. Esdræ, cap. 3. dicitur: *Et non meminerunt, cùm biberunt, amicitiã, nec fraternitatẽ, sed nõ multô pôst sumunt gladios, &c.* Necessum est, vt regnum vini decrescat, si iura amicitiæ sunt seruanda: hinc vino possessus Alexander proprijs manibus occidit Clytum, inferés mortem viro, cui ipse debebat vitam. Quid tunc? Ait Curtius, lib. 8. *Ebrietate discussa, magnitudinem facinoris sera æstimatione perspexit. Videbat tunc immodica libertate abusum, sed alioqui egregium bello virum, et seruatorem sui occisum.* Priùs vini regnum decrescit, & tunc noscit amicum occisum; dum autem viget vinũ, nulla noscuntur amicitiæ, aut propinquitatis iura. Pincernæ Pharaonis in carcere constituto, prosperitatem, & principatus restitutionem annũtiat Ioseph. Quid tunc? Ait Gen. 30. apud D. Ambros. *Pharao restituit præpositum Pincernarũ in principatum suum, et dedit calicem in manu Pharaonis: Et non est recordatus præpositus Pincernarum Ioseph; sed oblitus est eius.* Expende, quando obliuiscitur benefactoris sui; nimirùm cùm in vini ministrationem restituitur; quippè inter calices, & inter vina penitùs à memoria euolant amicitiæ, & humanitatis iura. Quò respiciens D. Ambros. lib. de Ioseph, cap. 6. inquit: *Elatus potentia non recordabatur. Et quanta hæc potentia, vbi vini ministerium?* Fateor, non magna potentia est, quæ solùm versatur circa ministerium vini; sed quia inter vina versatur, sufficiens est, vt inferat obliuionem debitæ amicitiæ. Nec immeritò vini regno tribuitur tota strages facta à Principibus Iudæorum Hierosolymis, vbi Iesus occiditur. Quippe ait Isaias, cap. 28. *Hi quoque præ vino nescierunt, præ ebrietate errauerunt; Sacerdos, & Propheta nescierunt; præ ebrietate absorti sunt â vino; errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem.* Ne mireris, quòd Iudæi Regem gloriæ non agnouerint, benefactorem, & cognatum suum: imò & seruatorem occiderint; vigebat enim in illis regnum vini, & oppleti erant vineæ fructibus. Pro quo ait ipse, Psalm. 68. *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Et operui in ieiunio animam meam: & factum est in opprobrium mihi. Et posui vestimentum meum cilicium: & factus sum illis in parabolam. Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum.* Expende, vndè Deus queritur exijsse omnia opprobria sua, & quòd à fratribus, quasi extraneus reputaretur, nimirùm ex compotatione vini, quod solum nescit debitæ amicitiæ mememinisse.

Luc. 12. Chrysol. Iud. 13. Procop. Esdr. 3. Curtius. Gen. 30. Ambr. Isai 28. Psal. 68.

§. XIII.

Admonitio, exhortatorius que sermo mundialium, terrenorumque corda non tangit, quin potiùs malè audit apud illos.

QVid facerent Dei serui cũ agricolis, humi repentibus hominibus, & nihil præter terrã suspicãtibus? Horum

rum sanè corda parùm tangit propheticus sermo, parùm penetrat Prophetarum, Apostolicorumque virorum exhortatio.

Hier 10 Hierem. capit. 10. de Deo per Prophetas suos loquente ait: *Elevat nebulas ab extremitatibus terræ: fulgura in pluviam facit.* Vt inter pluendum nubes solent fulmina iaculari; sic Prophetæ dati à Deo in fœcunditatem animarum fulmina verbo-

Origen. rum iaciũt. Ex quo aiebat Origen. homil. 5. in Hierem. *Moyses nubes erat; Iesus Naue nubes erat. Isti si secum loquantur, ex sermonibus eorum fulgura migrant. Hieremias, et Baruch nubes erant, si mocinentur inuicem, et videbis rutilare fulgura*: Præclarè Dei ministros nubibus, eorum adhortatoria verba fulminibus comparat, vt eorum ponderet efficacitatem. At scire cupis, in quo possint Prophetarum verba violentissimæ, efficacissimæque naturæ fulminum assimilari? Accipe perspicuam similitudinem: fulmina totam suam efficacitatem in turrium altissimarum culminibus ostendunt, humi repẽtes casas, nec tangunt, imò in terrena mollitie habent, quô sepeliantur. Quid pulchrius? Fulmina sunt verba Prophetarum; fulmina sunt Dei ministrorum verba, potentia animos incendere, & conuertere in flammas. Sed totam hanc efficaciam ostẽdunt circa sublimes animos, vbi corda sursum elata inueniuntur; at circa humi repẽtes animos, circa terrenas mentes tantum abest, vt ibi aliquid efficiant, vt circa istas penitùs emortua, & extincta appareant. Ad hæc ait

Gillib. Gillibert. Abb. serm. 45. *Non sunt passim huiusmodi iacula fundẽda, nec in omni multitudine, sed tantùm vbi idoneæ mentes creduntur inueniri, quas tàm excellens doctrina nõ effugiat. Quasi fulgura sunt hæc, summa feriunt, submissa effugiunt.* In terrenæ mollitiei imis extinguuntur, & sepeliuntur verba salutis, quæ ab ore Prophetarum instar fulminum iaculata prosiliunt. Et quæ summa nouerunt ferire, quæ sursum elata corda penitùs penetrant, inutiliter extinguũtur apud repentia humi. Ecce tibi sublimis animus, & ad cœlestia elatus

Cant. 5. loquitur. Cant. 5. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem; percusserunt me, et vulnerauerunt me: tulerunt pallium meũ mihi custodes murorum.* Quæ per vicos, & plateas quærebat Dominum suum, quæ tota erat in inueniendo Deo, à custodibus percutitur, & vulneratur: sic imperfectam inueniunt custodes sponsam, vt illam percutiant, & vulnerent? Non equidem hæc vulnera dicunt imperfectionem in sponsa, sed celsitudinem, sed sublimitatẽ; quò enim sublimior erat in vita, & à terrena conuersatione eleuatior, eô citiùs debuit feriri, & transuerberari à verbis custodum Ecclesiæ, quæ instar fulminum iaculata summa feriunt, submissa effugiunt. Ait Gillibert. serm. 45. in Cant. *Quò quis perfectior est, vulneratur facilius; et tener affectus verborum citiùs sentit aculeos. O fœlicem animum, ad quem tàm sublimia exhortationis iacula veniunt, quem inueniũt suis aptum vulneribus, quando non abeunt retrorsum auditorum vel duritia, vel soliditate repulsa.* Aculeata, ignitaque Dei ministrorum verba vim equidem habent efficacissimam, sed apud mentes sublimes, quæ ad sublimia aspirant, has facilè feriunt, & vulnerant. In submissis autem ad terram mẽtibus, aut parùm, aut nihil proficiunt. Fœlix animus ille, qui nouit sese à terra leuare, qui non adeõ terrenis se immergit cupiditatibus, vt minimè verborum diuinorum aculeis transfigatur. Hæc enim verba etsi validissima, etsi efficacissima, tamen in mentibus terrenis penè euanent. Et quidem in Petro ipso, dum adhuc imperfectus, dum adhuc terrena meditabatur, quid potuerunt Dei exhortationes? Accipe Diu. Maximum; homil. 8. de

Maxi. passione, quæ est de Petro, & ancilla: ait enim ibi: *Denique fidem Petrus, nec admonitus potuit custodire, toties lapsus est, quoties ne laberetur, admonitus.* Lapsus mensurabat admonitiones, exhortationes, quę in terrenis, imperfectisque animis parùm, aut nihil solent proficere.

§. XIIII.

Quot sunt terrenis immersi in populo, tot Sathanæ instrumenta sunt ad perditiones moliendas.

AB agricolis istis hic naturalis percipitur fructus, nimirùm ministrorũ Dei ruina, & perditio; ait enim: *Agricolæ, apprehensis seruis eius, alium cecciderunt, &c.* Et quid aliud expectari posset à terræ cultoribus? Quot enim terrenas colunt cupiditates, tot instrumenta sunt diabolo aptissima, vt suam effundat malitiam. De regno hominis in statu innocentiæ ait

Gen. 1. Dominus, Genes. 1. *Præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, et bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.*

terra. Bonum homini fuisset cum piscibus, cum volatilibus, cum quadrupedibus animantibus; at vbi & humi repentia in suo regno habuit, non potuit non habere instrumenta perditionis à diabolo causan
Basil. Se. dæ, Diu. Basil. Seleuc. orat. 2. fatur: *Adstat homini leo blandè subsultans: lupus inter oues pacatè agebat, & serpens hominis erat subiectus arbitrio; sic enim factū est, vt linguam diabolo commodarit ad inuehendam confusionem.* Nota connexionem prudentissimè excogitatam: ex quo inter hominis subditos serpens humi reptans, & terra vescens apparuit; inde iam factum est, vt diabolo in promptu esset lingua, in promptu esset instrumentum, quo pernitiem, & cōfusionem inferret mundo. Heu nocentissimam terrenorum hominū conditionem! Sanè qui humi repit homo, qui immergitur terrenis lucris, adeò diabolicis aptus est insidijs, vt vnus totum valeat peruertere mundum. Miraris in Christi etiam collegium eam potuisse pestem venire, qua percusso pastore, vniuersi dispergerentur discipuli? Et vndè tantum malum potuit diabolus inferre? Sicut in paradiso serpens; sic in Christi familia homo fuit lucris deditus terrenis, nempè Iudas, qui diabolo potuit seruire, vt suā per-
Max. nitiem effunderet. Quod notabat D. Maximus serm. de passione. 9. in quiens: *Fuit in paradiso deliciarum diabolus, nec defuit in prætorio Iudæorum. Ibi imminebat Sathanas serpens, hic Iudas coluber perurgebat.* Vtrobique diabolus neces causans, quia vtrobiq; erat, qui humi reperet, qui terra vesceretur. Serpens in paradiso, in Iudæa Iudas terrenis cupiditatibus ferebā tur; quod malum non veniret, vbi erat homo terrenus, & temporalis? Fallar, nisi in eō tota ostendatur potentia Sathanæ. E-
Exod. 18. xod. 18. dicitur: *Cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israel; sin autem paululùm remisisset, superabat Amalech.* Ecce totius Israelis ruina, & perditio quo ex fonte manabat, nimirùm ex eo, quòd Moysis manus deorsum vergerent. Vbi ad terram inclinarentur Moysis manus, aduersaria potestas exaltabatur, & Israelitæ perdebantur. De quo loquens Diu. Hilarius aiebat
Ps. 133. in Psalm. 133. *Moyses nos docuit exemplo, qui cùm eleuatis constitisset manibus, vincebat; submissis verò in terram vincendum populum ab hoste præbebat, ostendens per hanc formam, hostem nostrum, si terrena opera nostra sint, vincere.* Inter terrena opera numquam non ostenditur potentia Sathanæ, qui omnia bonorum hominum perdat, deuastet. Vincendus datur populus Sathanæ, in quo sunt homines penitùs terrenis traditi cupiditatibus, eisque affixi.

§. XV.

Diabolici furoris est, damna semel illata nescire corrigere.

VT Deus semel benefacere incipiens, nescit cessare, sic diabolicus furor semel damna inferens, nescit nociua facta corrigere. Quotquot ergo mittit seruos beneficus Deus, tot occidunt agricolæ, & semper denuò missis faciunt similiter; nesciunt enim, quæ semel patrarunt, damna corrigere. Adducatur in medium certamē illud cantatissimum inter Moysem, & Pharaonis incantatores de conuertenda virga in draconem. Moyses à se virgam proijciēs in terram, videbat illam in draconem conuersam, quem timeret; at dum eius caudam apprehendit, tota draconis abibat feritas, sola virga remanebat.
Exod. 7. *Vocauit Pharao sapientes, et maleficos: et fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, et arcana quædam similiter. Proiecerunt q; singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones.* Ecce & malefici ex aridis virgis faciunt etiam dracones, qui metum inferant, & venena diffundant. Quid tunc? Vt venenatos faciunt dracones ex virgis, sic etiam dracones conuertunt in virgas, vt virga sola maneat draconis exuta malitia? Absit; non enim est diabolici furoris illata damna corrigere; hoc solùm spectat ad Dei spiritū. Pulchrè aiebat Orig. homil. 13. in Numer. *Efficit tamen similiter & contraria virtus virgā serpentem, sicut fecerat virtus Dei: sed serpens, qui per virtutem Dei factus fuerat, absorbuit, & deuorauit omnes illos serpentes, qui arte magica ex virgis versi fuerant in serpentes. Non enim potuit virtus dæmoniaca malum, quod ex bono fecerat, restituere in bonum. Potuit ex virga facere serpentem, virgam verò reddere ex serpente non potuit.* Numquam diabolicus furor correctionem mali nouit perficere; quidquid venenosum est, quidquid mortiferū, quid quid malignum facilè à malo fit. Nō cunctatur malus, vt mala inferat; at malefacta vitare, corrigere, hoc solùm ad Dei potest pertinere spiritum. Quisquis ergo damna
Orig.

irre-

irremediabiliter inferre timet, caueat diabolicum ſpiritum, à quo nihil percipiet, niſi quòd damnum ſine fine inferat. Erat apud Bethleem fons hoſtilibus cinctus exercitibus, cuius aqua dulcis, Dauidis ſocijs non niſi lethalis erat, quando ſine ingenti vitæ diſcrimine non poterat hauriri. Nihilominus Dauidis duces contempto vitæ periculo per medios hoſtes aquam hauriunt, eamq; præſentant domino ſuo.

2. Reg. 3 At Dauid. 2. Reg. 3. *Noluit bibere, ſed libauit eam Domino.* Cur Dauid cauit bibere de fonte illo? Equidem noluit bonus Rex potare aquam, quæ apparebat ſola pericula, & damna aliena parturire; ad vi uificum Dei fontem proſpiciens, de quo omnium ſalutes, & remedia ſcaturiunt.

Iſidor. Ait enim pulchris verbis D. Iſidor. in lib. 2. Regum, cap. 4. *Non bibit oblatam aquã, ſed Domino fudit, ſignificans ſitire ſe Domini ſacrificium, non naturæ fluentum, ſed illud ſacrificium, in quo eſſet remiſſio peccatorum. Illum ſitire fontem æternum, non qui periculis quæreretur alienis, ſed pericula aliena deleret.* Duo ſemper propomuntur fontes hominibus; alter inter hoſtiles cuneos, alter inter paradiſi delicias: ab illo perenniter manant pericula, diſcrimina, damna illata plurimis: ab hoc ſemper venit ſalus, medicina. Miſer, qui de hoſtili fonte bibit, qui diabolicum ſuggit ſpiritum, in quo ſolùm habebit damna inferre multa, corrigere nulla: qui Dauid eſt, ſuaſque cupiditates optimè regit, damnoſum hunc fontem malorum fugit, & ad Deum bonorum fontem confugit, de cuius munere habet, poſſe vniuerſa mala reſarcire. Vide, quæ dicta ſunt ſupra, tom. 3. lib. 14. cap. 19. §. 8.

Matth. cap. 21. Nouiſsimè autem miſit ad eos filium ſuum, dicens: Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra ſe: Hic eſt hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt eum.

§. XVI.

In Chriſti morte veterum Prophetarum mortes pulcherrimè deſiuerunt.

POſt veterum Prophetarum percuſſiones, & mortes, nouiſsima introducitur Filij Dei mors, vt quę pulcherrimam priſtinis martyribus inuexit coronidem. De D. Baſilij auis, atauiſque locutus Nazianzenus, in eius oratione ſic fatur: *Maximum tyrannum athletarum quidem noſtrorum permulti ſuperarunt, & ad mortem vſque decertantes, & pene vſque ad mortem: hactenûs videlicet relicti, vt victoriæ ſuæ ſuperſtites eſſent, ne cum ipſis certaminibus abſcederent, ſed alijs virtutis aliptæ, viui martyres ſpirantes columnæ, tacitaque præconia relinquerentur cũ multis alijs, & quidem celebribus paterni Baſilij proaui, quibus, cum omne pietatis genus coluiſſent, eximiam tempeſtas illa coronidem inuexit.* Nazian. Pulchrè pro Baſilij proauis excogitauit vir diuinus; quorum paſsione, multis alijs celebribus, ac inſignibus martyribus eximiam tempeſtas illa maximi tyranni coronidem inuexit. Non enim ſtrenui viri poſtremi in lanienam venerunt, quia poſtremi erant virtute, & fortitudine; ſed vt, quia in omni pietatis genere erant eximij, in illis tamquam in pulcherrima coronide, tota illius tempeſtatis martyrum ſeries deſineret. Liceat ergo parua magnis comparare, & de Deo prædicare, quod Nazianz. prædicat de hominibus. Poſt occiſos, poſt lapidatos, poſt ſerratos multos veterum Prophetarum, nouiſsimè accedit Filius Dei occidendus & ipſe. Et cur acceſsit nouiſsimus? Vt cũ multis alijs, & quidem celebribus, in illo, tamquam in omnium virtutum fonte, & ornamento, tempeſtas illa veterum pãtientium præſtantiſsimam coronidem inueniret. Huc referam illud Pſalm. 141. *Libera me de perſequentibus me, quia confortati ſunt ſuper me. Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iuſti.* Pſa. 141 Et orat Dominus afflictiones ſuas, paſsiones ſuas citò tranſire, & aſſerit, ſe in eis expectari à iuſtis; & quidẽ omnis ſanguis iuſtus à ſanguine iuſti Abel vſque ad ſanguinem Zachariæ expectabat ſanguinem Chriſti fundendum pro ipſis. Expectabant iuſti perſecutiones

passionem Christi, sine qua adhuc iacebãt obscuri, per quam vltimã gloriæ suæ perfectionem acciperent. Id quod insinuat lectio Hieronymi ex Hebræo; vbi enim posuit noster: *Me expectant iusti*: posuit ille: *In me coronabuntur iusti*: quasi interfectis iustis expectantibus Christi morte in Limbo, accedat Christi mors, velut corona, sub qua illustrentur omnia illorum facinora. Psal 64 Quò respexit Psalm. 64. dicens: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* An nusquidem Dominicę benignitatis fuit totum illud tempus, quod in passionibus & ærumnis consumpsit, quod dum meminit Vates, non potuit non coronæ meminisse. Etenim potuisset dicere, Benedices anno benignitatis tuæ, sed maluit addere, Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, vt ostenderet Iesu benignitatem in passione ostensam pro coronide, & corona extitisse temporis illius. Ad hæc Diu. Ambr. Ambros. in institut. virg. cap. 15. *Tunc ergo Dominus operibus suis, & gloria, et honore sui tempus coronauit aduentus. Totus enim ille annus conuersationis eius in hoc mundo diuersarum habuit certamina passionum. Vicit Herodem parvulus, de quo in passione infantium triumphauit. Esuriuit, sitiuit: pro nobis vapulauit, pro nobis contumeliarum indigna toleravit: crucem ascendit, mortuus est pro nobis.* In passionũ certamina dum descendit Dominus, dum sitiuit, dum vapulauit, dum occubuit, quid aliud egit, quàm tempora illa legis pristinæ gloria, & honore coronare? Tunc eximiam coronidem tempestas illa inuexit iustis passis.

§. XVII.

Vltra Christum nihil est requirendum.

NOuissimus venit Christus Iesus, quasi verus terminus humanorum desideriorum; nihil enim boni, aut vtilis saluti humanæ vltra illũ inueniri potest. Acutissimi licèt oculi sint, necessum est in Christo solo omnium videre bonorum terminum, vltra quem nil boni. Et qui acutiores oculi, quàm Prophetarum oculi? Ii ad futura, & longissima tempora se extendunt, & nihilominùs de illis dicitur, Matth. 5 Matth. 5. *Lex, et Prophetæ vsque ad Ioannem.* Et cur non vlteriùs possent sese extendere Prophetæ? Erat cum Ioanne Iesus, vltra quem nihil possent videre, nec inuenire Prophetæ, quod conduceret ad salutem hominum. Ait D. August. quæst. ex nouo testam. 69. August. *Lex enim, & Prophetæ vsque ad ipsum. Prophetæ enim de ipso locuti sunt, ideò vltra illum, quæ ab his de hoc, id est, de Christo dicta sunt, tendi non possunt, neque post ipsum aliquid huiusmodi Prophetæ reperire potuerunt.* Quid reperiant Prophetæ post Christum? Quid vltra Iesum videre possunt creati oculi? Qui Iesum videt, vltimum bonorum omnium terminum quia videt, nihil ampliùs videre cupit, imò nil aliud est, quod videat. Apud Matth. 14. visus est Iesus ambulans Matt. 14 super mare, cuius visu raptus & Petrus, de eius imperio prosilit ex nauicula, & cæpit per fluctus ambulare. Ait enim: *Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum.* Mirabar sæpè hominem videntem mobiles, instabilesque maris fluctus potuisse sese credere fluctibus maris? Cur magis, Petre, non caues tumentes fluctus? Cur videns aquarum vortices non expaues? Sanè qui præ oculis habebat Iesum, nihil attendebat aliud, nihil videbat ampliùs. Pulcherrimè enim hæc tractans D. Maxim. hom. 10. de Max. passione, quæ est de Diu. Petro, sic fatur: *Ambulauit in mari Petrus, magis dilectione, quàm pedibus. Non enim videbat, vbi pedum vestigium poneret; videbat autẽ, vbi figeret vestigium charitatis. In naui enim positus considerat Dominum, & amore eius ductus descendit in mare; non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia, & dum Christum respicit, non respit elementum.* Expende vltima hæc verba, nimirũ, *dum Christum respicit, non respicit elementum*; non equidem possunt oculi coram habentes Christum, intueri alia, sed in Christo Iesu debent terminari. Nec miror, quòd Iesus desideriorum terminus habeatur, quando in eo vno vniuersa bona conglobantur. Ait Isaias de Iesu prædicatoribus, Isai. 52 cap. 52. *Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis, et prædicantis pacem; annuntiantis bonum.* Alij legunt, *annuntiantis bona.* & quæ bona annuntiantur? Vnum Iesum habebis à Prophetis, ab Apostolis & figuratum, & annuntiatum, qui bonorum nomine intelligitur, vt qui in se omnia bona habeat. Ait Origenes citatus ibi à Glos Origen. sa: *Euangelizabant, Apostoli bona, scilicet Iesum. Nec miretur quisque, si nomine bonorum, numero multitudinis exposuerimus annuntiari Iesum; facilè enim intelliges, quomodo multa bona sit Iesus. Vita bonum est.*

est, Iesus est vita: resurrectio bonum est, Iesus est resurrectio. Lux mundi bonum est, Iesus est lux vera, veritas, ostium, sapientia, potentia, thesaurus denique omnium bonorum Iesus est. Quid ergo vltra Iesum manet? Sanè in eo vno omnia bona capis.

§. XVIII.

Iesus efficacissimus pro hominum vita, & sanitate.

AGricolis ijs in peiuslabentibus post alia multa, hoc vltimum remedum auditū est, vt Iesus Dei Filius veniret ad illos, & meritò Iesus nouissimus aduenit, vt qui omnium efficacissimus sit pro hominum sanitate. Aiebant perditissimi Iudæi apud Isaiam, cap. 1. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* Et quidem apud Sodomitas Loth erat, insuper & duo Angeli missi sunt; sed nec Loth, nec Angeli potuerunt miseros à perditione auertere. Quis ergo potuit apud Iudæos, quod non potuerūt nec Angeli, nec Sancti apud Sodomitas? Sanè id potuit vnum semen relictum à Deo; ait enim: *Nisi Dominus reliquisset semen*, & expende, quòd non ait semina, sed semen, quasi vnus solus, qui à Deo venit Iesus, omnium efficacissimus sit ad perditionem hominum auertendā. Ait ibi Procopius: *Tanquā enim de vno dixit, Christo videlicet, qui, ne Sodomis, & Gomorrhæ similia paterentur, prohibuit.* Vnus enim id valet Iesus, de cuius efficacia venit, quòd vel mortui in vitā efformentur. Post peccatum à primis parentibus commissum, post auditam mortis sententiam, iuxta quā vniuersi homines morti subiacebant, ait textus, Gen. 13. *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ, Eua, eo quòd esset mater cunctorum viuentium.* Vndè tale potuit occurrere Adamo, quòd inter sententiam mortis vocet vxorem Euam, id est, vitā? Audis & te, & vxorem, & filios morituros, & in puluerem conuertendos, & nilominùs vxorem vitam vocas, & matrem viuentium? Vndè hoc potuisti credere? Meminit dormientis latus fuisse apertum, vt vxor inde prodiret, in quo adumbrabatur Dominici aperti lateris mysterium, quod vbi apparuit, non potuerunt & ipsi mortui non apparere viuentes. Ad hæc Aug. Diu. Augustinus, tractat. 120. in Ioannē:

Vnus militum lancea latus eius aperuit. Hoc prænuntiabat, quod Noe in latere arcæ ostium facere iussus est, qua intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vita, materque viuorum. Vbi in latere Adami dormientis, ex quo vxor ædificata est, latus Christi præfiguratum est lancea in cruce apertum, non est, cur non speret Adamus sibi, & vxori, & posteris omnibus, etiam inter mortes esse viuendum. Pulchrè enim habetur Christus Iesus arbor vitæ, cuius vel ab vmbra hauriunt homines, quo viuant. Post Ionæ prædicationē apud Niniuitas, ait textus, cap. 3. *Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum â maiori vsque ad minorem.* Expende, qui verbum vitæ primò accipiant, nimirùm à maioribus fides, & credulitas incepit. Cur maiores primò vitam hauriant, nisi quia perfecta ætas plenitudinem Christi adumbrabat? Ait Paulus ad Galatas, cap. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, &c.* Ex quo Diu. Hieronymus in Ioannem fatur: *Primùm credunt viri de Niniuê, qui ad ætatem Christi peruenerāt: prædicant ieiunium, & vestiuntur saccis â maiori vsque ad minorem.* Sic efficax est vel vmbra Christi, vt homines trahat in fidem, trahat in vitam.

§. XIX.

Pudoris affectus vbi est, ibi & sanitas est.

DVm Dominus agricolis mittit Filium suum, hoc vnum intendit tanto præstito dono, vt vel ab ingratis pudorem extorqueat; ait enim: *Verebuntur Filium meum*: quasi potens sit pudor beneficijs extortus ad spem salutis tra here homines. Huc eleganter spectabat Diu. Ennodius, lib. 5. epist. 6. aiens: *Ille, qui vulnera nostra suscepit, & pro nobis doluit, mutata meritorum conditione, quos flagellis dignos viderit, castigat muneribus: et versa vice noxiorum animas dum fecundis replet, pudore meliorat.* Quam salutem mille alij validissimi affectus non causabant, pudor beneficij extortus causare solet. Fœlix, qui eò adducitur, vt possit, imò vt cogatur erubescere; is enim in proximo ad salutem est. Primus ille peccator Adamus diuinis vocibus quæsitus,

respondit, Genes. 3. *Timui, eo quòd nudus essem, & abscondi me.* In quibus verbis, vt peccatoris erubescentiã recognoscit Ambrosius, sic iam in proximo salutem eius sperat. Ait enim lib. de paradiso, cap. 14. *Nota, qui absconditur, erubescit; qui erubescit, conuertitur, sicut scriptum est: Confundantur, & conuertantur valdè velociter.* Velocissimè venit salus, vbi pudor præcessit, nec diu potes esse in pudore, quin de salute adepta glorieris. Quò respiciens Hieremias, cap. 6. ait: *Confusi sunt, qui abominationem fecerunt: quin potiùs confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt, quamobrem cadent inter ruentes: in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus.* Quos confusos, & erubescentes asserebat, vt vidit supplicio destinatos, statim dictum correxit, nec putauit posse fieri, quòd pœna nõ minuatur illis, qui sciunt erubescere: quippê ait Diu. Ambrosius in Psalm. 37. *Pœnam, quam defensione euitare non possumus, pudore subleuamus.* Non durat, imò non venit pœna, quando pudor antecedit. Da, pudorẽ esse in homine, & dabis in illo remediũ, quo se ab omni malo liberum reseruet. Hinc sunt illæ Dauidis voces, Psalm. 6. *Erubescant, & conturbentur omnes inimici mei, conuertantur, & erubescant valdè velociter.* Qui toties inimicis suis precatus fuit bona, nunc illis imprecatur confusionem. Vndè mutatus es, ò Dauid? Cur, qui toties bonus in hostes, nunc malus sit, imprecans eis confusionem? Non malus in hostes est, qui rogat, vt erubescere cogantur; dum enim pudor intercedit, omni malitiæ intercluditur aditus. Ad hæc ait D. Nissen. in Psalm. 6. *Vt igitur in perpetuũ meaneat id, quod ex pœnitentia bonum ipsi accessit, ac vita nou altera rursus pœnitentia opus habeat, orat, vt inimici sui pudore castigati auertantur. Nam qui ob id, quòd malum facere ausus sit, erubuit, pudore, quasi moderatore vtens ad hoc, ne ampliùs ijsdem malis conflictetur, à tentatione similium in posterum abstinebit.* Sic pudor malitiam refrænat, nec finit illam progredi vlteriùs; nequit enim malum consistere, vbi pudor est, qui index solet esse sanitatis venientis. Huc trahe dicta tom. 3. lib. 5. cap. 7.

Ambr.

Hier. 6.

Psal 37.

Psal. 6.

Nissen.

§. 4.

§. XX.

Temporalis homo Deum mallet perire, dum ipse lucra non perdat.

AGnito Dei Filio, & sæculorum hærede, de eius interfectione agunt, vt sibi reseruent temporariam hæreditatẽ; & quid non moliantur in Deum homines temporarij, ne ipsi suis lucris careant? Matth. 21. *Intrauit Iesus in templum Dei, & eijciebat omnes ementes, & vendentes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, et dicit eis: Scriptum est, domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam spelũcam latronum. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanauit eos. Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Osanna filio Dauid, indignati sunt.* Expende, vbi in Iesum indignantur isti: vbi Iesus suam diuinitatem ostendit, eiectis impunè negotiatoribus à templo, sanatis cæcis, & claudis, & adhibitis vocibus puerorum cãnentium, tunc Sacerdotes, & Scribæ magnã iram concipiunt, & vellent ipsum Deum manifestatum perdere. Cur non magis timent Deum, quem omnipotentem cernunt? Cur non magis adorant, quem audiunt prædicari vel à pueris? Cùm vident à Iesu cathedras columbarum euerti, eijciq; omnia lucrorum negotia à templo, malunt perdi Deum, quàm sua ê templi negotijs lucra perdi. Imperfectus, homil. 40. in Matth. *Postquam Iesus introiuit in templum, & omnes vendentes animalia, quæ ad sacrificium vendebantur, foras eiecit, in quibus Sacerdotes auari tunc delectabantur; tunc præcipuè cogitauerunt eum occidere, dicentes intra se. Si populus istum habuerit Deum, necesse est, vt dimittat consuetudinem hostiarum, quæ ad nostrum pertinent lucrum: & sic iam non erit populus iste possessio nostra, sed Dei, videlicet, non ad nostrum quæstum pertinens, sed Dei.* Ecce tibi, cur vellent perdere Deum, quia nimirùm putabant, illum esse illius conditionis, qua abaris suis, & templis suis arceret occasiones lucrorum Sacerdotũ: vbi autem lucra necessum est perdi, magis volunt temporarij ministri, quòd perdatur Deus. Nec miror, quando auarissimi

Matt. 21.

Imperf.

simi homines nullum Deum æstiment, ni si qui seruit eorum lucris? Apud Lucam temporalis ille filius parentis optimi vitam non sustinet, dum apud illum videt retineri bona sua. Quare ad illum accedit, Luc.15. & inquit cap.15. *Pater, da mihi portionem substantiæ, quæme contingit.* Miraris iuuenis impudentiam, quòd à patre optimo Deo adhuc viuente postulet portionem suam. Cur petis à viuente patre portionẽ, quæ non contingit filium, nisi post patris mortem? Petit portionem, quam vt habeat, simul si posset, parenti Deo inferret mortem ipse. Non enim sustinet viuere Deum, qui impedit eius lucra. Ait Diu. Chrysol. Chrysolog. serm.1. *Quantum pius pater, tantum hæres impatiens, qui patris fatigatur ad vitam; qui patris, quia tenpus auferre non potest, nititur auferre substãtiam.* Eadem cupiditate vitę tempus auferret Deo ipsi, si posset, qua ab illo aufert portionem suam. Numquam enim temporalis homo velit vitam siuè Dei, siuè parentis, qui impedit lucrorum suorum augmenta. Similem ebiberat insaniam Achã ille, qui Iosue.8. dicitur furatus fuisse de anathemate, hoc est, de bonis reseruatis Deo; furatus est autem pallium coccineum, ducentos siclos argenti, regulamque auream. Et cur in hæc bona Deo reseruata fuit ausus? Ait Iosephus relatus in Ioseph. Glossa: *Acham dum inuenisset chlamidem regiam, totam auro contextam crudele iudicans, si lucrum inueniens, quod in sua vtilitate conferret daret hoc Deo & non magis egenti, suffodit eam, &c.* Expende iudicium hominis auarissimi, quod iudicat, crudele esse, sibi adimere lucrum inuentum, vt daretur Deo. Et quid iste non auderet in Deum, quem sic pro lucello vilipendit.

§. XXI.

A Christo Domino non potest non prosilire beneficentia in hostes suos.

NIl magis iure homano cautum est, quàm quòd parricidæ iura hæreditatis amittant, quomodo ergo agricolę ij talem errorem sibi persuaserunt, quo Dominum occiderent, vt hæreditatem eius possiderent. Dicunt enim: *Occidamus eum, & hæreditatem eius habebimus.* Quomodo eius occisores, eius hæreditatem habere poterunt; Vndè illis venit in mentem tam inauditum hominis occisi facinus, quòd ab illo accipiant hæreditatem ipsissimi eius occisores? Sanè vbi Iesus erat, qui occidendus apparebat, non potuit ab illo non prosilire excogitatio de beneficentia in hostes. Matth.1. purissima Vir Matt.1. go Maria apparuit in vtero habens Filiũ Dei. Quid ad hæc sponsus ignarus mysterij, videns vterum tumentem vxoris? *Ioseph autem cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Cur non magis tradit eam iudici, imò & carnifici? Cur non magis irascitur? Cur, vt putabatur, læsus, non quærit satis factionem, sed magis curat celare offensam, & reddere pro malo bonum? Erat Iesus in vtero Mariæ, de cuius habitu veniebat, quòd Ioseph eam philosophiam ebiberet, qua non solùm condonaret iniurias, sed & iniurianti, si quis esset, prospiceret. Ait Diu. Chrysostom. homil.4. in Matt. Chrysost. *Sub legè viuens Ioseph, supra legem philosophatur, siquidem aduentante iam gratia; multa sublimioris disciplinæ documenta fulgere oportebat. Vt enim Sol nondum radijs ostensis, eminus tamen splendore suo maximam partem orbis illuminat: ita & Christus ex vtero Virginis iam, iamque progrediens, vniuerso orbi, etiam priusquam oriretur, illuxit. Propterea igitur Ioseph tantam philosophiam mentis ostendit. Neque enim aut in iudicium trahit sponsam, aut ipse saltem ei manifestum vteri exprobrauit tumorem.* Quid pulchrius? Appropinquante Sole, licèt nondum apparente, eius tamen splendorem, & lucem in se exhibet terra: sic de vicino Christo, licèt adhuc sub nube virginei vteri, iam fulgèt in Ioseph Christianæ virtutes, quibus efficaciter trahebatur in eam philosophiã, qua pro apparente malo bonum redderet. Sic Iesu vicinitas solet humanos animos in hanc impellere mentem, vt remittant iniurias, & iniurantes munerent. Apud Matth. cap.5. aiebat Dominus: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Vix vllum verbũ inuenies in lege vetere, quod charitatem explicitè commendet ad hostes; hęc virtus prædicanda reseruabatur in testamento nouo, quia hoc nouum testamentum nobilitandum erat præsentia Domini vbi autem Christi vox erat, Christi erat præsentia, non potuit non radiare dilectio inimicorum. Id quòd tractans D. Matt.5.

Augustin. serm. 5. in Feriam sextam Cinerum, vt habetur in Biblioth. homil. ait: *Quare ergo antiquis non dictum est: Diliges proximum tuum, & diliges inimicum tuum? Quia fortasse & ipsis dictum est: Sed nobis apertiùs pro temporum distributione, per eius præsentiam, qui videbat, quid quibus vel tegendum erat, vel aperiendum.* Expende illud, *per eius præsentiam, &c.* Vbi enim Christus Dominus verus iustitiæ Sol apparuit, non potuerunt non manifestari eius radij in charitate, quæ amplecteretur eius aduersarios. Vide tom. 1. lib. 4. cap. 5. §. 1. & tom. 3. lib. 13. capit. 3. §. 11.

§. XXII.

Sententia, quæ iuridicè profertur, vix credi potest iniusta, etiamsi ab iniquissimo iudice prolata sit.

IEsu Dei Filij mors explicatur, & dicitur, quòd agricolæ, nempè Iudæi *eũ eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Quod hìc tribunal? Qui iudex? Qui testes? Quæ iudiciales dilationes, & probationes? Meritò non iuridicè, sed tumultuariè fit Iesu damnatio, vt tanti Domini pateat euidentissimè, & absque vllo scrupulo innocentia; quãdo quæ iuridicè profertur sententia, vix credi posset iniusta. De eadem Christi Domini damnatione locuti Euangelistæ, non parum negotium fatessunt sacris scriptoribus. Ait enim Marc. cap. 15. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Ioann. autem cap. 19. *Erat autem parasceue Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Iudæis, &c.* Itaque Marcus intra horam tertiam, ponit absolutam, & completam Domini crucifixionem, quã Ioannes à Pilato putat permissam hora sexta. Sunt ergo sibi Euangelistæ contrarij? Absit; imò maximè inter se conueniunt; Ioannes enim insinuat, quid coactus est permittere Pilatus in Christũ Domini, & quidquid à malo iudice Pilato extortum est, id hora quasi sexta cæpit. Marcus verò in re damnationis Christi, non ad Pilatum attendit, sed ad Iudæos clamantes iuxta prætorium: *Tolle, tolle, crucifige eum*, quod hora tertia factum est; quorum clamoribus crucifixionẽ Christi meritò tribuens, cauit, ne in illa nefarissima actione aliquid iuridicæ sententiæ appareret, cum qua difficiliùs Christi Domini innocentia probaretur. Id sapienter notauit D Augustinus, quæst. noui testamenti. 65. *Sententiam ergo non dedit Pilatus, sed Iudæi, qui præmoniti sunt à Principibus Sacerdotum, vt dicerent, crucifigatur. Hanc sententiam tertia hora datam vult Marcus intelligi, in qua assiduis vocibus perdurantes cum interuallo horarum ferè trium, quibus itum, & reditum est ab Herode, crucifixerunt Saluatorem. Manifestauit igitur Marcus, quia non in iudicis sententia Saluator crucifixus est. Difficile est enim innocentem probare eum, qui sententia iudicis punitur.* Vbi iudex iuridicè procederet, suumque tempus concederet probationibus, & defensionibus, nihilque à iudiciali ordine dimitteret, sed omnia obseruaret, difficillimè probatur innocens, qui inter hæc apparet condemnatus. Vix enim creditur posse aliquid perversitas in innocentem, si iuridicus ordo seruatur. Quis iudex iniquior, quàm Herodes? Ipse vehementer iratus in Ioãnem Baptistam, Matth. 14. *Alligauit eum, & posuit in carcerem*; cur non statim damnauit? Cur vbi alligauit, sententiam mortis non dixit? Nõ equidem facile erat etiam nequissimo iudici, vbi iuridicè procedendum erat, sententiam ferre aduersus innocentem Ioannem. Quò spectans Chrysolog. serm. 173. ait: *Captiuũ iste iustum tantùm tenuit, vinxit inclusum, quia in innocentem reus facilè non poterat dictare sententiam.* Dum iuridicum ordinem reuerebatur Herodes, etsi vinctum tenebat Ioãnem, non facilè poterat illum plectere capite; difficilè enim vel à iudice iniquo sententia aduersus innocentem potest dari. Hinc etiam Dominus apud Hierem. 12. suam innocentiã ostendit, quòd non iuridicè, sed tumultuariè fuerit damnatus: *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam: dedi dilectam animam in manibus inimicorum eius: facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua, dedit contra me vocem suam.* Sic legit Diu. Cyrill. Alexand. quo patet, Iesum occisum fuisse tumultuariè, clamoribus, & vocibus Iudæorum, vt damula in syluis solet à leone necari. Damula quidem in sylua priùs rugitibus leonis, quàm vnguibus cadit; sic Iesus à tumultuarijs vocibus, & clamoribus, non à iudiciali ordine fuit damnatus. Ait Cyrill. Alexand. lib. 12. in Ioann. cap. 14. *Fertur igitur leo, cùm animal aliquod capere velit, mirabilem solere rugitum edere, eoque, quæ propinqua sunt animalia perterrita cadunt.*

dunt. Ita solo leonis clamore superantur, ac capiuntur. Quasi ergo leo in sylua aduersus Saluatorem Synagoga facta est. Nam quāuis nullo ille terrore perculsus sit (expers enim formidinis Deus est) clamoribus tamen suis Christum Synagoga interfecit. Pilatus enim dimittere volebat, et modum ipse cogitauit. Hoc semper Deus prouidit ad euidentiam innocentiæ Christi Filij sui, ne tribueretur eius damnatio iudiciali decreto, sed plebi tumultuanti, quando difficilè creditur innocens, qui sententia iudicis punitur.

Matth. 21. Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.

§. XXIII.

Iudicij humani seueritas non sic in viros potentes, vt in plebeios, & viles exardescit.

NOn multùm hęsitant iudices isti, sed vbi agricolarum crimina audiunt, statim totum iudicij rigorē exacuūt clamantes: *Malos malè perdet.* Quis iudex non incunctanter perdit agricolam malum? Non sic potentium virorum crimina castigantur; in ijs ferè nihil dignū morte inuenitur; pœnæ, & supplicia vix nisi pro solis plebeis, & vilibus homuncionibus inuenta sunt à iudicibus humanis. Ca-
Deut 1. uebat Dominus, Deuteron. 1. *Quod iustum est, iudicate, siuè ciuis sit ille, siuè peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum: nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* Expende illud, *quia Dei iudicium est*; quasi inde pateat, iudicium Dei esse, quod ex æquo omnes respiciat, omnes sontes puniat, siuè potentes, siuè viles. Non sic humanum iudicium, sed quò magis humanum, eò amplius punit crimina in pauperibus, in diuitibus minùs. Quò
Pet. Da. spectans Petrus Damia. lib. 1. epist. 6. ait: *Porrò autem nos, contra diuina mandata personarum acceptores, in minoribus quidē Sacerdotibus luxuriæ inquinamenta persequimur; in maioribus autem, quod nimis absurdum est, per silentij tolerantiam veneramur.* Hoc est discrimē inter facinorosos, & scelestos homines apud humanum iudicium; qui pauper est, & vilis ob minima crimina, maximas iudicum incurrit indignationes; qui potens, & illustris est, vel in maximis delictis acquirit sibi venerationem. Quod iudicibus obijciebat Deus, Psalm. 81. aiens: *Vsquequò iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* Euthimius, & Nicephorus de acceptione personarum in iudicio intelligunt, in quo puniuntur pauperes sontes, & diuites criminosiores sunt venerationi. Id quod exprimens Apollinarius, ait: *Veneramini verò facies superborum molestorum.* *Apollin.* Et quando in iudicio humano pecuniosus homo, etsi scelestissimus, subijt discrimen? Et quando potens periclitatus est? Quàm ratò! Vbi potentia accrescit, decrescunt crimina apud humanos iudices, & penitùs disparent. De ciuitatis Samariæ strage locutus Oseas, ait cap. 7. *Fur ingressus est spo-* *Oseas. 7.*
lians, et latrunculus foris. Vbi sapienter noster Ribera intelligit, rapinas Samariæ factas tàm à domesticis ciuibus, quàm ab exercitibus hostium. Ab intùs erant fures, erant ciues, suos conciues spoliantes; foris autem erant latrunculi, nimirùm exercitus hostiles, qui vastabant omnia. Sed expendendum, quòd domestici, & ciuiles spoliatores vocentur fures pleno ore: at potentissimi exercitus hostium vocentur latrunculi per diminutionem. Vndè hoc, quòd singularis ciuis vocetur fur, & latro; potentissimus autem hostium exercitus per diminutiuum latrunculus nominetur? Loquitur Propheta ad iudicij humani morem, apud quod in solis minoribus crimina seruant suam fœditatem, & nomen; in potentioribus autem omnia euanent crimina, imò reprehensionis loco accipiunt venerationem. Vndè factum est, quòd vilis homuncio Cacus latrocinijs suis malè audiat apud omnes: at latronum maximus Iulius Cæsar, & Imperator habeatur, vt referatur in numero Deorum. Et quantò hoc sit malò potentium hominum? Sanè crediderim, ideò Deum permittere, viros potentes à iudicibus humanis non castigari, vt eorum integra maneat causa, quæ à iudice Deo seuerius puniatur. Ex quo lucem affero loco Psalmi. 57. vbi ex cantatissima versione dicitur, poten-

tissimis peccatoribus: *Priusquam intelligant ollæ vestræ rhamnum, sic viuentem, sic iræ turbine absorbebit eum.* Equidem absorbebit ira diuina potentem scelestum, priusquam caro eius intellexerit rhamnū. Sapientissimè enim iudex, & gubernator iniquus exprimitur, Iudic. cap. 9. per rhāmum; à quo procedens ignis arida potest comburere ligna, carnes autem coquere non potest. Sic per iniquum iudicem viles fontes puniuntur, potens autem scelestus, vt olla carnium à rhamni igne manet integra, sic iste ab iniquo iudice manet intactus, vt totum impetum diuinæ iræ sustineat.

§. XXIIII.

Præstantia iudicis non tàm in vilium hominum, quàm in potentissimorum damnatione.

NEquissimi alioquin homines præstantem iudicem agunt in agricolarum damnatione, dum agricolarum audita nequitia, statim illorum decernunt perditionem. Etenim clamant: *Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs, &c.* Et quantula hæc iudicis præstantia? Sanè parum est, quòd iudex reos agricolas damnet; illud maximè iudicem commendat, si audeat sententiam ferre aduersus potentissimos quosque. Hinc cantatissimus extitit iustitiæ zelus in Phinee, qui iniquissimos fornicarios interfecit in ipso concubitu. Quod facinus vix compleuit vir iustissimus, & ad eius zeli commendationem ait textus, Numer. 25. *Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri, filius Salai, dux de cognatione, & tribu Simeonis. Porrò mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Gosbi, filia Sur Principis nobilissimi Madianitarum.* Vt quid occisorum hominum scelestum sic explicatur nobilitas, nisi vt in Phinee clareat præstantissimus zelus iustitiæ, qui non viles, sed potentissimos, & nobilissimos sciuit punire? De quo Petrus Damian. lib. 1. epist. 7. inquit: *Ecce hic Phinees diuini spiritus zelo succensus, cùm totus penè Israelitarum populus cum filiabus Moab fornicando corrueret, non in despectos quoscumque, vel infimos diuinæ legis propugnator insiluit: sed excellentiores, & clariores in populo, quos ad terrendum cæteros, trucidaret, elegit. Testante scriptura, quæ dicit: Erat nomen viri, qui occisus est cum Madianitide, Zambri, filius Salai, dux de cognatione, et tribu Simeonis, &c. Et qui tales commotus vlciscitur, pacem superni iudicis, et gratiam non modò sibi, sed & populo absque dubio promeretur.* Non sibi blandiatur de zelo iustitiæ, qui solùm infimos, & viles reos nouit punire; faciunt hoc etiam nequissimi iudices; imò quò nequior iudex est, eò magis viles homunciones castigat. Mensuranda est præstantia iudicis per eum zelum, qui audeat etiam in celsos, & conspicuos viros, si in his inueniatur culpa. De maximo illo Ioseph, qui à Deo nutriebatur in iudicem, & gubernatorem præstantissimum totius Ægypti, notat scriptura, dum eius expendit pueritiam, Genes. 37. *Ioseph cùm sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer, et erat cum filijs Balæ, & Zelphæ vxorum patris sui, accusauitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Audio Iosephum accusantem fratres suos apud patrem, & dubito an accusatio hæc orta fuerit à puerili illa leuitate, qua pueri parentibus, & præceptoribus aliorum errores suggerunt? An leuis hæc, & inuidiosa indoles accusandi in tanto puero fuit? Absit; non enim leuitas puerilis, sed zelus iustitiæ potuit esse, qui non quoscumque infimos, sed præstantissimos, & maiores natu, potentes facultatibus, & viribus vocat in iudicium. Ad hæc enim ait Rupert. lib. 8. in Gen. cap. 19. *Hoc enim diligenti inspectione dignum est, quia grandiores fratres accusauit adhuc puer. Quod vtique nō feciſſet, si non puritatis amorem, zelumque iustitiæ iam haberet.* Meritò inde probat in iuuene iustitiæ zelum fuisse, quòd grandiores, & potentiores fratres non veritus est accusare de crimine: quod vt est difficile, sic est difficile inueniri perfectum iudicem. Vt meritò moneat Ecclesiasticus, cap. 7. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua.* Inde debent mensurari vires perfecti iudicis, si posset etiam potentiores punire.

§. XXV.

Solius diuini tribunalis est, quòd malè plectantur iuxta malitiam suam: in mundialibus tribunalibus multoties mali triumphant.

CRediderim aliquid diuinum odoratum fuisse in Domino vineæ, de quo isti sic indubitanter pronuntiant, quòd veniens *malos malè perdet*; nō enim hoc sic indubitatū est apud alium, quàm apud Deum. Apud homines autem tantum abest, quòd mali malè perdantur, quòd sæpiùs mali in eorum iudicijs triumphant. Prouerb. 19. dicitur: *Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis. Fratres omnes pauperis oderunt eum, et amici procul recesserunt ab eo.* Hæc verba sic legit vulgata, vt aperiat falsæ amicitiæ naturam, quæ diuitum gratiam aucupatur, pauperes autem etiam fratres, & consanguineos fugit. Verùm Chaldaica translatio alium sensum reddit, æquè verum, & rei præsenti aptiorem. Ait enim: *Multi sunt, qui ministrant coram Principe, sed malis dat munera.* Quid verius apud mundiales Principes, apud mūdiales iudices? Ij ex multis ministris, malos eligunt, non quos malè perdant, sed quibus dent munera. Mali, & pessimi omnium in humanis iudicijs pro morte merita triumphum, & ouationem acquirent. Eccles. 3. Ecclesiastes cap. 3. inquit: *Vidi sub Sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem.* Hæc sub Sole quotidiè vidētur, nimirùm quôd iudicum, Principumque fauores, & munera iniqui, & pessimi omnium arripiant. Quid mirum? Quô iniquior quis, plura habet media, quibus fauores Principum aucupetur; nulli enim mendacio, nulli sceleri parcit, dum sibi gratiam Principis acquirat; quo fit, vt ferè semper in iudicijs humanis impius triū phet. Hieron. Ad hæc paraphrasis Diu. Hieronymi ait: *Arbitratus sum aliquid iustitiæ in præsenti sæculo geri, vel pium nunc pro suo merito accipere, vel impium pro suo scelere puniri: & è contrario reperi, quàm putabam. Vidi enim & iustum multa mala hic perpeti, et impium regnare pro scelere.* Frequentissimi sunt in mundiali foro scelesti homines, qui coronas reportent pro sceleribus suis. Quis ignoret accusationem illam iustissimam, & euidentissimam à viris Iudæis agitatam aduersus Menelaum, scelus ipsum coram Rege Antiocho? Religiosissimi erant accusatores, reus notissimus, eius crimina adeò magna, & claris probationibus conuicta, vt Rex decreuerit illum punire. Quid tūc? Ait textus, 2. Machab. 4. *Cùm superaretur Menelaus,* 2. Mac. 4 *promisit Ptolomeo multas pecunias dare ad suadendum Regi. Itaque Ptolomeus in quodam atrio positum, quasi refrigerandi gratia, Regem adijt, et deduxit à sententia: et Menelaum quidem vniuersæ malitiæ reum criminibus absoluit; miseros autem, qui etiamsi apud Scythas causam dixissent, innocentes iudicarentur, hos morte damnauit.* Hæccine sunt humana iudicia, apud quæ nocentissimi quique triumphant. Nec velim putes, id solùm euenire apud iniquos iudices, & Reges, qualis erat Antiochus; præualet enim malitia etiam apud sanctissimos. Quis Rex Dauide sanctior, & iustior? Apud hunc tamen sic valuit nequissimus Domini proditor Siba, vt in primis omnia innocentis Miphiboseth bona acciperet, & deinde etiam eius proditione cognita, adhuc recepit illorum medietatem. Ait enim Dauid. 1. Reg. 19. *Fixum* 1. Re. 19 *est, quod locutus sum: Tu, & Siba diuidite possessiones.* Ex quo monet sanctissimū, & æquissimum iudicem Petrus Damian. Dam. lib. 2. epist. 9. *Quid mirum si te, licèt prudentem, et sanctum virum potuit artifex seruitus, et versuta decipere, cùm & prophetico plenum spiritu Dauidem Siba seruus Saul callidè mentiens compulit à iustitia declinare. Tu, inquit, & Siba diuidite possessiones.* Quamuis sit in iudice plena æquitas, & sanctitas, & prophetiæ donum, tamen fieri nequit, vt dum in hoc sæculo est, non triumphet in eius tribunali malitia, & mendacium.

§. XXVI.

Beneficorum sibi hominum proditores, & persecutores rarò communi clade, frequentiùs singulari aliquo modo conficiuntur.

NOn solùm perdendos dicit agricolas rebelles in beneficentissimum Dominū suum, sed notanter addit, malè perdendos, dum dicit: *Malos malè perdet.* Non equidem pessimi ij, & ingratissimi

simi hominum communi debebant perimi supplicio, sed nouo aliquo, & singulari mali genere perdendi sunt. Et quando non singulari, & inaudito malo perimuntur, qui in beneficos sibi insurgunt? Notissima est rebellio Absalonis cum maiori parte Israelitarum, in beneficentissimum parentem, & Regem Dauidem: vētum est in certamen: proditorum, rebellium que exercitus apparet ingens: concurritur, & horæ puncto rebelles sese dāt in fugam, & in vicinum montem confu-
2. Re. 18 giunt. Quid tunc? ait textus. 2. Reg. 18. *Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, et multò plures erāt, quos saltus cōsumpserat de populo, quàm hi, quos vorauerat gladius in die illa.* Commune est militibus victis, victoris gladio perire; at in hac rebellis Absalomi pugna non multi gladio cadunt; plurimi, imò innumerabiles consumuntur à monte, ad quem cōfugiunt. Sed quali modo mons potuit tot miseros consumere? Sapienter excogita-
Dam. uit Petrus Damianus huius difficultatis solutionem; ait enim lib. 2. epistal. 20. *Nobis autem videtur, quia vesani quique, & infruniti, qui cum Absalon per duelliones extiterant, Deo deserente, cæcati arbustis occurrentibus impingebant: atque ideò dicatur, quia plures ceciderant saltu consumente perempti, quàm ij, qui gladio fuerint truncidante vorati.* Vt furiosi fugiebant ad cōdensa saltus, sic cæci ad arbusta impingebant, & miserè contriti perimebantur, vt dignum erat, malè perire eos, qui in beneficum Dauidem rebellabant. Nullus persecutor benefactoris sui finem speret aliū, quàm qui venit ab inusitato, & fœdissimo genere mali; quòd nimirū sic pereat, vt non possit vllum effugium spectare. Inter gladios cadentes poterant sperare veniam à contribulibus suis, à quibus cædebantur; at inter ligna contriti omnem habebant intercluſum veniæ aditum. Similiter famosissimus ille sui magistri proditor perijt; vt enim sceleris malitiam no-
Matth. 26 uauit Matth. 26. *Abiens laqueo se suspendit*; ad lignum cucurrit, & se se ipse mulctauit, ne vlla spes veniæ illi affulgeret, sed vndique esset perditio mala. Pro quo
Max. ait Diu. Maxim. sermon. 2. de passione: *Non enim Iudam damnat Pilatus, non damnat populus; sed quod est granius, se ipse cōdemnat, et cessante iustitia iudicatur. Quem enim alter iudicat, potest vtcumque esse excusabilis; reus autem sine excusatione est, qui conscientiæ suæ iudicio condemnatur. Quem alter iudicat, potest quandoque à suo iudice sperare indulgentiam; qui se ipse iudicat, à quo indulgentiam postulabit?* Id supplicium prouisum est misero proditori, in quo nihil non malum posset respicere, id quod iustè merentur, qui suorum bonorum persequuntur auctores.

Matth. 21. Dicit illis Iesus: Numquam legistis in scripturis, Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

§. XXVII.

Is est Deus, qui de huius mundi reiectaneis nobilissimos gloriæ titulos sciat eligere.

VIlissimus, & reiectaneus lapis in caput anguli fit à Domino, ne quis animo cadat, cùm se reijci, & reprobari videat à mundo, imò tunc magis quærat manum diuinam, cuius potestatis est, de reiectitijs, & vilibus huius mundi nobilissimos gloriæ titulos sibi affigere. Propone tibi ob oculos Dauidem persequentem Amalecitas; media in via inuenit seruulum Amalecitarum à domino suo seminiuum derelictum, inedia iam penè consumptum. Hunc cibo, & potu confirmans Dauid, & audiens esse seruum, propter infirmitatem derelictum à domi-
1. Re. 30 no suo, statim ex eo quærit. 1. Regum, cap. 30. *Potes me ducere ad cuneum istum?* Vide quàm egregium ducem Dauid eligat sibi, vt de hostibus triumphet. Scit seruulum, scit infirmum, scit reiectum à domino suo, tamquam pondus inutile, & tamen audet hunc proponere sibi ducem, vt glorioſas, & singulares victorias à Deo promissas acquirat. Quis hoc auderet, nisi qui omnipotentis Dei adumbrat virtutem, quæ sola scit de reiectitijs, & vilibus hominibus nobilissimos insculpere

gloriæ

gloriæ titulos? Ad hæc aiebat Eucher. lib. 1. in Reg. *Hunc tamen Dauid inuenit, eique cibum, & potum præbuit, quia manu fortis Deus abiecta mundi non despicit, & plerumque eos, qui mundum sequi minimè valent, et quasi in via remanent, ad amoris sui gratiam conuertit, eisque verbi sui cibũ porrigit, & quasi duces sibi in via dirigit, dum suos etiam prædicatores facit, qui superbos quosque qui se in mundo despexerãt, Domini virtute prosternunt.* Hic est manu fortis Deus noster, cui ad nobilissimas victorias, ad ingentes glorias, mundi abiecta, & reiectanea seruire solent. Hunc Deum, hunc Dominũ sequamur omnes, quæramus omnes, qui nec infirmis grauatur, neque reiecta despicit, neque abiecta, & vilia fastidit, vt qui nulla vilitate turpatur; quin potiùs scit de vilibus, & reiectitijs ingenti gloriæ pulchritudinem adijcere. Vilissimum quandoque, & à mundi mari euomitum latronem offendit iam iam animam agentem in supplicio, hunc tamen videns audet illum sibi commilitonem parare, vt ingrediatur gloriam suam. Et ait illi, Luc. 13. *Hodiè mecum eris in paradiso.* Quid ais, Domine, vt paradisum intres, vilissimum hunc, & reiectitium latronem assumis? Quis credat regnũ, quis credat gloriam, quæ haberi finitur ab homine vilissimo? Quis credat Regem gloriæ, cuius lateronem videat hominem huiusmodi reiectitium? Imò tunc Rex gloriæ apparet Christus, qui de reiectitijs, & abiectis hominibus scit non infamiam, sed ornamentum, & decorem addere gloriæ suæ. Ait Diu. Chrysostom. homil. de cruce, & latrone: *Imperatori quidem iniurioſum putatur, si personam vilissimam participem sui actus accipiat; Christo autẽ nostro non iniuriæ fuit sacram ingredienti paradisum, facere ingressus sui latronem participem. Nam secum eum perduxit, non confundens calcantibus latronis pedibus paradisum, sed honorem præstans paradiso. Honor enim loci est, talem Dominum promereri, qui & latronem dignum reddiderit paradiso.* Nemo Christianus abiectionem timeat; licèt enim omnium abiectissimus sit, licèt vt reiectitia quædam, & mundi purgamenta habeatur, sub illo Domino viuet, qui scit de puluere erigere egenum, & de stercore pauperem suscitare, & de reiectitijs sibi duces constituere ad glorias comparandas. Nonne habes apud Lucam, cap. 10. hominem à latronibus spoliatum, & in via semiuiuum relictum, quẽ nec Sacerdos, nec Leuita respicit; hunc à Samaritano quodam in fabulum mitti, & inde educi in triumphum salutis? Et quis tibi videtur Samaritanus hic, qui de reiectitio, & inutili pondere salutis triumphum effingat? Pulchrè ait Diu. Ambrosius, libro. 7. in Lucam: *Non mediocris iste Samaritanus, qui eum, quem Sacerdos, quem Leuita despexerat, non etiam ipse despexit.* Et quidem non mediocris Samaritanus, sed omnipotens, & summus hominum custos est, qui sic reiectum, & despectum hominem in salutem, & gloriam admittit.

Eucher.

Luc 13

Chrysost.

§. XXVIII.

Omnia fiat, quisquis Deum sibi cupit inuenire factum omnia.

ETsi multi dixerant, perdendos malos agricolas, & vineam alijs locandam; multi alij id minimè posse fieri credebant, vt explicatiùs Diu. Lucas posuit. Hos vt cõfundat Dominus, subitò ad lapidis reprobati. & in caput anguli sublati similitudinẽ cõfugit: nec mireris iã vitis similitudine, iam lapidis, Christianæ fidei mysteria explicari à Domino; docemur enim interea, qualiter omnia fieri debeamus, vt nobis Deus fiat omnia. De sponsa dicebatur, Canticor. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea.* Et post pauca, iuxta lectionem Pselli apud Theodoretum, inquit: *Botrus Cypri sororis meæ filius, mihi in vineis Engaddi.* Vbi sessor est Dominus, equa fit anima, in qua triumphet eques nobilissimus; vbi autem botrus Deus intelligitur, iam proficiens anima apparet vitis, sic enim vt omnia in dilecto inuenit, omnia etiam sponsa fit. Pro quo ait Psellus, ibi: *O præclaram progressionis sponsæ mutationem! Quæ enim perspicuè paulò antè similis equæ dicta fuerat, nunc amicorum obsequio planè proficiens, se ipsam vt vitem fructiferam agnoscit. Omnis enim anima pura, Domini succensa desiderio, operum progressione fit omnia. Nunc quidẽ sedes Cherubim, nunc sedes Regis, nunc autem vitis fructifera in aula Domini.* Nulla forma fugienda est est illi, qui vult proficere in obsequio Domini, iam scabellum pedis fiat, iam sedes, iam thronus, vbi gaudendum est de tanto sessore: iam vinea fructi-

Cant. 1.

Psellus.

fructifera, vt de tanto botro diues fiat. Sic per omnia virtutum decora currens, omnia fiat, qui omnia in Deo cupit inuenire. Ad hæc D. Chrysost. locutus de Paulo, homil. 2. de Penthec. *Cûm esset vnus, omnia fiebat, Dominum suum imitans: etenim cûm sit diuinitas vnius substantiæ, & immutabilis, pro nostra salute omnibus omnia fit. Tu palmes factus es, & ipse tibi vinea, sicut ipse dicit: Ego sum vinea, vos autem palmites. Promouere gressum voluisti? Factus est tibi via dicens: Ego sum via, per me si quis intrarit, exiet, & pascua inueniet. Ouis factus es, ille tibi pastor. Ego sum pastor bonus: pastor namque bonus ponit animam suam pro ouibus. Peccator effectus es? Factus est tibi agnus: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Manducare voluisti, factus est tibi mensa. Sponsa fieri voluisti, factus est tibi sponsus.* Sic dum per omnia discurris, omnia factus, omnia factum inuenis tibi Deum ipsum.

Chrysost.

§. XXIX.

Mirabilius est, quòd Iesus hominum corda trahat in salutem, quàm quòd ipse in gloriam à morte resurgat.

QVòd à reprobatione, & mortis damnatione in creaturarum omniũ caput resurgat Dominus, mirabile quidem est, sed notãter dicitur hoc, quod *mirabile est in oculis nostris*. Quis neget apud humanos oculos miraculũ esse magnum, & summum, quòd Iesus mortuus in gloriam resurgat? Apud diuinos autẽ oculos non est id miraculum summum: sed quòd Iesus humana corda deducat in viã salutis, hoc mirabilissimum est in oculis diuinis. Paulus ad Ephesios, cap. 1. ait: *Nõ cesso gratias agens pro vobis, memoriã vestri faciens in orationibus meis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis, quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus, secũdûm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum â mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solûm in hoc sæculo, sed in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, &c.*

Ad Eph. 1.

Duplicem Dei virtutem, & potestatem inter alias exaggerat Apostolus in præsenti, alteram ostensam in nobis, qui credidimus, alteram ostensam in Christo, qui à mortuis fuit excitatus, & constitutus ad dexteram Patris, super omnem principatum factus Ecclesiæ caput. De prima ait: *Quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius, in nos, qui credidimus*: de secunda verò dicit: *Secundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum, &c.* Itaque Apostolus vîrtutem, qua Christum suscitat, & eleuat in creaturarum caput, simpliciter illam vocat operationem potentiæ virtutis eius, nullo exaggerãte ibi vtitur vocabulo. At vbi ad virtutem, qua tracti sumus ad fidẽ, accessit, ibi non simpliciter, sed cum magna exaggeratione vocat supereminẽtem magnitudinem virtutis eius. Et cur potiùs vocatur supereminens, & magna virtus, quæ traxit nos ad fidem, quàm virtus, quæ in tantum gloriæ cumulum Christum suscitauit? An difficilius Dei opus ostenditur in conuertendis hominibus, quàm in suscitando, & glorificando Iesu? Ait ibi Chrysost. hom. 3. *Multo sanè admirabilius, quòd animæ ad fidem persuadeantur, vt credant, quàm quòd morticina caro resurgat.* Non tanta est in Dei conspectu potentia, non tantùm miraculum, quòd mẽbra mortua eleuentur in vitam, & de puluere sepulchri in sedes glorię exaltentur, quàm quòd carnales, & infimę hominum mentes in voluntariam fidem trahantur. Propone tibi ob oculos Dominum mortuos suscitãtem: accedit ad quatriduanũ, Ioann. 11. & ait: *Lazare, veni foras. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus.* Vix fatus fuerat, & dicto citiùs mortuus paruit. Verùm vbi ad trahendos Iudæorum animos accedit, ipse ait, Luc. 13. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodũ auis nidũ suum sub pennis, et noluisti?* Ad vitã mortui vocantur, & surgunt statim; ad fidẽ Iudæi vocantur, & reluctantur; mirabilius ergo, & difficilius opus est, quòd homines carnei ad fidem trahantur, quã quòd mortui possint ad vitam reuocari. Ibidẽ Chrysostom. *Dixit Christus iam mortuo: Lazare, veni foras, dicto citiùs paruit. Dixit Petrus: Thabita surge, quæ nihil cunctata dicenti gessit morem. Dicet Christus extrema illa die, Et resurgent omnes, idque tanta cũ velo-*

Chrysost.

Ioan 11.

Luc. 13.

Chrysost.

velocitate, vt tunc viuentes, ne puncto quidem eos præuēturi sint. Sicque in momento, in ictu oculi vniuersa hæc conficientur, concurrentque. Vt autem quis fidem amplectatur, non sic rursum audi dicentem: Quoties volui congregare filios vestros, et noluistis? Vides ne, vt hoc illo sit difficilius? Multò enim difficilius est humanis rationibus libero hominis arbitro persuasisse, vt Christi fidem complectatur; quam vt credat quid vis naturam operari. Sicque meritò dixit, supereminentem esse magnitudinem potentiæ eius in nos, qui credimus. Natura nescit resistere Dei imperio, vt vocatur, statim paret: liberum hominis arbitrium eius cō ditionis est, vt resistentiam habeat Deo imperanti: vndè fit vt supereminens magnitudo virtutis diuinæ plùs ostendatur in trahendis ad fidem humanis volūtatibus, quàm mortuis suscitandis. Huc reuoca dicta tom. 2. lib. 9. cap. 1. §. 9. & tom. 3. lib. 14. cap. 22. §. 2. & lib. 15. cap. 9. §. 2.

§. XXX.

Non parvum à Deo in hominem beneficium venit, cui datur in alieno capite videre, quod ipse cauere debeat.

SPoliatis Iudæis assumuntur gentes in Christianum regnum: constans est enim sententia Saluatoris dicentis Scribis, & Pharisæis: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Non anteà gentibus datur regnum Christi, quàm illud à Iudæis fuerit amissum, vt in spoliatis Iudæis videant gentes reproborum discrimina, & caueant illa, & ex aliorum ruinis sibi discant prospicere. Quid fœlicius? Crediderim, hoc fuisse præstantissimum à Deo in gentes profectum beneficium, ad magnamque gentium fœlicitatem pertinuisse. Ait D. Zeno, ser. 6. de Isaia: *Iudaicus quidem populus impietatis arguitur, sed Christianus, ne talis enadat, pariter commonetur. Denique vt iste plus timeat, ille terretur; ille vapulat, vt iste proficiat. Compendiosum fœlicitatis genus, alterius periculo discere, quid debeas denitare.* Præclarè ad fœlicitatis sublimitatem refert, quòd ab alieno periculo discat homo sibi prospicere: solet equidè Deus, quos amat, sic instituere, ne in se ipsis, sed in alijs experiantur primò errorum pericula. Quis à Deo dilectus vocatur ad munus, cuius discrimina in alijs non vidit? Gen. 49. benedicens Dominus tribui Iuda, & prospiciens iam virum secundùm cor suum Dauidem, aiebat: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, &c.* Ecce tibi de æternando Iudæ regno loquitur Dominus, quòd quidem iam tunc æternandum videbat per Dauidis familiam. Hæc ibi à Domino: verum vbi venit ad populi sui regnum stabiliēdum, & regem constituēdum, nec meminit tribum Iuda, nec meminit Dauidē. Quippe ait. 1. Reg. 10. *Et applicuit tribum Beniamin, & cognationes eius, & cecidit cognatio Metri, & peruenit vsque ad Saul filium Cis.* Promissum erat regnum tribui Iuda per Dauidē; & vbi sors regni fit, dirigitur à Deo in tribum Beniamim vsque ad Saulem. Cur Deus non magis dirigis sortem ad tribum Iuda, cui æternum regnū promisit? Cur non magis vocas Dauidē, in quo scis, æternandum esse regnum? Facit hoc ad maiorem fœlicitatem, & ad maius beneficium collatū Dauidi, quòd prius eligatur Saul in cuius reprobatione, & ruina discat Dauid, quid ipse debeat deuitare, vt imperiū sibi possit consistere. Pulchrè ad hæc aiebat D. Greg. lib. 4. in 1. Reg. inquiens: *Id circò reprobus rex eligitur, vt electus successor eius rex Dauid in eo cognosceret, quid cauere debuisset. Sic nimirum, & de Angelorum curia legimus: quiâ de apostatu primo Angelo scribitur, ipse est principium viarum Dei: sed qui antè omnia conditus est, per superbiam cecidit, & in eius ruina sancti Angeli didicerunt, qua virtute stare potuissent.* Prouidere solet Deus dilectis suis, ne ex suo, sed ex alieno periculo discant: vt videntes aliorū miseras ruinas ipsi cautiores fiant. Sic in lege alia animalia vocauit immunda, & ob aliquas proprietates à sacrificijs, temploque reiecit; alia autem munda vocauit, quæ sibi offerri permisit. Sed cur sic abhorruit ab animalibus, nisi vt in brutorum reprobatione homines discerent cauere suam? Aiebat Tertul. lib. aduersus Psychicos. *Proficere poterant intellecto, plus in homine vitia fugienda, quæ lex damnasset etiam in pecoribus. Nam quādò irrationale animal ob aliquid reijcitur, magis illud ipsum in rationali homine damnatur. Ergò vt homines mundarentur, pecora culpata sunt. Quo pacto factum est vt nec animalia damnarentur ab institore sui culpa, & homines in pecoribus eruditi ad immaculatam institutionis suæ possent redire naturam.* Ita bonus Deus in animalium

lium percussione cautelam prouidit homini suo.

Matth. 21. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.

§. XXXI.

Ex inuidentia ortus error, fere irreparabilem importat ruinam inuidenti.

QVi cadit super lapidem, inferiorem habet lapidem ipsum, qui lapis superior prorsus habetur respectu illius super quem cecidit. Ecce tibi duplex error hominũ circà angularẽ lapidẽ Christum; & simul duplex errorum pœna. Alij errabãt cadentes super lapidem, illum inferiorem, & nouissimum hominem per ignorantiam habentes: alij autem errabant circà illum, quià superiores eius virtutes, & potestatem suprà hominem agnoscentes, inuidentiæ flammis exardescebant. Illos percussio quædam reparabilis expectabat: hos omnimoda contritio, & irreparabilis pœna manebat. Et quandò inuidentium error non malum causat sine medela? Vt enim inuidentia in altiores, & eminentiores temerariè fertur, sic tanquàm subaltrinsecus cadente pondere irreparabiliter comprimatur, erit necessè. Ad hæc ait Ericus in Biblioth. hom. *Illi super lapidem cadebant, qui tum eum per simplicitatem & ignorantiam contemnebant, & iniurijs afficiebant: ideò conquassantur, non tamen penitus conteruntur. Qui verò illum scientes Dei filium, per inuidiam negabant, & contra suam conscientiam eius opera Belzebub assignabant, super hos irruet lapis, & conteret eos sempiterna perditione, atque comminuet, vt sint impij sicut puluis ante faciem venti.* Habet hoc pessimum incommodum inuidentia, quòd semper subsstus cadit, & quasi sub malo pondere veniente ex alto miserè, & irreparabiliter conteritur. Ex quo lucem capit locus Ioan. 1. epist. cap. 5. dicentis: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccãti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* Fatetur Ioannes peccatum esse, quod potest sanari: & simul peccatum esse, quod ægre, & difficulter, & rarò, aut nunquam ad sanationem venit: non quidẽ ex defectu medici diuinissimi, qui omnia sanare potest, sed ex prauis accidentibus, & dispositionibus, quæ cum illo nascuntur in anima peccatoris. Et quod peccatũ sic peccatorem afficit, vt de eius penè faciat desperare salute, vt facit inuidias? Huius ictus vt ab eminentioribus trahit malum suum, sic miserum peccatorem cõprimit, & pessundat, vt vix possit illi patere aditus ad vitam. Vndè D. Aug. ex lib. 1. de ser. Dom. in mõte ait. *Peccatum ergò fratres ad mortem putò esse, cum post agnitionem Dei per gratiã Domini nostri Iesu Christi, quisq; oppugnat fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, inuidentiæ facibus agitur.* Eu inuidentiæ faces, quibus sic exuritur, & obtenebratur mens humana, vt videns non videat, & odio tabescens falsò credat se amare fratrem; & festina ad iniurias, fera, & nulla sit ad veniam procurandam! Talis est inuidiæ labes, quæ de supernis, cœlestibusque donis in fratre inuisis, inuidentis anima contrahitur. Illam notans dominus Matth. 12. ait: *Qui cumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctũ non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neq; in futuro.* Qui nihil diuinum cogitans in filium hominis peccat, hoc est, hominem fratrem lædit, is maculam contrahit peccati sanabilẽ. Verùm qui aduersus superna dona, & diuina in fratre nota, per inuidiam insurgit, is fallar, si æternum supplicium euadet, vix enim adducetur, vt velit veniam, vt oportet, postulare. Id quod notans D. Augustinus vbi suprà fatur: *Illius peccati tanta labes est, vt deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum suũ mala conscientia, & agnoscere, & annuntiare cogatur. Multi enim multò citiùs se fatentur peccasse: sed tamen animam, ad humiliandum, & temperandum cor, implorandamque veniam non deponunt. Quam mentis affectionem propter peccati magnitudinem iam de damnatione illos habere credendum est. Et hoc est fortasse peccare in Spiritum Sanctum: id est, per malitiam, & inuidiam fraternam oppugnare charitatem, quod peccatum Dominus, neq; hic, neque in futuro sæculo dimitti dicit.* Expende qualem affectionem animis nostris indat inuidiæ malum; quod descendit de supernis donis visis in fratre: indit equidem affec-

tio-

Eric.

Ioan. 1.

Matth.

Augustin.

Augustin.

tionem ortam iam de damnatione, qua deprecandi, & veniam postulandi humilitas prorsus respuatur. Nihil enim inuidia in anima hominis permittit esse vitale; vndè Isai.c.59. *Conceperunt laborem, & pepererũt iniquitatẽ.* Vbi noster posuit *laborẽ*, Theodor. posuit *cædem*, & Cyrill. & Procopius intellexerunt *inuidiam*: ne ũ morte inuidia videatur distare vel vocabulo. Pro quo D. Ber. epist. 7. *An nescitis, quiâ inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum? Attende itaque tibi. Si vbi inuidia, ibi mors, non potes simul inuidere, & viuere.* Quasi putet Bern. non absimilem esse dispositionem in inuidente illi, quam peccatores post mortem ad salutẽ habent. Sicut enim post mortẽ nullus petendæ veniæ locus restat peccatori; sic inuidus, quasi in mortuorum statu sit, vix habet petendæ, & impetrandæ veniæ potestatem.

Isai. 59

D. Bern.

Matth. 21. Et cum audissent principes sacerdotum parabolas eius, cognouerunt, quia de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant.

§. XXXI.

Pessimi omnium sunt, qui omnem à se timorem etiam humanum excludunt.

NEfarissimi isti Pharisæi adhuc non audent tenere ad mortem Christum quiâ adhuc in illis aliquid timoris popularis inerat, semper enim vel humanus timor cohibet homines, ne effundantur in extremam malitiam. Qui enim nullo spiritu timoris aguntur, ij perditissimi, & flagitiosissimi omnium existunt. Apud Luc. cap. 18. dicitur: *Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, nec hominem reuerebatur.* Cur malitiosum, & pessimum iudicem vt explicaret, non contentus est de illo dicere, quòd Deum non timebat? Quid ne cessum fuit addere, quod nec hominem reuerebatur? Nonne sufficit ad omne incrementũ malitiæ, quòd Deus non timeatur? Minimè ad summum malitia peruenire potest, si vel aliquis humanus timor in corde maneat. Vndè ablato Dei timore, necessum fuit, & auferri timorem hominum, vt vel sic summus malitię vertex ob oculos proponatur. Theophil. in præsenti ait: *Vide autem maioris malitiæ iudicium esse, neque homines reuereri. Deum enim multi non timent, attamen homines reuerentur, ideo & minùs peccant: quando autem & apud homines quis impudens fuerit, tunc omnis malitiæ vertex videtur.* Nihil malitiæ desidérabis in eo homine, quem nullus, nec humanus timor teneat: is ad omnia se flagitia effundet; quin potiùs ad illum omnia flagitia conuenient, tanquam ad malorum omnium centrum. Id quod respiciebat Sapiens Prouerb. cap. 18. dum ait: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia, & opprobrium.* Hieron. cum Athanasio verbum illud, *contemnit*, ad impudentiam refert, qua impius nihil timet, nihil veretur. Quam impudentiam eleganter Sapiens connectit cum profundo malorum, ideſt, cum malorum centro: vt enim in omnium mundialium materialium elementorum profundo centrum est, quò vniuersa elemẽta tendunt: sic in profundo malorum est impudentia, ad quam omnia facinora, & mala statim conueniunt. Nec longè ad hanc mẽte abest Nazian. in carm. ad Olympiadem inquiens: *Extincto porro subeunt mala cuncta pudore.* Tolle impedimenta, videbis cuncta elementa præcipitanter se se dare in profundum centri; tolle timorẽ omnem, & non erit mora, sed subitò omnia mala, vitia omnia in animum impudentẽ confluent.

Theophil.

Pro. 18.

Nazian.

CAPVT XXII.

De Rege faciente nuptias filio suo.

NON Omnibus placent rusticæ, & agrestes similitudines; sunt ingenia nihil nisi nobile, & grande percipientia, quibus vt morem gerat Dominus, è domibus regum exempla notat, quæ in veram doctrinam grandes hominum mẽtes allicere possint. Et sapiẽtissimè christianam

tianam æconomiam cum Regia componit; hic præsidet rex, illic Deus pater, hic nuptiæ fiunt, quibus filio regis puella iungitur; illic nuptiali festo primogenitus Dei naturam humanam indissolubili vinculo sibi copulat. Quis æstimet nuptialia regis conuiuia? Inæstimabilia sunt etiam bona, quæ Dei filius post adiunctam sibi humanã naturã, parat suo populo: parat enim tot suauitatum fontes, quot sacramenta, tot pretiosissima fercula, quot Dei verba: tot sapores, quot vulnera sunt in Iesu corpore. Iudæus vt fugiat hanc mensam, inuitantes seruos occidit, & ipse præcipitatur in mortem, quam non illi infert vnus, aut alius carnifex, sed vniuersus creaturarũ exercitus, quæ militant Domino. Pro rebellibus Iudæis, accedunt meliore fide nationes, conuiuiũ excipiunt, auidè diuina omnia vorant. Sed proh dolor? Est qui ad conuiuium ingressus ex sordido habitu incurrat Dei offensionẽ; & quidẽ nõ pauci sũt, qui inter Ecclesiæ christianę sacra adhuc vitijs sordeãt, quibus merẽtur excludi, & mitti in tenebras exteriores.

Matth. 22. Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

§. I.

Nil prius quàm humanitas decet Præsulem.

NOlo in præsenti præterire communẽ ponderationen in eo positam, quòd nõ anteà dicatur regnũ cœlorũ simile regi, quã homini, vt sciatur nullus regno, & præsulatui aptior, quàm ille cui prior, est humanitas cordi. D. Syne. lib. de Prouidentia quemdã Osiridẽ effingit, cui debeatur imperiũ Orbis, de quo ait: *Quin & de via, & sede Ægyptijs senibus facilè cedebat: cum tamen eo esset parente natus, qui summum apud suos imperiũ admini straret. Ad hæc accedebat æqualiũ reuerentia, naturâq; insita in eo erga homines cura, adeò vt vel in ea ætate vix inter Ægyptios vllus reperiri posset, cui non ab adolescente aliquid boni â patre esset impetratum.* Cur non regnet, qui sic humanus apparet in homines? Ad hãc se effigiẽ omnes regnaturi cõponant, sciẽtes nulla virtute, se se magis aptare ad imperium, quã si humanitate floreant. Vide Paulum ad Romanos, siue Corinthios, siue alios populos scribentẽ; quibus omnibus hanc præfigit in epistolis salutationẽ; *Gratia vobis, & pax â Deo patre, &c.* Vérùm vbi primò scribit ad Timoth. communi salutationi aliud quid putat addendum, ait enim: *Gratia, & misericordia, & pax à Deo patre, &c.* Romanis & cæteris populis gratiã postulat, & pacẽ; vni Timotheo petit misericordiam. Et cur vni Timotheo misericordiam postulat? Episcopus erat Timotheus; præsulibus autẽ, & Episcopis scit Paulus nullam virtutẽ esse potiorem, quam misericordiã, & humanitatem. Ait Rup. lib. 1. in Apocal. Mi *sericordiã interponit Timotheo. Nam quia in illo Episcopos omnes informabat, cuius officij summum, & necessariũ decus est misericordia, et ille (vt fertur) zeli feruentioris erat, id circò rectè et opportunè viscera misericordiæ illi, vt haberet, præoptat.* Rup. Hoc sibi persuadeãt principes omnes, quòd in nulla virtute magis decorantur, quàm in misericordia, & humanitate: huius virtutis decus, vt summum & necessarium sibi assumant. Nec multũ metuat princeps Deum offendere, & irritare, dum in subditos misericordiam exercet, quando & ipse error principis, qui fit prætextu misericordiæ veræ, apud Deum veniabilis apparere solet. Gabaonitarum fallacia circumuentus maximus dux & imperator Iosue, fœdus cum illis iniit, & inconsulto Domino iurauit illis incolumitatẽ. Sic enim ait textus Iosue c. 9. *Susceperunt igitur de cibarijs eorũ; & os Domini non interrogauerunt. Fecitq; Iosue cum eis pacẽ, & inito fœdere pollicitus est, vt non occiderentur: principes quoq; multitudinis iurauerunt eis.* Iosue. 9. Sanè iuramentum hoc, & fœdus cum Gabaonitis inconsideratum fuit, quia antè illud deberent consulere Dominum, à quo fallaciam discerent; verùm maluerunt iurare illis pacẽ, ante consultationẽ diuinam; & Deus tacuit, nec ducẽ suũ admonuit, nec repulit iuramentũ extortum fallacia. Quæ huius diuini silẽtij causa, nisi quia non adeò displicebat Deo error, qui ad misericordiã habendã ordinabatur? Ait Aug. q. 14. *Sic ergò posset, quãuis nõ cõsultus Deus, de ipsis Gabaonitis admonere, qui essent: cũ longinquos esse mentirẽtur, nisi ei placuisset illa iuratio, quæ subiectis parcere cogitet,* Aug. Rarò non placet Deo in principe, quod subditis fauet, quando vel iuratio fallaciter extorta, vt ait Aug. inde Deo placuit, quia misericordiã subiectis exhibẽdã meditabatur. Nulla enim in gubernatore moralis virtus cõmẽdabilior, quã humanitas. Pro humanitate & misericordia principũ & Prælatorum multa manẽt passim dicta.

§. II.

§. II.

Summa principum huius temporis calamitas, quòd vix aliquis eorum hominem referat in vita, & homo sit.

DVm regnum cœlorum Regi Dominus assimilabat, sperabam dicturum simile esse regnum cœleste Regi prestantissimo, siue Regi iustissimo, aut vigilantissimo, sed solùm vocat simile cœleste regnum homini regi, hoc est, Regi, qui hoc habeat, quod homo sit. Quasi hoc summum sit, quod à principibus peti potest, quod non belluæ, sed homines sint; & quidem in hac misera tempestate eiusmodi est vita principum, vt rarus sit, qui hominem referat in vita. De penè deplo
Iob. 33. rato peccatore aiebat Iob. 33. *Respiciet homines, et dicet, peccaui.* Vt errantem suam vitam cognoscat, non necesse erit illam cum virtutibus diuinis componere, in quarum comparatione nec angelicæ puritates sunt mundæ. Sed nec cum virtutibus, Dominationibus, Thronisque cœlestibus; imò nec cum Ioanne Baptista, nec cum Petro, nec cum Antonio: denique nec cum aliquo pio, & iusto viro cõparauit illam; vt quæ ab illis forsan sine maximo crimine distare potuisset. Verùm si cum gregali quodam homine comparetur, ab hoc etiam erit multùm dissimilis. Quid infœlicius? Ait ad hæc Diu.
Greg. Gregor. lib. 24. cap. 6. *Respiciet homines, & tunc deindè subiungitur, & dicet, peccaui. Nam si consideraret homines, citiùs agnosceret, quantùm peccando infrà homines cecidisset.* Eo solum quòd hominem videat, in quo nihil aliud boni inueniatur, quàm id, quo potest dici, quòd homo sit, experietur, se neque ad id peruenisse, sed longè ab homine distare, & appropinquare naturæ belluinæ. Linque Deum, linque cœlestes virtutes, linque homines religiosos, pios; propone tibi ob oculos hominem rationis solùm pollentem vsu, quo homo constituitur, à belluis distinctus, fallar, si ab hoc etiam principes huius temporis non videantur distantissimi. Post pulcherrimam, & intactam fœminam ædificatam de latere ipsius viri in loco paradisi, ait Deus benè
Genes. 2. callens hominis naturam, Genes. 2. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem suam, &c.* Validissimus sanè affectus est, qui hominem eo adducit, vt parentes & omnia relinquat sibi charissima propter fœminam; tamen ille affectus à Deo censetur homine dignus, quippe ait: *Propter hanc relinquet homo, &c.* Dignum equidem homine est, quòd carissima omnia relinquat, vt pulcherrimæ, & æquali, & intactæ, & in paradiso ortæ adhæreat vxori suæ. At quòd relictis parentibus, dissipata substantia & despecta pulcherrima; & æquali vxore, adhæreat quis vilissimæ meretriculæ, è macellorum fœcibus ortæ, à mille ganeonibus immundisque, vilissimisque lenonibus subactæ priùs, quòd apud hanc diuersetur, & pro huius ornatu opes, ingentiaque patrimonia consumat: Cuiusmodi hæc vita est? Quis sic viuit? Nonne principes, nobilesque viri? Hos homines dicas? Imò illis melius aptarim illud. 2. Petr. 2. *Canis* 2. Pet. 22.
reuersus ad vomitum, sus lota in volutabro luti. Quandò propter fœces, & ganeonum reliquias, charissimis suis vale dicũt. De his Hierem. 5. *Equi amatores, &* Hierem. 5. Salu. 25.
emissarij facti sunt, &c. Ex quo Salui anus lib. 1. de Guber. Dei ait. *Quotusquisque est diuitum connubij sacramenta conseruans, quem non libidinis furor rapiat in præceps? Cui non domus, ac familia sua scortum sit? Et quia non in quacumque personam cupiditatis improbæ calor traxerit, mẽtis sequatur insania? Secundum illud, quod de talibus dicitur: Equi insanientes in fœminas facti sunt.* Iam vel ex immodica, & turpissima libidine patet, quam longè ab homine principes, & potentes viri absint. Quid si eorum frequentiores conuersationes, & confabulationes spectes? Has solas qui spectauit Diu. Synesius lib. Synes.
de regno, ait: *Quamdiù ergò humanam conditionem aspernamini, ne hominis quidem perfectionem attingitis. Nam quorum in quotidiano victu, alijsve in rebus consortium adscisci tis, exiguo capite, inxtâ et mente, quos natura deerrans adulteratos edidit, vti nummismata mẽsarij corrumpere ac deprauare solent: ita vt regi munus sit solidus homuntio, eòque acceptius, quò solidior est, ij eodem tempore indecoris gesticulationibus, alijsque quibus possunt scurrilitatibus, vna vobiscum perperam tempus absumunt, mentisque caliginem, quam ex eo contrahitis, quòd secundum naturam nequaquam viuitis, granioris mali solatio demulcent.* Expende causam cur principes vtantur scurris, nimirùm. *Quòd secundum naturam nequaquam viuunt,*

nihil enim in illis minus viget quàm humanæ naturę vita. Adde aliud hominis in
Eccl. 12. ſigne poſitum ab Eccleſiaſte cap. 12. dum inquit: *Ibit homo in domũ æternitatis ſuæ.* Vel vt ex Hæbræo legitur; *In domum ſui ſæculi*: vel vt poſuit Tygurina. *In domum*
Caiet. *ſuam perpetuam*: vel vt mauult Caietanus: *In domum mundi ſui*: Quaſi hæc ſit ſpecialiſſima hominis notio, quòd alium mundum, aliud ſæculum, aliam domum nunquam perituram, alios honores, & glorias ſemper duraturas ſibi prouideat. Quid de ijs mundiales principes? Fallar, ſi quid æſtiment de alio mundo; toti, velut bruta animantia, immerſi præſentibus delicijs.
Iſai 14. Pulchrè huc reſpiciebat Iſaias capit. 14. *Omnes reges gentium vniuerſi dormierũt in gloria, vir in domo ſua*: Diſtinguit inter reges, & virum; quaſi aliud ſit eſſe virum, eſſe hominem, & aliud longè multùm, eſſe regem huius temporis. Et vndè poteſt ſummi hæc diſtinctio? Iam dicit: *Vir in domo ſua.* Qui vir eſt, qui homo eſt, nõ quieſcit, donec domum illam ſuam æternitatis poſsideat; reges autem qui viri non ſunt, vt ab homine diſtant, ſic requieſcũt & incubant præſentibus glorijs, & delicijs, in
Ber. 104. nullo à pecoribus diſsiti. Aiebat D. Bern. epiſt. 104. glorioſo cuidam principi: *Eſto tamen: liceat tibi hæc interim adſcribere nomini tuo, & gloriari in laude tua, & facere tibi nomen grande dum taxat ſuper terrã: quid tibi poſt mortem de ijs omnibus, niſi ſola fortaſſe memoria relinquetur, et hoc quoque ſolummodo ſuper terram? Quòd ſi hic eſt finis laborum tuorum, quid habes amplius iumento? Siquidem & de tuo Palefrido, cũm mortuus fuerit, perhibebitur, quòd bonus fuit.* Omnis gloria, omnis laus, qua rapiuntur principes mundiales, non diſtat à gloria, à laudẽ, quæ cõmuniter tribuitur brutis. Gloriatur equus in crine, in membrorum pulchra diſpoſitione, in ornatu diuite, in agilitate: de his apud huius ſæculi homines etiam poſthumam laudẽ acquirit. Quid aliud quęſierunt ſibi mundiales principes? Sanè ſi in morte laudandi ſunt, & prædicãdi homines, neceſſum eſt abſcondere omnem eorum vitam, ne videantur, inſtar belluarum periſſe. Aliter rurſus explicatur hominis natura Ec-
Eccl. 18. cleſiaſtici cap. 18. *Miſeratio hominis circà proximum ſuum*: habet hoc proprium ſibi humana natura: quòd proximi ſui habeat ſpecialem curam. Et videbis principes, qui infirmorum ſeruorum non nouerunt limina: quibus ſi equus vulneratus eſt, vel canis venaticus, ſepties in die ſtabula in-

uiſant. Et qui in genus humanum trucio-
res, & feraliores, quàm principes, vt lucra terrena ſibi acquirãt? Accipite Iſaiã cap. Iſai 31.
31. *Et cadet Aſſur in gladio non viri, et gladius non hominis vorabit eum, &c.* Loquitur vates de Aſsirijs bello poſtratis, qui hoſtili gladio percuſsi ſunt; quòd ſi verũ eſt, quòd gladio ceciderunt, cur dicit illos non cecidiſſe gladio hominum? An alij gladio feriunt, quàm homines? Sed meritò qui gladio vtuntur, vt pro ſubſtantiola terrena acquirenda tot vitas hominum profundant, ij homines non ſunt, ſed beſtiæ feraliſsimæ. Poſſum ire per omnes hominis notiones, quas ſolas natura hominis ſibi effingit; quarum vix vlla viget in principibus. Voca hominem ſcientia ſtudioſum; quæ conditio litterarum rudior, quàm nobilitas? Voca verecundum in crimine, adeò, vt penè hoc illi detur vitio, dicente Iobo cap. 31. *Si abſcondi,* Iob. 31.
quaſi homo peccatum meum: Longè alia eſt notio nobilium, qui lætantur cum male fecerint: & gloriæ deputant, quòd turpitudines eorum pateant, publicentur. Illum non diſsimulabo, quaſi præcipuum hominis ornamentum; de quo communiter dicitur, quòd homo ore capitur, & fera laqueo: nec aliud vult ſapiens Prouerb. Prou. 6.
6. iuxta Septuag. *Laqueus enim fortis viro propria labia, & capitur verbis oris ſui*: Sic humanum eſt firmitèr dictis ſtare. Conueniant huc vniuerſi nuperi principes, & vel ex fructu oris ſui explorent, quid in ſe hominis habeant. Vix vlla dicta infirmioris fidei hodiè reperiuntur, quam quæ à principibus dantur; eorum promiſsiones, quaſi nugæ habentur apud cordatos: & verba, quaſi rationis expertia ſibila reputantur, nequid hominis in illis eſſe pateat. Iſaias. 33. de gente prorſus diſsipata Iſai 33.
loquens ait: *Diſsipatæ ſunt viæ, ceſſauit tranſiens per ſemitas, irritum factum eſt pactum, proiecit ciuitates, non reputauit homines.* Expende præcipitium, prius dicit, quòd *irritum factum eſt pactum*, hoc eſt, irritæ factæ ſunt promiſsiones, nulla fides in verbis manſit. Quid tunc? *Non reputauit homines*, cum dictorum fide, quidquid hominis erat, abijt. Impoſsibile eſt, quòd quis non ſtet dictis, & ſtet naturæ humanæ. Vndè Iacob c. 49. Gen. de Simeone, & Leui locutus, qui pactum cum Sichimitis irritum fecerunt, ait: *Simeon, et Leui vaſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non ſit gloria mea*: Vbi Chaldæus expreſsiùs in rem noſtram legit: *In ſecre-*

secretis eorum non fuit anima mea, & cum congregarentur, vt irent, non descendi de gloria mea. Descenderet proculdubio de gloria hominis & statu, si assentiretur euntibus contrà initum pactum, & promissionem firmatam.

§. III.

Qui hominem adimplet, ille solus regnum, & principatum sibi stabilit.

DVm ait cæleste regnum simile homini regi, pulchrè hominem præposuit regi: fundamentum enim penè incon cussibile splendoris regij, in eo habebis, quòd possis hominem adimplere, Eccle-
Eccl. 49. siasticus cap. 49. *Et Ioseph, qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi.* Vndè Ioseph minimus omnium fratrum ad eorum principatum peruenit? Cur qui minimus, erat princeps, & rector, & firmamentum, & stabilimentum? Meritô Paulus de Palacios ad primam Iosephi cõ mendationem, ponit illam: *Qui natus est homo*; hoc est, qui ab ipsis penè cunabulis bestiales appetitus coercuit, & hominem adimpleuit, fratres amans, & resistens petulanti fœminæ. Qui ergò hominem sic adimplebat, iam firmissimum in se regni auspicium præbebat. Quo spectans D. Sy-
Synes. nesius lib. de regno ait: *Is consentaneum regnandi initium cæperit, qui ab eo, quòd secundum naturam est, imperandi auspicium fecerit: quoniam quicumque rationis expertes partes, cicuratas, ac tractabiles reddẽs, rationi obsequẽtes fecerit, & ad vnius principatus sapiens moderamen, multitudinem componit, hic verè diuinus, siue rex, siue priuatus, homo est.* Ecce tibi totum stabiliter regnandi auspicium vndè summi de beat, nempè *ab eo, quod secundum naturam est*, ab eo quod quis hominem induat, belluinum exuat. Hinc apparet mendacissimu m diabolum apud Luc. capit.
Luc 4. 4. de quo dicitur: *Et ostendit Iesu omnia regna Orbis terræ, in momento temporis, & ait illi: Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum: quiâ mihi tradita sunt, et cui volo, do illa.* Proh dæmonis mendacium euidentissimum? Et quomodo fieri potest, quòd peruersor ho minis, possit condere reges? Pulchrè ad
Irinæus. hæc D. Irinæus lib. 5. cap. 24. ait: *Manifestum est, quoniam mentitur diabolus dicens: Mihi tradita sunt regna, et cui volo, do ea. Cuius enim iussu homines nascuntur, et reges constituuntur.* Expende penès quem solum sit potestas reges constituendi, & æternandi, nimirùm penès illum, cuius iussu nascuntur homines; non cuius allectione bruteſcimus, sed cuis imperio, & auxilio hominem adimplemus. Hinc Apocal. 1. dicitur de Iesu: *Qui dilexit nos,* Apoc. 1.
et lauit nos â peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum, et sacerdotes Deo patri suo. Priùs redempti sumus Iesu sanguine à dæmonis, & vitiorum seruitute, & à bruteſcentis concupiſcentiæ labibus lauati, deindè facti reges Deo, & patri Christi, vt is sit rex regum, & dominus do minantium. Ait enim Rup. ibi: *Rex & sa-* Rupert.
cerdos solus erat Iesus: reges, & sacerdotes facere de seruis peccati proposuerat, & id circô sanguinẽ fundebat. Huc spectabat redemptio hominum facta à Iesu, vt peccati seruitus tolleretur, vt bestialium concupiſcentiarum raderetur dominium: quo hominum redintegrata natura regium splendorem subiret.

§. IIII.

Bonus princeps Reipublicæ restaurandæ tempore, nil molle, & delicioſum debet meditari ſibi.

HOminum statum in pecus vergentem reparaturus Dominus, sapienter, & diuinè se comparauit Regi, qui nuptias facit nõ sibi, sed filio suo. Equidẽ nõ esset boni regis, calamitoso tempore, vbi de reipublicæ labentis statu instauran do pugnandum erat, sibi nuptiales parare, & comparare delicias. Hoc in magno Põ peio reprehensum est, qui Reipublicæ Romanæ labentis accepto clauo, nil prius egit, quàm sibi nuptias parare, & Corneliam ducere. De quo Plutharcus in eius vi Pluth.
ta: *Veruntamen non placebant quibusdam in tempestiuæ hæ nuptiæ. Quippe erat Corneliæ Pompei filio maturius matrimoniũ. Honesti verò viri Pompeium existimabant rempublicam deposuisse ijs iactatam fortunis, quarum elegerat ipsum medicum, atque vni se commiserat. Cum interim ille coronatus sacra nuptialia faceret, qui illum debe ret pro calamitate ducere consulatum.* Expediret forsam bono Principi, vel turbu-

lento tempore nuptias cõparare filio suo; at inter labentium clamores, inter calamitates communes sibi, meditari nuptiales choros, nuptiales delicias, serta, corollas, cantilenas, hoc principis est non curantis, sed deponentis rempublicam. Meliori consilio maximus ille Ioseph ad Ægypti regnum euectus, vt penuria panis labenti regno consuleret, vbi inter famescentes populos conuiuio excipit fratres suos, Gen. 43. *Egressus continuit se, & ait, ponite panes.* Dum solùm panes petit parari, & alia etiam obsonia requirit, sed quæ non ad lautitiam, & delicias conducant. Indignum enim putauit principi, inter periclitantes populos indulgere delicijs. Id quod notans Philo Iudæus lib. de Ioseph, inquit: *Interim cibi non valde lauti apponuntur, quòd conuiuatori non liberet vti delicijs in publica penuria.* Procul absint deliciæ à principe qui rempublicam labentem instaurare nititur; fœdissimum enim est, quòd princeps sibi mollia, & suauia omnia meditetur, vbi ferro, & igne opus est, vt status publicus consistat. Hinc Isaias contemplatus Babylonem penè labentẽ in hostium spicula, clamat cap. 21. *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. Pone mensam, contemplare in speculo comedentes, & bibentes; surgite principes, arripite clypeum.* Stupendam miratur imminentem iam iam Babylonijs calamitatem; insuper & fœdissimam illorũ desidiam, qui mensis, & comessationibus instent, penè in hostilia ruentes spicula. Quam desidiam in vniuersis Babylonijs videns propheta, sic clamat ad principes; *Surgite principes, arripite clypeos.* Et quãdô omnes mensis instant, cur iubet solis principibus, quòd inde surgant, & currant ad clypeos, nisi quia in solo principe id maximè fœdum est, quod vel delicias ciborũ meminerit, vbi ferro, & igne indiget respublica? Arripiant alij suauium ciborum fercula, vnguentis madeant in conuiuio, vos principes: vbi hostis instat, calamitas terit iam ciuitatis limina, non suauitates, sed ferri durities arripite. Alij legunt: *Surgite principes, vngite clypeum.* Quid quid ornatus, & splendoris meditandum est, hoc eô spectet, vt arma rutilent, vt splendeant spicula, non vt principum corpora madeant delicijs. Quod ominosum in suis principibus luget Saluianus de Guber. lib. 6. inquiens: *Ad hoc postremô rabida vini auiditate peruentum est: vt principes vrbis ipsius, nec tunc quidẽ de conuiuijs surgerent, cum iam hostis vrbem intraret; adeô etiam Deus ipsis euidenter manifestare voluit, cur perirent, cum per quam rem ad perditionem vltimam venerant, eam ipsam agerent, cum perirent.* Et sic vniuersi principes peribunt, qui nec calimitatis tẽpore desinunt meditari sibi delicias.

Gen. 43.

Philo Iudæus.

Isai. 21.

Salui.

§. V.

Humilitas in principibus habet ex Deo fœcunditatis præmia, vt ditentur filijs.

FIlij nuptias meditatur rex; & quis rex introducitur sic prosperãdo in filio nubili? Rex homo; ait enim: *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Da mihi regem, qui se hominem meminerit, qui non se supra hominem extollat, & hunc, fallar, nisi Deus fœcundissima prole ditet. Quis ignoret sterilitatem Abrahæ toties ab illo deploratam? Tandem aliquando peregrinos excepit hospitio, conuiuio cibat, ait enim Gen. 18. *Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis: ipse verô stabat iuxta eos sub arbore. Cumque comedissent, dixerunt ad eum, vbi est Sara vxor tua? Ille respondit: Ecce in tabernaculo est. Cui dixit: Reuertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua.* Quid tunc? Saræ & sterili, & seni datur filius in Abrahamo, & sene & sterili; sed tunc mandatur eis filius, quandô Abraham instar famuli adstat hospitibus. Ait D. Ambro. cap. 5. *Aduertimus, officium Abrahæ commendare humilitatem. Abraham stabat, tu primam accubitionis partem occupas? Denique ea humilitas inuenit gratiam, vt promitteretur ei filius.* Magnus Abrahamus vbi humile officium non detrectat exhibere hospitibus, & mauult coram illis quasi seruus adstare, quàm velut dominus sedere, obtinet promissione filium; & vbi humilis apparuit, ibi spe promissionis iam patet dicitur. O notissimam humilitatis virtutem, cui in magnis hominibus existenti peculiari præmio Dominus fœcũditatem immittit. Huc accedit Booz vir nobilis apud Bethleemitas, qui pauperculam, & stipendiariam Ruth non dedignatur accipere in coniugem, imò conuocatis viris ciuitatis suæ, sic loquitur Ruth. cap. 4. Ruth. *Moabitidem, vxorem Mahalon in coniugium sumo, vt suscitem nomen de-*

Gen. 18.

Ambr.

Ruth 4.

defuncti in hæreditate sua, ne vocabulũ eius de familia sua, ac fratribus, & populo deleatur. Vos, inquam, huius rei testes estis. Respondit omnis populus, qui erat in porta, & maiores natu; Nos testes sumus. Faciat Dominus hanc meliorem, quæ ingreditur domũ tuam sicut Rachel, & Liam, quæ ædificauerunt domum Israel; vt sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethleem: fiatque domus tua, sicut domus Phares, quem Thamar peperit Iudæ, de semine quod tibi dederit Dominus ex hac puella. Tulit itaque Booz Ruth, & accepit vxorem, ingressusque est ad eam, & dedit illis Dominus, vt conciperet, & pareret filium. Grandæuus, & sterilis erat Booz, qui post longissimas alias nuptias, non habebat filium; simul & Ruth sterilis erat, quæ iuncta iuueni manserat sine filijs; nec nouum fuit, quòd qui videbantur steriles, tandem prosperarentur in filijs, sic Anna Samuelis mater, sic Elissabeth mater Baptistæ. Duo tamen noua, & inaudita inuenio in Booz, & Ruth, expendenda, nimirùm longissimam illam populi omnis supplicationẽ, & precationem pro illorum fœcunditate, rursus modum, quo dicitur Deus votis eorum annuisse. Ait enim textus: *Dedit illi Deus, vt conciperet, &c.* Pro alijs sterilibus nullus populus supplicat; & si pro Anna supplicat sacerdos, id facit breuissimè, 1.Reg.1. inquiens solùm: *det tibi Deus petitionem tuã.* Pro Booz, & Ruth totus populus precatur, idq; precibus longissimis petens, vt fiat Ruth Boozo, sicut Rachel, & Lia, & sicut Thamar, & quòd habeat grande nomen, &c. Insuper de alijs solùm dicitur, quòd tandẽ conceperunt, 1. Reg. 1. *Post circulum dierum concepit Anna:* & Luc. 1. *Post hos dies concepit Elizabeth.* De Boozi vxore Ruth, specialiter dicitur, *& dedit illi Dominus vt cõciperet.* Et cur singulariter pro ijs orat populus, & singulariter dicitur Deus annuisse votis, vt Ruth conciperet? Meritò id deputat Boozi humilitati Imperfectus hom. 1. in Matth. sed breuius ait Cartus. in Ruth art. 7. *Omnia hæc bona imprecati sunt viri illi huic Booz, quiâ ipse multum benignè, et iustè humiliter habuit se, accipiẽdo istam pauperculã. Deniq; imprecatio ista fuit copiosè impleta, quiâ benedixit Dominus huic Ruth, fecitq; eam exemplarem, & famosam non solùm in Bethleem, sed vbiq; terrarũ, atq; ex semine eius orta est regia tribus, &c.* Adeò potuit Booz humilitas, vt populos in preces traheret, easq; faceret efficaces, vt & senex, & sterilis à Deo eã reciperet fæcunditatẽ, qua regiam produceret prosapiam. Vtinã hãc virtutẽ discerent vniuersi principes, qui omnim hominum sterilissimi, suam superbiam, & arrogantiã ostendunt in orbitate. Hiere. 22. aiebat de Iechonia: *Terra, terra, terra audi sermonẽ Domini. Hæc dicit Dominus scribe virum istum sterilẽ, virum, qui in diebus suis nõ prosperabitur: neq; enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid.* Quod telum vt in arrogantem, & superbientem principẽ contortum, sic illud simili ali minatur Petrus Dam. lib. 1. epist. 20. fatus: *Cur per ambitionem adipiscẽdi culminis, inaccessiblisq; fastigij totum ferè mundum in condemnationis tuæ iurgium concitasti? Vt illud Hieremiæ Prophetæ vociferãtes exclament: Terra, terra, terra audi sermonẽ Domini: Hæc dicit Dominus: scribe virum istum sterilẽ, virum, qui in diebus suis nõ prosperabitur.* Sic sterilitas principũ superbiæ est adnata: quot filios numeres Alexandri? Quot Nabuchodonosor nepotes? Firma illa Iobi sententia c. 15. *Congregatio hypocritæ sterilis: & ignis deuorabit tabernaculũ illorũ, qui munera libenter accipiunt.* Mulctat Deus homines potestate elatos ea sterilitate, qua minimè filiorum patres fiant; vt è contrario humiles implentur filijs. Huc trahe dict. tom. 3. lib. 13. cap. 5. §. 1.

1.Reg.1. 1 Reg.1 Luc.1. Cartus. Hierem. Damia. Iob.c.15

Matth. 22. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterum misit alios seruos dicens; dicite inuitatis, Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa, & omnia parata: venite ad nuptias.

§. VI.

Facinora, & triumphi sanctorum non permittunt contemni Deum ab alijs sine supplicio.

Contẽnentibus primò venire ad nuptias, iterum agit Deus de vocandis illis, sed iã non anteà vocat, quã simul tauros suos, & altilia occisa exhibeat. Hoc est, sic secundò Deus vocat; vt nõ solũ verbis instet, sed & exempla proponat illorũ, qui ad eũ vt venirẽt, nec vitę pepercerunt suæ. Proh quanto discrimine vocatorum, voca-

vocationi addũtur facinora, & triumphi eorum, qui ob Deum fuerunt priuati vita. Tanta enim hæc sanctorum facinora non sinent vocantem Deum ad nuptias contemni ab alijs sine ingenti supplicio. Viri Dei ministri Angeli tres ingressi domum Abrahæ, ibi omni cura & diligentia hospitati sunt, ingentique Abrahæ pietate suscepti, & obsequijs, officijsque deuincti. Quid tunc? Ait Gen. 18. *Cùm ergò surrexissent indè viri, direxerunt oculos contra Sodomam: et Abraham simul gradiebatur deducens eos.* Expẽde, quòd ab Abrahę cõuiuio, & obsequijs pleno hospitio egredientes diuertũt Angeli ad Sodomitas mã suri apud illos. Et cur non anteà ad Sodomitas iuerunt, quàm apud Abraham manssissent, ibique & satorum trium, & vituli pinguis conuiuio potirentur? An priùs saturari, & impleri ab Abraham amant, ne posteà molesti sint Sodomitis? Minimè, quin potiùs de Abrahami cõuiuio, & hospitio vadunt ad Sodomitas, vt Abrahami pietas, & deuotio acuat eorum iram, & augeat Sodomitarum crimen. Nec permittat inultam manere, si qua veniat in Angelos à Sodomitis iniuria. Ait D. Ambr. lib. 1. de Abrah. c. 3. *Quid sibi vult, quòd illi, qui ad Abraham simul cum Domino venerant, Sodomam petierunt viri, nisi vt acerbaretur crimen eorum, si quos iustus honorauerat, his maiore sacrilegio impij vim conarentur inferre.* Quot Abrahami fuerunt obsequia, & officia erga Dei nũtios, tot exaggerationes erant criminis rebellium Sodomitarum; & illud ipsum, quòd Abraham excepit Angelos, quòd occidit vitulum, quòd mensam posuit, quòd pedes lauit, quòd prandentibus adstitit humilis; erat dãnatio Sodomitarũ qui maluerũt esse in eosdem Angelos iniurij. Equidem sunt Sanctorum præmissa facinora, quæ impiorũ magis ostẽdunt crimina, & non permittunt illa impunè abire. Apud Matth. c. 8. notissima est sentẽtia illa Saluatoris dicentis: *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, et Occidente venient, et recumbẽt cum Abraham, et Isaac, et Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Venientibus multis ab Oriente, & Occidente ad Deum, filij regni, qui nec gradum pro Deo facere voluerunt, eijcientur in tenebras exteriores. Sed cur ij non eijciuntur, antequàm illi venerint? Cur necessum fuit expectare, vt Orientales, & Occidentales ad Deum veniant, vt tunc & non antè torpentes filij regni in tenebras eijcerentur? Aduentus externorum, & deuotio in Deum, desidiã, & torporem ostendit domesticorum; & qui anteà tolerari potuissent, postquàm tot Deo obsequentes apparuerunt, in miseram deueniunt damnationem tracti ab exterarum virtutum operibus. Quò spectans D. Chrys. hom. 70. in Matth. ait: *Ad ea, quæ dicta sunt, scorta etiam Iudæis renuentibus crediderunt; quare non solùm â sceleſtissimo suo, verùm etiam ab aliorum clarissimo facinore condemnantur.* Ea sunt clarissima Deum sequentiũ facinora, quę rebelles animos impiorum, in vitijsq; torpentes damnationi citiùs faciant subiacere. Adde ex 1. Reg. cap. 20. vbi de Ionatha pacisceute cum afflicto Dauid ait: *Pepigit ergò Ionathas fœdus cum domo Dauid: & requisiuit Dominus de manu inimicorũ Dauid.* Expende connexionem operum: vbi apparuit Ionathas pacisceus cum Dauide, simul apparuit Dei vindicta in Dauidis aduersarios, quasi Ionathæ facinus Dauidis inimicos magis apud Deum accusaret, dãnaret. Eucher. ibi ait: *Cum adiũgeret scriptura: Pepigit ergò Ionathas fœdus cum Dauid; continuò subintulit dicens: Et requisiuit Dominus de manu inimicorũ Dauid. Quiâ dictum est, quòd fœdus pepigerit Ionathas: requisiuit Deus, quare non & ipsi fœdus cum eo pacis inire voluerint, cum quo esse Dominum viderunt.* Sic Ionathæ facinus virtutis traxit Deum, vt de sceleratis vindictam sumeret. Huc accedunt dicta. 1. tom. lib. 5. cap. 1. §. 16. & tom. 2. lib. 6. cap. 6. §. 27. & lib. 12. cap. 6. §. 2.

§. VII.

Summus hic est Christianæ œconomiæ apex, quòd non solùm verbis, sed & virtutum agamus operibus.

FAmulorum vocãtium ad nuptias verbis sapientissimè Dominus adiunxit altilia occisa, & occisos tauros, ne videretur res christiana solis verbis agi, sed & operibus virtutũ, qualia ostendunt, qui animal suum Deo, & virtuti mactarunt: Huc enim spectat christiana perfectio, vt verbis respondeant manus. Apostoli Actor. 6. dicunt de se ad multitudinem. *Nõ est æquum, nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis, considerate ergò, fratres, viros ex vobis boni testimonij septem plenos Spiritu Sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi, & ministerio verbi instantes*

eri-

erimus. A ciborum distributione abstinet Apostoli, vt liberius possint instare Dei verbo; sed cur viri pijssimi sic detrectant ministrare pauperibus, cum alimenta distribuerent, non ne posset lingua prædicare Dei verbum? Vbi verba sonabant spiritum, & præcisionem carnalium desideriorum, necessum fuit, vt manus à carnalibus operibus abstinerent, vt sic spiritualiori opere, comitarentur verba: in quo consistit christiana perfectio. Pulchra sunt in rem præsentem verba Cæsarij Nazianzeni fratris, Dialogo. 3. vbi inquit: *Dial. 3.* *Christi discipuli relicta mensarum observatione, pietatis sermonem potiùs capessere voluerunt, non verbis tantùm sapienter docentes, sed & factis instituentes. Nam bene loqui lyræ, vel cymbalo simile est; vtiliter autem agere, cum angeli natura coniunctum est.* Quid pulchrius? Qui verbis floret, illisque nititur se ostendere, is lyræ, aut cymbali præstantiam non excedit. Etiam cymbalum dulciter sonat, & ad sacra vocat: sed qui verbis opera iungit, is humanam infirmitatem transcendit, angelicam attingit perfectionē. Nō adeò curet de verbis, magis de operibus curet, quisquis in Christi Ecclesia cymbala cupit excedere, & angelicis choris inseri. Id quod maximè cupit Deus suis sectatoribus persuadere quasi nihil magnū efficiant, nisi vbi verbis & manus adiungant. Vndè excitaturus Lazarum Ioan. 11. *Ioan. 11* in primis quærit, *vbi posuistis eum?* Respondentibus illis: *Veni, & vide*; insuper iubet viso sepulchro: *Tollite lapidem*; Cur ante suscitationem amici, tot moras nectit, iā quærens de sepulchro, iam iubens sepulchrum aperiri? Sciebat equidē, vbi iaceret defunctus; & posset facilè simul & lapidem tollere, & amicum adducere in vitam. Cur maluit moram facere interrogationibus? Imò & post interrogationem, cur imperium addidit de tollendo lapide? Qui miraculis suis instruere præsentes ad perfectionem optabat, pedetentim procedit, & quandò interrogationibus sola verba elicuit, addidit imperium de tollendo lapide, vt verbis adderentur & manus, in quo consistit christianæ per- *Basil. 4.* fectionis testificatio. Sic D. Basil. Seleu. serm. 4. *Eō nomine rogat, vbi posuistis eum? Vt responderent, veni, et vide, eique duces essent, et dicere non habeant alterū â Lazaro suscitatum. Denique vt vox testetur, et manus; illa dicens, veni, et vide: hæc lapide elato, fasciisque solutis.* Quasi imperfecta esset, & indigna virtutis christianæ testificatio, quæ sola voce constabat; additum fuit opus manuum; vt dum & vox loquitur, & manus seruiunt tollendo lapidi, perfectissima Christi virtus indè pateat.

Matth. 22. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam: reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.

§. VIII.

Seruos Dei qui offendit, celerem ex Deo trahit ruinam.

VBi Deus audiuit seruos suos percussos, statim exardescit ira, statim in percussores vindictam mittit, nō sic festinat Dominus aduersus iniquum villicum, sed post audita eius facinora, adhuc moratur, & vocat hominem in iudicium. Sic Luc. cap. 16. *Vocauit illum, & Luc. 16.* *ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.* Post audita villici crimina, expectat adhuc Deus rationem ex eius ore audire, & tempus illi concedit, quo possit cum alijs debitoribus paciscī. At præsentium hominum crimina vt audit, non differt, sed subitò irascitur, & statim vindictam sumit de illis. Cur qui adeò serus fuit in villicum, adeò festinus est in hos miseros? Sanè ij crudeles erant in Dei seruos, illos occidentes, & ignominia afficientes, & qui Dei seruos offendit, hoc habet peculiare, quòd celerem sibi ex Deo trahat ruinam. Huc spectat illud Iob ex lectione Sept. apud Hier. in c. 6. Osee, ni- *Hier. 6.* mirùm: *Non est dilatio piratis.* Alij equidē peccatores, & periurij, & homicidæ solent dilationes supplicij obtinere: piratis solis non solet præstari dilatio. Et quis pirata? Qui nauali certamine persequi-

tur

tur eos, qui per maria dirigũt viam suam, is pirata est, in quo absque dubio notantur illi, quorũ rabies extenditur ad Christi oues ascendentes de baptismi aquis; qui ergò ablutos aqua Christiana persequitur, qui percussit seruos Christi, dilationem supplicij nõ expectet, in eum enim, quàm primum diuina ira solet venire. Sic
D. Hier. hanc excogitationem finit Diu. Hieron. vbi suprà: *Non est dilatio piratis. Quamuis enim præsenti sæculo se iactare videantur, & conturbare aquas, & operari vana, & exercere piraticam, tamen non est mora pœnarum, quæ eos velociter comprehendent.* Huc conueniant, & metuant, qui terrenorum hominum mores corruptissimos cum possint percutere, malunt diuinarum gratiarum maria infestare, & pias mẽtes inter spinas fluctus aliquando depressas, aliquando sublimes persequi; ij vt piratis sunt similes in vita, sic erunt similes in celeri, & festinato supplicio. Deus enim qui longanimis est in peccatoribus expectandis; in suorum seruorum persequutoribus castigandis vix paruas moras sustinet. Adeò vt cum differre iræ suæ ostẽsionem decernit, nil magis curet, quàm quod non sit suorum seruorum persecutor, quasi cum hoc non possit stare dilatio diuinæ irę. Num. 22. magus ille Balaam
Nu. 22. vigebat, qui dæmonum familiaritate potens multa faciebat; hic dæmones consulebat, eorumq; consilio innumera hominum generi inferebat mala. Dum tamen quadam die regales nuntios secum haberet, quorum rogatu pararẽtur; vt dæmones aduersus populum Israelis conuocaret, ecce tibi non dæmones, sed verus Deus illi adest: *Dixitq; Deus ad Balaam, noli ire cum eis, &c.* Circà quæ, illud in primis maximè notandum, quòd Deus optimus maximus dignatus sit venire ad Magum, & sua præsentia dæmonum aduentum impedire. Facilè quidem posset Deus omnia consilia venientium dæmonum infatuare, illorumque mala deuitare: sed maluit impedire, ne dæmones ad cõsilium venirent, nec loquerentur cum Mago. Et cur hoc dominus maluit? Pulchram in rem præsentem rationem reddit Origen. hom. 13. Num. *Dæmones non*
Origen. *vult Deus ante tempus â proposito sui intentione violenter abstrahere: et ideò ex initio non eis indulsit, inuocari per Balaam, ne inuocati destruerentur ante tempus, & perimerentur, defendente populum suum Deo.* Erat iuxta Dei decretum danda dæmonibus illis dilatio, qua terrenorum dominarentur: ideò sapientissimè cauit, ne venirent dæmones ad Balaam consulturi aliquid contra Dei populum: non enim stat dilatio supplicij piratis persequentibus Dei seruos, sed cogeretur Deus dilationis tempus breuiare, & ante tempus rebelles iustorum persecutores castigare.

§. IX.

Diuinæ iræ vniuersa creatura militat aduersus peccatores, ne sit peccator, qui malorum non experiatur exercitus.

VBi audis Deum iratum, ecce tibi valid̃issimi, & numerosissimi exercitus apparent, qui in rebelles mittantur. Ait enim: *Rex autem cum audiret, iratus est, missisque exercitibus suis, perdidit homicidas.* Non stat pro Deo vnus, aut alter carnifex, sed exercitus ingẽs: nescit Deus irasci, quin secum vniuersos creaturarum exercitus trahat in iras aduersus impios. Ait Iesus Ioan. 12. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et cum exaltatus fuero â terra, omnia traham ad me ipsum.* Qualis hæc dictorum coniunctio est? Vocabat Deus in iudicium mundum, damnabat mundi principem seueriss̃imus iniquitatum vltor, fateor. Sed ad hæc quid facit illud: *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum?* Vt iudicet, & damnet Deus principem, quid interest, quòd omnia ad se ipsum trahat? Sanè magna inde ostenditur ruina mundialis principis, quem damnat ille, qui nescit solùs in aliquem irasci, sed in similem iram vniuersas creaturas adducit. Et quidem ille est Deus, cuius iram qui patitur, simul in se iratas vniuersas creaturas experitur. Adhæc D. Leo serm. D. Leo.
4. de Pass. fatur: *Traxisti domine omnia ad te, cum in execrationem Iudaici sceleris vnam protulerunt omnia elementa sententiã, cum obscuratis luminaribus cœli, & conuerso in noctem die, terra motibus quoque quateretur insolitis, vniuersaque creatura impiorum se vsui negaret.* Audisti, & lapides cõcuti, & terram moueri, & astra obtenebrari, & monumẽta aperiri, dum Dominus in cruce exaltatus thesauros iræ in sibi contradicentem populum comparabat. Et qualis erat illa rerum species? Sanè iratus Deus in Iudæos, illòsque tunc maximè proijciens, ad se vniuersas creaturas

trahe-

trahebat, quæ rigidæ sententiæ subscriberent, ne aliqua maneret creatura, quę Deo irato non militaret, seseque ostenderet miseris rebellibus aduersariam. Sic nullus est impius, nullus est peccator in Deum rebellis, in cuius ruinam vniuersæ non armentur copiæ, & malorum, & creaturatum. Quò alludens Ecclesiastes, cap. 8. ait: *Eccl. 8.* *Non est in hominis potestate, prohibere spiritum; nec habet potestatem in die mortis, nec finitur quiescere, ingruente bello.* Pulchra paraphrasi dies mortis peccatoris, vocatur dies belli; vt enim mors imminet peccatori, sic bella ingruunt, sic ingentes horribilium copiæ, & hostiles exercitus apparent, qui miserum inuadant. Quod pia, & vera meditatione ponderans Diu. *Ephrem.* Ephrem, serm. in eos, qui in Christo obdormierunt, fatur: *Rapentè constringitur lingua, immutantur oculi, concutitur mens, quando Dominicæ copiæ, atque satellites ad uenerint: quando formidabiles exercitus inuaserint, atque apprehenderint; quando diuini nuntij, atque emissarij animam è corpore migrare iusserint: quando inexorabiles apparitores in iudicium nos trahentes detulerint.* Heu miseram peccatoris conditionem! Non equidè vnus carnifex, sed carnificum formidabiles exercitus, ingentes copiæ reum inuadent, quibus vndiq; cinctus feretur in iudicium ineuitabile. Heu quantam in se multitudinem seueriſsimorum iudicum, terribilium hostium commotam miser peccator aspiciet! De hoc *Apoc. 1.* die ait Apocal. 1. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: & plangent se super eum omnes tribus terræ. Ego sum Alpha, & Omega:* Græcè, α, & ω: iudicium in fine minatur seueriſsimum aduersus impios, & vbi de se iudice seuero, veniente in nubibus aduersus impios loquitur, statim subiungit illud: *Ego sum α, & ω.* Quid hæc ad iudiciũ seueriſsimum, quod de impijs fiet? Multùm equidem, nam litteræ illæ Græcæ simul referunt notas numeri, vt α significet vnum, & ω significet octingentos, seu plures. Quid tunc? Veniet equidem iudex seuerissimus, iudex, qui sit vnus, prorsus inuariabilis, & iudex, qui sit ω, hoc est, sic cum omnibus compositus creaturis, vt quot fuerint creaturæ, tot appareant seueriſsimi, & crudeliſsimi iudices. Quemadmodum Sol materialis componi solet aliquando cum nubibus, vt cum in se vnus, & inuariabilis sit, appareat factum plures: ita iustitiæ Sol Iesus veniens in nubibus, seueriſsimus iudex, sic secum compositas habebit vniuersas creaturas, vt non tam vnus, quàm plures appareant iudices perdituri impium. Rupertus lib. 1. Apocal. *Rupert.* ait: *Littera, α vnum, ω autem apud Græcos octingentos significat; quia qui in principio vnus erat filius, vnicus siue vnigenitus, in fine sæculorum filios Dei secum adoptatos habebit quasi octingentos, id est, innumerabiles. Amplius autem quando veniet cum nubibus, quando videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: tunc opportunè dicet hic Dominus Deus; tunc, inquam, vociferabitur, & clamabit, et super illos inimicos suos confortabitur, et istud dicet eis: Ego sum α, & ω.* Equidem qui semper est α, vnus, & inuariabilis Deus, vbi aduersus rebelles venerit, & iudex in nubibus sederit, tunc maximè sic se componit, vt appareat ω, hoc est, plures seueriſsimi iudices peccatorem plectẽtes. Ex quo, si quid interest, lumen accipiunt obscuriſsima verba Tertulliani, lib. 2. in Marc. aientis: *Tertull.* *Ita Deus tunc maximè vnus, cùm homini duo, aut plures.* Numquã enim Deus magis inuariabilis, & vnus in se erit, quàm in illa die truculentiſsima, in qua ita secum habebit cõpositas creaturas, vt appareat homini peccatori multiplicatus in illis.

§. X.

Quò magis seruilis est homini animus, cò ineptior Christianæ crucis excipiendæ.

NOn prætereundi sunt, qui altilis, taũrique occisi conuiuia negligant, nimirùm, qui in villam suam, & qui in negotiationẽ suam abeunt. Sic textus: *Illi autem neglexerunt, atque abierunt, alius in villam suam, alius verò in negotiationem.* Nec miror, quòd qui seruilibus mundi operibus incumbunt, ij saginati vituli conuiuia negligant; paruam enim, & penè nullam æstimationem habent mysteria crucis in animis seruilibus. Magnus ille Abraham filium Deo mactaturus, cùm iam ad montis iuga peruenisset, Genes. *Gen. 22.* 22. *Dixit ad pueros suos, expectate hìc cum asino: ego autem, et puer illuc vsque properantes, &c.* Ad montis radicem iubet seruos expectare, nec eos permittit ascendere, vt Isaaci immolationem videant. Et cur magis illos secum non adducit, & præsentes facit esse tanto sacrificio? In immolatione Isaac adumbrabatur

tur & crux, & passio Christi, quam æstimare minimè possent animi seruiles. Diu. Isidorus in Genesim, cap. 18. inquit: *Duo autem serui dimissi, & non perducti ad locũ sacrificij, Iudæos significabant, qui cùm seruiliter viuerent, & carnaliter saperent, non intelligebant humilitatem Christi, non intelligebant passionem Christi, ideò non peruenerunt ad locum sacrificij.* Non poterat seruilis animus Dominicæ mortis mysterium penetrare; necessum enim est, vt quidquid in homine mundo seruit, deponatur, vt quis aptus fiat, vt Filij Dei immolationem percalleat. Sapientissimus ille pater dum redeuntem filium saginati vituli conuiuio excipere parat, sic cauet, Luc. 15. *Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum saginatum, &c.* Non priùs vituli saginati, nempè Christi pro nobis occisi ferculum offert, quàm excluso seruili habitu filius induebat stemmata libertatis, & nobilitatis in stola, in annulo, in calceis. Ex ijs nobilem virum denotat Iacobus in sua epistola, cap. 2. aiens: *Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, &c.* Et ex ijs etiam designat diuinus Pater, quàm ingenuus, & nobilis debeat esse animus, qui ad percipienda crucifixi mysteria dignus habeatur. Hinc de se locutus Ioannes, Apocal. 1. ait: *Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia Iesu, fui in insula Pathmos.* Circa quæ verba duo sunt expendenda, & quòd se vocet fratrem, & non seruum; & quòd priùs dicat se participem regni, quàm patientiæ Iesu. Sanè illa est notissima Pauli sententię, *qui compatitur, & conregnabit*, vt priùs ad patientiam, quàm Iesu venire debeamus ad regnum. Cur tu Ioannes & caues nomen serui, & priùs te facis patricipem regni, quàm Iesu patientiæ? Est regnum, & regnum: est regnum Dei intra nos, nostris in clusum visceribus, & regnum Dei exteriùs gloriosum, quale tenent Principes cœlestes. Ad hoc qui vult peruenire, necessum est, vt priùs det operam Christi patientiæ; verùm vt hanc æmuletur, priùs necesse habet interiori animi regno pollere, vt excluſa omni seruitute induat animum regium, qui solus valet Christi Domini crucem ascendere. Nõ longè abest Rupertus, lib. 1. in Apocal. dicens: *Cùm autem dixisset Ioannes, in tribulatione, & regno, addidit & patientiã Iesu. Nam & postquam particeps fuit in illa tribulatione morientis, & regno resurgentis, Iesu patientiam habuit, imitando passum, opprobria, irrisiones, colaphos, & verbera.* Priùs crucis tribulationi adstitit Ioannes, & in Dominica resurrectione regium ebibit animũ, ex quo quidquid patientiæ Iesu vidit, in se auidissimè concupiuit transferre. Et crediderim, nõ otiosè à Marco notatam esse, & nobilitatem, & regium animum illius, cui commissa est Dominici corporis sepultura. Ait enim cap. 15. *Venit Ioseph ab Arimathia nobilis Decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei, et audacter introiuit ad Pilatum, et petijt corpus Iesu.* Nobilis vir, & qui non in mundiali seruitute, sed in Dei regno spem fixam habebat, eligitur, qui deponat corpus Iesu; quis enim alius, nisi animus ingenuus, & regius percussi illius corporis æstimationẽ possit habere? Præclarè ad hæc fatur D. Laurentius Iustinianus, de triumphali Christi agone, cap. 21. *Beatus planè præ vniuersis mortalibus iste venerabilis Ioseph. Meruit quippè Dominicum corpus habere pro munere: meruit illud de cruce deponere: meruit in tumulo, quem pro se exciderat, sepelire. Meritò tamquam cordis sui singularem thesaurum in proprio Christi corpus tumulo collocauit; verùm non in qualicumque illud monimento composuit sed in eo, quòd in petra exciderat, vt verum se Christi fateretur discipulum, et vt quanti foret, quod habebat, ostenderet.* Hanc occisi æstimationem potuit ostendere nobilis, & regius animus Iosephi, ex quo fit pergit idem Laurentius commonefaciens cunctos. *Esto igitur talis, vt Dominum Iesum merearis accipere. Iustificatus, inquã, per fidem, etiam cogitatione, & actione iustus esto, atque virtutibus locuples, vt dignè regnum Dei valeas expectare.* Quasi donec regium animum induas, non dignus inueniaris, qui tractes membra Crucifixi.

Isidor.

Luc. 15.

Iacob. 2.

Apoc. 1.

Rupert.

Mar. 15.

L. Laur. Iustin.

Matth. 22. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed qui inuitati erant, non fuerunt digni: Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inueneritis, vocate ad nuptias.

§. XI.

§. XI.

Vbi dies exitus adest, multi ad Deum sine resistentia trahuntur.

NOn semel vocarant alios ij Dei serui, qui contempserant venire, qua ergo confidentia sperat Dominus venturos illos, quos non cogi modò, sed vocari solùm iubet? Signanter dixit, in viarum exitibus quærendos esse, qui modò vocentur, ne ampliùs timeatur resistẽtia vlla; vbi enim dies exitus instat, ad finemque viæ peruenitur, non est, qui resistat; multi ad Deum currunt. Huc traho pulchra illa Isaiæ verba data cap. 5. *Et eleuabit signum in nationibus procul, et sibilabit eum de finibus terræ: et ecce festinus velociter veniet.* Placet D. Cyril. Alexand. lectionem affigere: *Leuabit signum in gentibus longinquis, et assibilabit illis ab extremo terræ. Et ecce citò leuiter veniẽt.* Deus ipse introducitur congregans ad se gentes multas, pro quibus trahendis hoc solùm dicitur effecturus, nimirùm *assimilabit illis*, vel sibilum edet solum, & ingentes hominum copiæ creduntur ad Deum aduolaturæ. Et quis credat, Dei sibilũ tàm potens esse, vt trahat homines, quãdo vel Dei clamores passim ab hominibus repelluntur? Sic clamantem Deum contemnunt, cur sibilãtem solùm sequentur? Nota, vndè sibilet Deus, & non miraberis, quòd currant hominés ad Dei sibilum: quippè ait: *Sibilabit de finibus terræ*: siue iuxta Cyrill. *assibilabit illis ab extremo terræ.* Vbi in terræ finibus, in viarum exitibus, in extremo vitæ Deus sibilat, procul dubio vel ad tenue sibilum, innumeri ad Deum current. Quis vitæ commodis inhians non surdescit ad clamores diuinos? Vt autem ad vitę exitum ventum est, multi sunt, qui vel sibilo ad Deum trahũtur. Sapiẽter de se dicebat Dominus, Apocal. 1. *Ego sum Alpha, et Omega, principium, et finis*: per Alphæ, & Omegæ notas iam dixi apud Græcos significari numeros, ita vt Alpha, quæ α, significet vnum: & Omega, quæ est ω, significet octingentos. Vocatur ergo Deus Alpha, & Omega, principium, & finis, hoc est, Alpha in principio, & Omega in fine; quia in vitæ principio vnus, & solus est Deus, vix inuenitur, qui pro commodis vitæ habendis Deum solum non relinquat. At in vitę fine iam Deus non Alpha, non vnus, & solitarius, sed Omega est, octingẽtorum, siue innumerabilium numerũ sibi adsciscens. Ad hæc aliò datus Rupertus, lib. 1. in Apocal. ait: *Littera, α vnum, ω autem apud Græcos octingẽtos significat, quia qui in principio vnus erat, filius vnicus, siue vnigenitus, in fine sæculorum filios Dei, quasi adoptatos habebit octingentos, id est, innumerabiles.* Exitus, & finis vitæ est, qui Deũ minimè solitarium esse permittunt, quin potiùs illi plurimos, seu filios, seu famulos adscribunt; innumeri enim, qui viuentes vix Dei nouerant limina, ad eius voces surdi, vbi ad exitum peruenerunt, ad Deũ currunt, & fidissimi eius laterones existunt. Quò crediderim respexisse Dauidẽ, Psalm. 67. vbi ait: *Deus noster, Deus salvos faciendi; et Domini, Domini exitus mortis.* Solent equidem regnorum exitus pro Regibus asseruari, quorum thesauri vt vacui sunt, dum nil trãsportatur à regno in regnum, sed intra regni fines omnia consumuntur; sic vbi incipiunt transportari bona, & ad regni fines accedere, vt inde exeant, simul incipiunt thesauri Regis impleri. Sic similiter Deus noster habens bona sua non in regnis, sed in salute hominum, vt vocetur Deus saluos faciendi, sibi peculiaria, & propria determinat, de quibus seruatorum hominibus impleat thesauros cœlorum. Et qualia hæc? Ait dicens: *Domini, Domini exitus mortis.* Exitus, qui per mortem fiunt, sic ad Deum pertinent, vt inde Deus trahat, quo impleat salutis horrea. Cui excogitationi accinit Sapiens, cap. 8. ex lectione Hugonis: *Sapientiam autem non vincit malitia. Attingit ergo â fine vsque ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter.* Expende, vndè probet, malitiam non posse prævalere aduersus Deum. Vndè fortiter, id est, sine resistentia, imò cùm magna suauitate, vt ait Hugo, captiuos educat à seruitute peccati, & sibi seruos faciat, nimirùm *attingit â fine vsque ad finem*, hoc est, fines vniuscuiusque præstolatur, & vbi ad finem peruenitur, Dei famulitium sine resistentia augetur, & diaboli stultitia irridetur, dam natur. Quippè ait Diu. Augustinus, libro. 4. de Trinitate, capit. 13. *Nescit diabolus, quomodo illo insidiante, & furente vtatur ad salutem fidelium suorum excellentissima sapientia Dei, â fine vsqud ad finem inferiorem, qui est mors corporis pertendens fortiter, et disponens omnia suauiter.* Et quidem vbi exitus à vita interest, &

Isai 5.

Cyr. Ale.

Apoc. 1.

Rupert.

Psal. 67.

Sap. 8.

Augustin.

mors corporis, non miror, quòd stultissimus diaboli furor irrideatur, & triumphet potentia Dei in suis fidelibus congregandis.

Matth. 22. Egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt malos, & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

§. XII.

Nequit penè in terris vlla adeò sancta dari hominum congregatio, quæ reprobandos non teneat.

MIraris ad Filij Dei nuptias non solùm bonos, sed & malos collectos fuisse; ait enim: *Congregauerunt omnes, quos inuenerunt malos, & bonos, et impletæ sunt nuptiæ.* Proh Deus immortalis, & diuinæ nuptiæ, & Dei nuptialis domus malos excipit! Nulla, mihi crede, in terris erit hominum collectio, adeò sancta, adeò defœcata, & pura, in qua non admittantur, qui etiam debeant dimitti. Ait Psalm. 39. *Annuntiaui, et locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* Ex quo salutis viæ cœperunt annuntiari; & qui vias salutis arriperent, cœperunt multiplicari, & in tantum ij multiplicati sunt, vt saluandorum numerum superarent. Nulla semita salutis fuit commonstrata, ad quam nõ concurrerint, in qua non fuerint aliqui, qui de electorum numero sint exturbandi. Sapienter ad hæc dicebat Aymo. Episcopus Alberstatensis, homil. de virginibus: *Boni soli nusquam sunt, nisi in cœlo: mali autem nusquam soli sunt, nisi in inferno. Hæc autem Ecclesia, quæ in medio consistit, vtriusque partis ciues recipit, sicut per Psalmistam dicitur: Annuntiaui, et locutus sum, multiplicati sunt super numerũ. Vbi considerandum est, quia supra numerum electorum modò in Ecclesiam multi reprobi intrare põssunt.* Ad quamlibet salutis semitam voces, etsi angustissima, strictissimaque sit, in illam reprobi inuenientur intrasse; nesciunt enim iusti, & boni esse soli nisi in cœlo. Nullius virtutis, nullius disciplinæ, nullius status euangelici introitus adeò purus est in terris, qui non capiat perdendos, qui non excipiat reprobandos. Si quis locus occlusus omni reprobo excogitari posset, maximè ille, qui exprimebatur per Christi Domini os, quis crederet aliquid reprobandum in diuino posse admitti ore? Erat tamen Iesus sub cruce positus, quam vbi deposuit, statim crucifigendus; dum omnia parantur, dum ligno aptatur fouea, dum carnifices clauos examinant; amarissimum poculum propinant Domino, dederunt enim ei bibere cum felle mixtum vinum. Quid tũc? Ait Matth. 27. *Cùm gustasset, noluit bibere.* Matt. 27. Expende illud, *cùm gustasset*: quod gustamus, proculdubio excipimus ore, sic Deus amarissimum, felleumque vinum excepit ore, insuper & gustauit. Quid diceres de vino, quod os diuinum excipit, quod os diuinum gustat? An illo fœlicior liquor inueniri potuit? Non inde probatum iam haberetur illud vinum, quod meruit tanto excipi, & gustari ore? Intrauit equidem felleum illud vinum in os Domini, ibique illud Deus gustauit, & admisit, non vt haberet, sed vt repelleret. Quis iam sibi blanditur de ingressu sanctissimi status; de ingressu purissimi, & arctissimi instituti vitæ, quando vel in limpidissimo Dei ore admissum reprobari soleat? Sanè ad primum diuinæ vocis sonum, plures sese recipiunt ad virtutis scholas, ibique admittuntur, imò cum aliquali Dei gustu admitti solent, qui tamen inde celeriorẽ sibi malis moribus trahunt reprobationem. Hos in Iudæorũ capite exdictis signat D. Chrysostom. homil. 2. de resurrect. *Acetum quoque amaro felle propinasti Deo commixtum. Ille tamen accepit, non quod biberet, sed quod potiùs reprobaret: denique gustauit merum tuum, et amputauit fructũ tuum.* Non quidquid in Christi sanctissimo corpore admittitur, id probandum est; admittuntur & cum aliquali Dei gustu inter virtutum ardua, fellea vina, fellei mores; sed non qui in Dei viscera transmittantur, sed qui reprobentur, & ejiciantur. Huc accedit illud de primitiua Ecclesia notatum, Actor. 8. vbi sic: Act. 8. *Tunc Simon & ipse credidit, et cum baptizatus esset, adhærebat Philippo.* Ecce tibi ad sonum euangelicæ tubæ & Simon Magus venit, & in Sanctorum cœtu admittitur, adhærescens ipse Apostolicis viris: Hunc tamẽ vt gustat Petrus, ait ad illum: *In felle amaritudinis, et obligatione peccatite video esse.* Quid est, in felle amaritudinis esse? Venire in corpus Christi, non vt retineatur, sed vt reprobetur; quod exprimit

mit lectio Græca, dicens: *In cholerâ acerbitatis, & colligationem iniquitatis video te positum.* Positus hic erat in schola virtutum, in defœcatissimo tunc mystico corpore Christi, sed positus vt felleũ vinum in ore, quod accipit Deus, non vt bibat, sed vt illud iratus proiiciat. Sustinet semper Deus, etiam in perfectionis statu, quem reprobet, in quem & cholerâ exer-
Tertull. ceat, & iram. Quò respiciens Tertullian. lib. de idololatria, circa hunc Simonẽ ait: *Patientia Dei traxit magos ad Euangeliũ vsque. Nam & Simon Magus magis iam fidelis quoniam aliquid adhuc de circulatoria secta cogitaret, vt scilicet inter miracula professionis suæ etiam Spiritum sanctum per manuum impositionem venũdaret, maledictus ab Apostolis de fide effectus est.* Ecce tibi patientia Dei vt trahit, & excipit malos vsque ad summam perfectionem euangelicam, sed qui non probentur, sed reprobentur inde.

Matth. 22. Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes: & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

§. XIII.

Ad magnam hominis fœlicitatẽ pertinet, quòd proprijs oculis videat bona sua multis proficere.

ECce fœliciſsimi Regis argumentum, *intrauit, vt videret discumbentes*, non aliud sibi fœlicitatis, & gaudij quærit, quã vt discũbentes videat, quàm vt oculis proprijs spectet plenas conuiuarum mensas. Nonne & hoc fœliciſsimum cuilibet homini est, si bona sua videat plurimis
Eccl. 5. prodesse? Ait Ecclesiastes cap. 5. *Vbi multæ sunt opes, multi & comedũt eas. Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias oculis suis?* In rem præsentem apertiùs facit lectio Veneta: *Quando multiplicatur bonum, multiplicantur etiam qui illud comedunt; & quid gratius esse poterit Domino eius, quàm videre hoc ipsum oculis suis?* Gratissimum equidem debet esse spectaculum sapienti, & ingenuo homini, quòd multitudinem bonorum suorum videat multis proficere. Quod adhuc apertiùs in-

sinuat lectio Syriaca: *In multitudine boni multiplicati sunt comedentes eius. Et factum est fœlix possidentibus se, quoniam de capite meo vidi oculis meis.* Tunc bonà ad summam fœlicitatem possidentis spectant, quando proprijs oculis videt ex illorum abundantia multos crescere. Quid fœlicius illo homine, qui coram videat de sua beneficentia ingentem hominũ multitudinem ali in vitam? Huius fœliciſsimos oculos aptiſsimè crediderim comparari posse frequentissimis fontibus, viuisque pelucidarum aquarum stagnis. Ait e-
Cant. 7. nim Cant. 7. *Oculi tui sicut piscinæ in Esebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Per has piscinas Esebon intelligit noster Delrius frequentiſsimos fontes, ad eius vrbis portam constitutos, qui vt erant suaues, & clariſsimi, sic ad se alliciebant tantam hominum multitudinem, quæ nomen portæ præstare sufficeret. Et quid est singulare in clariſsimis, frequentiſsimisque fontibus, ex quo similitudinem ducat ad extollendam fœlicitatem oculorum sponsæ? Sanè fons quò lucidior, eò magis totus oculus est, qui dum corã habet multitudinem de dulcedine suarum aquarũ, haurientem, non turbatur, sed tunc hilarior, nescio quid risui simile immurmurat, cùm simul cryſtallinis vndis & trahit, & satiat multitudines, & claro oculo satiatas videt. Proh fœliciſsimus oculus, qui potes coram tenere tot multitudines satiatas de tuo! Proh fœliciſsimus homo, quorum oculi instar lucidiſsimorum fontium sunt, cùm vident suis opibus impleri vacuos multos! Fallar, nisi de hoc dicat Prouerb. cap. 10. iuxta Septuag. *Fons vitæ* Prou. 10
in manu iusti: & quidem fœliciſsimum est, præ oculis habere multitudinem, quã à te auctam etiã manu designes. Huc spectat D. Ambros. lib. 3. offic. cap. 7. vbi cõmendans hominem, qui non passus est, eijcere ab vrbe tempore famis pauperes peregrinos, sed corã ali procurauit, inquit. *Quan-* Ambr.
tæ apud homines gloriæ? Hic magnus verè probatur, qui verè potuit Imperatori dicere, demonstrans prouinciæ populos. Vos tibi omnes seruani, hi viuunt beneficio tui senatus, hos tua curia iam morti abstulit. Sanè fœlix Imperator, qui tot viuere de suorũ beneficio videat: fœlicior Senator, qui in sua industria, & ope, & opibus possit præ oculis habere, & manu ostendere tantam multitudinem sustentatam.

§. XIIII.

Mensæ diuinæ conuiua ex florenti virtutum ornatu placeat.

EXpende, quàm citò oculos offenderit diuinos, qui in communi, & sordida veste præsumebat diuinas dapes: offendit sanè maximè, quisquis veterem indutus hominem diuinæ mensæ assidet; quando tantus conuiua necessum est, vt florenti virtutum ornatu placeat. Hinc Artimidorum quemdam commendabat Theodoricus Rex apud Cassiodorum, libro. 1. var. 43. *Qui tanta se animi puritate clarificauit, vt cùm apud nos mereretur aulicas dignitates, spectaculorum ordinatione lætissimam sibi militiam vendicaret, quatenus sub specie voluptatis libenter videretur velle seruire. A laboribus quidem temperans, sed in nulla se nobis parte dissociãs. Regalem quin etiam mensam conuiua gemmatus ornauit: ibi se nobis iungens, vbi certum est, nos posse guadere.* Nota illud in conuiua suo meritò à Rege prædicatum, *Regalem mensam conuiua gemmatus ornauit*: & quidem in regali mensa nil magis Principi placet, quàm conuiuarum ornatus. Is & mensam ornat, & conuiuã commendat Regi, qui amat comensales suos videre florenti sub virtutum habitu. Notissimum est conuiuium illud agni immaculati paratum, & præceptum à Deo populo suo, cùm educeret illum de captiuitate Aegypti. Quod cõuiuium iubebatur celebrari quotannis in mense Nisam, hoc est, in mense Aprili; sic enim habes Exod. 12. *Decima die mensis huius, tollat vnusquisque agnum, &c.* Et cur Aprilis tempus designatur tanti agni conuiuio? Vt sicut Aprilis tempus totum floridũ nihil in se ostendit vetustũ, sed vndique appareat viridanti decore vestium, sic in cœlestis mensæ conuiuis ornatum Deo gratum designaret vt vniuersi, qui placere vellẽt, abiecta vetustate, virtutibus floridi, nouo, recentique decore vestiti tantis epulis adstarent. Id notabat Rupertus, lib. 2. in Exod. cap. 5. aiens: *Sed & ipsa mensis Nisam, id est, Aprilis verna temperies, cùm tellus reflorescit, totusque post hyemẽ, quasi post senium iuuenescit orbis, nonne sensatum hominẽ docet, quatenus reuocatus spiritu mentis suæ, fide viridis, spe lætus, & charitate floridus paschalis agni epulis interfit spiritualibus?* Discat sensatus homo à tempore, quo agnus editur, quali habitu ipse potest placere in diuinis epulis; vt enim Aprilis totus floridus, renouatisque syluis, inuenescens agni conuiuium excipiebat, sic tu, quisquis es conuiua diuinæ mensæ, exue vetustos pannos, detrita vestimenta exue, florentique virtutũ amictu redimitus, diuino Regi floridũ, & gemmatum conuiuam te præbe. Ad gloriam cuiusque iusti dicebat Psalm. 127. *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ*: cur non sicut oliuæ, sed sicut nouellæ oliuarum? Grandæua iam oliua solet vetustis folijs aliquibus sordescere, qui ergo gloriam, & fœlicitatem iusti commendabat à mensa, maluit illi affigere oliuarum nouellas, in quibus nec folium vetustum, nec sordes aliquæ apparent, sed omni ex parte nouis, viridantibusque folijs niterent, quando ex nitore assidentium commendantur præstantissimorum virorum mensæ. Ex quo sic monet D. Chrysost. homil. 3. in epistiad Ephes. inquiens: *Qui salutari compunctione atterit corda mortalium: ipse corda vestra compungere dignetur; vt à timore eius promereamini concipere, simul & parere spiritum salutis, & cum omni fiducia ad mensam Dominicam accedere. Filij enim tui, ait scriptura, sicut nouellæ oliuarũ sint in circuitu mensæ tuæ. Nihil hic vetustum, nihil immite, nihil acerbum. Tales enim nouellæ plantulæ ad proferendam frugem bonam accommodatæ sunt, & opportunæ. Sed & fortes, ac vegetæ sunt, ita vt omnes consistant in circuitu mẽsæ salutaris.* Hoc curet in se ostendere, quisquis cœlesti epulo assidet ad gloriam, non ad mensæ ignominiam, vt nimirùm assideat, vt oliuarum nouellæ; de nouitate vitæ fulgens, de spe viridis, de charitate floridus, nihil vetustum, nihil sordidũ in se admittens. Insuper ait Chrysostom. homil. 16. ad Hebræos: *Si enim Rex Babylonius ex captiuitate eligens iuuenes, honestos forma, & decoros facie elegit: multò ampliùs & nos adstantes mensæ regali honestos specie animæ esse oportet, ornatum habentes aureum, stolam mundam, calceamenta regalia, vultum animæ formosum; oportet eam ornatu aureo circũdatam esse, cingulum veritatis habere. Talis accedat, & calicem tangat regalem.* Quid pulchrius? Sanè decretum Regis Babylonis, sic habet apud Dan. cap. 1. *Et ait Rex Aphene præposito Eunuchorum, vt introduceret de filijs Israel, & de semine regio, & tyrannorum, pueros, in quibus nulla esset macula, deco-*

Cassiod.

Exo 12.

Rupert.

Ps. 127.

Chrysost.

Dan. 1.

decoros forma, et eruditos omni sapientia, cautos scientia; qui possent stare in palatio Regis. Et constituit eis Rex annonam per singulos dies de cibis suis, et de vino, vndè bibat ipse. Et meritò immaculati, pulchri, & speciosi iubentur esse, qui pane, & vino regio fruebantur. Si ergo hæc apud Babylonium, cur non magis apud cœlorum Regem?

§. XV.

Conuiuium cœli non admittit eos, qui fratrum rodant vitas.

IN toto illo conuiuio, vbi ex omni hominum genere erant congregati multi, vbi innumeri aderant ministri, nullus inuenitur, qui sordentem conuiuã notaret, & obloqueretur illi; Rex fuit solus, qui hunc vidit, qui hunc vocat in discrimen: quippê ait: *Intranit autem Rex, vt videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum, &c.* Rex vidit, non alius ê multis inibi discurrentibus, & quomodo fieri potuit, quòd nullus alius hunc videret, hunc notaret, & de illo aliquid diceret? Erant omnes vel ministri, vel conuiuæ cœlestis epuli, cuius hoc proprium est, non permittere in suis conuiuis, quòd fratrum sordes attendant, nec rodant vitas. Dum populus Israelis per desertum ageret, verissimè expertus didicit, quòd potuit Deus in deserto parare mensam populo suo, quando homines illi auidè manducabant Angelorum cibum. Quid tunc? *Nu. 21.* Habes Num. 21. *Et tædere cæpit populum itineris, et laboris, locutusque contra Dominum, et Moysem, ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, vt moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ, anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Nunquam satis ego solebã mirari, quòd mensa à Deo parata sic repentè coram Israelitico populo viluisset, vt eis quasi nihil videretur. Quando spiritus Dei testatur, quòd *panem Angelorum manducauit homo*, ipse homo clamat, *deest panis*; quando cœlestis cibus vniuscuiusque seruiebat voluntati, habens in se omnium saporum delectamenta; dicit populus: *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Qua ex causa multiplex ille sapor, tantus ille panis coram Israelitis euanuit? An id potuit nasci ex cœlestis cibi vilitate? Absit; non ex cibo, sed ex comedentium pro

uenit indignitate; nota enim quid de illis primô dicatur: *Tædere cæpit populum itineris, locutusq; contra Dominum, et Moysem, &c.* Nec miror, quòd vbi populus cæpit de Moyse murmurare, eiusque opera carpere, statim coram populo murmuratore cœlestis cibus euaneat, qui ad se accidentes murmuratores non patitur. Ait D. Hieron. epist. ad Fabiolam, de mansione. 35. & 36. fatus: *In ijs Aaron mortuo murmurante contra Deum, et Moysem, manna fastidiunt, &c.* Expende consequentiam; post murmurationem populare in Moysem, nihil prius generatur in murmuratoribus, quàm fastidia supernæ dapis; non enim ad se admittit cœlestis cibus labia, quæ rodant fratres. Nec solùm corã murmuratorum linguis cœlestis cibus prouocat fastidia, prouocat nauseam, sed extremam ruinam minatur. De Aaron filijs dicitur, Leuit. 10. *Arreptisq; Nadab, et Abiu filijs Aaron thuribulis, posuerunt ignem, et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis à Domino, deuorauit eos, et mortui sunt.* Et quale hoc crimen adumbrabatur, quod tantùm sibi ab altari Domini traxit incendium? Id ostendit Isichius in Glossa, dicens: *Thymiama autem thuribulis, vel ignibus linguarum superponunt.* Non tàm in igne materiali sit error, quàm in linguarum igne; quæ enim linguæ accedunt diuino altari, eo charitatis igne debent fulgere, quo operiant multitudinem proximorum peccatorum; hic charitatis ignis proprius est linguarũ accedentium ad altare Domini. Ignis autem, qui proximum adurat, qui maculam inurat proximi honori, alienus est à lingua tractante Dominum, qui, fallar, nisi ab altari trahat mortem. Huc aspiciens Petrus Damian. epist. ad Nicolaum Pontif. max. 12. cap. 4. *Filij Aaron ideircô cœlesti igne consumpti sunt, quoniam alienum ignem offerre Domino præsumpserunt. Altaria quippê Domini non alienum, sed diuini amoris ignem accipiunt.* Alienus ille ignis est, & altari inimicus, qui dum proximo maculam inurit, eius pandens errores, maximè charitati diuinæ se opponit, quæ in omnibus operit multitudinem peccatorum. Ignem adeô alienum à charitate non solùm non admittunt Dei altaria, sed etiam illum perdunt igne maiori, ne quid in homine detractore maneat, quod vinere Deo possit. Vndè monebat Diu. Petrus. 1. epist. 2. docens dispositiones ad Eucharistiam, vt contra Volanum

Leuit. 10

Isich.

Dam.

Turria. hæreticum probat noster Turrian. tract. 2. cap. 20. *Deponentes igitur omnem malitiã, et omnem dolum, et simulationes, et inuidias, et omnes detractiones. Sicut modò geniti infantes rationabiles, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem. Si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus.* Tria petuntur in his verbis, & duo prima, quasi ad tertium præparatoria: & petitur depositio omnis malitiæ, & detractionis; & regeneratio nouæ vitæ, & gustus diuini lactis, diuini epuli, quo perfectæ ætatis recipimus augmentum. Qui gustus diuini epuli vt detur, quid necessium est? Vt in primis deposita omni detractione, quasi infantes fiamus nouiter regenerati in Domino; quasi nequeat fieri, quòd vbi lingua detrahens est honori proximorum, incipiat in nobis illa regeneratio, quæ cœlesti cibo ali possit. Quis sicut modò genitus infans exit, vt gustet Dominum, si lingua pascatur solis proximi erroribus? Tob. 35 Meritò aiebat D. Iacobus epist. can. cap. 3. *Lingua constituitur in membris nostris, et inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata â gehenna.* Expende, quæ lingua inflammet rotam natiuitatis nostræ, nimirùm lingua ipsa inflammata à gehenna, gehennalis ignis instar omnia vorans. Quippè gehennalis ignis hoc habet proprium, vt pro pabulo vtatur solis peccatis hominum, & solùm circa illa peccata versetur, eorum grauitatem ostendens. Sic lingua detractoris gehennali ardet incendio, quando in fratre solos videt, solos notat errores, solisque proximorum criminibus pasci solet. Hæc autem lingua, quæ pascitur criminibus aliorum, prorsus inflammat rotam natiuitatis nostræ, hoc est, prorsus tollit virtutem illam, qua in dies vetustate depositã nouitatem acquirimus, vt quasi modò geniti infantes gustemus Dominum. Illa, mihi crede, lingua gustat Dominum, quæ magis operit peccata proximorũ. Sic Cant. 4. de sponsa nuptiali conuiuio assidẽte dicitur: Cant. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua, eloquium tuũ dulce.* Expende qualia sint labia sponsæ: *Sunt sicut vitta coccinea*, vt potiùs alligẽt, & operiãt vulnera proximorum. Ad duo enim munera vittæ effingi solent, nimirum & ad liganda, & operienda vulnera, vel ad prendendum, & trahendum aliquem. Vtrumque in labijs charitatis inueniri solet; ex quo enim labia alligant; & obtegunt vulnera proximorũ, & trahunt, & intra se includunt ipsum Dominum. Pulchrè ad hæc Gillib. Abb. serm. 24. in Cant. *Non decent sponsam nisi verba dulcia, verba amoris, verba quæ delicati funiculi vice fungantur, verba quæ sponsum irretiant, extrahant vincula charitatis. Fœlix anima, quæ huiusmodi nouit dulciũ verborũ nectere retia, quibus Iesum illaqueet, alliget verbum Patris, animi affectibus, vel affatibus Christum includat.* Nesciunt equidem labia attingere, necdum includere Christum, nisi quæ dulcibus verbis faciunt ad amorem, nisi quæ alligaturas eas emittunt, quibus & proximi percussi vulnera tegantur, foueantur, & inde Deus alligetur. Ex quo aiebat Petrus Dam. lib. 6. epist. 26. *Faceſſat igitur ab ore militis Christi omnis vani rumoris ineptia: et lingua, quæ immaculati agni, imò summi Verbi rubet sanguine, dedignetur otiosi sermonis sese fœcibus inquinare. Noli cuiquam detrahere, &c.* Abeat procul detractionis sermo à lingua, in quam viuificus Christi sanguis venit, ne qui propter tegenda hominum vulnera effusus est, linguam, quæ illa prodat, abominetur. Gillib. Dam.

Matth. 22. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.

§. XVI.

Reis ob delicta castigandis saltem debent dari à Præsulibus humana, & mitia verba.

CRiminosum hominem, & statim carnificibus tradendum bonus Rex amicum vocat; & quidem in hoc bonus Rex, qui dum cogitur reo conuicto dura supplicia mandare, saltem ei præstat suauia, & mitia verba. Vtinam hanc mentem bibant omnes iudices, & qui efferantur supplicijs illatis in reos, saltem homines se ostendant in verbis. Purpuratus ille dum esset in tormentis, clamabat ad Abraham, petens aliquod sibi dari refrigerium, quo minùs duritiem sentiret incendij, cui statim Abrahã dicit, Luc. cap. 16. *Fili, recordare, quia recepisti bona in* Luc. 16.

vita

vita tua, &c. Quem flammis aduri sinit, cui omne denegat refrigerium Abraham, illum nihilominùs filium vocat, vt quam factis non potest, saltem ostendat humanitatem in reum verbis. Quod ponderat
Chrysol. D. Chrysost. ser. 3. de Lazaro: *Fili, recepisti bona. Vide humanitatem iusti. Non dixit, inhumane, crudelis, scoleratissime, cùm tam multa commiseris in hominem, nunc mentionem nobis facis misericordiæ, & veniæ? Non pudet? Non erubescis? Sed quid dicit? Fili, inquit, recepisti bona. Ne putaret, quòd memor præteritorum malorũ venerit abire Lazarum, filium, illum appellat. Quod in mea potestate est, inquit, impertio tibi.* Nõ semper licet iudicibus torquere non inferre criminosis, at semper iudices decet illis mitia, & humana præstare verba. Prudentissimè enim dicit Ecclesiasticus, cap. 20. Est correptio mendax in ira contumeliosi: vbi Septuag. legunt: *Est correptio indecora in ira contumeliosi*: nec quid fortasis magis indecorum, & indecens est corripienti iudici, quàm si contumelijs, & opprobrijs agat aduersus eos, quos castigat. Et quamuis vera sint, & probata hominis crimina, ob quæ duras debeat dare pœnas; numquam tamen debet sustinere audire verba immitia. Exquo dũ Iob immanissimè torqueretur, & inuito animo sustineret tormenta sua; aduersus eos, quorum pungebatur contumelijs, sic
Iob. 19. inquit cap. 19. *Nempè etsi ignoraui, mecum erit ignorantia mea. At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobrijs.* Expressiùs in rem præsentẽ loquuntur Septuag. *Profectò iam ego verè erraui, apud me habitat error, loqui verbum non oportebat: verba autem mea errant: sine autem, quia in me magnificamini, insultatis autem mihi opprobrio.* Quando quis verè erret, quando graues mereatur pœnas, illasque det, non est æqui iudicis, nõ est moderati hominis illum talẽ opprobrijs impetere. Sic
Cat. Gr. data verba explicabat auctor Cat. Græc. *Iam vobis concedo hypothesim, me prauè vixisse, prauam verò vitam etiam praui, & falsis rationibus me nunc velle tueri, neque me velle ab errore discedere, an non decebat vos me mala patienti homini veniam tribuere? Nec verò conuitijs solùm, quibus inceßitis, non moderamini, &c.* Absurdum est, & valdè indecens viris bonis etiam conuictos criminosos conuitijs lacessere.

§. XVII.

Vbi confessio deficit, ibi ineuitabile supplicium timeri debet,

NOn adeò seuerus Rex ostenditur in hominem istum, vbi illum sordidum in nuptiali conuiuio inuenit, quàm vbi ipsum de sordibus requisitũ vidit silẽtem. Anteà cõuictus audaciæ locum habet pro se respondẽdi; at *vbi obmutuit*, nec vllum confessionis protulit verbum, tunc ineuitabilem damnationem, & ligatus, & traditus carnificibus sentit. Non sic ineuitabiliter hominem perdunt crimina, vt illum perdit, quòd nolit confiteri. Quis ignoret Ananiæ, Saphiræque supplicium à D. Petro illatum? Ij, Actor. 5. agrum vendiderunt, cuius pretium Deo sacrarunt, *Act. 5.* sed de pretio simulatè partem sibi taciti reseruarunt. Tunc Petrus ait: *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nõne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo rem hanc? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit.* Quis supplicium seueriſsimum non expaueat? Peccarant sanè homines isti semel de pretio agri fraudantes, sed non peccauerũt semel, & ter Dominum, vt Petrus, negantes. Cur ergo Petrus sic illos irremediabiliter damnauit? Quando tu, ò Petre, pro trina Dei negatione veniam obtinuisti, cur nõ magis indulges semel tantùm fraudantibus? Sanè Petrus vbi Dei oculis admonitus est, statim culpam fassus, totus iuit in lacrymas; Ananias autem iste, nec ter interrogatus respondit, nec verbum, aut signum confessionis ostendit, pro quo meritò incurrit sine reparatione dãnum. Ad hæc ait Cæsarius Nazianzẽni frater, *Cæsar.* dial. 5. *Quamobrẽ ergo tã enormiter lapsus sanctus ille vir Petrus, & veniã cõsecutus, ipse quoque veniam non dedit Ananiæ, & Saphiræ: sed in vna hora vtrosque occidit verbo? Licèt nullus esset lapsus respectu illius abnegationis. Aurum absconderant proprium, non alienum. Vel etiam si alienum fuisset, non est par peccatum priuatarum rerum parum quid abscondiße, & abnegasse Iesum. Non dementiæ est, primarij illius aduersus fontes terror, sed præs-*

præſciæ diſciplinæ plurimæ mortalium ſanantis vitia. Quandoquidem ſemel Deo dicatum aurum ſacrilegio vulneratus alienauerat, interrogatuſque negauerat. Nec enim facultas concedendi ſcelus erat, non conſentiente cum labijs corde. Vbi cordis vulnera in labijs prodita non apparebãt, nõ erat, cur venia ſperaretur eorum. Facultas erat Petro concedendi veniã magnis ſceleribus, ſed quæ nõ abſcondita manerent in corde, ſed & per humilem confeſsionem apparerent in ore. Vbi ad os nõ accedunt ſcelera, ſed manẽt in cordis abſcondito, nõ eſt mirum, ſi ſanari non poſſunt. Gen.9. Video Gen.9. dixiſſe Dominũ Noemo. *Terror veſter, & tremor ſit ſuper cũcta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli, cum vniuerſis, quæ mouentur ſuper terram: omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt, & omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia. Excepto, quòd carnem cum ſanguine non comedetis.* Iuxta hanc homini comedendi datam facultatem, eſt illa facultas, quæ datur Petro recipiendi homines ad ſanitatem ſpiritualem. Act.10. Ait enim Actor.10. *Vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initijs ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli. Et facta eſt vox ad eum: Surge, Petre, occide, & manduca.* Quid ſimilius? Vtrobique omnia animalia in cibũ dantur: Noemo conceditur facultas, qua à nullo animante abſtineat, ſed ex omnibus poſsit ali: & Petro facultas datur, nullum brutũ, & ferum animal deſpiciendi, ſed ex omnibus Chriſti corpus coagmentare. Vnum ſolum in figura video caueri, nimirũ ait: *Excepto, quòd carnem cum ſanguine non comedetis.* Cur ſic erit caro cum ſanguine abominabilis, niſi quòd intùs ſeruati ſanguinei mores, & non extra per confeſsionem profuſi, nullo modo poſſunt pertinere ad corpus Chriſtianum; nec eſt facultas in Petro ad eos in Chriſtum tranſmutandos? Iſidor. Pro quo D. Iſidorus, cap.14. in Gen. ait: *Dantur eis in eſcam cuncta animalia, ſicut in illo diſco Petro dicitur, occide, & manduca. Eiecto ſanguine iubentur manducare, ne vita priſtina, quaſi ſuffocata in conſcientia teneatur, ſed habeant tamquam effuſionem per confeſsionem.* Nihil ſanguineum intùs abſcondat, ſed exteriùs omnia effundat per confeſsionem, quiſquis amat frui Petri benigniſsima poteſtate. Hæc enim nulla eſt, vbi cõfeſsio non eſt; quandoquidem vera confeſsio eſt, quæ vix vllum deſperatum permittere poteſt. De damnatis ad flammas æternas locutus Matt.8. & alias ſæpè ait: Matt.8. *Illic erit fletus, & ſtridor dentium*: comitatur equidem inutiles fletus, & deſperatas mentes ſtridor dentium, non confeſsionis verba; hæc enim ſi adeſſent, vel poſſent extinguere ipſam gehennam. Ait enim Galfridus in cap.22. Matt. apud Tilmanum in allegorijs: Galfr. *Ibi ergo erit fletus ex dolore, ſtridor dẽtium ex rancore. Alioquin ſi æquanimiter ferre, ſi humiliter flere, ſi dicere poſſent, nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus, audeo dicere, ignis ille inextinguibilis, tamen extingueretur.* Nec poteſt intelligi deſperata ſalus, vbi eſt confeſsio vera.

§. XVIII.

Supplicium vni exhibitum pecatori, plures alios ſimiles expectat.

NEc te moueat, quòd vnum ſolum ligari, & mitti videas in tenebras; vnus in præſenti proponitur, in quo multorũ ſimilium ſupplicium exhibetur. Quotquot ſacris ſordidi accedunt, quotquot ſcelera tacent, in hoc ſe videant ligari, & mitti in gehennam. Actor.1. aiebat Act.1. Petrus: *Viri fratres, oportet impleri ſcripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Ieſum.* Itaque de Iudæ pœna locuturus ſcripturam citat, & quam ſcripturam? Ea eſt Pſalm.108. *Fiat habitatio eorum deſerta, & non ſit, qui inhabitet in ea, & epiſcopatum eius accipiat alter.* Dicturus de Iuda adducit teſtimonium, loqueus de multis alijs, imò de tota multitudine Iudæorum, dum ait: *Fiat habitatio eorum deſerta*; cur non magis in ſingulari locutus eſt de ſolo Iuda? Cur neceſsũ fuit & Iudæorum mentionẽ facere? Equidem quando de Iudæ ſupplicio ſermonẽ texuit, neceſſum fuit in illo & ſimilium pœnã annuntiari; nequit enim fieri, quòd in cuiuslibet peccatoris pœna omnes eius ſimiles non exprimantur. Ait Rupert. lib. Rupert. 1. de intellectu, cap.1. *Duo teſtimonia coniunxit, & alterum quidem ſingulariter de pſalmo centeſimo octauo: Et epiſcopatũ eius accipiat alter. Alterum verò pluraliter de ſexageſimo octauo: Fiat habitatio eorum deſerta. Propoſuerat autem tantùm de vno*

ſingu-

singulariter, sed & hìc addit pluraliter. Quid igitur nisi exortam in cordibus Apostolorum intellectus lucem, hoc dicto sentimus? Iudam quippè, et infœlices Iudæos sicut eodem scelere inuolutos, sic et simili pœnæ significat addictos: quatenus quod vni Iudæ contingebat, vt episcopatum eius accipiat alter, idem et Indæis contingeret, vt episcopalis eorum habitatio deserta fieret. Sic quidquid in vno peccatore fit, expectent sibi vniuersi similes, & putent sibi etiam dictam sententiam, quæ ferit aliquem similem. Non longè ab hoc abest, quòd Dominus locutus cũ Ecclesiæ Pergami Episcopo, statim subdit, Apocal. 2. *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesijs.* Et sanè tunc cum sola Ecclesia Pargami loquebatur: cur iubet attendi, quod Ecclesijs dicitur, nisi quia in vniuscuiusque defectu carpuntur ab spiritu omnes similes? Ex quo Rupertus, lib. 2. in Apocal. *Sanè cùm non dicit, quid Spiritus dicat Ecclesiæ Ephesi, sed quid Spiritus dicat Ecclesijs, sciendum est, quia quæ singulis scribit, vniuersalis dicit. In omnibus quippè Ecclesijs sunt, quibus dici debeant ea, quæ sunt timoris, &c.* Non multũ curet homo scire aduersus quem in particulari lata sit sentẽtia diuina, sed videat, an ipse habeat in se delictum damnatum per illam: Deus enim nũquam vnum damnat, in quo non damnet omnes similes.

Apoc. 2

Rupert.

CAPVT XXIII.

De decem virginibus.

NVPTIALI Conuiuio ad nuptiarum cęlestiũ perfectionem venimus: Hinc decẽ virgines de more sunt, quæ spõsis accedẽtibus obuiam procedunt, nempè vniuersi fideles, qui obuiam ibunt Christo venienti cum omni triumphanti Ecclesia ad iudicium. Virgines meritò dicuntur, qui incorrupta vixerunt fide, quarum multitudinem numerus denarius designat: prudentiam, vel fatuitatem illarum cognosces ex ornatu lampadum; sicut enim prudentissimus est fidelis ille, cuius fidei oculos sequuntur manus, dum facinoribus virtutum adimplent, & ornãt vitam; sic ille stultissimus, qui fide sola nitens ab opere vacuus se finit in somnum, vel in mortem ire. Subitò veniet Dominus, & sponsi sub forma dicitur venire, ne solam fidem, sed & operum ornatũ ostendatur requirere; in spõsi enim throno, de nullo magis præcipuè, quàm de ornatu sit disquisitio. Id norunt, vel serò ipsæ fatuæ virgines, quæ vbi spõsum venientem audiunt, quem despexerant ornatum virtutum, anxiæ, & timidæ tunc inquirunt. Quæ enim virgo ornatus defectu nõ timeat sponso displicere suo? Vanè iam quærunt ornatum intempestiuum; sed magis vanè de prudentium sociarum industria sibi putant posse parare remedium stultitiæ, quando vix prudentissimæ sufficiunt sibi. Nec miror, quòd adeò stultæ, & incompositæ, & intempestiuæ virgines æternùm maneant à diuino sponso excluſæ.

Matth. 25. Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso, & sponsæ.

§. I.

Cœlestis gloriæ imago euidentissimè apparet in virginitate.

IAm regnum cœlorũ dicitur simile decem virginibus; nec in vllo alio euidẽtiùs, quàm in virginitate gloriæ cœlestis imago exprimitur. Isaiæ cap. 7. ait: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emanuel.* Non alia, sed Virgo Deum à cœlo venientem excipit; nec Deus è cœlo ad aliam confugit, nisi ad virginem, quia nimirùm in virginitate cœlestis gloriæ imaginem expressissimam inuenit. Quõ spectãs ait D. Thom. opusc. 221. *Ad hoc Dei Filius veniebat in mundum carne assumpta, vt nos ad resurrectionis statum promoueret, in quo neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Vndè & continentiæ, et integritatis doctrinam introduxit, vt in fidelium vita resplendeat aliqualiter gloriæ futuræ imago.* Ad virginem venit è cœlo Dominus, in qua cœlestium etiam inueniret imaginem, & virginitatem hominibus persuasit, vt in eis ostẽdat virtutẽ, quæ cœlestes glorias possit in terris repræsentare: nec immeritò virginitas habetur fi-

Isai. 7.

D. Thom.

tura

tura gloriæ imago, quando nec coinquinationem per se admittit, sed eam amat puritatem, qua sola beatitudo gaudet. De
Hier. 1. Hieremia dicitur cap. 1. *Priusquam te formarem in vtero, noui te: et antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Cur Prophetæ tàm antelucana sanctitas, tàm antelucana puritas paratur? Pulchram rationem
Hieron. attigit Diu. Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum, aliô datus: *Hieremias in vtero sanctificatus est, et cognitus in vulua matris, ideò hoc priuilegio fruitur, quia virginitatis erat beatitudini destinatus.* Expende rationem, nimirùm, *quia virginitatis erat beatitudini destinatus*, quasi duæ sint beatitudines, alia in cœlis, in terris alia: illa implet cœlorum Principes, hæc in virginibus radiat, vtræque sibi similes, & penè pares, adeô vt sicut cœlestis beatitudo non admittit aliquid coinquinatum, sed omnimoda puritas, & sanctitas ad illam sola accedere valet; sic necessum est, vt omnigena puritate, & sanctitate præparetur, qui aptatur beatitudini virginitatis. Quid plura? Scimus cœlestes sedes pluisse manna in deserto, quo vixit populus Israelita: sed & de Ioannis Euangelistæ sepulchro ferunt manna frequẽter prodijsse, quasi vel in hac pluuia & cœlum, & virginitas ostenderentur similia. Pro
Pam. quo D. Petrus Damian. serm. 2. de Ioanne fatur: *Veniant igitur omnes nationes gẽtium, et obstupescant miraculum omnibus sæculis inauditum. Veniant, inquam, et admirantes aspiciant, quia in sepulchro, quod procul dubio domus est vermium, panis nascitur Angelorum, adeô vt cum Propheta in magni muneris admiratione pronũtiet, quod Israelitico populo manna Deus concessit in cibum, dicens: Panem Angelorum manducauit homo, panem cœli dedit eis: quod illis tunc mittebatur è cœlo, nunc scaturire conspicitur è sepulchro. Ecce quid mereatur pudicitia virginalis: Ecce quantæ magnitudinis est inuiolatæ carnis integritas.* Huc potuit peruenire virginitas, quôd in mãnæ exhibitione cœlorum æmuletur virtutem: & quidquid in cœlis magis splẽdet, huius expressissima imago in virginitate inuenietur. Ne miremur, quôd & cœlorum ciues maiorem exhibeant virgini veneratioñem, quàm ipsis cœlis. De Gabrie
Luc. 1. le aiebat Luc. cap. 1. *Missus est Gabriel â Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem, &c.* Quod notans D. Basil. Seleuc. orat. 1. ait: *Cum Gabriel ad Deiparam Virginẽ missus, ad inferiora hæc descendebat, cœlos vtique à tergo relinquebat.* Quasi innueret bonus Pater cœlestia tergo dari ab Angelis, vbi præ oculis virginem possunt habere. Quare non mirabor illud fuisse dictum à Diu. Bernardo e-
Bernar. pist. 42. *Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis et loco, et tempore statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solemnia: morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubũt, neque nubuntur: præbens quodammodo terris cœlestis iam illius conuersationis experientiam.* Sic ille.

§. II.

Fidei seruandæ constanti affectui comes solet esse immaculata corporis pudicitia.

QVos virgines decem vocat, intellgit Dominus vniuersos fideles, qui viriliter pro fide stare decernunt, hos virgines vocat, vt qui sciat corporis pudicitiã sociã esse fidei seruãdæ constanti affectui. Et vbi fidei stabiliendæ affectus viget, fallar, si hic desinat sociam sibi pudicitiam perire. Castissima illa fœmina Iudith, quæ ab oculis conciuium suorum se se arcebat domi conclusa, tandem nõ dubitauit pulchritudinem suam obijcere Babylonijs exercitibus, & inter virorũ alienigenarum agmina versari, imò vt ad hos pergat, primùm ornatu pulchro pulchritudinẽ acuit suam. Quis hoc crederet de fœmina pudicissima, honestissima? Cur, ò Iudith, sic tuam pulchritudinem exponis? Cur magis non times castitati tuæ inter iuuenum lasciuiẽtium exercitus, apud ducem & potestate, & lasciuia insignem? Et si viros tales non times, cur potes non timere tibi ab affectu tuo, ne inter Assyrias delicias, & diuitias mollescere contingat? Ferebatur sancta fœmina tuẽdæ fidei, veręque religionis studio: vbi autem fidei tuendæ studium, & affectus feruet, minimè sinet periclitari pudicitiam. Pro quo
Ambr. aiebat Diu. Ambros. lib. 2. de virg. *Iudith se, vt adultero placeret, ornauit; quæ tamẽ, quia hoc religione faciebat, non amore, nemo eam adulteram iudicauit. Benè successit exẽplum: nam si illa, quæ se commisit religioni, & pudorem seruauit, & patriam; fortassis et nos seruando religionem, seruabimus etiam castitatem.* In validissimo tutandæ fidei, religionisque affectu tutamẽ habuit castitas validissimum; nec contigit, quôd

hæc

hæc subiret discrimen, vbi vigebat in affectu religio. Connexæ sunt, & penè inse parabiles hæ virtutes, & sese mutuò inferunt; nec quis lasciuiæ traditus blandiatur sibi de zelo Fidei; nec in fide titubans glorietur, quòd floret pudicitia. Hoc magis morale est, quòd fidei, religionisq; ardor in anima nõ sinit periclitari pudicitiam; & quòd religionis defectus sit etiam coniunctus cũ defectu pudicitiæ. Hinc Ioan.
Ioan.20. 20. Magdalenæ ploranti ad Christi sepulchrum dicunt Angeli, imò & ipse Iesus dicit: *Mulier, quid ploras?* Expẽde verbum illud, *Mulier*, sic enim vocatur à Luca
Luc.9. cap.9. vbi eius notissimam proponit lasciuiam, dicens: *Mulier erat in ciuitate peccatrix.* Cur ergo Domine modo meminisʃti vocabulum, quo fuerat Magdalenæ notata impudica vita, mores corrupti? Sanè in præsenti ostenditur Magdalena minus constans in fide, cum deberet potiùs gaudere de Iesu redituo, quàm flere pro defuncto. Quæ fidei inconstantia castitatem in ea fulgere non sinit, sed in memoriam adducit vel pristinam impudicitiã. Quip
D.Amb. pè ait Diu. Ambr. lib.3. de Virg. *Quæ non credit, mulier est: nam qui credit, in virum perfectum resurgit, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Mulier, inquit, non de sexu, sed de cunctatione conuicium est. Et benè mulier, quæ nutabat, quia virgo iam crediderat.* Expende vndè oriatur cõuicium illud corruptionis carnalis in vocabulo mulieris notatum, nimirùm ait: *De cunctatione conuicium est*: Vbi enim circa fidem fit cunctatio, nil priùs præ oculis est, quã carnis corruptela. Ne credamus multum esse de religionis, fideique affectu in homine: quem lasciuis ignibus aduri videmus, pariter enim solent esse, & titubario in fide, & in castitate titubatio. Quid plura? Sinè socia castitate vix fidei initium
Gen.19. adolescit? Gen. 19. ait: *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem, &c.* Fulmina ignea iaciuntur & dicitur Deus pluisse, cum pluo verbum potiùs ad aquarum nimbos spectet, quia nimirùm, & inter ignes aquarum pluuiæ cadebant, vt ostendit ingens lacus maris mortui, in quod flumina illa desiere. Nec sine mysterio Sodomitis ignibus aquæ adduntur, in quas illi desinant; sed vt ostendatur munus baptismi, à quo initiantur fideles, cuius effectus est, carnis ardores tollere, vt de castitate fides possit adolescere. Ait Claudius Marius in Gen. lib.3.

Nec tamen hîc occulta vacant mysteria, nam quod
Vndæ hic sunt, vbi flamma fuit, quod flammea missis,
Desuper extinxit limphis: fortasse notabat
Luxuriæ calidos ignes, fomentaque primi
Peccato contractu patris, cœlestibus vndis
Extinctum quandoque iri.

Ecce tibi fidei initium, nempè totum baptismi Christiani fluentum parari, non solùm tollendæ originali culpæ, sed extinguendis libidinum ignibus: vt fidei lumẽ radiet de socio odio libidinis. Huc velim trahere multos præstantes nobilitate viros, qui cum luxuriæ sint mancipia, non cessant gloriari de affectu ad fidem, patriamque religionem? Eu quàm vanagloriatio ista; faxit Deus, ne pro fide adducantur in periculum, sanè vt sunt immersi cupidinibus, & naufragabunt circa fidem. Sapientior istis Raab Meretrix fatur Iosue. 2. *Deus vester in cœlo & in* Iosue.2.
terra; Cauit dicere, Deus meus, siue Deus noster; vbi enim se sciuit impuram meretricem, non ausa est reputare, se in verè Dei cultu, & fide, & religione existere. Cyrill. Hierosol. cathecheſi. 2. *Suum e-* Cyrill.
nim dicere non audebat, eo quòd se impuram sentiebat. Sic qui sapiunt, vbi mores suos vident impudicos, non sic audenter sentiant de suo circa religionem & fidem cultu, imò magis timeant; solet enim ardor fidei trahere secum sociam pudicitiã. Et quidem impudicitia magis deseruita postasiæ. Ait Diuus Athanas. orat. con- D. Athan.
tra Idolat. *Cum profectus esset in Ægyptum Adrianus Imperator defunctum ibi voluptatis suæ ministrum publico edicto statuit, vt sacrificijs colerent: qua quidem re, vt ipse etiam â fuuere pueri se amatorem ostendit, ita recens refutandæ Idololatriæ documentum de se præbuit, declarauitque, eã non alia de causa ab hominibus institutam esse, quàm desiderio eorum, qui figmentis repræsentantur, quemadmodum sapientia Dei attestatur: Origo fornicationis, idolorum adinuentio est.* Hæc ille.

***

§. III.

Pudicitiæ integritas quodcumq; regnum, etiam glorioſiſſimum poteſt magnificare.

NOn parum extollit Dominus regnũ ſuum, etiam ſi glorioſum ſit, & excelſum, dum illud in virginibus decem prædicat rutilare. Nullum enim eſt regnũ adeò clarum, quod de caſtitatis cõmendatione, non poſsit penè in immenſum magnificari. De regina, & Dei ſpõſa Eccleſia dicitur Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Totus purpureus mali punici ſplendor in genis ſponſæ ponitur, vt quæ debeat à caſto & virgineo pudore cõmendari, à quo quæuis præſtantiſsima pulchritudo & extollitur, & cõmẽdatur. Quo circà fatur Aponius lib. 6. in Cant. *In genarum pulchritudine virginitatis, vel caſtimoniæ verecundia intelligitur demonſtrari, quoniam nihil ita ſpecioſum in Eccleſiæ ſpecie, quod fideles, ſimul & infideles poſſet ſimul magnificare, niſi caſtimoniæ decus.* Quod à caſtitate ſumitur decus, hoc valet, quamcumque gentem, quodcumque regnum magnificare; & ſine hoc decore etiam maxima, & ſplẽdida imperia, quaſi nihilum reputantur. Quis non miretur regni Salomonis diuitias, & ingentes glorias? De illo tamẽ ait Dominus Matth. 6. *Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant, neq; nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua cooperuit eſt ſicut vnum ex iſtis.* Proponit ob oculos campi lilia, & Salomonis regium ſplendorẽ in omni gloria ſua; & hunc inferiorem reputat illis. Et quomodo ſplendidiſsimi regis, & ditiſsimi gloria poteſt eſſe inferior campi lilijs? In lilijs conſideratur caſtitatis ſplendor, ſine quo verum eſt, quòd vileſcant, & ſordeſcant, etiam imperia ampliſsima, ſplendidiſsima. Ad hæc D. Paſch. in Pſalm. 44. inquit: *Virginitas, quæ Angelis comparatur, per lilia ſæpe in ſcripturis ſacris præfiguratur. Et ideo dixit Dominus, quòd nec Salomon in omni gloria ſua cooperuit eſt, ſicut vnum ex iſtis. In quibus nimirùm floribus, renitet intus floris veri incorruptio, & pulchritudo per claritatem integræ caſtitatis.* Nulla eſt gloria gentis, nullus ſplendor regni, qui poſsit comparari lilijs, qui non ſordeat, & vel fœni flori inferior ſit, dum in ſe non habeat claritatem caſtitatis integræ. Quæ ſola caſtitatis claritas ampliſsima coniugatorum imperia valet illuſtrare. Quò refero dicta tom. 2. lib. 11. c. 2. §. 3.

Cant. 4.

Apon.

Matth.

D. Paſc.

§. IIII.

Pudicitia, & caſtitas deſignat homines ad cœleſtem gloriam approximari. Et luxuria deſignat damnandos.

Cœleſtibus nuptijs qui aptantur fideles, meritò virgines dicũtur; ſi enim ex aliqua virtute morali, maximè ex caſtitate & virginitate habent homines, quòd proximè ad cœleſtem gloriam appareant deſignati. Ioan. 4. aiebat Dominus: *Leuate oculos veſtros, videte regiones, quia albæ ſunt ad meſſem.* Regiones iam albicabant ad meſſem, vt in cœleſtia horrea intrarent, ſed albedo illa à caſtitate manabat, vt de huius virtutis beneficio intelligerẽtur homines cœleſti gloriæ quaſi proximè aptari. Id docebat D. Baſil. orat. de vera virgin. fatus: *Virginitas enim vitam noſtram de corruptione ad ſanctitatis gloriã colligit. Nam priores illi homines ex paucis ſeminibus, fœderatis nuptijs orbem terrarum humanitatis fruge impleuerunt: hæc autem ſata iam toto orbe per voluptatem cõnubij grauia intra cœlorum horrea congregat. Hanc nempè ſatorum in caſtimoniæ gloriam tranſlationem ſignificans Dominus dicebat: Leuate oculos veſtros, et videte regiones, quia iam albæ ſunt ad meſſem.* Meſſem indicat caſtitas, qua homines in cœleſtia horrea claudantur, ex quo albicare cæpit homo caſtitatis propoſito, & opere, iam vicina meſsis, iam horrea cœleſtia aperta apparent. Vndè Cant. 8. de aſcendente in cœlum anima dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto?* Septuag. *Quæ eſt iſta, quæ aſcẽdit dealbata.* D. Ambr. ſer. 14. in Pſ. 118. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit cãdida?* Quaſi in caſtitatis candore, & albedine ſignum ponatur iam iam aſcendẽtis in cœleſtem patriam. Quò reſpiciens D. Paſch. in Pſ. 44. ait: *Sicut ſponſus à principio, ſua in ſpecie formoſus, ita & ipſa ſpecioſa laudatur, quia dealbata aſcendit. Fœlix igitur nimirùm, et beata veſtra virginitas, fœlix & viduitas ſancta, quæ ſic quotidie aſcendit, vt ſtet à dextris Dei.* Habet hoc caſtitatis albedo, quòd deſignet, & denotet eos, qui cœleſtibus aſcẽſionib⁹ aptãtur.

Cant. 8.

D. Amb.

D. Paſc.

Quis

Quis non amplectatur hanc virtutem, de cuius munere habet ad æterna horrea iam
Matt 25 designari? Matth. 25. *Congregabuntur antè eum omnes gentes, et separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis, et statuet oues quidem à dextris, hædos autem à sinistris.* Hinc oues, illinc hædos ponit; oues ad gloriam, hædos separat ad ignem. Et cur separatio reproborum à iustis, designatur per separationem hædorum ab ouibus, nisi quia in hędis libido, in ouibus castitas innuitur, in qua proximum ponitur salutis signum? Quo spectans D. Alcimus ait lib. ad Sororem:

Conjice virgineis quantum disponitur illic
Quo Christus vocat hinc meritis, et quanta futura est
Gloria: cum cunctis iudex atque arbiter Orbis
Lascivos castis hædos secernet ab agnis.

Hæc virginitatis gloria, hæc summa castitatis laus, quod de eius inustione signentur in gloriam intraturi; sic sunt casti proximi saluti æternæ, vt qui ab hac deflectũt virtute, vel inde reputentur arcendi, vel saltem ægre, & difficulter extremam ruinam caueant. Ieiunij in bello tracti muenitur Ionathas reus à patre, & vix resistente toto exercitu à morte eripitur, adeò vt
1. Re. 14. ipse clamet. 1. Reg. 14. *Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ in manu mea, paululum mellis, et ecce ego morior.* Quantũ hoc malum, quod gustaret nobilis adolescens mellis paululũ, vt hinc debeat morti destinari? Cur tam seuera sententia in principem, ob paruum gustũ mellis? Ne sistas in melle illo paruo gustato, sed in eo, quod per mellis dulcedinẽ significabatur; erat in melle illo typus lasciuarum voluptatũ, ne miremur, quod vbi adolescẽs vel parũ gustũ sumit lasciuæ dulcedinis, vix queat ab extremo exitio reuocari. Ad hæc D. Isi
D. Isid. dor. in 1. Reg. cap. 8 ait: *Non potest aduersus principes tenebrarum virilibus animis concurrere, qui adhuc huius mundi negligit dulcedinem declinare: mel enim distillant labia meretricis, quod est delectatio voluptatis carnalis, de quo putatur iuxtà mysticos sensus hunc gustasse Ionatham, & sorte deprehensum, vix precibus populi liberatum.* Vix liberatur à morte adolescens, qui vel parum gustauit lasciuæ voluptatis: qui autem se se libidinum cœno inuoluit, is quasi iam morti videtur datus. Hinc meritò lasciuientium dona exhibita meretricibus habentur quasi testamenti legata, non tàm à viuente, quàm à moribundo ordinata. Vbi enim Herodes saltatrici puellæ ait Mar. 6. *Quidquid petieris, dabo* Mar. 6.
tibi, etiã si dimidiũ regni: Corripitur, quod sibi statim moribundo aliud dimidiũ regni reseruauit. Nã dona illa à lasciuo rege in lasciuam fœminam collata, non poterant non renũtiare donatorem iam morti traditum. Id quod acute notãs D. Chrys. D. Chrys.
ser. 173. ait: *Quare sibi, vel pro parte seruauit, qui post tale Castitatis exemplum esse, videri, viuere non debebat?* Nõ poterat lasciuia tanta cum vita durare; nec dona illa profecta ex cœno voluptatum poterant mortem donatoris non testari, adeò vt superfluum esset sibi aliquid reseruare.

§. V.

Iesu excipiendo ille maximè aptatur, qui conformis ei fit in castitate. Vbi quam periculosè lasciuus Eucharistiam sumit.

NOtanter dicuntur virgines, *quæ exierunt obuiã sponso, et sponsæ*: Ille enim maximè aptatur, vt Iesum excipiat, qui ei similis, & conformis existit merito castitatis. Vox illa est Iesu vocantis animas, in quibus excipiatur Cant. 2. *Surge* Cant. 2.
propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. In quo formosa magis, quam in roseo candore pudicitiæ? Qui hac speciositate pulchrescit, habet multum vndè possit Iesu appropinquare. Ideò D. Pasc. D. Pasc.
in Psal. 44. monet: *Illum sectamini decorẽ, quo sponsus vester speciosus prædicatur. Tunc itaque benè seruantur fœdera nuptiarum, si ex vtraque parte impenditur amor castæ dilectionis, et pudor perpetuæ castitatis, si respondeat inuicem pulchritudini forma & decori, si inuigilet morum probitas, & diligentia castæ obseruationis.* Vbi castitas est, & corporis & animæ, non contemnẽdus paratur thalamus, quo diuinus sponsus excipiatur. Habet in hac virtute anima, quo intimam inter se, & sponsum possit publicare conformitatẽ. Vndè clamat ipsa Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Ex quo Deus Cant. 2.
inter lilia pascitur, roseoq; tenetur decore castitatis, nihil inter se, & Deum putat esse diuersitatis. Quod pulchrè expendens Apon. lib. 5. in Cant. fatur: *Dilectus meus mihi, gratia vocationis, adoptionis cla-*

rissima libertate. Equid ego illi? Voluntatis obedientiam, conseruandæ integritatis studium, quòd indidit per naturam. Quid ille mihi? Singulare conseruandæ virginitatis exemplum, nascendo per virginem. Et quid ego illi? Singularem lætitiam, denuo nascendo per baptismum, in toto corde meo seruando præcepta, angelicam, cœlestẽque imitando naturam, vt intactum corpus redeat ad paradisum. Nam sicut diabolus cruenta iracundia, et execrando cœno libidinis sagi natur, ita & Christus Dei filius, misericordiæ, mãsuetudinis, vel castimoniæ liliis pascitur. Ecce tibi quàm se se Iesu debet conformare in puritate, & castitate ille, qui Iesu aproximari, imò & copulari nititur, quò enim Iesu quis est propinquior, eò castitate debet esse similior. Quod notabat Tert. lib. de Monogamia inquiens: *Ecce statim quasi in limine duo nobis antistites christianæ sanctitatis occurrunt Monogamia, et continentia: alia pudica in Zacharia sacerdote: alia integra in Ioanne antê cursore: alia placans Deum alia prædicans Christũ.* Quò enim Ioannes propinquior Christo, quàm Zacharias; eo pudicitię, & castitatis gradu longè præstantior: is nãq; est Christus, qui amet castitate eminere sibi propinquos. Hinc est, quod nõ solum voluit nasci de virgine, sed & putatiuum parentem Ioseph voluit etiam esse virginẽ. Ex quo sic sapienter argumẽtatur Pet. Dam. epist. 6. ad Nicol. 2. *Hoc sufficere videbatur, vt tantummodo virgo sit mater: Ecclesiæ fides est, vt virgo fuerit is, qui simulatus est pater. Si ergo redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, vt non modò de virgineo vtero nascere tur, sed etiam â nutritio virgine tractaretur, & hoc cum adhuc paruulus vagiret in cunis: â quibus nũc obsecro tractari vult corpus suum, cum iam immensus regnat in cœlis?* Metuat vel attingere fimbriam Christi, qui ab omni lasciuiæ labe non est mundissimus. Famescentibus Dauidis socijs, petebat Dauid à sacerdote, vt panes propositionis darentur illis. Cui Sacerdos ait, 1. Reg. 21. *Si custoditi sunt pueri â muliere, manducabunt.* De castitate militum sinquirit, antequam panes tribuat; sed fames vrget, sed milites pereunt, & est periculum in mora cibi: nilominùs prudens sacerdos expectat, ne panes Dẽo sacros parum castis tribuat. Vbi Sixtus Pont. Max. epist. de Cast. ait: *Ostendit facilius posse incontinentes inedia mori, quam panem sanctificationis accipere.* Huc veniant innumeri sacerdotes, qui libidinum facibus ardentes, non tamen abstinent à cœlestis panis cõuiuio, vt sic possint de altaris quæstu corporaliter viuere: sanè vtilius illis foret, si inedia morerentur, quam corporis Christi panem cœlestẽ accipere. Infensissimus enim est Christus, & debellator aduersus eos, qui aduruntur libidinum flãmis. Nota est Abimelechi mors, de qua dicitur Iudic. 9. *Erat autem turris excelsa in media ciuitate ad quam confugerant simul viri, ac mulieres, et omnes principes ciuitatis, clausa firmissimê ianua, et super turris tectum stantes per propugnabula. Accedens Abimelech iuxtâ turrim pugnabat fortiter: & appropinquans ostio, ignem superum ponere nitebatur: et ecce vna mulier fragmen molæ desuper iaciens illisit capiti Abimelech, et confregit cerebrum eius.* Quid in hoc prælio repræsentatur? Petrus Damianus totum hoc bellum putat esse bellum pro castitate tutanda, quæ turris est celsissima, & pro omnium virorum, fœminarumque simul præsidio data. In huius impugnatione perit Abimelech, dum fœmina in illũ dimittit grauissimum lapidem. Sed scire cupis, quis sit iste lapis, qui à fœminea manu iactus, tam miserè premit principem tantum? Equidem lapis Christus est, qui castitatis impugnatoribus prorsus accedit exitialis. Ad hæc Petrus Dam. lib. 2. epist. 10. *Vt autem in his verbis non immoremur, fragmẽ molæ, quod Abimelech cerebrum fregit, nihil est aliud quàm saxum illud, quod Daniel sine manibus abscissum de monte conspexit. Mulier verò de cuius manu mittitur, sacra lex est, quæ flagitiosis pudicitiæ contemptoribus repentinum Christi iudicium comminatur.* Ecce tibi casus, pudicisque venit Iesus blandus, & suauis vt sponsus, in lasciuos autem in lapidem durescit, & cadentis desuper lapidis impetu descendit, ad eos penitus conterendos.

Iudic. 9.

Pet. Da.

§. VI.

Qui Christo adhæret, hoc ardentissimè amat, quòd pluribus communicetur.

EXpẽde quibus obuiam eant virgines, nimirùm *sponsæ, et sponso*, Deus bone, & quomodo poterit occursus hic puellarũ esse gratus sponsæ venienti cũ sponso? Nonne zelotypa est spõsa? Nõne timebit amori suo ab ijs virginibus accedẽtib⁹ ad sponsum? Absit, quæ enim anima Deo adhæret, hoc maximè cupit, quòd Deus à plu-

à pluribus ametur, & plures amet. Cant. 3. vbi inuenit ſponſum, ſic ſponſa loquitur: *Tenui, nec dimittam, donec introducã eum in domum matris meæ, & in cubiculum genetricis meæ.* De viro dicebatur Geneſ.2. *Propter hanc relinquet homo patrem, et matrem ſuam.* Cur & ſponſa meminiſti parentum tuorũ, vbi habes Chriſtum? Cur illum in parentum domum vis introducere? Cur non magis reſeruas vni tibi? Sic ſunt amores mundiales, qui vt creaturas finitas amant, ſic verentur illas partiri per plures, ſed ſibi malunt integras. At qui Deum amat, nulli inuidet amatori, imò id ſtudet, quo dilectũ ſuum pluribus communicet. Ait D. Ber. ſerm. 79. in Cant. *Quomodo ergò ſponſum, & hunc ſponſum alteri cedit, ne dicam, cupit; Cupit quidem illum alteri, non tamen, vt cedat illi, ſed vt communicet.* Nequit amatrix anima ſponſo carere; ſed amat ſimul illum poſſideri à pluribus, & tunc maximè lætatur, cum plures inuenit, qui de amatoris ſui amore, & fauore viuant. Similiter aiebat Cant. 3. *Surgam, circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea.* Non miror, quòd per plateas quærat dilectum ſuũ, ſed hoc miror, quòd nõ vereatur illũ vel in vicis, vel in plateis inuenire, vbi ſunt puellarum formoſiſsimarum concurſus. Sanè mundialis fœmina multum affligeretur, ſi dilectum ſuum apud alias diuerſari ſentiret; non ſic Dei dilectrix, imò tunc gaudet magis, cum videt dilectum circunda tum à pluribus. Sapienter Gilliber. Abb. ſer. 6. in Cant. *Deliciæ eius ſunt, tecum eſſe dilectum ſuum. Non inuidet, non zelatur. Dilectum ſuum, omnium vult eſſe dilectum. Ideò apud omnes quærit, vt illum apud omnes aut inueniat, aut inuitet.* Sic ſemper Dei amatrix anima, cupit Deum omnibus communem fieri.

§. VII.

Chriſtus Dominus ſine vera Eccleſia haberi minimè poteſt.

OBuiam procedunt virgines non ſolùm ſponſo, ſed ſponſo ſimul & ſpõſæ; nullibi enim ſolus inuenitur Chriſtus, nec ſine ſponſa Eccleſia haberi poteſt. Damnabiliter fallitur, quiſquis de Chriſto habito gloriatur, dum eius ſimul non admittit ſponſam; amat Ieſus ſponſam ſuam, amat Eccleſiam ſuam, à qua minimè vult ſeparari nec in mente hominum. Dum Ieſus ſanat leproſos decem, illis imperat Luc. 13. *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus.* Cur ſine ſacerdotibus non ſanat ipſe ſolus? An is eſt Ieſus, qui egeat auxilio ſacerdotum? Abſit; poſſet equidem ſanare illos ſolus; ſed nulli vult diuinus ſponſus ſalutaris eſſe ſine Eccleſia ſibi copulata in ſponſam. Quo circà pulcherrimè loquitur Iſaac presbyter Antiochenus citatus à Tilmamno in Allegor. circà cap. 8. Matth. *Omnia per ſe poteſt omnipotens Chriſtus, ſcilicèt, baptizare, Euchariſtiam conſecrare: ordinare: peccata dimittere, & ſimilia. Sed nihil vult ſine ſponſa humilis, & fidelis ſpõſus. Quos igitur Deus coniunxit, homo non ſeparet. Noli caput corpori detruncare. Noli corpori caput ſubtrahere, vt nuſquam totus ſit Chriſtus. Neque enim totus Chriſtus ſine Eccleſia vſquam, ſicut tota Eccleſia ſine Chriſto nuſquam.* Impoſsibile eſt inueniri Chriſtum ſolũ ſine Eccleſia: nulli in re ſalutis æternæ adeſt ſolus, ſed ſe, & ſponſam obijcit, vt in vtriuſque ſuffragio ſalus hominis innitatur. Vanus eſt homo peccator, qui ſine ſacerdotis miniſterio præſumit ſibi ſalutem dandam; nunquam enim ſalubriter Deus quæritur, niſi Eccleſia ſponſa comitante. Pſal. 44. *Adducentur regi virgines poſt eam: proximæ eius afferentur tibi:* Quæ verba ſic reddunt Septuag. apud D. Paſchaſ. *Ducentur ad regem virgines, & ſequentur eam amicæ eius.* Expende inſeparabilem illam connexionẽ, nimirùm, quòd ducantur ad regem, & ſequantur eam. Quam eam? Sponſam regis Eccleſiam, quaſi nec gradus fieri poſſet in quærendo rege, qui ſimul non fiat in ſequela Eccleſiæ. Pro quo ſapienter D. Paſchaſ. ait. *Quæ virgines ad regem, & ad regis thalamum tàm ſpecialiter deducuntur? Ego puto, chariſsimæ, de huiuſcemodi virginibus dictum quales vos eſſe credo: quæ ſequuntur vnâ vobiſcum Eccleſiam, & agnum, quocumque vadit.* Non ſequeris agnum, niſi eius ſequaris Eccleſiam: niſi enim de tenta ſponſæ ſuffragio, nemini ſponſus exhibetur. Et dum in vtriuſque ſequela quis eſt, fallar, ſi ſpoliari poſsit ſpe vitæ. Ait enim Oſeas cap. 7. *Fur ingreſſus eſt, & ſpolians latrunculus foris.* Sunt equidem & intrà Eccleſiam fures, qui conentur vacuare bonis animam; at qui de facto illam de vitæ ſpe deturbẽt, foris ſunt, quià niſi extrà Eccleſiam anima fiat, minimè

spem hanc vitæ dimittet. Proquo aiebat
D. Hier. D. Hieron. ibi: *Significanter ait, quòd fur ingressus clam sit, & latrunculus spoliet foris: Non enim possunt spoliare veste Christi, quos docuerunt, nisi eius de Ecclesia foras eduxerint, et in peruersa doctrinarum suarum via fecerint ambulare.* Itaque spem vitæ, nempè Christum, nullus latro nobis eripiet, dum in Ecclesia fuerimus; Christus & Ecclesia sic mutuò adhærent sibi; vt simul commorentur in fidelibus suis, adeò vt si habeatur verè Christus, non possit non haberi eius Ecclesia: & si hæc habeatur, non possit nō haberi, saltem in spe Christus. Nulla enim est contraria potestas, quæ ab existente in Ecclesia possit Christi vestem auferre, nempè spem vitæ.

§. VIII.

De Mariæ consortio Dominus Iesus apparet hominibus salutaris.

NOn solùm spōso obuiam eunt virgines, sed sponso, & sponsæ simul venientibus; vbi enim sponsum cū matre, & sponsa Maria venientem meditantur, omnia sibi ex tali cōsortio promittunt salutaria. Et cui non salutaris est Iesus per Mariam matrem; Ex quo profecti sunt de Ægypto Israelitæ, per quadraginta duas
Nu. 33. mansiones Num. 33. *Transierunt ad campestria Moab, suprà Iordanem, contrà Iericho.* Itaque iuxtà Iordanem finita est tota Israelitarum peregrinatio; & promissæ terræ diuitiæ cæperunt apparere: vt innueretur æternæ salutis apparitio, quæ hominibus obtingere consueuit. Sed cur salutis æternæ auspicium primum datur, in peruentu Israelis ad Iordanē post quadraginta & duas mansiones? Crediderim ideò in ijs primum salutis auspicium dari humano generi, quia totum ibi aduentus Dei ad Mariam adumbrabatur mysteriū. Consule euangelia, & tot Mariæ auos numeratos inuenies, quot mansiones populi peregrinantis recensentur, vt accessus Israelis ad Iordanem sit quasi vmbra Dei ad Mariam accedentis, de cuius consortio statim salus apparuit promissa hu-
D. Hier. mano generi. Ait D. Hieron. epist. ad Fabiolam: *Nec mirum si in illo numeri sacramento peruenimus ad regna cœlorum: sub quo Dominus atque Saluator à primo Patriarcha peruenit ad Virginem, quasi ad Iordanem.* Et sanè vbi Dei, & Mariæ consortium intelligitur, non mirùm est, quòd homines perueniant ad æternam salutem. Veniat Deus ad Mariam, siue cum Maria veniat, & qui timebatur seueriſsimus iudex, spōsus apparebit, æterna gaudia suis parans fidelibus. Etenim Deus de Mariæ præsentia nunquam non salutaris, & propitius hominibus redditur. De diuino iudice venientē dicitur Matt. 24. *Sicut enim* Matth.
fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, sic erit aduentus filij hominis. Nec otiosè aduentus filij hominis ad iudicium comparatur fulguri egredienti de cœlo, sed vt innuatur, vndè habebit seueriſsimus iudex, quo in hominū salutem, & gloriam mansuescat. Quippe aiunt, fulgurum splendores, dum attingunt marinas conchas, totam esse causam nascendi gēmis, & vnionibus, quæ in honorem, & diuitias hominum crescunt. Sic prorsus seueriſsimus ille iudex, fulgur ille æternus descendens de cœlis, de Mariæ consortio non poterit non præsentare honores, & gloriam humano generi. Ex quo elegan-
D. Dam. ter aiebat D. Damascenus orat. 1. de Natiuit. Mar. *Commoueatur mundi mare: in ipso enim cōcha gignitur, quæ cœlitus ex diuinitatis fulgetra in vtero concipiet, & Christum ingentis pretij vnionem pariet: ex qua rex gloriæ carnis purpura conneſtis tus, ad captiuos se cōferens remiſsionem, ac veniā prædicabit.* Et quid aliud spectes in Christo, & Maria simul, quàm concham & fulgur, ex quibus hominum parturiantur gloriæ, & diuitiæ? Concha Maria est in mundi mari posita; Dei filius fulgur à cœlo veniens; dum Maria, & Dei filius apparent simul, vniones generantur, & peccatorum remiſsio, & cœlestium bonorum elargitio. Nil amarum, nihil egenū, nihil triste, sed omnia plena sunt gaudijs, & diuitijs, vbi ostenditur Maria iuncta Christo. Proponè tibi ob oculos Dauidem antè arcam saltantem: ait. 2. Reg. 6. 2. Reg. 6.
Dauid percutiebat in organis armigatis, & saltabat totis viribus antè Dominum. Cōscius Dauid facinorum suorum satiùs timeret à conspectu Domini, quid ergò videt tunc, quo metus expellat, & in lætiſsimos saltus prorrumpat? In arca illa videbat Mariam sociandā Christo, ex quorum consortio viso, non poterat non ingentia gaudia percipere. D. Ambr. ser. 80. D. Amb.
inquit: *Dauid rex pariter, & propheta, dū multa cecinerit, antè arcam testamenti etiam saltasse dicitur. Elatus enim gaudio in*

salta-

ſaltationẽ prorupit. Præuidebat enim inſpiritu Mariam de genere ſuo Chriſti thalamo ſociandam. Vndê ait: Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Ecce vbi Dauid præuidebat Mariam ſociandã Dei filio, nihil non lætum præſagiebat inde. Et addit Ambr. *Ideò Dauid præ cæteris plûs cantauit, quia lætior cunctis per hæc gaudia ſuos poſteros coniugabat, & ad propria vota ſolito dulciûs inuitans, docuit nos quid in ipſis nuptijs facere deberemus, cum ipſe antê nuptias tanta exultatione ſaltauerit autê arcam.* Vel ex vmbra ſponſæ & ſponſi diuini ſaltans Dauid, docet nos ab ijs ſponſis nihil non lætum ſperare, quando per Mariam ſemper Deus hominibus redditur ſalutaris. Quo reuoco dicta, 1. tom. libr. 1. cap. 5. §. 8. & tom. 2. libr. 8. cap. 3. §. 22.

Ambr.

§. IX.

De Maria vt de matre proſiliunt virginum examina.

SPonſo, & ſponſæ, nimirùm Mariæ, & Ieſu obuiã procedunt virgines, nec antè virgines audiuntur exiiſſe, quàm de hoc ſponſo Ieſu, & hac ſponſa Maria venientibus mentio fit, vt innuantur nuptiæ, de quibus pullulant virgines. Non enim à carnalibus ſponſis, ſed à ſpiritualibus, nimirùm Ieſu, & Maria virgines parturiuntur. Vndè D. Damaſ. orat. 1. de Nat. Mar. ait. *Meritô te beatam prædicant omnes generationes, vt eximium humani generis decus. Tu ſacerdotum gloriâ, Chriſtianorum ſpes, virginitatis feraciſſima plãta. Per te enim virginitatis pulchritudo latiſſimè ſe diffudit.* De virginea Marię planta veniunt quæcumque florent virgines in toto orbe terrarum. Quæ orbis pars eſt, in qua non proſiliant virginum agmina? Et omnia hæc agmina ad Mariam currunt tãquam ad matrem, quam talem meritô recognoſcit, quidquid in mundo virgineum eſt, quid quid eſt caſtum. De Ieſu crucifixo agens Ioann. cap. 19. ait: *Cum vidiſſet ergô Ieſus matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat dicit matri ſuæ: Mulier ecce filius tuus: deindê dicit diſcipulo, Ecce mater tua.* Indubitatè afferitur Ioannes à Ieſu Mariæ filius; & Maria dicitur Ioannis mater: & quomodo verum eſt, quôd Ioannes ſit Mariæ filius? Non equidem erat Ioannes Marię filius carnali generatione qua homo erat; ſed quià virgo erat mundiſsimus, in hoc ſpirituali virtute iure debuit Mariæ filius reputari. Ait Galfridus apud Tilmanum in Allegor. *Quodam modo Ioannes virginis matris in virginitate filius fuit: cuius illa ſi non carnem, cárnis tamen integritatem edidit, & illum, ſi non hominem, tamen virginem genuit. Cæterum quàm multos hodiê parit ſanctiſſima illa, fœcundiſſimaque virginitas. Quam fœlix eiuſmodi generatio, ſuo equidem modo fœcunda quidem, & incorrupta poſteritas.* Agnoſcant virgines matrem ſuam; quarum, ſi non carnem, ſaltem integritatem Maria edidit: Mariæ partus fuit, quidquid virgineum, quidquid caſtum eſt in mundo. Parere ceſſant fœcundiſsimæ quæque mulieres; Mariæ virginitas quotidie exultat nouis fœtibus; vt numquam in Chriſti Eccleſię deficient virgines, ſic numquam in Maria fœcunditas deerit. Vt dicat ipſa illud Eccleſiaſtici cap. 24. *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, et flores mei fructus honoris, et honeſtatis. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et ſanctæ ſpei. In me gratia omnis vitæ et veritatis: in me omnes ſpes vitæ, et virtutis. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, et â generationibus meis adimplemini.* Quòd ſi quæras, quæ ſint hæ Mariæ generationes? Ibi inſinuantur, vbi ait: *Ego quaſi vitis fructificaui:* vbi Hugo fatur; *Sicut vitis aquam conuertit in vinum, quod lætificat cor hominis, et germinat virgines.* Equidem ab hac vite Mariæ germina ſunt vbique virginitatem halantia: quando ipſa nobis peperit viuificũ illum calicem, ex quo incorruptio naſcitur, & immortalitas.

Galfrid.

Eccl. 24.

Hugo.

Matt. 25. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes: ſed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non ſumpſerunt oleum ſecum, prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Moram autem faciente ſponſo, dormitauerunt omnes, & dormierunt.

§. X.

Mirum est Dei beneficentissimi opus, quòd stultorum, fatuorumve numerus non infinitus sit, sed aliquis sapiens inueniri possit.

NOn placet Caietan. stupens miseram hominis conditionem, quòd de decem virginibus quinque stulteſcant, & pereant; ego magis stuperem, & mirarer, quòd non omnes stultæ sint, & fatuæ, sed quinque possint prudentes inueniri. Sanè Eccl. 1. ait Ecclesiastes cap. 1. *Stultorum infinitus est numerus*: & in re vitæ æternæ, quando non stulteſcit omnis multitudo? Notum est illud Senecæ de vita beata cap. 2. Senec. *Cum de beata vita agitur, non est, quòd mihi illud discessionum more respondeas. Hæc pars maior esse videtur. Ideò enim peior est. Non tam benè cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant. Argumentum pessimi turba est.* Nunquam non turmatim in stultitiam itur, adeò vt Dei beneficentissimi opus mirabile sit, quòd aliquem sibi sapientia adciscat. Apud Malach. c. 1. Mal. 1. ait Dominus: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ecce tibi duos fratres ab eisdem parentibus progenitos: & alter in odium, alter in Dei amorem incurrit. Cur non ambo efficacitur in gratiam trahuntur? Cur & duobus solis alter perditioni relinquitur dari? In huius partitionis miseria stupeat, & doleat alius: mihi potiùs placet gaudere, & laudare, quòd vnus potuerit Deo esse gratus. Suffragatur Rup. lib. 3. in Genes. cap. 23. aiens: Rup. *Non quæstionibus ventilandum, cur non vtrumque dilexerit Deus, sed gratiæ, illi agendæ sunt, quòd duobus vermiculis de vna massa peccatrice scaturientibus, saltem vnum eorum dilectione sua dignum fecit, quia qui vtrumque iustè relinquere poterat, alterum misericorditer diligens assumpsit.* Non in altero reprobato nimis hærendum, sed magis gratiæ agendæ sunt Deo beneficentissimo, de cuius mirabili ope venit, quòd potuit è corrupta massa eripi, & in salutem venire. Quòd à corrupta natura nihil sanabile nascatur, sed vniuersæ eius propagines pereant; nihil indè magno stupore dignum efficitur: at quòd aliquis ad sapientiam currat, & Deo amatore appareat dignus; hoc ad magnum Dei opus pertinet, & beneficium. Penè infinitæ Israelitarum rebellium multitudini, aiebat Dominus Num. 14. *Omnes qui numerati estis à viginti annis & supra, & murmurastis contrà me, non intrabitis terram, super quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem præter Caleb filium Iephone, & Iosue filium Nun. Parvulos autem vestros, de quibus dixistis, quòd prædæ hostibus forent, introducam, vt videant terram, quæ vobis displicuit. Vestra cadauera iacebunt in solitudine.* Num. 4. Quale hoc spectaculum? Tot millium virorum cadauera dantur solitudini; paruulorum tantùm vita reseruatur terræ promissæ. Vtrum stupeas, & mireris magis, quòd tot myriades pereant, an quòd viuât paruuli? Sanè non magnum est, quod spectes in multiplici hominum ruina; id solùm est magnum, & clarissimum Dei facinus, quòd possint viuere paruuli. Ait Procop. in Glossa: *Non enim magnum est, per quadraginta annos, corpora eorum iacere in deserto. Magnum verò est, quòd progenies eorum non excinditur.* Procop. Quòd ex tam corrupta massa vnus aliquis excipiatur, qui in perditionem non abeat, hoc magnum est, & in Deo summis efferendum laudibus. Perditio, & mors adeò propria est hominibus, illisque adnata; vt nequeat non mirabilius esse, quòd vel è duobus alter salutem potiatur. Quòd vt ostenderet Dominus aiebat Matt. 24. *Duo erunt in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur.* Matt. 24. Vnus perit in agro, quid magnum? At magnum est, quòd ex mundi huius agro, in quo tot corruptelæ sunt, vel vnus cœlestibus horreis includatur. Scio tamen aliquando duo esse potuisse in hoc agro, quorū nullus relictus est, sed in cœlestia assumptos fuisse ambos. Quod solùm potuit spectare ad omipotentiam saluantis. Sic aiebat ad amicum suum D. Paulinus epistol. 5. D. Paul. *Duo verè, vt scripsisti, fuimus in agro, sed bonitate, & omnipotentia Dei ausim dicere, ita de nobis vnus assumptus est, quòd neuter est relictus.* Expende, vndè venit, quod è duobus nullus sit relictus; nimirum *bonitate, & omnipotentia Dei*: Magnæ equidem potestatis argumentum est, quòd è duobus vnus assumatur; at quòd vterque in salutem abeat, id opus à sola Dei omnipotentia potest speRari.

§. XI.

§. XI.

Qui ad externorum ſenſuum conditionem viuit, numquam à vera ſapientia non aberrabit.

NOn ignobilis doctorũ pars in quinque virginibus fatuis quinq; ſenſuũ externorum cõditionem putat repreſentari, quibus ſenſibus illud propriſsimũ eſt, quòd ſtatui ſint, & vix queant pertingere veritatẽ. Et quidẽ virgo, licet, ſis, & præſtantiſsimis alijs virtutibus adornatus, ſi tamen ad ſenſuum externorũ conditionem viuis, longiſsimè à vera ſapiẽtia aberrabis, ſummã inſipientiam contrahes, & fatuitatem. Sic in preſenti D. Paſchaſius, Orig. & alij. Anemine crediderim ignorari Mariæ Magdalenæ virtutem, qua omnia dimiſsit; qua pretioſis vnguentis Ieſum nõ ſemel perfudit; qua ſemper ipſum ſecuta eſt, nec in cruce dereliquit. De hac igitur tanta fœmina, tot virtutibus illuſtri, dicit Ioannes cap. 20. *Conuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem, & non ſciebat, quia Ieſus eſt: dicit ei Ieſus: Mulier quid ploras? Quem quæris? illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine ſi tu ſubſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Ieſus; Maria: Conuerſa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur magiſter.* Bis dicitur conuerſa Magdalena; primò conuerſa retrorſum, vidit Ieſum ſtantem, & minimè eum cognoſcit, ſed reputans hortulanum, cum eo loquitur. Tunc ad verbum eius iterum cõuerſa eum agnoſcit, & magiſtrum vocat. Sed quæ anteà iam conuerſa dicitur ad Ieſum, cũ quo colloquebatur, tanquã cum hortulano, quomodo iterũ dicitur cõuerſa ad illũ, dum eum agnoſcit? An à primo plenè non erat conuerſa ad Ieſum? Erat quidẽ à primo plenè conuerſa ad Ieſum, ſed erat ſolùm conuerſa ad conditionem ſenſuum externorum, nihil aliud attendens, niſi id quod poterat vel auribus percipere, vel oculis, vndè venit, quòd Ieſum non agnoſceret, nec in illo, quod erat, ſed quod non erat, attingere poſſet. Ait D. Aug. tract. 121. in Ioannem: *Sed ſi iſta mulier, quæ iam conuerſa fuerat retrorſum, vt videret Ieſum, quandò eum putauit eſſe hortulanũ, & cum illo vtiq; loquebatur, quomodo rurſus conuerſa dicitur, vt ei diceret, Rabboni, niſi quiâ tunc conuerſa corpore, quod non erat, putauit; nunc corde conuerſa, quod erat, agnouit?* Quid moralius? Sanè vbi oculos, ſenſuſque externos conuertimus, & ſolùm eorum ducatum ſectari volumus, longiſsimè à vera ſapientia diſtamus; quod nõ eſt, rem putamus; nec quid percipimus, quod excedat hortos olerum. Sic infatuamus, ſic deſipimus, vt animarum cultorem nihilo magis æſtimemus, quàm olerum cultorem. Vis non infatuari? Caue oculos, caue externos ſenſus, confuge ad cordis intima, ad mentis aciem: per hanc, quod verè eſt, agnoſces: per illos, in hortos olerum cedent tibi cœleſtia omnia. Quò ſpectans Paul. ad Corinth. 2. cap. 11. ait: *Timeo autem, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua: ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.* Timet Paulus Corinthijs, & non ab alijs timet, quã affectione ſenſuum, ne ſenſus in Corinthijs ſint, ſicut fuerũt in Eua, dum ſeducta fuit à ſerpente. Equidem Eua aures externas dedit ſerpenti, oculos dedit ligno. Quid tunc? Diuinitatẽ putauit hortorum fructus eſſe, quibus veſceretur. Ad hæc Rupert. lib. 3. in Gen. cap. 9. *Vidit igitur mulier, conſideranit, diligenter intuita eſt, & iudex eorum, quæ audierat, ipſa eſſe voluit. Audierat, quòd dixiſſet Deus; in quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini; audierat ſerpentem è contrario dicentem; nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut dij. Inter hæc anceps, naturam ligni proprijs ſenſibus diiudicare voluit. Itaque ſolis exterioribus oculis naturam ligni conſideranit: & deprehendit malè cauta, quòd in ligno non eſſet venenũ; erat enim bonum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectu delectabile. Sic vidit, & ſic ſacrilega diabolo magis, quam Deo credidit.* Sic ſolent infatuari externi ſenſus, ſic & cœleſtia omnia, & ipſam diuinitatem putabunt pomorum eſum, & pro hortulano totum Deum habebunt. Meritò ergo Paulus timet Corinthijs ab externis ſenſibus, vt qui ſoli nunquam ſoleãt peruingere verã ſapientiã. Annuebat. 4. Æſdras. 8. vbi ſic: *O Domine, ſi non permittis ſeruo tuo, vt oremus coram te: & des nobis ſemen cordi, & ſenſui culturam, vndè fructus fiat, vndè viuere poſſit omnis corruptus, qui portauit locum hominis.* Expende ad fructus vitæ percipiendos, quid petat dari, nimirùm *ſemen cordi, & culturam ſenſui*: Niſi enim ſenſus externi ita colantur, vt ſemini diuino in cordis intima iacto

Ioan. 20.

D. Aug.

2. Cor. 11.

Rupert.

Aeſdræ.

iacto correspodeant, numquam ex illis fructus fiet, quo viuere possit verus homo.

§. XII.

Tunc maximè obtenebrescit quis, cum non diuini, sed sui nominis splendorem quærit.

QVod oleum lampadi, hoc est nomẽ Dei virtutum operibus, quippe ait Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuũ*, nisi enim per omnia virtutũ opera diuini nominis laus, & gloria effundatur; nullum splendorem, sed tenebras & caliginem virtutes parient. Et quid aliud quàm tenebras sperat, qui oleum non habet, quod infundat lampadi? Similiter tunc maximè sub tenebris latitabit, qui non diuini, sed sui nominis quærit per virtutes, laudem. Apud. 2. Reg. 23. iuxtà mentem Isidori Clari, & aliorum plurium sic legitur: *Hæc sunt nomina fortium Dauid: Sedens in cathedra sapientissimus, princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno. Post hunc Eleazar, &c.* Propo nit fortiũ nomina scribenda; & proponitur primus sine nomine vllo, imò cũ fuerit sapiẽtissimus, & facilè omniũ princeps vocatur tenerrimꝰ ligni vermiculus. Quis erat in cathedra sapientissimus? Quis erat ille fortissimorum princeps? Sanè tacetur nomen, & additur vermiculi lignarij similitudo. Hic nãq; vermiculus in corde ligni sepultus nõ paruo strepitu rodit lignũ ingẽs, & dum perdit ligna, ipse etiã perit tenebroso in sepulcro corruptus. Sic vniuersi viri, qui ob terrenã sui nominis gloriã ingentes operãtur virtutes, in ipso strepitu famæ velut lignarij vermiculi tenebris cõcluduntur, ne apud cœlestes princi pes nomẽ habeant. Nõ longè ab hoc erat Galfridus in Tilman. allegorijs inquiens: *Primô huic in historia regũ non protinus nomen datur: quiâ necdum ad nomẽ transit. Nam & si magnum illi ex inde datũ fuerit nomen in terra, inxtâ nomen magnorum, qui sunt in ea, multũ desipit, qui præsumit, quôd continuo etiam nomen suum similiter adscribatur in cœlis.* Non omnes sapiẽtissimi, non omnes fortissimi, etiam dum propter præstitas virtutes videantur per hominũ ora volitare, veram nominis celebritatem & gloriam habent; insipientia enim est, si putent de terrena sui nominis celebritate se emicaturos inter astra, & nõ magis in ipsa terra cũ sonitu obtenebrandos. Nõ cõtinuo ex terreni nominis quæsita gloria per virtutes transeunt ad nomẽ immortale: immortalis enim splendor, non terreni, sed diuini nominis nutritur substantia. Audio. 1. Machabæor. 5. Iosephum, & Azariam principem virtutis bellicæ, dicentes: *Faciamus, & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare aduersus gentes: quæ in circuitu nostro sunt.* Quid tunc? Vt dixerunt, sic in pugnam iuerunt, in qua cum magna populi strage perditi sunt. Et cur ij perditi sunt quando sub Machabeis Israelitæ maxima gloria fulgebant? Ait textus: *Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est.* Est semen à Deo destinatum ad gloriam: sic enim ait Isaias cap. 1. *Nisi nobis reliquisset semen, quasi Sodoma essemus.* Quôd semen relictum nobis à Deo, ne caderemus in perdionem, meritò putatur à Procopio Iesu nomen. Et quidem qui de hoc semine non sunt, nec prosalutaris Iesu nominis gloria, sed vt sibi faciant sæculare, contendunt, nomen, ij necessum est, quod maneãt inglorij, & eant in perditionem. Omnis enim splendor verus nescit oriri nisi de diuini celebritate nominis. Sic Psal. 39. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius; & non respexit in vanitates, & insanias falsas.* Sæculares glorias, & celebratates pulchrè vocat insanias; amens enim est, & insanus, qui ad hæc respicit, & propter hæc laborat, & non magis pro diuino nomine exaltando, quando quidem de huius olei pinguedine ardet, quidquid lucet in mundo christiano. Quippe ait D. Bern. citatus ab Incognito ad hæc verba Psal. *Vndè putas in toto orbe tanta, & tam subita lux, nisi de prædicato Iesu? Nonne in huius nominis luce Deus nos vocauit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis, & in lumine isto videntibus lumen, dicat meritô Paulus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Non de eo, quod se homines prædicant, sed de prædicato Iesu, quasi de oleo suauissimo & lux, & splendor ascendit, quo abiectis tenebris simus lucidissimi, splendissimi Deo, & mundo. Actor. 13. *Tunc constanter Paulus, & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad gẽtes.*

Cant. 1. — 2. Reg. 23. — 1. Mac. 5. — Psal. 39. — D. Bern. — Act. 13.

tes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium, &c. Expende quid sibi à Deo dictum asserat Paulus, nimirùm illud: *Posui te in lucem gentium*, & qualiter Paulus obscurus, & vilis homuntio potuit fieri gentiũ luminare maius? Ipse Dominus aiebat Actor. 9. dicens: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram regibus, &c.* Itaq; commissum est nomen Iesu Paulo portandum, & extollendum per multas virtutes suas, & quasi de oleo immisso lucet lãpas, sic de diuini nominis gloria quæsita splenduit Paulus, vt lut magnum orbis luminare. Aiebat Diu. Bern. ser. 18. in Cant. *Hoc denique nomen coram regibus, & filijs Israel portare iussus est Paulus, et portabat nomen tanquam lumen, & illuminabat patriam, & clamabat: Nox præcessit, dies autem appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, et induamus arma lucis. Et monstrabat omnibus lucernã super candelabrum: annuntians in omni loco Iesum, et hunc crucifixum.* Sic totus splendẽs, & radians vbiq; apparebat Paulus, non equidem de sui nominis claritate, sed de Iesu prædicato, eiusque nomine exaltato, quod vt oleum est, sic solum potest in operibus nostris lucidissimas nutrire flammas. Hoc potest nos ab obscuro, & caliginoso seruitutis educere in lucẽ immortalem, si in nobis non aliud nomen, quàm Dei, & seruatoris nostri inuocatur: ait Isaias cap. 10. *Computrescit iugum â facie olei*: Ex quo Gillib. Abb. serm. 26. in Cant. *Computrescit iugum â facie olei, ex quo cœpimus nomine alio vocari, & inuocatum est super nos nomen secundi Adam, cuius oleum effusum nomen eius.* Ex quo, de hoc oleo nutrimur, de hoc nomine viuimus, illiusque gloriam solam quærimus & laudem, prorsus tenebrosæ seruitutis iugũ euanet, & viget splendor, & claritas. Væ illi, qui de hoc nomine non viuit, sed de proprio; sanè sicut in lampade, vbi deficit oleum, flãmæ splendor extinguitur aqua: sic qui non diuini nominis gloriam, sed suã quærunt, quasi defectu olei, aquis suffocantur. Vt metus aquarum diluuij tolleretur, aiebat Dominus Genes. 6. *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me, et inter terram.* Arcus in nubibus ponitur in signum, quòd non erit diluuium, & cur arcus sumitur in hoc signum? Arcus non splendet de proprio, sed splendentes, vt ait Virgil. trahit aduerso sole colores, sic qui non de sua, sed de Iesu gloria vult fulgere, is non timet diluuij aquas, quibus perit, qui propriæ, & nõ diuinæ gloriæ splendorem quærit. Ait D. Isid. in Gen. cap. 6. *Quod verò testamentum Deus posuit inter se & homines, atque omnem animam viuam, ne perdat eam diluuio, arcum scilicèt in nubibus, qui nunquam nisi de sole resplendet. Illi enim non pereunt diluuio, qui in prophetis, & omnibus diuinis scripturis tanquam in Dei nubibus, agnoscunt Christi gloriam, & non quærunt suam.* Et aquæ, & vniuersæ creaturæ valent aduersus illum hominem, qui magis sollicitus est de nomine proprio, quã de extollendo diuino: cui cordi est non Dei gloria, sed sua. At qui Deo omnem virtutem, & gloriam tribuit, nihilque suum ostendit, is indefectibilem habet olei fontem, vndè viuat, & luceat, nec sibi ab aquis timet.

§. XIII.

Alacris virtutum exercitatio, & multiplex, virtutum disciplinam suauissimam reddit, illam remissio facit duram, & incomportabilem.

LAmpadibus acceptis non sumunt secum oleum fatuæ virgines: sed contentæ sunt paruo illo, quod in lampadibus habent. At prudentes virgines & lampades cum oleo accipiunt, & insuper secum in vasis oleum capiunt. Et hanc prudentiam voces? Et illam stultitiam habeas? Sanè dum sit oleum in lampade, non videtur plus olei necessarium; imò si plus habeatur, potiùs poterit esse impedimenti obuiam euntibus sponso, quam solatij. Nonne quę minùs olei habent, expeditiores, & faciliores ibunt obuiã sponso, quàm illæ, quæ & lampadum oleo, & insuper aliud oleum portantibus vasis onustæ apparent? Nõne hæ difficiliorem, & duriorem occursum sponsi existimabant? Absit: per oleum enim apud omnes commentatores sumuntur virtutum opera, & hæc quò plura fuerint, eò magis emollient vniuersas christianæ, religiosęvè semitæ difficultates. Sapienter aiebat D. Leo serm. 5. in Epiphan. *Facilè omnia præcepta veniunt in effectum, quando & gratia prætendit auxilium, et obedientia mollit imperium.* Expende quo oleo imperij durities molliatur, vt facilia appareant præcepta: nimirùm ait: *Obedientia mollit impe-*

Isai. 10. *Guillib* *Gen 6.* *D. Isid.* *D. Leo.*

imperium: hoc est, exercitium præstitæ obedientiæ; quo enim fuerit quis impigrior in operanda obedientia, eò inueniet imperium & facilius, & suauius. Nunquam equidem multiplicatio operatæ virtutis non fit vnguentum, quo disciplinæ Christianæ rigores, & asperitates dul-
Cant. 4. corentur. Cant. 4. miratus Dominus assiduas, & multiplices sponsæ suæ in virtutibus exercitationes aiebat: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus: Cypricum nardo, &c.* Vnius ficulneæ fructus requirebat aliquã do Dominus, & non inuenit, sunt enim homines adeò steriles, vt & multi vnius arboris fructus non referant. At in prudentissima sponsa, tanta est fructuum copia, vt multos hortos, eosque fructibus plenos in se ostendat. Et quales fructus? Notantes ait: *Paradisus malorum punico-*
Richard. *rum*: vbi Richard. Vict. part. 2. in Cant. cap. 29. *Continet autem intus malum punicũ grana multa; sic quoq; anima habet in se multa opera: quòd se per compassionem proximi affligit; quòd lædenti se ignoscit; quòd, inimicum diligit; quòd carnem abstinentia, & vigilijs castigat; quòd contra tentationes laborat; quòd propriæ voluntati renititur, &c.* Non vnum, aut aliud opus fit ab sponsa fideli; sed quot grana à malis punicis erumpunt, tot virtutum & mortificationum opera ab sponsa fiunt. Illud autem maximè notandum venit; quod immediatè post mala punica, post multiplices has mortificationum exercitationes, statim & illi frutices ponuntur, nimirùm *Cypri cum nardo*: & quidem cyprorum semen, vt fama est, nunquam iacitur nisi oleo delibutum. Et meritò post mala punica apparent cypri, quia vbi in anima tot segetes præcedunt mortificationis, tot opera virtutum, oleũ indè suppetit, quo nihil non suaue apparere incipiat. Huc spectant pulcherrima
Gillib. verba Gillib. Abb. ser. 36. in Cant. *In malis punicis, humilitas, in Cypro sublimitas exprimitur. In illis labor; in his deliciæ. Cypri, vt aiunt, semen decoqui oleo solet, vt vnguentum exprimatur ex eo. Alij seminãt in lachrymis, sed sponsa in oleo. Semina nostra, opera nostra sunt.* A malis punicis ad cyprum accedit sponsa, hoc est, à multiplicibus mortificationum operibus ad culturam suauissimam, quæ minimè lachrymas, nec sudores gignat, sed vnguẽtis perfundat. Eò venit, vt semines non in lachrymis, sed in oleo: quantò enim semina, hoc est, virtutum opera multiplicantur, tantò citiùs suauitatum fontes scaturiunt, nequid asperum appareat, nequid difficile. Post multiplicem virtutum exercitationem desinunt lachrymæ, desinit labor, incipit suauitas, & facilitas, vt iam de illo, qui sic operatur, non dicatur, quòd in lachrymis seminat, sed quòd seminat in oleo, totus delibutus suauitate. Iam is talis non malorum punicorum cultor, in quibus exprimitur multiplex mortificationis, & laboris exercitatio, sed cypri sator dicitur, vt oleo delibutus, & mira plenus suauitate appareat. Sẽper enim multiplex virtutum exercitatio suauitatẽ causat; duritia autem, & incomportabilitas disciplinæ christianæ, à nullo magis, quã à torpore, & remissione nascitur. Esurienti Domino in deserto dicebat malus
Matth. 3. Matth. 3. *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Esurienti Iesu nihil priùs offert nequissimus hostis, quàm lapides, cur non magis alia suauiora proponit? Figurabat Dominus in sua ésurie, quid illis accidat, qui in cœlestium prosecutione torpori dantur, ij enim nihil non durum experiuntur, & graue. Ait Isaac presbiter
Isaac. apud Tilmannum in Alleg. *Torpentem spiritum â desiderio, & meditatione cœlestium, tanquam â pane Angelorum, ad lapidem frigidum, durum, & siccum inuitat. Non autem quòd Dei filius talis erat, sed tales illa significabat esuries.* Quid aliud inueniat remissio, & torpor in virtute, quàm duritiem, quàm siccitatem, quàm pondus lapideum? Audio apud Matth. cap. 20.
Matt. 11 querulos operarios quosdam, & dicentes; *Qui portauimus pondus diei, & æstus.* Et qui sunt isti operarij, qui sic de pondere portato queruntur? Origin. hom. 10. in
Orig. Matth. ait: *Qui vndecima sumus vocati, si cut primi non portauimus pondus diei, & æstus, portauimus autem pondus, eo quòd sletimus otiosi, antequam pater familias veniret ad nos.* Et meritò sub pondere gemunt, qui otiosi, & remissi in virtutum curriculo stare videntur. Huc spectabat ille gemitus apud Ecclesiastem capit. 1.
Eccl. 1. *Quid amplius est homini in omni labore suo, quo laborat sub sole?* Vbi D. Nissen.
D. Niss. hom. 1. *Quæ in corpore agitur vita, appellauit laborem, qui nullo rectè facto lucrum quærit.* Et quidem laboriosissima est, & ponderosissima vita, quæ sic torpet otio, vt nihil ad salutem operetur.

§. XIIII.

§. XIIII.

Qui non gaudenter, nec alacriter virtutem arripiunt, vix sciunt placere Deo.

MEritò fatuæ, & minimè Deo gratæ virgines dicuntur, quæ acceptis lãpadibus, non acceperunt oleum secum; hoc est, arrepta virtutum via, minimè accipiunt lætitiæ, & exultationis oleum, quo lætanter, & alacriter gradiantur. Quando enim votum sine lætitia exhibitum non fuit aliqualis offensionis argumentum? Iepte filiam Deo litabat, vt Abraham filium; hic placuit Deo, ille Deum offendit. Et vndè offendit? Nonne vt vouit, sic votum expleuit? Sed expleuit votum, in quo explendo doluit, gemuit, summaque tristitia, & luctu fuit affectus. Sic enim de illo, vt primùm vidit filiam offerendam, ait textus, Iudic. 11. *Qua visa, scidit vestimenta sua, & ait: Heu me, filia mi, decepisti me, &c.* Ecce tristitia, ecce gemitus, & luctus, & dolor in voto offerendo. Pro quo D. Ambrosius in apolog. Dauid, cap. 4. *Ad quid sacramenta tristia Domino Deo reddidit, vt cruentis soluat sua vota funeribus?* Quasi inutilia, & sterilia, & absque fructu reputat vir sanctus ea vota, quæ non à læto, & alacri animo proficiscuntur, sed ægrè, & cum intima tristitia Deo exhibentur. Sterilitatem solet facere tristitia; lætitia autem quos peruadit, sic fœcundat, vt germinent. Hinc Psalm. 64. *In stillicidijs eius lætabitur germinans.* Expende, quàm sit coniuncta germinatio cum lætitiæ irrigatione; vbi enim à cœlestibus stillicidijs incipiunt lætificari humana corda, statim tota abeũt in germen. Vndè Gillibertus Abbas, sermon. 34. in Cantic. aiebat: *Quis dabit horto meo hanc aquam? Quis dabit, vt tota hortuli mei facies irrigua sit lætitiæ, & lucis riuulis, nihil in eo, aut sterile sit, aut quadam indeuotione triste? Vicina sterilitati videtur operatio tristis, & spiritualis gaudij carens irrigatione. Denique si quid nascitur, quasi radix ascendit de terra sitienti. Quasi radix, non quasi flores, non quasi fructus. Quasi radix: hoc est, aut parum, aut nihil plus habens in radice.* Fallar, si vbi tristitia adest, aliquid possit floridum, aut fructuosum generari; quin potiùs tunc omnes fructiferæ radices quasi arent, & exsiccantur. Ait enim Prouerb. 17. *Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa:* sic tristitia omnem succum admit, ne quid bonum valeat in anima germinari. Vndè aiebat D. Chrysost. lib. 2. de prouident. *Non dæmõ est, qui mœrorem mouet, sed mœror potiùs vires dæmoni administrat, cogitationesque malas suscitat. Attestatur huic rationi Paulus, qui cùm Corinthijs scriberet, non dæmonem aliquem metuere, sed mœroris magnitudinem timere deprehenditur. Ne fortè, in quiens, abũdãtiori tristitia absorbeatur, qui talis est.* Tristitia plus quàm dæmon fuit Paulo, timori; vt quæ benè operandi fontes exsiccet, & qua sublatà, vix manet impedimẽtum, quominùs homo ex Dei gratia in perfectionem se se erigat. Quippè aiebat Diu. Iacobus in epist. canon. 1. *Patientia opus perfectũ habet.* Nec facilè probari posset, quòd patientiæ proprium sit perfectionem habere, nisi illius esset proprium & cum tristitia confligere, & illam tollere è medio. Ex quo enim patientia tristitiam superat, non est difficilè, quòd habeat opus perfectum. Ait Diu. Thom. 1. 2. quæst. 66. art. 4. ad. 2. *Patientia dicitur habere opus perfectum in tolerantia malorum, in quibus non solùm excludit iniustam vindictam, quam etiam excludit iustitia, neque solùm odium, quod facit charitas, neque solùm iram, quod facit mansuetudo: sed etiam excludit tristitiam inordinatam, quæ est radix omnium prædictorum.* Itaque ex victorioso conflictu cum tristitia, à qua tot mala nascuntur, habet patiẽtia, quòd attingat perfectum opus, quando ablata tristitia, animus gaudens facit ætatem, imò animam floridam.

Iud. 11.
Ambr.
Psal 64.
Gillib.
Prou 17.
Chrysost.
Iacob.
D. Tho.

§. XV.

Vbi resurrectio corporum persuadetur, gratiùs in virginitatis bonum curritur.

OMnes virgines dormitauerunt, & dormierunt tardãte sponso, hoc est, omnes morti occubuerunt, vt placet expositoribus plurimis. Et vbi tot virgines morti occumbunt, de nulla dicitur, quòd refugeret, quòd ægrè ferret virgo ad sepulchrum ire. Iudic. 11. Iepte filia destinata morti, sic precatur patrem. *Dimitte me, vt duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam*

Iud. 11.

cum sodalibus meis. Et luctuosam, & luctibus prosequendam virginitatem suam putabat bona puella, dum necessum est illi morti occumbere; & quæ ipsam mortem non expauet, sed animosa subit, se virginem esse tunc temporis longo celebrat luctu. Cur similiter virgines istæ lacrymosis oculis virginitatem vel in morte non respiciunt? Offerebatur illis mors, non vt mors, sed vt somnus, de quo citò resurgerent; ex quo autem mors veluti somnus apparuit, & resurrectio innotuit, nihil lacrymabile, nec luctuosum in virginitate inuenitur, quin potiùs ad illam lætanter curritur. Chrysostom. in Psalm. 113. reddens rationem, cur in Genesi multiplicatio filiorum per nuptias, in Euangelio autem virginitas florebat, ait: *Quoniam mors introducta erat à peccato, Deus genus consolans, & ostendens eam non modò non consumpturam, nec interim allaturam, sed longè etiam plures, quàm anteà futuros, inquit, crescite, et multiplicamini. Postquam autem cognitum fuit, mortem esse somnum, introductum est bonum virginitatis.* Vbi recens decreta mors post peccatum sæuiebat, eiusque aculeus durissimus exhibebatur, aduersus illam nuptiæ parabantur, ne periret genus humanum: vbi autem mors absorta in Christi victoria apparuit, & adeò absorta, vt non mors videretur, sed somnus placidus, iucundam, & citam excitationem habens, iam inde virginitatis gloria radiauit, nec virginitas detrimento, sed gloriæ cæpit dari. Hinc Psalm. 91. aiebat: *Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur*: quasi non à nuptialibus thalamis, sed à propria incorruptibilitate, & integritate iustorum multiplicatio veniat, sic in propagatione comparantur palmis, & cedris. Et vndè venit, quòd iusti per propriam incorruptibilitatem, integritatemque virginalem instar cedrorum mallent generis sui propagationem, & æternitatem, quàm per thalamos? Id explicat lectio singularis Tertulliani, libro de resurrectione carnis, vbi ait: *Iustus vt phœnix florebit*. Phœnix nuptias non nouit, in natiua perseuerans semper & singularitate, & integritate, habens in morte non sepulchrum, sed nidum, in quo dormit, vt inde resurgat vegetior, & viuacior. Et cur nuptias amet, vel non magis æstimet splendorem natiuæ integritatis, quisquis sepulchrum pro nido, & mortem pro somno habet, ex quo resurgat agilior, & præstantior? Accinebat Diuus Nazianzenus, carm. de præceptis ad virgines.

Vt phœnix morieus primos reuiresci ad annos,
In medijs flammis post plurima lustra renascens,
Atque nouum veteri surgit de corpore corpus.
Haud secùs egregia redduntur morte perennes,
Dum pia diuinis ardescunt pectora flammis.
Hæc quisquis benè prospiciet, eum corpore fœdus
Non feriet. -----

Sanè renuntiantur corporeæ voluptates, dimittuntur fœdera nuptialia, quæ ad propagationem corporum sunt inuenta; vbi sepulchrum in nidum, & mors in somnum euadit, à quo & viuaciora, & vegetiora excitanda sunt corpora humana. Hinc nouam lucem capiet notissimus locus Zachariæ, cap. 9. *Quid bonum eius est, & quid pulchrum eius: nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Alia erat mens Pauli clamantis: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: quippè putabat à vino nil citiùs, quàm luxuriam posse oriri. Vndè ergo in Zachariæ mentem venit, quòd vinum posset generare virgines? Et cur potiùs vino, quàm frumento generationem virginum attribuit? Lyra, & D. Paschas. & Remigius in glossa, putant Zachariam non de quolibet vino fuisse locutum, sed de vino, qui Christi sanguis est, effusus in supplicio crucis. Effusus enim Christi sanguis in cruce, illam mortem effecit, quæ potiùs videatur somnus effectus à vino, vt dicat Saluator de illa, Psalm. 3. *Ego dormiui, et soporatus sum, & exurrexi*. Vbi autem tota effusio sanguinis, mors Domini in cruce, non aliter apparuit, quàm si somnus, aut sopor esset à vino causatus, qui expeditiorem excitationem inducit; innumeri prosilierunt inde, qui virginitatis bonum arriperent. Non sic frumenti adeps dicitur conduxisse, vt virginitas esset in mundo; vt vinum conduxit, in vino enim non tàm mortuus, quàm soporatus ostenditur Deus in cruce, à quo somno sese per resurrectionem excusit; quo factum est, vt mors contemneretur, & virginitatis incorruptio cæperit admitti. Id non paucis verbis asserebat D. Athan. in euang. de pass. & cruce Dom. *Ipse Dominus cùm illusisset morti, nobis eam conculcan-*

Chrysost. Psal. 91. Tertull. Nazian. Zach. 9. Psal. 3. Athan.

culcandam tradidit, quod his verbis indicat: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem potestatem inimici: & rursum. Conculcabis leonem, et draconem. Olim etiam serpens deceperat Euam, & eius inuidia mors in orbem venit: nunc autem conculcatur, et volens decipere audit, vade retro Satana. Olim aduersarius noster diabolus, vt leo circuibat, sitiens nostram animam. Nūc autem cum dracone conculcatur, ac iam tantopere despicatui, ac ludibrio est, vt qui in cauernam aspidum manum inserat, non reformidet. Hæc enim Isaias prophetauit, et dixit: Pueri certè voluptatem olim grandæuos decipientem iam in præsentiarum deridet, et qui nondum sunt legitimæ ætatis, ea castitate, quæ supra legē est, lumbos suos accingunt, et virgines permanentes ratione calcant serpentinæ voluptatis astutias. Itaque vbi letus morti illusit, vbi illam resurgens conculcauit, illam hominibus conculcandam tradidit; tradidit illam cō culcandam, dicens; vt calcemus super serpentes, & scorpiones, super leonem, & draconem; & quid est, calcare serpentes, scorpiones, & draconem, nisi solùm mortem calcare, nisi etiam vniuersas humi repētes voluptates? Ex quo enim mors conculcāda apparet, & terribilis ille leo, vel mortuus, vel consopitus iacet, iam & pueri, & puellæ in serpentes, & scorpiones, hoc est, in voluptates audent, virgineſque permanere eligunt, omni veneno sa libidine calcata.

§. XVI.

Virginum in morte requies, & solatium, coniugatorum non item.

DVm morti occumbunt virgines hæ, dicuntur somno se tradere; ait enim: *Dormitauerunt omnes, et dormierunt;* sic quieta est mors virginum, vt meritò somno dulci, & salutifero possit comparari. Coniux erat ille, & plenus filiorum, de quo dicebat Iob, cap. 21. *Ipse ad sepulchra ducetur, et in congerie mortuorum vigilabit.* Ecce tibi quò perueniant vigiliæ, & sollicitudines coniugatorum, ninirùm vsque ad illud tempus, quo quis mortuis additur. Pro magno dispendio ponebat Paulus vigilias, & sollicitudines coniugatorum viuentium, aiens 1. ad Corinth. 7. *Qui autem cum vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, et diuisus est.* Magnum hoc detrimentum in coniugio putatur à Paulo, quòd sollicitudines, quòd vigiliæ semper dum viuunt, coniuges insequantur. Sed vide aliud maius: *Et ipse in congerie mortuorum vigilabit:* vbi mors instat, vbi iam iam agitur anima, & corpus terræ mandatur, quādo quies vel summo erat emenda pretio, tunc adhuc vigiliæ, adhuc sollicitudines temporales. Quis coniux in ipsa mortis falce constitutus est, qui tunc non maximè vigilet, & sollicitus sit de charissima vxore relinquenda, de filijs amantissimis orbandis, de facultatibus firmandis filiorum causa? Quis coniux morti appropinquat, quem non turbent natorum lachrymæ, coniugis suspiria, miserabilis famulorum facies? Coniux erat Rex ille, qui 1. Regum. 15. ad horum aspectum exclamauit: *Siccine separat amara mors?* Quippê amarissimum est, & maximê sollicitum coniugi, à filijs, ab vxore, à familia separari. Durissimas vigilias in morte patiuntur coniugati; amarissimas tunc sibi sollicitudines trahunt. Virginum autem proprium est, tunc temporis non vigilare, nō sollicitari, sed dormire; sed quietem capere. Iob cap. 3. sibi immaturam, & ante nuptias mortem exoptabat; vellet enim ab vtero in sepulchrum transferri, & vnam sibi accidere mortem, quæ accidit ijs, qui virginitatis consilium capiunt. *Quare non in vulua mortuus fui, egressus ex vtero non statim perij? Quare exceptus genibus? Cur lactatus vberibus? Nunc enim dormiens silerem, et in somno meo requiescerem; Cum Regibus, et Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Vellet mortuum esse in infantia, in primo limine vitæ, quia si tunc mortuus fuisset, non tam mortuus fuisset, quàm dormiuisset, & quasi in somno requieuisset. Sed vnde colligit tunc mortem, non mortem, sed somnum extituram fuisse? Ait illis verbis: *In somno meo requiescerem cum Regibus, et Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Dormire, non mori putat Reges, & Consules terræ, quorum in mortis quiete se æmulum scribit. Et quid stultius, quàm æmulari Regum mundialium mortis quietem? An est mors inquietior, & plenior tumultibus, quàm mors Regum? Diuinus ille Balaam, Numeror. 23. aiebat: *Moriatur anima mea morte iustorum*; non morte Regum terræ? Cur ergo Iob vel à Mago

1. Cor. 7.

Iob 21.

Iob 3.

Num. 23.

non discit Sanctorum optare mortẽ? Cur potiùs non horret mortem mundialium Principum? An in eligenda morte sapientior erat Magus, quàm Iob sanctissimus? Absit; nõ enim temporalium Regum, sed spiritualium mortem exoptat, nimirùm illorum Regum, qui passiones suas sub rationis imperio contineant, qui consules verè sint, & ore, & opere consilium virginitatis annuntient. Ait Diu. Gregorius, lib. 4. Moral. cap. 27. *Reges isti sunt, qui semetipsos regere sciunt; terræ autem sunt consules, qui terrenas mentes per exhortationis suæ consilium ad cælestia pertrahunt. An terræ consul non erat, qui dicebat: De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Ij sanè Reges, & consules, apud quos viget virginitatis cõsilium, & lasciuientiũ cupiditatum subiectio, ædificant sibi solitudines; vt enim à filiorum coniugisque sollicitudine vacui sint, sic ad mortem accedunt, quasi ad somnum, vt inde quietem sumant. Sapiẽtissimẽ ergo Iob ante nuptias mortem exoptabat, vt quæ foret virginum mortissimillima, nec illa putaretur mori, sed dormire, vt dormiunt in Domino virgines. Et cur coniugatorum mors non sit sollicita, plenaque luctibus, virginum autem mors quietis plena, omnique carens sollicitudine? In illa enim videntur separari, & amitti omnia præsentia bona coniugij, in hac augentur, & coronantur bona virginum. Hinc est, quòd Deuteronom. 34. agens de Moysis morte, ait: *Fleueruntque eum filij Israel, &c.* De eius autem successore Iosue nullibi dicitur, quòd eum mortuum fleuerint Israelitæ. Cuius rationem attingens Diu. Hieronymus, lib. 1. in Iouinianum, ait: *In Moyse coniugium, in Iosue virginitas repræsentatur. Quamobrem & Moyses moriens plangitur â populo Israel: Iesus autem quasi victurus non plangitur. Nuptiæ enim finiuntur in morte, virginitas post mortem incipit coronari.* Cur nupti morientes non luctuosi sint? In morte enim omnia nuptiarum bona prorsus perduntur. Cur virgini aliquid sit in morte luctuosum? Virginitatis enim bonum in morte crescit, & ostendit suæ pulchritudinis coronas.

Gregor.

Deu 34.

Hieron.

§. XVII.

Post Christi mortem, à teneris etiam virginibus habetur mors pro somno.

DOrmitare, & dormire dicuntur virgines, dum in Domino moriũtur, quasi illis mors, non mors, sed somnus sit: & vndè mors virginibus pro somno habetur, nisi quia sponsum per mortem ablatum præstolantur redeuntem? Sic enim habes: *Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt.* Ex quo mors Dominum detinuit, illumque nobis eripuit; & patri reddidit rediturum, vt inde ad nos iterum veniat, iam mors, non mors, sed somnus putatur, & quasi pro somno habetur à teneris etiam virginibus. Abraham vbi habitabat in Geraris vehementer timuit vitæ suę propter vxoris pulchritudinem; quare ait illi, iuxta lectionem D. Chrysost. *Dixit autem Abraham de Sara vxore sua: Soror mea est: ne fortè occiderent eum viri ciuitatis propter illam.* Sic timet vir sanctus occidi, vt non videatur vereri, ne maculetur vxoris pudicitia. Et quando zeli furor vehementissimus est in viris; in Abrahã maior metus mortis inuenitur. Quid plura? Pulchrè ad hæc ait D. Chrysost. ibi: *Hæc audiens dilecte, ne condemnes iustum ob pusillanimitatem, quòd mortem timuerit; sed potiùs admirare conditorem vniuersi, qui tantæ erga nos est misericordiæ, quòd mortem iustis illis, & sanctis tunc terribilem, eamdem nunc ita contemptibilem fecerit Christus, vt quam formidabant illi virtute clari, & tanta erga eum fiducia freti, nunc derideant & iuuenes, & teneræ virgines. Nihil enim mors est, vltra quam somnus, & transmigratio â deterioribus ad meliora.* Expende, qui sunt, qui contemnant mortẽ, & pro somno habeant posi Christum, nimirùm ait: *Mortem derideant iuuenes, & teneræ virgines*: nulla est adeò infirma virgũcula, quæ mortem somnum non putet, ex quo expectat Christum redeuntem à gloria, in quam profectus fuit per mortem crucis. Hinc ait Paulus. 1. ad Thessalonicenses, cap. 4. *Quòd Iesus passus, & mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum adducet.* Expende, vbi de Iesu loquitur, clarè dicit, quòd passus, quòd mortuus est; vbi

Chrysost.

1. Thes. 4.

vbi autem de eius sequacibus verba facit, non mortē meminit, sed solùm dicit, *eos, qui dormierunt*: in Iesu mors, in cæteris somnus dicitur. Huius rationem reddit
Basil. Se. D. Basilius Seleu. orat. 32. inquiens: *Christi finem mortem appellauit: bellum siquidem fuit illi contra mortem viuentem; aliorum, qui post Christum, somnum agnoscit, non mortem. Inde factum, vt viros pro religione concertare videamus, puellos mortem irrisui habere, puellas eam adire laudibundas.* Sic teneræ puellæ, sic virgunculæ mortem iam post Christum pro somno habent, & pro ludo: nec lætiores ad requiem somni contendunt, quàm contendunt morti occumbere. Sic horribilissimum illud mortis spectrum, quod olim perterrefaciebat fortes viros, hodiè pro ludo, & somno habetur à virginibus. Hęc fuit potentia Christi crucifixi, qui mortem deuicit, illamq; in somnum conuertit dulcem. Quò spectauit etiam Paulus. 1.
1. Co. 15 ad Corinth. 15. inquiens: *Et resurrexit tertia die, & visus est Iacobo, deinde plusquam quinquies mille fratribus simul, ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt.* Post mortem, & resurrectionem Christi non ampliùs mortem nominat, sed quasi de somno, sic loquitur
Basil. Se. de illa. Ait D. Basil. Seleuc. orat. 31. *Quidā autem dormierunt. Non iam mortui sunt. Depacta namque cruce somnus mors est: ante crucem formidabilis, & post crucem despicabilis.* Absorta fuit mors in victoria sua, & aculeos amisit, & magis quietis, somnivè figuram induit.

Matth. 25. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit. Exite obuiam ei.

§. XVIII.

In morte nuptiæ celebrantur viris iustis.

DOrmientibus virginibus, vox intonat de aduentu sponsi, monens, & iubens illi obuiam exire. Et quid dormientes cum sponso? In somno hoc mors repræsentatur, in sponsi nomine nuptiæ intelliguntur, an mortis dies potest esse idē, & nuptiarum dies? Equidem iustorū mors ad eorum spectat nuptias, quando in æternī sponsi domum excipiuntur. Cùm Abraham senex esset, filiumque Isaac videret nubilem, vocauit fidelissimum seruū suum, & ait illi, Gen. 24. *Pone manum tuā* Gen. 24.
super fœmur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cœli, & terræ, vt non accipias vxorē filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito; sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris. Sic adiurat seruum pro quærēdis nuptijs filio suo pater Abraham, post quem Iacob nepos eius videns se iam morti proximum, filiū suum Ioseph vocat, Gen. 47. ait: *Si inueni* Gen. 47.
gratiam in conspectu tuo, pone manum tuā sub fœmore meo, & facies mihi misericordiam, & veritatem, vt non sepelias me in Aegypto, sed dormiam cum patribus meis, &c. Ecce tibi pro sepultura habenda similem adiurationem facit Iacob illi, quā fecerat Abraham pro nuptijs filij sui; nec miror, quòd de nuptialibus scrinijs adiurationem quærat de sepultura paranda; quasi viro iusto idem sit sepultura, & thalamus, quo nuptiæ fiant. Tantum id non
Eucher. dixit Eucher. lib. 1. in Gen. vbi sic: *Ea filium adiuratione constrinxit, qua seruum constrinxerat Abraham: ille mandans, vndè vxor ducatur filio suo: iste sepulchrum commendans corporis sui.* Non alia verba dedit pro paranda sepultura, quàm ea, quę data fuerant antiquitùs pro parandis nuptijs, æstimans viro iusto mortem medium esse, quo Deo nubat: & crediderim in iustorum morte nihil esse lacrymandū, sed omnia ibi esse plena festis nuptiarū. Hinc
Cant. 6. voces illæ Cant. 6. ad animas sanctas: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonē in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius.* Et quidem mater Iesu Synagoga nullum illi aliud diadema posuit, nisi spinarum, quo tempore illum cruci tradidit. Quomodo ergo dicitur Iesus coronatus à matre in die desponsationis? An passio, an mors, an crucis, & interitus dies potuit pro die desponsationis reputari? Planè iusto dies mortis, dies desponsationis est, quo intrat
Bernard. ad inamissibilia gaudia. Ad hæc Diu. Bernard. lib. de passione, cap. 4. loquēs de Synagoga vinciente, & interficiente Iesum, fatur: *O mater amara! Quid peccauit bonus hic filius tuus, vt vinculis etiam vinciatur? Hancne dotem, hæccine munuscula nuptijs illius impendis? Dies enim desponsationis illius, dies ista est: dies indignationis, & blasphemiæ, dies tribulationis, & miseriæ: dies percussionis, & doloris; dies vinculorū, & mortis, dies desponsationis illius est.* Vbi mors Filij Dei iusti hominis apparet, ibi

crede diem desponsationis eius. Nec te moueant amaritudines, dolores, tormenta, miseriæ, percussiones, quæ cum iustorum morte solent esse; in iis etiam est aliquid, quod ad nuptias spectat, nempe dos; non enim filij Dei à sæculo hoc aliã dotem accipiunt, quàm ærumnas, quàm miserias, quàm dolores iunctos morti. Mundus parens innumeras miserias solet adijcere iustorum morti, vt solent parentes nubentibus filijs præstare dotem.

§. XIX.

Magnus Dei fauor, quòd vocet hominem, quando in illo sopita est, vel mortua carnalis vita.

DOrmientibus virginibus, media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit. Quid felicius? Fœlix est, qui à Deo aliquando vocatur; at ille fœlicissimus, ingentique Dei fauore donatus, qui vocatur, quando in se sopitos habet appetitus carnales, quando iam nihil mundiale apparet, quod oculos rapiat, & mentem alliciat, sed omnia mundi pulchra obtenebrata sunt. O quàm curabit hic vocibus respondere diuinis, & sibi consulere. De primis peccatoribus dicitur Gen. 3. *Et cũ audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiẽ.* Plures Latini Codices, & D. August. legunt: *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad vesperam.* Iam inclinata, imò aduesperascente die, sonat Dei vox in paradiso; sonat equidẽ, & percipitur, & auditur. Et quantum hoc Dei beneficium? Sanè magnus fauor, iquòd in fine diei, vbi mundialia omnia obumbrãtur, tunc Deus clamet, tunc Deus vocet peccatorem; & erit quidem clamor ille serotinus, sed qui pœnitentiæ affectũ causet in anima. Accipite Diu. Ambros. lib. de paradiso cantem, cap. 14. *Quid est, ad vesperam, nisi quia culpam suam serò cognoscit, & serò venit quædam erroris præteriti verecundia, quæ errorem præuenire debuerat? Nam dum culpa feruet in corpore, & anima exagitatur corporis passionibus, non cogitat Deum sensus errantis, hoc est, non audit Deum ambulantem in mentibus singulorum.* Nunquam non homini suspecta est exaltatio vitæ carnalis, vbi omnia pulchrescũt, omnia splendent, nihilque non lucidum præ oculis versatur; vndè frequens erat Dauidi illud Psalm. 55. *Ab altitudine diei timebo.* Heu quantũ licet passionibus corporis in feruore diei! quantum licet appetitibus, dum decore, & splendore rerum irritantur! Voces licèt Dei tunc intonent, fallar si audiantur. Audientur tamen Dei voces clamantis non in diei altitudine, sed ad vesperã, vbi omnia vergunt in occasum, vbi instantibus mortis tenebris, & passiones sopiuntur, & quidquid mundiale lucidum est, ab oculis euanet. Quis Deum ad vesperam clamantem non audiat? Fœlix, qui tunc vocatur; serotinus enim ille clamor non sterilitatis, sed magnæ erit indicium fœcunditatis. Potentissima equidem est Dei vox ad trahendas animas, vbi illi mortis vmbræ suffragantur. Matth. 13. aiebat Dominus: *Simile est regnum cœlorũ sagenæ missæ in mare, & ex omnium genere piscium congreganti, quam, cùm impleta esset, educentes, & secùs littus sedentes, elegerunt bonos: & c.* Expende, vbi electio diuina suam ostendit firmitatem; vbi maximum hoc beneficium electionis sese pandit, nimirũ ait: *Educentes, & secus littus sedentes*, tunc cùm homo in extremis vitæ oris se constituit, tunc maximè aptus est per Dei gratiã, vt electionis beneficio fruatur, spuens à se vniuersa peccata. Galfridus apud Tilmannum ait: *Sedendum nobis est iuxta littus, vt mortis memoriam ante oculos statuentes, confessionis remedio mala omnia foras mittamus.* Stet mors ob oculos, sedeat homo in extremo vitæ humanæ littore, & interea loquatur Dominus, & fallar, nisi tunc omissis peccatis, magnũ beneficium electionis elucebit. Huc spectant dicta tom. 2. lib. 8. cap. 2. §. 2. Et vide dicta tom. 3. lib. 15. cap. 1. §. 18. & quæ citantur ibi.

Gen. 3.

August.

Ambr.

Psal. 55.

Matt. 13.

Galfr.

§. XX.

Eò manifestior Christus homini, quò ille sese magis obscurat propter Christum.

NOn cùm in lucẽ virgines prosiliunt, lætosque, & splendentes in se ostendunt dies; sed media nocte, dum tenebrosis sub vmbris iacent quasi sepultæ, dicitur illis: *Ecce sponsus venit*; solis enim illis sese Iesus manifestum exhibet, quæ propter illum obscurari, & obumbrari

sciunt.

sciunt. De Israeliticis item facientibus dicit Numer. 10. *Nubes quoque Domini super eos erat per diem, cùm incederent.* Itaque illis Dominus aderat non clarus, non cóspicuus, sed sic opertus nubibus, vt potiùs nubes viderentur adesse, quàm Dominus ipse. Vndè ait: *Nubes quoque Domini super eos erat.* Et cur non tàm Deus, quàm nubis caligo dicitur adesse hominibus illis, nisi quia ambulāt in die; hoc est, lucere, & splendescere ambiebant in mūdo? Ait Stephanus apud Tilmannum in allegor. *Præcessit ergo columna nubis in die, quia Christus nulla luce claret illis, qui se putant esse in die, superbis scilicet, et præsumptuosis; et columna ignis in nocte, quia qui se infirmos reputant, igne sui amoris illustrat.* Cur se & dilectum, & sponsum, & totū factū amorē non exhibeat Iesus illis, qui se tenebris abdunt propter illum? Qui minimè desiderant humanum diem? Qui quasi noctuæ tenebris sepultæ de oleo lāpadum viuunt? Ijs totus amor factus apparet Iesus, qui totus obnubilatur illis, qui ambiunt in se ostendere lucidissimos sæculi dies. Mirabar ego, & stupebam Ioannis Baptistæ consilium, quo nihil curabat magis, quàm se obscurare, & Christum exaltare; negat interrogatus se esse Christum, negat se esse Eliā, negat se esse Prophetam, imò penè se quid esse negat. Et tandem ait Ioann. 1. *Ipse est, qui post me venturus est, cuius non sum dignus, vt soluam corrigiam calceamenti.* Id quod narrans Marcus cap. 1. ait: *Prædicabat dicens: Venit fortior me, post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. Ego baptizaui vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu sancto. Et factum est in diebus illis, venit Iesus à Nazareth Galileæ, & baptizatus est à Ioanne, in Iordane.* Expende connexionem; Ioannes prædicabat se nihil esse, & minimè dignum, quòd manus tēderet ad Iesu calceos, & tunc temporis in illis ipsis diebus obscurationis Ioannis venit Iesus, Ioanni adstat, illiq; submittit caput baptizanti. Quid plura? Hoc facit Iesus, apparens, & exaltans illos, qui magis curant obscurari, & sub vmbris ire. Chrysostom. homil. 38. ad popul. ait: *Ioannes dixit. Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius: et ideò amicus quoque fuit sponsi. Et manum, quam esse calceamentorum dixit indignam, hanc super caput suum Christus attraxit, quando ad baptismum Ioannis verticem inclinauit.* Ecce tibi, Christi caput manifestè suppositum manui Ioannis; & cui manui? Pulchrè ait: *Quam esse calceamētorum dixit indignam;* quam sub pedibus posuit, quam intra calceos delitescere amabat. Ne timeas, manus, & opera tua illustria abscondere, obscurare, quā do quæ magis dejcitur, & obscuratur inter calceos Ioannis manus, ea citiùs Christi verticem tangit, Christum quasi sibi subiectum manifestè habet, & vix manifestatur Christus, quòd eius manifestatio non tribuatur sub calceorum puluere obscuratæ manui. Sic Ioann. 1. *Stabat Ioannes, et discipuli eius duo, et aspiciens Iesum ambulantem dixit: Ecce agnus Dei;* non enim otiosè ponitur, quòd dixerit, *Ecce;* sed vt ostenderetur Ioannes visus fuisse extensione manus in Christo manifestando; quippè ait Beda, ibi: *Quare voluit dicere, ecce? Quando dicitur, ecce, quodammodo ille, qui ostenditur, digito demonstratur.* Et meritò Christus nequit prius demonstrari ab alio, quàm a digito, qui propter illum amabat latere inter calceos. Nūquam enim in aliquo perspicua est Christi manifestatio, in quo simul non sit latens amor. Post Baptistam Petrus clariorem Christi notitiam habuit, Matth. 16. de solo Petro dicitur: *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viui.* Et cui sic Christus patuit, quantus ipse erat in se occultando? Vbi tributum ex Iesu exigitur à Cæsaris ministris, iubet Iesus Petro stateram ab ore piscis extrahere, insuper addit, Matth. 18. *Da eis pro me, & pro te:* quasi inde notaret iam Petrum Christianæ familiæ caput. Sed illud est maximè mirandum, quòd Marcus, qui penè descriptor Matthæi videtur, hoc in suo Euangelio non posuerit, præcipuè cùm discipulus Petri fuerit, & hoc ad magnam Petri gloriam facit. Cur, Marce, Magistri tui amantissimi gloriam dissimulas, abscondis? An ipse ita iubebat? Equidem crediderim hanc fuisse curam Petro, hoc studium singulare, ne quid sibi glorioſum, vel ipse, vel discipuli eius manifestarent. Chrysostom. homil. 59. in Matth. *Vidisti honoris excellentiā, video nunc quanta philosophia vtitur Petrus. Hanc enim locum Marcus, qui discipulus Petri fuit, ideò non scripsisse videtur, quoniam ingens hinc honor Magistro describebatur. Sed negationem ille quoque diligentissimè scripsit, hæc verò quoad laudem eius pertinent, ipso forsitan ita volente, omninò fluit.* Et par erat, quòd hanc curam latendi, & obscurandi se haberet ille, cui gloria Christi adeò manifestè fuit communicata. Quis item neget

Num. 10.
Steph.
Ioann. 1.
Beda.
Matt. 16
Ioann. 1.
Marc. 1.
Chrysos.
Chrysost.

hanc gloriam Iosuè, quòd in illo fuerit Christi Domini typus & illustrior, & clarior? Sanè hoc receptissimum est, & tritissimum apud Patres. Et is tàm clarus Christi typus, quanto studio latere curauit? Num. 11. accidit, quòd duo viri prophetarent, vt rem nouit Iosuè, Moysem adit, & ait: *Domine mi, prohibe eos.* Cur sic Iosuè curat Prophetas in populo prohiberi? Prophetabant ipsius Iosuè glorias, vt ait Thargum. Hierosol. apud Eliam ex Genebrardi versione, dicens. *Sic vaticinabantur: En Moyses Propheta Scriba Israelitarum congregatus est de medio mundi & Iesus filius Num eius discipulus administrabit Rex exercitus.* Nec miror, quòd clarissimus Christi typus velit prohibere predicationem suarum virtutum, & amet magis illas latere sub vmbris. Non vacat ire per singulos, sed hoc pro certo dicam, quòd nullius dabitur, cui Christus perspicuè familiaris assistat, in quo etiam non sit latendi amor notissimus.

Num. 11.

Thargum.

Matth. 25. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas.

§. XXI.

Numquam cum Dei verbo audito non stat aliquod signum salutis.

SAlutis signum est, quòd excitari possunt hæ virgines, quòd à somno surgunt; sed quando hoc exhetur signũ? *Tunc surrexerunt*, tunc nimirùm quando clamor factus fuit, quando vox cœlestis intonuit; de audita Dei voce venit, quòd à somno excitarẽtur omnes virgines. Nec potuit cum Dei verbo audito, non stare aliquod signum salutis. De primis hominibus peccatoribus dicitur Genes. 3. *Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis ad auram, post meridiem abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Vocauitque Dominus Deus Adã, et dixit ei: Vbi es?* Intonat Dei vox, & peccatores timidi ad medium ligni paradisi confugiunt; nec de Dei voce audita, aliò citiùs confugerent, quàm ad lignum, quando in ligno salus inuenienda erat, & mundi vita. Pulchrè aiebat D. Ambr. lib. de parad. cap. 14. *Adhuc in his remedium salutis est, quia audiũt Dei verbum.* Nunquam in auditione diuini verbi non est aliquid, quod spectet ad salutem: dum Dei verbum auditur, nullius est prorsus desperata salus, adhuc remedium apparet, adhuc aliquid sentitur vitale. Canticor. 5. ait sponsa: *Vox dilecti mei pulsantis.* Quid est *vox pulsantis?* Duo dixerim posse ibi significari; aliud ad medicam, aliud ad musicam spectans artem; vtrumq; auspicatissimum diuinas voces audienti. In primo sensu ait: *Vox dilecti mei pulsantis*: quasi vbi percipitur Dei vox semper, ibi socius pulsus salutis index inueniatur. Vbi fibræ infirmorũ nullum exhibent pulsum, lethalis infirmus est, & deploratus: quod malum nõdum inuenitur in eo, qui diuinas voces audit; de Dei namque verbo adhuc pulsus est infirmo, & pulsus index sanitatis. *Vox dilecti mei pulsantis*, & simul vocem dat, & pulsum exhibet, per quem salus annuntiatur. Quò respexisse videtur Diu. Basil. Seleuc. orat. 35. vbi de Christo Domino loquente ait: *Vox emittebatur, ac morbus pellebatur.* Ad Iesu vocem exhibebatur in infirmis pulsus, qui annuntiabat salutem. Luc. 7. ait Iesus ad defunctum iuuenem: *Adolescẽs, tibi dico, surge. Et resedit, qui fuerat mortuus.* Ecce cum Dei voce pulsus etiam in defuncto. Pro quo D. Ambros. lib. 15. in Luc. *Verbo Dei etiam mortua resurgũt cadauera: vox redit, redditur filius matri; reuocatur à tumulo; eripitur à sepulchro. Quis iste est tumulus tuus, nisi mali mores? Tumulus tuus perfidia est: sepulchrum tuum guttur est. Ab hoc sepulchro te liberat Christus, ab hoc tumulo surges, si audias verbum Dei.* Sic vbi Dei vox, vitalis exhibetur pulsus in infirmis, vt dicat illa: *Vox dilecti mei pulsantis*: hoc est, vitalem imprimentis pulsum. Vidisti sensum? Accipe alterum, qui fortè arrideat magis: is est Deus, qui nesciat solam vocem emittere; vt enim cantor non adducitur, vt canat solitariè sine instrumento aliquo, quod simul pulsetur, sed tunc ad cantum se disponit, cùm & potest vocem emittere, & instrumenti chordas pulsare, quę correspondenti harmonia vocem comitantur. Sic Deus vbi vocem dat, nõ dat vocem solitariam, sed simul pulsans humanarum mentiũ chordas, illas diuinæ voci in harmonia salutari correspondere facit. Pulchrè Gillib. Abb. ser. 42. in Cant. *Vox dilecti mei pulsantis. Vide, quid tibi sonet ista positio, quid ipsa pulsandi causa. Et ipsa maximè ad cor nostrũ pulsat, et excitat, vt nos velut cytharæ quædam*

Gen. 3.

Ambr.

Cant. 5.

Basil. Sa.

Luc. 7.

Ambr.

Gillib.

quædam effecti, ſic conſonare nitamur. Nequit vox Dei audiri, quin in nobis, tamquam in pulſatis fidibus aliquid correſpondens diuinæ voci incipiat inſonare. Vtinam vox Dei intonet, vtinam, liceat vocem Dei audire, vix fieri poterit, quòd cordis noſtri fides non aſſonet aliquid ſalutis. Hæc erat Chriſti vox, Matth. 16. *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Hæc fuit Petro data, & ſtatim ipſe: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti.* Vndè rudis Petrus ad tàm ſalutare dogma potuit peruenire? Erat Petrus cythara in manu Dei emittentis vocem circa ſuę perſonæ notionem; vndè quò perueniebat vox diuina, neceſſum fuit, quòd pertingeret cythara ab illo pulſata ſimul. Sic aliò datus D. Baſil. Seleuc. orat. 25. *Ad quã vocem ſpõte mouebatur, primatem (ſcilicet Petrum) Dominus inclinat, velut cytharã quandam ratione præditam, ictibus exſuſcitans.* Quaſi nequeat vox Dei ſolitaria prodire, niſi cum ſocia harmonia pulſatæ cytharæ, vt verè dicatur illud. *Vox dilecti mei pulſantis*, vt ſimul & cantor, & pulſator ſit, & ſonet voce, & aſſonet humanæ cytharæ fibris.

Matt. 16

Baſi Se.

§. XXII.

A verbo Dei præſtantiſſimum ornatum excipimus.

DEi voce excitatæ virgines, non ſolùm exſurgunt, ſed & *ornauerunt lampades ſuas.* Ea enim eſt Dei vox, quæ & excitet dormientes, & pulchrum, & pretioſum ornatum illis præbeat, quo obuiam poſsint ſponſo prodire. Et qualem ornatum à verbo Dei non accipias? Imaginare ornatum, & pretioſum, & pulchrum, quicumque ille ſit, in Dei verbo inuenies illum. Ait D. Auguſt. ex 50. hom. 26. *Qui verbum Dei libenter audit, in aures animæ de patria paradiſi tranſmiſſas ſe ſuſcepiſſe nõ dubitet. Qui admonetur, vt pauperi tribuat aliquid, dum manus ad eleemoſinas expandit, dextralia â Chriſto tranſmiſſa percipiet. Quomodo enim terrenis ornamentis caro luxurioſa paruo tempore ornatur; ſic anima ſancta diuinis ſermonibus, tanquam ſpiritualibus, & æternis bonorum operum margaritis componitur, vt ad illius cœleſtis ſponſi conſortium, & nuptiale conuiuium fœliciter ornata perueniat.* Nullum & pretioſum, & pulchrum ornatum non exhibet animæ ſermo diuinus, ſi auditur. De verbo Dei poteſt homo accipere, quidquid pretij, quidquid decoris, quidquid ornamenti requirit, vt nuptiale cœleſtium potiatur conuiuium. Nullus theſaurus eſt paratior, ex quo pretioſa ornamenta poſſint requiri, quàm verbũ Dei. Vndè Pſal. 118. aiebat Dauid: *Secundùm verbum tuũ Domine, mihi tribue intellectum.* Expende illud, *ſecundùm verbum tuum*; intellectum petebat, & ſimul oſtendebat, vndè poterat illum accipere ornatiſsimum, nimirũ ex Dei verbo. Non alios theſauros volebat aperiri, à quibus petitionum complementum acciperet, ſciens, quòd ſi vnum Dei verbum adeſſet, ibi præſtantiſsimum haberet, quidquid requireret. Pro quo aie bat D. Ambroſ. ibi, ſerm. 22. *Secundùm verbum tuum mihi tribue intellectum; id eſt, non ſecundùm Philoſophos, non ſecundũ cauſidicos, non ſecundùm mercatores huius ſæculi, ſed ſecundùm verbum tuum, quod eſt veræ ſapientiæ, bonorumque operum fundamentum, vt ſuper illud conſtituat Propheta aurum cordis ſui, argentum ſermonis ſui, lapides pretioſos operationum ſuarum.* Ecce quot diuitiæ, quot decora, quot ornamenta in verbo Dei habeantur: ex nullo mercatore, mihi crede, tot accipies ornamenta, quot habes, vbi Dei verbũ audis. Sunt mundialibus Principibus prõptuaria diuite plena ſupellectili, qua glorioſè poſsint exornari: at iuſti viri in verbo Dei habent, quidquid ad ornamẽtum ſpectat. Eccleſiaſtes cap. 12. *Verba ſapientium, quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt â paſtore vno.* Quæ verba pulcherrimè ſonant in rem præſentem apud lectionem Venetam. *Verba ſapientum ſimilia ſunt ſtimulis, & clauis fortiter fixis, ſuſtinentibus collectam ſupellectilem, ſed quæ dantur â paſtore vno.* In verbis ſapientiæ, quæ ab vno Deo proueniunt, tot ſunt ornamenta, tot diuites ſupellectiles, quot ſunt in clauis, ſeu paxillis mundialium diuitum. Quod enim ſunt paxilli diuitibus ad ſupellectilem, & ornatum ſuſtinendũ, hoc ſunt verba Dei fidelibus, vt inde habeant, quo glorioſè poſsint ornari, & amiciri. Quõ ſpectat Dominus, Iſaiæ cap. 22. vbi in Eliachim loquens de Pontifice maximo, penes quem eſt diſpenſatio diuini verbi, ait: *Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit in ſocium gloriæ domus patris ſui, & ſuſpendam ſuper eum omnem gloriã domus patris eius.* Sic Doctor maximus, qui Dei populum paſcit verbo, pax illus

Auguſt.

Ambr.

Eccl. 12.

Iſai. 22.

eſt,

est, in quo omne gloriæ ornamentum habetur. Nullum promptuarium pretiosiores supellectiles, gratiosiora ornamenta præbet, quàm ea, quæ verbum Dei præ-
Act. 15. bet suis fidelibus. Hinc Actor. 15. dicitur: *Iudas autem, & Silas, & ipsi cùm essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmauerunt.* Ibi Syrus non verbo plurimo, sed *verbo diuite*, legit, quasi in verbo Dei thesauros diuites ornamentorum exprimere vellet.

§. XXIII.

Virginitas, & castitas splendidissimum humanæ naturæ decus, & ornamentum.

ORnarunt virgines lampades suas; & quidem & corpora, & ipsa natura humana maximè ornatur, & pulchrescit, dum in illa splendet dos virginitatis. Psal.
Psal. 92. 92. *Dominus regnauit, decorē indutus est; induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Expende illud, *decorem indutus est*, & quo indumento potuit Deus ornari, & decorari extrinsecùs, nisi virginea assumpta carne? Sic ait Rupertus, lib. 3. in
Rupert. Apocal. cap. 3. *Vbi enim indutus Dominus decorem, & fortitudinem regnauit, id est, virgineam assumpsit carnem.* In virginea carne decorem induit Dominus singularem, quādo virginitatis flos per se sumptus non potest non ad præstantissimum, & maximè decorum ornamentum spec-
Psal. 44. tare. Hinc clamabat ipse Dauid Psal. 44. *Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime, specie tua, pulchritudine tua.* Sic apponit Tertullian. lib. 3. in Marc. & D. Hieron. in epist. ad Principiam; quasi petat Dominum accingi gladio illo suo, qui species, & pulchritudo, & honor, & ornamentum eius sit. Et quis gladius sic Dominum ornauit? Vel vbi ornauit? Iam explicat, dum dicit, *super fœmur tuum*; gladius enim, qui aduersus libidines est, qui pudicitiæ septa seruat inexpugnabilia; is equidem gladius, & ornatum, & speciosum reddit quemlibet, etiam potentissimum. Et qualis est hic virginitatis ornatus? Aiebat Matth. cap. 6. *Consideratelilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis.* Vicit Salomonis ornatus omnem mundialium ornatum, sed ipse ab vno ornatu liliorum vincitur, quando in lilijs solus virginitatis ornatus intelligitur, qui solus potest quā longissimè superare ornatus cunctos. Ait D. Pasch.
Paschas. in Psalm. 44. *Virginitas, quæ Angelis comparatur, per lilia quam sæpè in scripturis præfiguratur. Et ideò dixit Dominus, quòd nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. In quibus nimirùm floribus renitet intùs floris veri incorruptio, & pulchritudo per claritatem integræ castitatis.* Lilia spiritualia sunt, lilia virginitatis, quæ in ornatu possunt excedere ornatissimum quemquam, adeò vt florida virginitate considerata, etiam glorioſissimus Salomonis vilescat, sordescatque ornatus. Nunquam Salomō ab ornatu sic glorioſus aparuit, vt appa-
1. Thes. 3. ret virgo de sola stola puriſsimæ castitatis. Ex quo aiebat Paul. 1. ad Thessalon. 3. *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore.* Expende, ex quo putet Paulus vas humanæ naturæ honorificè ornari in nobis, & non solùm in quibuscumque hominibus, sed etiam in præstantissimis, & insignibus munere altaris. Nimirum, si fornicatione eliminita fulgeat in corporibus humanis castitas, inde iam possidentur nostrorum corporū vasa, sic ornata, vt in honore, & gloria esse videantur. Ad quod D. Bernard. epist.
Bernar. 42. ait: *Vas interim fragile, quod portamus, in quo & crebrò periclitamur: tenet castitas, vt monet Apostolus, in sanctificatione, & instar odoriferi balsami, quo condita cadauera incorrupta seruantur, sensus ipsa, & artus continet, & constringit, ne dissoluantur otijs, ne corrumpantur desiderijs: ne carnis voluptatibus computrescant. Hoc itaque tantæ pulchritudinis ornamentum, dignè dixerim sacerdotium honorare, quòd dilectum Deo, et hominibus faciat sacerdotem, cuius quippè memoria non in carnis successione, sed in spirituali benedictione, reddatque similem in gloria sanctorum, in hac licèt regione dissimilitudinis constitutum.* Tæduit Bernardum mundialium Principum ornatus componere cum castis, virgineisque corporibus. Vasa enim humanitatis nostræ vel vna castitate vestita, & ornata Salomonis ornatus vincit, æmulantur cœlestium Principum ornatus glorioſos. Aiebat Dominus, Apoca-
Apoc. 3. lyp. 3. Episcopo Sardis. *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimen-*

timenta ſua, & ambulabunt mecum in albis, quoniam digni ſunt. Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis. Sanè ſi ipſi habent veſtimenta minimè inquinata, ſed alba, ſed puriſsima, adeò vt digni videantur ſo cij eſſe agni immaculati; cur illis ſolũ hoc præmium offertur poſt victoriam, quòd ſic veſtiẽtur veſtimentis albis? Nec in puluere belli veſtimenta inquinata habent, ſed alba, ſed puriſsima; quid mirum, quòd poſt victoriam ſimilia habeant? Cur non ſplendidiora, & pretioſiora illis promittuntur? Sanè corporibus humanis nec in gloria eſt ornatus alius præſtantior, quàm virginitas, & integritas; vndè quę corpora habent ſtolam hanc albiſsimam, puriſsimam in mundo, ſic ornata ſunt, vt neq; in gloria aliter pretioſiùs poſsint ornari, niſi eadem ſtola fulgida appareant. Ait Rupert. Rupert. lib. 2. in Apocal. *Quia non inquinauerunt veſtimenta ſua, id eſt, incorrupta ſeruauerunt corpora ſua. Ambulabũt mecum in albis; mecum, inquit, filio virginis: mecum, cuius caro virginea continentiæ dedicauit exemplum, qui ſum virgineus flos, virginitatis lilium. Mecum ambulabunt in albis, id eſt, in corporibus immaculatis, cũ quibus reſurgunt nitidi, velut agni nouelli.* Non alius in lacrymarum valle, & in reſurrectionis ſtatu, erit virgineis corporibus ornatus; ſed qui ab incorrupta virginitate venit ornatus in hac valle lacrymarum, idem eſt cum eo, quem habebunt virgines; dũ gloria immortali veſtiantur.

§. XXIIII.

Continentium ſtatui ſingularis, & ſplendidiſsimus ornatus eſt multitudo filiorum ſpiritualium. Vbi de Virgine Maria omnium prædeſtinatorum matre.

MIrabar, quòd virgines dicerentur ornaſſe lampades ſuas; qualis enim lampadis ornatus poteſt eſſe virginibus, quibus nulla ſpes poſteritatis per filiorum generationem poteſt eſſe? Sapiẽter illa fœmina. 2. Reg. 14. dum apud Dauidem queritur, quòd vnicus ſibi relictus filius, ad mortẽ à cognatis peteretur, ait: 3. Reg. 14 *Quærunt extinguere ſcintillam meam, quæ relicta eſt, vt non ſuperſit viro meo nomen, nec reliquiæ ſuper terram.* Meritò, inquã, & ſapienter putabat fœmina cum abolitione, & ablatione filiorum, non ſolùm lampadem ornatam, ſed nec ſcintillulam poſſe ſibi manere. Et qualis lampas, vel ſcintilla poteſt eſſe, cui nullus filius eſt, nulla poſteritas? Adde, quòd vt filij pro lampadibus vſurpentur, ſic & pro ornamento in ſacris litteris habentur. Iſai. 49. Iſai 49. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi, viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa.* Quomodo ergo virgines proponuntur cum lampadibus? Quomodo virgines cum filiorum ornamentis? Et quidem nullus proprior virginum ornatus, quàm ſpirituales filij, nemo putet virgineum ſtatum ſterilem; quin potiùs nulla vnquã mater tot filios peperit, quot virgines filios pariũt quotidie Deo. Nuptiæ orbem terrarũ filijs replent, at vt cœli filijs repleantur, hoc virginum, continentiumque laboribus debetur. Iſaias cap. 62. Iſai. 62. *Habitabit iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui. Et gaudebit ſponſus ſuper ſpõſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus.* Verba ſunt myſticum Dei, & Eccleſiæ explicantia connubium: & illud aſſerunt, quòd, ex quo nobiliſsimus iuuenis, & ſpõſus, Dei filius habet ſponſam Eccleſiam virginem, filiorum creſcit numerus, & ornamentum: quippè ait; *Habitabit iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij*: vt filij habitent in Eccleſia, neceſſum eſt, iuuenis diuinus habitet cum virgine, vt ſit in Eccleſia, & perſeueret virginitas. Quis virginitatem ſeruet, vt naſcantur filij, vt ornetur filijs? Sanè ſi de filijs ſpiritualibus, qui in Chriſto regenerentur, ſermo fiat, hoc veriſsimum, & certiſsimum eſt, quòd neceſſum eſt, vt floreat continentia, & virginitas, vt filiorum multiplicetur numerus. Ait D. Paſchaſ. in Pſalm. 44. Paſch. *Tale eſt iſtius virginis connubium, nempè Eccleſiæ, vt ideò fœcundetur ab hoc viro virginitas, quia in hoc connubio nulla vnquam poteſt eſſe corruptio; et tanta in hac matre virginitas perſeuerat, et integritas, vt niſi virgo ſemper eſſet, mater eſſe non poſſit*: quaſi tota Eccleſiæ fœcunditas, vel ſaltem præcipua, vt filios Dei acquirat, vt velut ornamento veſtiatur ingenti filiorum numero, ex virginea virtute venit, florente in illa. Nõ enim ali, quàm continẽtium, & virginum ſtatui videtur Deus conceſſiſſe hanc fœcunditatem, qua poſsint ornari renatis in Chriſto filijs. Et credide-

rim

rim ex hoc ornamento maximè extolli, & exornari Christi sponsas virgineas. De Lia Zabulonem sextum filium pariente, Gen.30. ait textus, Gen.30. *Rursus Lia concipiens peperit sextum filium, & ait: Dotauit me Deus dote bona.* Expende, quando bona fœmina glorietur de dote ex Deo accepta, nimirũ quando sextum Zabulonem filium parit, tunc meminit dotem, tunc dotis pretium, & ornamentum exaggerat. Et cur Zabulon sextus filius sic facit ad commendationem dotis matris suæ? De illo Deut.33 dicitur Deut.33. *Lætare, Zabulon, in exitu tuo, & Isachar in tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem, ibi immolabunt victimas iustitiæ.* Et quidem de terra Zabulon exiliere Apostoli primi, Ecclesiæ Christianæ fundamina prima, qui relictis parentibus, & vxoribus cæperunt in hoc incumbere, vt filios parerent, Christo, vt nationes vocarẽt ad fidem, & renatorum in Domino facerẽt crescere numerũ. Meritò ergo cùm Zabulon, à quo filiorũ renatorum in Christo progenies exiuit, dicitur bona dos nata fuisse; hac enim dote filiorum spiritualium maximè floret sponsa virginea. Accipite pulcherrimè super Richar. Vict. hoc differentem Richardum Vict. de præparatione ad contemp. lib. 1. cap. 44. *Nescio, si potest homo aliquid â Deo in hac vita maius accipere: ignoro, an posſit hac gratia interim maiorem aliquã Deus homini concedere, quã vt eius ministerio peruersi homines in melius mutentur, vt de filijs diaboli, filij Dei efficiantur. An fortè cuiquã magis videbitur mortuos suscitare? Ergo ne maius erit, restituere carni bona transeuntia, iterũm peritura, quàm animæ reddere bona æterna in æternum mansura? Oqualis dos: quanta dignitas talem gratiam â Deo accipere: non debuit Dei sponsa â sponso suo dotem aliam accipere: non decuit cœlestem sponsum sponsæ suæ dotẽ aliam donare, quã vt per adoptionis gratiã posſit, multos Deo filios gignere, & de filijs iræ, regni cœlestis hæredes adscribere. Meritò ergo Zabulon nato exclamat mater eius Lia: Dotauit me Deus bote dona.* Quid pulchrius? Aliquid decerpsisse magnũ fuisset piaculum. Hac singulari dote virgineæ Christi spõsæ ornantur; nec in hac vita aliud inuenitur ornamentum præstantius, quàm quòd liceat homini filios Dei regenerare. Non sic ornantur sancti mortuorum suscitatione, vt ornantur filijs per adoptionis gratiam regeneratis. Sanè non sic de alio oramento fulgerent Christi sponsæ; nec decens erat, quòd Deus virgineis suis sponsis hanc dotem, hoc ornamentum negaret. Vndè fit, vt quam primam virginem sponsam elegit, eam simul in matrẽ filiorum Dei fœcundaret. Apocal.21. ait Ioannes: *Vidi ciuitatem Hierusalem nouam, descendentem de cœlo, â Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitauit cum eis.* Nemo inficiabitur, ijs verbis prædicari Filij Dei descensum de cœlo in vterum Mariæ, vbi homo factus est, & habitauit in nobis. Sed illud notãdum, quòd vbi de Dei descensu loquitur, & solùm ad eum nos attendere velit, dicens: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitauit cum eis.* Simul exhibeatur oculis non vnus Deus, sed frequentissima ciuitas hominũ etiam cum Deo descendens, & cum eo veniens, Si Deus ad Mariæ Virginis tabernaculum descẽdit, cur ibi ciuitas adeò frequens hominum ostenditur? Pulchrè cum Deo ad Mariam venientem depingitur, & ibi ciuitas hominum frequens; ex quo enim Deus tantam Mariæ virginitatem in matrem, & sponsam elegit, vix potuit non illi concedere, quòd simul parẽret per adoptionis gratiam prædestinatorum populos vniuersos. Ait Ansbertus citatus à nostro Viegas in cap.3. Apocal. cõment. Ansb. 2. sect.5. *Multitudo electorum cum Christo in vtero Virginis prædestinata descendit.* Vbi se se Dominus virginitati Marianæ dedit, & simul illi dedit omnes prædestinatorum segetes, vt inde parturirentur. Et quidem non debuit Dei sponsa aliam dotem à cœlesti sponso accipere; nec deceret cœlestem sponsum sponsæ suæ aliã præstare dotem, quàm vt per adoptionis gratiam multos Dei filios exhiberet. Hæc enim, hæc propria dos est data à Deo virginibus, & continentibus. De se aiebat Ezec. cap.24. *Mortua est vxor mea ad vesperam, et feci manè sicut præceptum mihi erat.* Ezec.24 Quod sic ponderat D. Hieron. lib.1. in Iouinian. *Diligenter perpende, donec vxor viueret, non habebat libertatem populum commonendi. Moritur vxor, et absque vlla trepidatione semper in officio prophetalis est.* Hieron. Non ea est dos nuptorum, sed virginum, sed continentiũ, quòd lucrentur populos, quòd pariãt populos Christo: sic ex quo prima virginitas Deo sacratur, cum Deo ibi morante prædestinatorum examina parturiuntur. Huc trahe dicta tom.3. lib.15. §.10.

Matt.25.

Matth. 25. Fatuæ autem ſapientibus dixerũ: Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur.

§. XXV.

Extremam caueat ruinam, qui in ſtrenuæ virtutis profeſſione ad hominum laudes expiſcandas componit vitam.

ECce fatuæ virginis, nimirùm animæ reprobę propriſsimũ ſtudium, quòd in ardua virginitatis omnimodæ profeſſione ſollicita ſit de aliorum oleo inquirendo, de captandis alioruũ plauſibilibus aſſentiunculis. Diu. Auguſtinus, ſerm. 23. de verbis Domini: *Date nobis, inquiunt, de oleo veſtro; hoc quærebant, quod conſueuerant, id eſt, alieno lucere, ad alienas laudes deãbulare.* Sic fatuæ virgines, ſic reprobæ animæ in perfectionis ſtatu, in ſtrenuarum virtutum profeſsione viuunt, vt pro plauſibus hominum, & laudibus hauriendis nihil prætermittant; omnia perambulent; circumcurſent omnia, illis adhæreat, & intimi laterones fiant, à quibus laudantur plenioribus buccis. Proh ridiculum, & verecundum in homine mediocriter prudenti ſtudium! In illo autem qui altioris virtutis profeſsionem induit, id extremæ fatuitatis, & reprobæ ſtultitiæ ſignum eſt perſpicuum, ſi inter hæc ad alienas laudes ambulare ſtudeat. Notiſsimus apud omnes eſt Simon ille Magus, mundi peſtis: is fidei Chriſtianæ myſteria audiens, mundi abiectionem per Filij Dei exinanitionem prędicatam cognoſcens, decreuit nomen dare cœleſti doctrinæ. Actor. 8. dicitur: *Tunc Simon, & ipſe credidit, & cùm baptizatus eſſet, adhærebat Philippo.* Profeſſus fuit & iſte Simon Apoſtolicam vitam, ſectatus eſt Ieſu recenter effuſi ſanguinis, & penê calentis ſemitam anguſtam. Quid tunc? Vidit, quòd per impoſitionem manus Apoſtoli baptizatis viſibiliter infundebant diuinum Spiritum; ſiuè quòd Spiritus ſanctus ad Apoſtolorum manus deſcenderet in igneis linguis, ſiuê quòd in alia externa, & viſibili figura. Hanc æmulatus poteſtatem Simon, cupienſq; illàm ſibi obtinere datis pecunijs, audit à Petro: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto.* Sic Petrus rejicit Simonem miſerum, ſic prorſus à regno Dei excludit, & declarat perditionis filium. Cur Petrus in Simonem tàm durus, & tàm irreconciliabilis exiſtit? Peccauit, fateor, Magus iſte; ſed & Petrus peccauit, tribus vicibus negans Chriſtum, à quo tot receperat beneficia, & tamen veniam obtinuit. Cur & peccanti fratri non manſuetior exiſtit? Cur magis dicit perditionis filium Magũ quàm ſe ipſum? Pulchram rationem attigit alibi datus Tertullianus, lib. de idolatria, inquiens: *Simon Magus iam fidelis, quoniam aliquid de circulatoria ſecta cogitaret, vt ſcilicet inter miracula profeſſionis ſuæ, etiam Spiritum ſanctum per manuum impoſitionem venundaret, maledictus ab Apoſtolo, de fide reiectus eſt.* Expende, cur funditùs perdatur hic miſer, nimirũ, quia inter miracula profeſsionis ſuæ; per exhibitionem viſibilem Spiritus ſancti, aliquid de circulatoria ſecta cogitabat. Quid plura? Magia vocatur circulatoria ſecta, quia in eius exercitio Magi circulis effictis vtũtur, vt ſuas euocationes, & ſpectra perficiant; imô & quia Magi circulatores ſunt, & circumitores vrbium, & caſtellorum, luſtrantes vniuerſos hominum concurſus, in compitis, & plateis ſpectra ſuæ artis efferentes, vt plauſus populares venentur & laudes, & nomen diuinũ. Dum autem hic Magus inter miracula profeſſionis ſuę, in ipſa euangelicę virtutis profeſsione, in exhibitione viſibili Spiritus ſancti, ad Magorum conditionem cogitabat viuere; nimirùm circumiens vrbes, conueniens hominum concurſus, vt peractis diuinis virtutibus humanos plauſus expiſcaretur, laudeſque, & nomen diuinum acquireret, inde perijt irreparabiliter. Huc conueniant vniuerſi viri perfectionis Chriſtianæ ſtudioſi, qui ſunt in ſcholis & perfectionis, & virtutum magiſtri, qui ex profeſsione habent abiectionem mundi, ſequelam Chriſti. Ij huc conueniant, & notent, quid in circumitionibus ſuis quærant; ſi obambulent ad laudes expiſcandas, ſi inter miracula religioſæ vitæ, inter Spiritus ſancti exhibitiones, de plauſibus humanis acquirẽdis ſint perditê ſolliciti, & metuant virginum incurrere fatuitatem extremam. Reprobus ille Saul poſt peccatum ſuum, non ſemel di-

Auguſt.

Tertull.

Act. 8.

xit, peccaui, sed & bis eadē repetiuit verba pœnitentię, nec tamen obtinuit veniā, sed irremediabiliter perijt. Et cur irremediabiliter perijt? Ait. 1. Reg. *Peccaui, sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel.* Ad quæ verba præclarè Rupertus, lib. 2. in Apocalyps. cap. 2. ait: *Honorem ergo, vel gloriam non Dei sed suam ista confessione mercari voluit. dicendo, peccaui. Iustè ergo solium eius de loco suo moueri debuit.* Sic professores perfectionis, qui de virtutum credito plausus humanos quæritant, non mirabor, si pereant. Et metuo, ne multi religiosi concionatores mereantur repulsam à cœlis, quia inter miracula Christianę professionis, aliquid, imò & multùm cogitant de circulatoria secta, instar Magorum, & vagorum homuncionum circumeuntes vrbes, & castella, vt figuris effectis, & Rethorum flumina vomentes, de Spiritus sancti credito plausus populares sibi venentur.

1. Reg.

Rupert.

§. XXVI.

Adulatores sermones lethales

HEu virginū fatuarum miseriam! aiūt enim: *Lampades nostræ extinguuntur:* & cur non extinguantur lampades, quę de solis alieni oris laudibus lucebant? Sanè laudatoria verba, adulatores sermones nihil melius faciunt, quàm extinguere vitę flammas, & funditùs perdere. Hoc nouerat Dauid Psalm. 140. aiens: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meū* Nemini dubium est, ibi detestari Dauid hominum laudes, quæ instar olei demulcent, & suauiant audientium aures; quas laudes meritò vocat *oleum peccatoris*; pro quo alij legunt: *Oleum venenatum non infringet caput meum.* Sunt quidem populares laudes suauissimæ, sed venenatæ, quæ venenum spirent ad perdendum, ad deuastandum, vt ægrè, & difficulter aliquem permittant vitā agere. Philo Carpatius in Cantica, sic de adulatoribus fatur: *Teterrima pestis vrbibus assentatorum vita, tabificus morbus eorum consuetudo adolescentibus, domibus ruinæ, monasterijs euersio, Christianæ religioni extrema calamitas, omniumque malorum seminarium, & origo.* Ecce tibi laudatorij sermones, verba assentatoria quàm sint ad perdendum nata; quàm nulli statui, nulli ætati, nulli vrbi parcant, sed florentissima quæque perdere, & exurere nitantur. Hierem. cap. 11. dicit Israeli: *Oliuam vberem pulchram vocauit Dominus nomen tuum; ad vocem loquelæ grandis ignis exarsit in ea.* Grandia verba sunt, quæ dicuntur in hominum laudes, sed quæ nutriant ignem, qui nulli virori parcat. Ex Dei beneficijs habuit Israel, quòd vbique eius fertilitas, eius gloria prædicaretur, laudaretur; at, quò magis laudabatur, eò citiùs abijt in flammas. Ait Diu. Gregorius, homil. 21. in Ezech. *Ad vocem ergo loquelæ grandis, exarsit ignis in ea, quia in magnitudine fauoris, flamma in corde accenditur de amore laudis. Sed omnia oliuæ fructeta comburuntur, quia ante Dei oculos: vel quæ benè gesta, vel quæ scienter sunt dicta, depereūt, cùm iam non amore Domini, sed intentione transitoriæ laudis fiant.* Sic laudatorij plausus omnem animæ virtutem dant flammis, nec sinunt aliquid viride germinari. Hanc pestem caueant vniuersi, qui bona sua ab incendio amant liberari, & volunt animæ suæ parcere. Sapienter enim monebat Reges Diu. Synesius, libro de regno, fatus: *Cauendum præsertim, idque totis animi viribus, aut etiam, si fieri posßit, vniuersa adhoc regiarum aularum arma comparanda sunt, ne amicitiæ persona extrinsecùs circumfusa incautis obrepat adulatio. Sola quippè hæc, ne quicquam vigilantibus satellitibus imperium deprædatur; nisi enim penitùs arceatur in ima, vsque conclauia sensim penetrat, Regumque nobiliſsimam partem, animam nimirùm adoritur.* Proh oleum venenatum! Sic inter placidissima laudum verba; inter suauitetes plausus hostis venit, qui regna perdat, qui nec animam viuere desinat. De hoc periculo etiam monebat Petrus Damianus, epist. ad Blancam Comitissam, cap. 8. aiens: *Sæpè malignus spiritus velut auis in ramo arboris, sic in lingua ponitur adulantis: tu autem obtura aures malè suadentibus Sirenibus, & Scyllæ voraginis prudenter euade naufragium: ficque cor tuum in sancto proposito terror indicij figat, vt nequaquam ventus assentatorij fauoris hinc euellat.* Hanc nobis cautelam docuit Iesus, cui dicunt Iudæi, Ioan. 8. *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Et respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo.* Sic placidè, sic mansuetè ad tantam contumeliam respondit. Huc trahite illud Matth. cap. 21. vbi sic ait: *Accesserunt ad Iesum*

Pſ. 140.

Philo. Carp.

Hier. 11.

Greg.

Synes.

Dam.

Ioan. 8.

Matt. 21

Scribæ

Scribæ, & Phariſæi, dicentes: Magiſter, volumus â te ſignum videre. Qui reſpondens, ait illis: Generatio mala, & adultera ſignum quærit. Vbi Samaritanus, & dæmonium habens vocatur, placidè reſpõdit; vbi Magiſter dicitur, & laudatur, diris perſequitur illos, vt qui docet, plùs timendum eſſe, & cauendum à laudibus, quàm ab iniurijs. Chryſoſtomus, homil. 44. in Matthæum, inquit: *Ita cùm illi aſperè, & contumelioſè loquuntur, iucũdius, atque humiliùs reſpondet: cùm verò aſſentantur, tunc non mediocri vtitur acrimonia, omni ſe perturbatione ſuperiorem oſtendens. Veluti enim tunc nulla ira concitatur, eodem nunc modo adulationibus non delinitur.* Vtinam hinc Chriſtiani diſcant, qualiter à laudibus exhibitis ſibi timeant.

Chryſoſ.

§. XXVII.

Vanè ſanctorum nititur patrocinio, qui illud obſequijs ſibi comparare non curat.

VIde ſtultiſsimam impudentiam iſtarum virginum: vident ſuas lampades extingui, & adhuc per tempus licere remedium inquirere; nondum enim oſtium clauſum erat, ſed patebant viæ, ſaltem de prudentum patrocinio poſſent præcauere ruinam. Itaque adeunt chorum prudentum virginum, patrocinium earum requirunt; ſed quomodo requirunt? Quippè aiunt: *Date nobis de oleo veſtro*: nullum honorem, nullum obſequium, nullum pretium illis offerunt, ſed tantùm dicunt, *date nobis*: ſic enim ſtulteſcunt, vt promittant ſibi patrocinium nullo obſequio, nullo honore, nullo pretio acquiſitum. Quid ſtultius? Monebat Deus amicos Iob; peccatis magnis obſtrictos: *Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis, Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis. Faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia.* Iubentur ij amiciſsimi Iobi niti patrocinio, ex illoque auxilium petere, ne à Deo caſtigentur, vt ſtulti. Sed expende, qualiter iubentur requirere illud patrocinium; dicit enim: *Sumite ergo vobis ſeptem tauros, &c.* Quaſi velit, vt & victimas inſumant, & Iobo deferant ſacerdotij honorem, & munus, vt notat Chryſoſtomus in Catena Græca. Et quidem niſi donis, & obſequijs exhibitis ſanctorum negotieris patrocinia, extremæ lues pœnam ſtultitiæ. Magdalena dolens quærebat Dominum in ſepulchro, & non inueniebat. Quid tunc? Ioan. cap. 20. inquit: *Conuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem, & non ſciebat, quia Ieſus eſt: dicit ei Ieſus: Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa exiſtimans, quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſubſtuliſti eũ, dicito mihi, vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Ieſus: Maria. Conuerſa illa dicit ei: Rabboni, quod interpretatur, Magiſter.* Vbi cum hortulano putat ſe agere, illum vocat Dominum; at vbi cum Ieſu loquitur, non Dominum, ſed Magiſtrum vocat. Et cur, quæ Ieſum ſolum Magiſtrum vocat, ſic æſtimat hortulanũ, ſic extollit, vt vocet eum Dominum? Prudentiſsima fœmina quando hortulanum credebat, eius patrocinium ad inueniendum dilectum comparare volens, illum honore, & obſequio alliciens Dominum vocat. Pulchrè Diu. Auguſtinus, tractat. 121. in Ioannem, ait: *Nemo calumnietur mulieri: quòd hortulanum dixerit Dominum, & Ieſum Magiſtrum. Ibi enim rogabat, hîc agnoſcebat. Ibi honorabat hominem, â quo beneficium poſtulabat, hîc recolebat Doctorem.* Stultum ſanè eſſet, & vanum ſperare beneficium nullo ſaltem obſequio honoris extortum; ideò ſapiens mulier, quem credit ſibi in tanta deſolatione fauere poſſe, honorificis vocabulis allicit, vt vel obſequijs ad benefaciendũ cogat. Similiter de filiorum Zebedæi matre dicitur, Matth. 20. *Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi, adorans, & petens aliquid ab eo.* Expende illud, *adorans, & petens*: de quo Diu. Thom. in Catena, ait: *Reuerentia exhibita petit, vt quod petierit ſibi detur.* Multùm, mihi crede, ſtulteſcit, qui vel à filijs Dei beneficium expetit, ob quod comparandum nihil honoris, nihil obſequij, nihil pretij vult exhibere. Quis nimis certus, ſperet moueri ſanctos gratis ad auxiliandum eis, à quibus nullum obſequium acceperunt? Matth. 8. dicebat nobilis Centurio Deo: *Dic verbo, & ſanabitur puer meus*: at fœmina prudens, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, Matth. cap. 9. *Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius, &c.* Non quieſcit in alio, vt ſalutem ſperet, quàm ſi vel fimbriam tangat; & cur cùm Centurio in verbo quieſcat, hæc non in verbo, ſed tactum præſtolatur? Sanè hæc agebat

Auguſt.

D. Thom.

Matt. 9.

cum fimbria vestimenti Iesu, per quam intelligebantur humillimi sancti, quorum patrocinium minimè habebit, nisi qui ad illos extenderit obsequentes manus. Ex quo monebat Diu. Bernard. ser-
Bernar. mon. de quatuor modis orandi, fatus, *Qui facit peccatum, huic minimè expedit per se ipsum ad Christum accedere, sed tangere, si quam inuenerit eius fimbriam; hoc est, eum considerare hominem, quem humiliorem viderit, & extremum in Ecclesia, quæ est vestis Christi: eum, inquam qui elegit abiectus esse in domo Dei, oportet considerare: quoniam is verè est fimbria posita in ora vestimenti, ad quam vtique spiritualis vnguenti descendens à capite copia tota decurrit. Hunc si beneficijs aliquibus, vel prece humili, aut confessione pura tetigerit, vt affectum eius erga se moueat ad compatiendum sibi, habeat fidem, & sine dubitatione sanabitur.* Expende, quando iubeat Bernardus peccatorē sperare salutem, nimirùm, quādo sanctum hominem beneficijs, obsequijs, precibus in sui compassionem adduxerit. Velle autem de sanctorum viuere patrocinio, quòd nullis obsequijs sollicitas, id planè est vitium stultissimum, impudē tissimum.

Matth. 25. Responderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.

§. XXVIII.

Sanctorum patrocinia non iuuant, vbi regnat in pauperes duritia.

MEritò fatentur prudentes virgines, non sufficere sibi, & alijs, quas sine oleo misericordiæ in pauperes vident. Nō enim sufficiunt Sanctorū patrocinia illis, quos tenet possessos in pauperes siccitas, & durities. Apud Lucam, cap.
Luc. 16. 16. clamabat Dominus ad fideles suos: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Non solùm monet, vt faciamus nobis amicos, de quorum auxilio in æterna tabernacula possimus introire. Sed insuper addit, quòd amici faciendi sint de mammona iniquitatis; hoc est, de bonis inter pauperes dispertitis. Sed quid, si facio mihi amicos sanctissimos, & potentissimos in æternis tabernaculis, & tamen non de mammona facio illos? Nonne sufficiet mihi, quòd habeam illos potentissimos amicos, quocumq; modo acquisierim illos, licèt non per mamonam dispertitam? Crediderim non sufficere nobis habere in cœlis amicos, nec eorum nobis profutura patrocinia, nisi etiam stet pro nobis misericordia pauperibus impertita, Aiebat D. Chrysostomus concione 3. de Lazaro: *Chrysost.* *Verum habes amicum, egregium, admirandumque. At ne iste quidem tunc tibi est ad futurus? Quomodo igitur dicit: Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, vt recipiant vos in æterna tabernacula sua? Non hic est amicitia opitulatrix, sed eleemosina. Etenim si sola auxiliaretur amicitia, dicendum erat; facite vobis amicos. Nunc autem ostendens, quòd non sola sufficit amicitia, addidit ex mammona iniquitatis.* Quid pulchrius? Non equidem tibi sufficient ad auxilium cœlestes amici, si desit mammonæ erogati o, si desit misericordia in pauperes. Vndè addit ipse Chrysostomus: *Ac fortassè dixerit aliquis: possum & absque mammona conciliare amicum, eumque meliorem, quàm ex mammona. Verùm vti scires, quòd eleemosina est, quæ patrocinatur opus tuum, ac beneficium tuum, non simpliciter in bonorum amicitijs, sed in amicitijs per mammonam partis iussit te considere.* Nullius etsi sanctissimi amicitiæ minimis fidendum est, quam non comitatur eleemosina erogata pauperibus. Vanè ferè gloriaris amicum, imò patrem nanciscī in cœlis, qui pro te stet, nisi simul circa pauperes misericordiam impenderis. Dives ille Purpuratus immensum gloriabatur de Abraham parente, imò necessitatis tempore, tota fiducia ad tantum patrem con-
Luc 16. tendit: clamat enim, Luc. cap. 16. *Pater Abraham, miserere mei:* nec Abraham negauit se patrem, imò id ipsum fatetur, respondens: *Fili, recepisti bona in vita tua, &c.* Ecce tibi hinc inde & dulcissimæ, & arctissimæ necessitudinis vocabula tractantur, patrocinium tamen ex tanto patre nullum filius habet. Nulla enim necessitudo, nulla amicitia fauet illis, qui apud homines nescierunt fauorem pauperibus præstare. Chrysolo-
Chrysol. gus, serm. 122. & 124. ait: *Stulte petis à*

patre

patre misericordiam, quam negauerat fratri. Non pater ignoscere, non affectio potuit subuenire. Habeas licèt in te propensissimum in cœlis parentem; habeas licêt multis alijs titulis animum obligatum; si misericordiam circa proximos pauperes non habes, si durus es in egentes proximos, nullum patrocinium in cœlis habes. Apud Danielem, cap. 10. vbi Deus volebat à Persarum dominio educere captiuos Israelitas, adest Persarum patronus Angelus, qui pro suis alumnis fortiter de-
Dan. 10. certabat: quippê ait textus: *Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus.* Quôd hic Persarum Princeps fuerit bonus Angelus eorum patronus, auctor est Theodoretus in præsenti, D. Gregor. 17. Moral. 8. Diu. Thom. 1. part quæst. 113. artic. 7. & ferè omnes scholastici. Hic ergo Angelus pro Persis stabat, eorumque iura, & vtilitates in detentione Israelitarum tuebatur. Non sic vbi Israelitæ eruendi erant de Aegypto; ibi nullus fiat Angelus pro Aegyptijs, & licèt Aegyptij, vt de fide est, haberêt patronos Angelos, nullus dicitur Angelus alumnis Aegyptijs fuisse patrocinatus, nec detinuisse eorum plagas, sed vniuersi relicti sunt mergi sub vndis maris. Cur ergo Persę etiam contra Israelem patrocinium Angelorum habêt; Aegyptij autem sine patrocinio vllo permittuntur suffocari? Aegyptij receperant Israelitas famescentes, tanquam aduenas, & peregrinos, & hospites: itaque vbi in peregrinos, & hospites pauperes insurgunt, illosque crudeliter tractant, id cõsequuntur, vt nequeant in ruina sua vllum experiri sanctorum patrocinium. Quod nota-
Athan. bat D. Athanasius in synopsi libri sapiêt, inquiens: *Pro morte verô Aegytiorum in mari rubro, fuit ira Dei absque misericordia, & iter populi insolens. Quod propter inhumanitatẽ erga aduenas mala ista passi sunt Aegyptij.* Meritò, qui hospites, & peregrinos Israelitas tàm inhumanê, & crudeliter tractarunt, perierunt omnes nullo cœlestium ciuium experto patroci-
Ezec. 14 nio. Hinc lucem affero Ezechielis loco, apud quem ait Dominus: *Si autem & pestilentiam immisero super terram illam, & effudero indignationem meam super eam in sanguine, vt auferam ex ea hominem, & iumentum; & Noe, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius: Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia filium, & filiam non liberabunt; sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* Ad hæc verba dubitat Diu. Hieroymus, cur potiùs meminerit Deus Noe, Danielem, & Iobum; & non magis meminerit Abraham, Isaac, & Iacob? Sanè apud Deum celeberrimi erant hi tres patres, & crebrò in Dei ore versabantur, vt passim diceret, se aliquid facere propter Abraham, Isaac, & Iacob; cur ergo in præsenti Ezechielis loco, illorum oblitus, solùm meminit Noemum, Danielẽ, & Iobum? Sanè Iobi, & Danielis, & Noemi filij poterant esse absque eo, quòd insignes fuissent in misericordia circa peregrinos, & pauperes hospites, quando eorum parentes non inde extollebantur apud Dominum. Ex quo etiam poterat accidere, quòd nec Noemus, nec Daniel, nec Iob vllum filijs suis præberent auxilium, siquidem nec à parente, nec ab amico sancto habent patrocinium apud Deũ, qui in pauperes non sunt misericordes. Verùm Abrahami filij non poterant esse, qui minimè haberent misericordam; ex hac enim virtute maximê censebantur tantorum Patriarcharũ proles. Vnde Za-
Luc. 19. chæo dicenti, Luc. 19. *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.* Respondit ilicò Dominus: *Hodiè salus huic domui facta est, eô quôd ipse sit filius Abrahæ.* Veri igitur Abrahæ filij, vt illustres misericordijs, nunquã non haberent apud Deum patrocinium propter tantorum parentum nomen.

§. XXIX.

Magnus dolor homini est, quòd tempore angustiæ cogatur non Deum respicere, sed creaturas.

QVale hoc consilium prudentum virginum, quòd afflictas socias ob defectum olei remittant ad vendẽtes? Aiũt enim: *Ite potiùs ad vendentes*; cur nõ magis in arcto posite iubentur ire ad Deũ, iubentur clamare ad Dominum, quam ad vendentes? Non quærebant illæ sociarum commodum, sed afflictionem maiorem, sed dolorem, qualem habet, qui in necessitatis tempore cogitur clamare ad eum, qui in nullo iuuare potest. Pruden-

tes in præsenti non consulunt, sed irridẽt fatuas, vt quæ non ad Deum, sed ad creaturarum cogantur pulsare portas. Et quãta hæc afflicto egenis? Et quantus dolor? Apud Ioannem, cap. 19. vbi Christus Dominus suffixus cruci apparet, *Dicit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus*, dũ illi discipulum loco filij ostendit. Hæc dixit Iesus Matri suæ, & crediderim tunc singulariter sanctissimam Matris animam acutissimo fuisse doloris gladio transuerberatam, vbi audit, sibi pro Dei Filio hominem dari spectandum. Quis Mariæ tũc dolorem explicet? Pijssimè, & sanctissimè ait Diu. Edmundus Cantuariensis in speculo Ecclesiæ, cap. 23. *Quanta angustia erat repleta Maria, quando stetit ad dexteram filij sui, & recepit discipulum pro magistro, & quando habuit magnum dolorem, quando recepit seruum pro domino, & filium peccatoris pro filio Dei.* Meritò ad magnum Mariæ dolorem refertur, quòd iuberetur ire ad filium peccatores pro filio Dei, licèt hoc malum breui finiẽdum erat. Quantus ergo erit dolor, quanta angustia illorum hominum, quibus egentibus non per breue tempus, & benignè, sed in sempiternum, & cum magna irrisione dicatur, quòd pro magnifico Deo, eant ad vanissimas, & auarissimas creaturas? Sic miseri Israelitæ extremum captiuitatis suæ dolorem exaggerant, Psalm. 136. dum dicunt: *Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum. Et qui adduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Magnus fuerat dolor, quòd iuberentur à patria, à paterna domo, à templo Dei exire, & miseri, egentes, angustiati, captiui inter emptores, & venditores Babylonios ambulare. Sed accipe alium dolorem longè maiorem, quòd ibi pro Deo cogebantur habere emptores suos prophanissimos auditores cãtionum suarum. Vt quæ Deo auxiliatori vero deberent canere, ea passim prophanissimis irrisoribus cantarent. Ait Cassiodorus in præsenti: *Addunt aliud pondus doloribus suis, vt vsque ad hoc ludibrium veniisse defleant, quatenus Dei carmina reuerenda hominem passim voluptate perfundant, fiatque illis necessitas paganis dicere, quòd sola plebs Domini consueuit audire.* Magnum quidem additamentum doloris, & afflictionis est, quòd faciendas Deo preces, non Deo, sed creaturis, sed tyrannis faciamus, qui nos in miseram, & durissimam seruitutem trahunt; & quòd necessitas cogat non ad Dei legem, sed ad conditionem captiuantium nos, voces formare.

Ioan. 19

Edmũd

Psl. 136.

Cassiod.

§. XXX.

Auaritia Ecclesiasticorum perditio est animarum.

AD vendentes mittuntur fatuæ virgines à prudentibus; hoc est, vt mauult Caietanus, ad Sacerdotes, qui vendunt pœnitentiam contritis; ego crediderim magis ab irridentibus virginibus mitti fatuas illas ad Sacerdotes, qui vendũt pro pane absolutiones à peccatis. Et quibus alijs mitterentur irridendi pœnitentes? Scatent equidem Dei templa venditoribus istis, qui pro temporalibus lucris miseros pœnitentes non tàm absoluunt culpis, quàm illudunt, & extremam perditionem animabus inferunt. Luc. 19. *Vt appropinquauit Iesus videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses, & tu quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quoniam venient dies in te, & circumdabunt te, & coangustabunt te. Et ingressus in templum cæpit eijcere vendentes in illo, & ementes.* Expendendum maximè est, quòd post deploratam ciuitatem, nil priùs agit Iesus, quàm ementes, & vendentes è templo ejicere; quasi innueret, quòd populorum, animarumq; ruina, & perditio inde maximè nascitur, quòd in Dei Ecclesia multiplicentur venditores absolutionum isti. Pulchrè ait Galfridus apud Tilmannum in allegorijs, inquiens: *Si aduertimus, quomodo cæpit Iesus eijcere ementes, & vendentes de templo, mirum, si non lugemus, qui tàm multos etiam nunc in Ecclesia vendentes, & ementes videmus. Liquet enim quòd ob auaritiã maximè eorum, qui in templo negotiabantur, imminere ciuitatis excidia videbantur, quãdo post lachrymas, & querelas illi potissimum sunt electi. Quid verò hodiè nobis timendum est, si de similibus idem iudicium? Cæpit igitur Iesus eijcere ementes, & vendentes de templo. Eijcere cæpit, quia nondum eiecit, & certè timeo ne hodiè paucos relinqueret, si vniuersos eijceret. Et fortè propter hoc pauci inuenientur electi in multitudine vocatorum, quòd vehementer excreuerit venditorum numerus, et emptorum.* Vtinam solùm antiquitùs hæc lues grassaretur in viris Ecclesiasticis; at & nunc eodem aliqui tenentur morbo, ad propriorum lucrorum conditionem salutem

Luc. 19.

Galfr.

lutem mensurantes animarum, id præcipuè spectantes, non quo animæ in veritate curentur, sed quo sui crescant prouentus temporales. Quanta hæc animarum perditio? Fallar, nisi hoc sit aut maximũ, aut præcipuum in Ecclesia malum. Actorum. 8. Simõ ille Magus miratus per manuum impositionem ab Apostolis dari visibiliter Spiritum sanctum, vehementer cupiens potestatem similem, pecuniam accipit, Apostolos adit: *Obtulit eis pecuniam, dicens: Date mihi hanc potestatem.* Quid tũc? Petrus diuina inflammatus ira, illi respondit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto; cor enim tuum non est rectum coram Deo: In felle amaritudinis, et in obligatione peccati video te esse.* Et quantum erat scelus, quod rudis adhuc in Christiana doctrina, & perfectione homo pecuniam offerat pro habẽdo diuino spiritu? Cur sic exarsit Petrus? Cur sic aduersus hominem, & pecuniam eius inflammatur, vt perditionem minetur vtrisque? Sanè sapientissimum Ecclesiæ caput nouit in pecunia illa telum inimici, ad perdendum vniuersum mundum. Vt enim antiquitùs in pomo latuit anguis, qui caput hominum infecit Adamum, & inde ad vniuersos homines venenum diffudit. Sic modò in pecunia illa latebat anguis idem, persuasus posse iterùm totum mundum inficere, si capite Ecclesiæ pecuniarum amore correpto, Ecclesiasticos viros faceret venditores diuinorum charismatum. D. Clemens Roman. 6. constit. cap. 7. ex Petri ore inquit: *Voluntas diaboli erat, vt ipsum Adamum post degustatum cibum interdictũ promissa immortalitate priuarat, sic nos pecunia delinitos, & captos dono Dei priuare, si hac permutatione facta, donum Spiritus sancti, quod æstimationem superat, nummis addiceremus.* Itaque eadem voluntas, idem intentum fuit diabolo in exhibendo Petro pecunia, quod fuerat in exhibendo pomo Adamo: vtrobique caput petitur, ibi orbis, hìc Ecclesiæ: vtrobique intenditur orbis totius excidiũ: ibi de capitis affectu ad mulierem; hìc de capitis affectu ad pecuniam: ibi si in paradiso præualeat ambitio; hìc si in Ecclesia præualeat auaritia, bonorum spiritualium emptio, & venditio.

Act. 8.

Clem. Rom.

***

Matth. 25. Dum autem irent emere, venit sponsus; & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, &c.

§. XXXI.

Inueterata in aliquo vitio consuetudo facili negotio trahit hominem in perditionem ab ipso penè gloriæ ingressu.

POstquam virgines excitatæ sunt clamore cœlesti, vbi sponsus penè in ianuis erat, & instabat æterni connubij momentum. Tunc defatuis virginibus dicitur: *Et factum est, dum irent*, nimirùm ad vendentes. Tunc simplici verbo prudentum de vẽdentibus monitę domo exeunt, & eunt ad vendentes. Cur in tanta expectatione sponsi, in tãta propinquitate instantis gloriæ, tam facili, & simplici verbo commouemini, vt domo exeatis, vt eatis ad vendentes? Erat illis consuetudo cum illis venditoribus agendi; quippè ait D. Paschas. *Quid est dicere, ite ad vendentes? Nisi quia sic facere consueuistis.* Consueuerant cum laudum venditoribus cõmorari; consueuerãt circum ire populos, vt plausus populares emerent: vndè fit, vt inter tot expectationes gloriarum, ab ipso penè gloriæ ingressu illas vel verbulum auditum trahat ad notos vendentes, vbi pereant. Metue, Christiane, inueteratam consuetudinem alicuius vitij, hæc te penè in gloria constitutum, facili negotio faciet venire ad consueta præcipitia. Propone tibi ante oculos Israelitas illos in terram promissam pergentes, pane iam viuentes Angelorum, non tàm pedibus suis, quàm super alas Dei abeuntes. Quid tunc? Ait Numeror. 11. *Vulgus quippè promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagrauit desiderio carnium, sedens, &*

Paschas.

Num. 11.

stens, iunctis sibi pariter filijs Israel, et ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpe, et allia. Anima nostra arida est nihil respiciunt oculi nostri, nisi Man. Expende, quibus rudentibus trahantur in Ægyptum, qui pro Ægyptijs bonis vtebantur cœlestibus delicijs. Aiunt quidem: *In mentem nobis veniunt, &c.* Non in manus, nec in buccam illis veniebāt cibi illi, sed solùm menti eorum accedebat quædam vmbratilis repræsentatio, qua penitùs rapiebantur. Quòd si cibi illi præ manibus essent, vel saltem proximi adessent, non mirarer, quòd carnales homines ad se raperēt. At cùm longissimi abfuissent, & tantùm quædam quasi vmbra illorum menti appareret, vndè potuerunt sic homines afficere, vt illos à tantis cœlorum dapibus abhorrere facerent? Consueuerant illis vti cibis Israelitæ, & vbi consuetudo longa alicuius rei interuenit, vel illius vmbra hominem prorsus rapit, & in vsus consuetos abire facit. Heu quoties hominem super astra eleuatum, carnali vita penè exutum, & iam iam penè in gaudia Domini intrantem vel simplex apprehensio consuetæ turpitudinis adoritur, & illum facit currere ad consuetum præcipitium. Legi in historia Anglicana, quam Cæsaraugustanus Episcopus scripsit iuuenem voluptatibus lasciuis penitùs deditum in lethalem morbum incidisse; qui vbi se morti vidit appropinquare, copiosis lachrymis mundans delicta, cœlesti cibo reficitur, sperans protinùs euolare ad paradisum. Quid tunc? Penè exanimem hominem, & iam quasi in Dei manibus positum spiritum, cogitatio leuis lasciua aggreditur, cui vt semper assentire consueuerat, sic tunc quasi cogitur assensum præstare, quo relictis bonis æternis penè manu apprehē sis, sese in tartara præcipitauit, vt ipse apparens post obitum fuit testatus. Hoc malum lamentabatur Isaias capit. 5. vbi ait: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum.* Concors est omnium expositorum sententia, verba hæc fieri ad illos, qui sese vitijs assuescunt, qui trahi, & trahere dicuntur in funiculis vanitatis; hoc est, vt placet D. Hieronymo, inanibus, & futilibus, & quasi aranearum filis. Sed illud maximè expendendum, quòd dicantur ij mortem, & peccatum trahere in funiculis vanitatis, in aranearum filis, & in vinculis plaustri, vbi iunguntur & infirmissima omnium, & fortissima omnium vincula; prima adeò futilia, & inania, vt vix valeant muscam prendere; secunda adeò fortia, vt & tauros ad plaustrum alligent. Quid arenearum fila euanida cum vinculis plaustri? Equidem vitia longa consuetudine exercita vel leuissimis, & futilibus, & penè euanidis filis sic rapiunt expeditissimum quemquam, vt si validissimis loris, fortissimisque vinculis essent compacta. Quod lorum validum facit, vbi prendit taurum, dum illum trahit, & iugo plaustri alligat; idem facit vel futilissimum aranearum filum, vt trahat hominem ad consueta iuga & perditionis, & peccati. Quô respicit illud Prouerb. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Augustin. tractat. 10. in Ioan. legit: *Criniculis peccatorum suorum constringitur.* Assueta per longum tempus peccata, catenataque illorum consuetudo, vt elabētem, imô iam euolantem hominem prendant, in pristinosque abire faciant carceres, non ferreis catenis, non plaustri vinculis opus habēt. sufficit, quôd vel criniculum peccati obijciant, & criniculo pristini peccati etiam validissimus trahitur, raptatur. Mirabar ex Genes. 19. fœminā illam vxorem Lothi: Sodomam euaserat, & trahente Angelo per manus, in montem salutis trahebatur, iam penê montis iuga tenuerat: & ecce casus: *Respicienſque vxor eius post se, conuersa est in statuam salis.* Quid leuius ictu oculorum? Et oculorum ictus elabentem à calamitate fœminam in perditionem venire facit. Vndê tantûm potuit vel ictus oculorum instantaneus, inter perstrepentes flammas suppliciorum, in ipso termino libertatis? Ait Diu. Nilus in Ascetico: *Consuetudo, cuius illa speciem gerit, eos, qui volunt omninô recedere, ad se trahit.* Ad consueta diu vitia vel leuissimo quoque etiam expeditissimus fugitiuus trahitur. Elabentem, imò euolantem in cœlestia, potens est vel futilis prospectus consuetorum ad consueta reuocare.

Histor. Anglic. Isai. 5. Hieron. Prou. 5. Augustin. Gen. 19. Nilus.

§. XXXII.

§. XXXII.

Inter clariores fælicitatum progeſſus impijs adeſt ruina, & perditio.

DVm irent oleum emere virgines fatuæ, clauditur illis ſponſi ianua: quid miſerius? Hæc eſt ferè ſemper impiorum conditio, quòd dum proſperiùs procedunt, dum fœliciùs inter humanas laudes progrediuntur, in ruinam, & perditionem incurrunt. Sic de impio aiebat Iob. 18. Iob, cap. 18. *Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitam.* Expende, vbi ponatur impio decipula, nimirùm, *ſuper ſemitam*; hoc eſt, ſuper cariſſimos illius proceſſus, quibus proſperior intendit, procedit, & regnat. Id quod obCat. Gr. ſeruabat Catena Græca, inquiens: *Inuerſiones, atque irruptiones, in ſolitudinibus, lociſque deſertis fieri ſolent; verùm impius non in deſerta regione, ſed in media via cõprehenditur; hoc eſt, in ſummo fortunæ ſplẽdore ſubitam conuerſionem cogitur ſuſtinere.* Nihil non ſuſpectum, imò lethale eſt impio; in ipſis proſperitatibus, in ipſis fortunæ decoribus, in ipſis bonorũ floribus, dum omnia ſibi arridere videt, dum omnium ſibi exhibita ſeruitia ſentit, inopinatum rapitur ad interitum. Præciſionem ſuam, expulſionem à regno turbatus in ſomnis videbat Nabuchodonoſor; &
Dan. 4. quando hanc videbat? Ipſe ait Dan. 4. *Ego Nabucdonoſor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo ſomnium vidi, quod perterruit me.* Dum in florentiſſimo ſtatu omnia Regis impij erant, terrorem mortis incurrit, in ipſoque palatij ſplendore, multoque vndique cinctus aureorum militum exercitu potuit perterreri. Meritò ergo Dominus perditurus
Hier. 48. Moab. Hierem. 48. clamat; *Date florem*
Vatab. *Moab, quia florens egredietur.* Vatablus legit: *Date alam Moab, quia volando volabit.* Alij legũt: *Date coronam Moab.* Deus bone, deſtruendæ vrbi tot bona tribuis, tot coronas, tot florida ſerta, tot alas, vt florens, & coronata euolet, ſeſeque in altum ſuſtollat? Cur flores, cur coronæ, cur præpetes in aſtra volatus parantur illi vrbi, quæ ſtatim cogetur venire in perditionem? Sanè hæc eſt notiſſima impiorum conditio, qui dum magis florent in ſummo fortunæ ſplendore, inter ipſas floridiſſimæ vitæ coronides, dum ad altaria euolant, ſubitam ſuſtinere coguntur conuerſionem, imò euerſionem. De illis idem Hierem. dicebãt, cap. 15. *Occidit ei Sol, cũ* Hier. 15. *adhuc dies eſſet.* Vbi Chaldæus in rem præſentem ait: *Migrauit gloria eorum in vita eorum, & intereâ dũ ipſi ſtant, confuſi fuerunt.* Dum clariores ſibi dies effingunt, dum florentiores, & nitidiores in aſtra volant, miſeram, & extremam deueniunt in confuſionem.

§. XXXIII.

Damnati rabidiſſima concupiſcentia viſionis Dei cruciabuntur.

COeleſti clauſo, imò & confirmato oſtio, excluſæ à cœlo virgines fatuæ nihil priùs proferunt, quàm clamorem, qui dicit: *Domine, Domine aperi nobis*: Dominum clamant, Dominum ſemel, & bis vocant, vt quæ adhuc rabidiſſima ferantur concupiſcentia, vt videant Dominum. Quippè de damnatis ait Car-
Bellar. dinal. Bellarmin. tom. 3. lib. 2. de purgatorio, cap. 14. *Damnati propter ſe ipſos coguntur conſpectum Dei ardentiſſimè diligere, quia intelligunt in viſione Dei conſiſtere ſuum ſummum bonum.* Et licèt ſciant, impoſsibile ſibi eſſe, quod optant, tamen ad penè ſummum tormentorum augmentum coguntur ardentiſsimè concupiſcere Dei viſionem. Illos crediderim ſignificatos Pſalm. 58. vbi dicitur de ſerò, & in
Pſal. 58. tempeſtiuè conuerſis: *Conuertentur ad veſperam, & famẽ patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.* Cùm Sol occubuerit, cùm tenebræ mortis terram occupauerint, cùm recepto Domino in cubile cum pueris ſuis, oſtium fuerit clauſum, tunc ſeram, & intempeſtiuam pœnitentiam clamabunt, & dum ciuitatem illam cœleſtem mente luſtrant, caninam coguntur habere famem, hoc eſt rabidiſsimè oſuriunt, & cupiunt videre Dei faciem, qua ſatientur. Sic in hæc verba de damnato loquitur Niſſen. tractat. 7. in Pſalm. cap. 16. Niſſen.
Tunc â ſuperna ciuitate excidens, omnium bonorum penuria, & fame punietur. Punietur quidem damnatus æternùm duraturis flammis, ſed longè acerbiùs punietur rabidiſsima tunc appetẽtia ſummi boni, nimirũ diuini conſpectus, qui ſartã delitijs menſam præbet beatis. Quò reſpiciẽs Iob, cap. 18, ait: *Tenebitur planta illius* Iob. 18.

laqueo

laqueo, et exardescet contra eum sitis. Pulchrè philosophatur de impio iam ad æternum macellum capto, ac de fera venatione capta. In laqueum incidit ceruus, in quo dum sese huc, illucque agit, & agitationis calore, & ardore bilis excitatæ, & timoris siccitate, qua velut corpus ardet, in eam sitim deuenit, qua cogatur aperto ore linguam exertam habere, si vel aura possit refrigerari. Sic ergo vt captam feram sitis inuadit, in cuius rabidi tormenti signum, os apertum, linguam exertam habet: eodem modo rudentibus inferni capto imperio, aduersus eum rabidissima sitis videndi Deum exardescit, qua cogitur iuxta diuitis epulonis voces, Luc. 16. pro refrigerio linguæ clamare, quasi nullo sic arderet igne, vt siti videndi Deum rabidè exardet. Vndè Damassen. in histor. cap. 8. ait: *Tormentorum omnium nullum æquè graue dãnatis, et acerbum est, atque à Deo abalienari, et â dulcissima eius facie abijci, gloriaque illa, quæ nullis verbis exponi potest, orbari.* Luculentiùs adhuc D. Chrysostom. homil. 24. in Matth. fatur: *Intolerabilis quidem res est, etiam gehenna: quis nesciat, et supplicium illud horribile? Tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est â beatæ illius gloriæ honore repelli, exosumque esse Christo, & audire ab illo, non noui vos.* Et quidem non sic aduersus damnatos exardescit gehennæ flamma, etiamsi millies multiplicetur, vt exardescit sitis poculi æterni, quod bibitur in cœlesti regno, à facie Dei videntibus. Hac siti ardentissima, rabidissimaque coguntur miseri Tantali captare semper fugientia diuina fluenta. Hac fame intolerabili vilissimi isti canes cruciabuntur, dum mente voluunt saturam illam, & opulentam ciuitatem cœlestem. Et meritò, qui in præsenti nihili æstimarunt Deum, in inferno inani, & intolerabili concupiscẽtia in eius conspectum feruntur. Vt dicat Psalm. 111. *Peccator videbit, et irascetur; dentibus suis fremet, & tabescet: desiderium peccatorum peribit.* Erunt equidem frementi, & tabescenti peccatori in inferno desideria ardentissima, auidissima videndi Deum, gloriam potiundi, sed euanida, sed irrita, quæ torqueant crudelissimè miserum, non quæ in effectum prosiliant.

Dam.

Chrysol.

Psa. 111.

CAPVT XXIIII.

De talentis datis.

QVIS Credat, à Deo in homines proficisci dona sine ratione, & sine alicuius retributionis expectatione? Sanè is est Deus, qui nihil suũ in creaturis patitur deperire, imò nec esse otiosum: dat singulis talenta sua, alij quinque, alij duo, alij vnum, plura alijs, alijs pauciora. Nullus excipit à Deo excessiuum, cui cooperari non possit, ne piger excusetur, sed impiger habeat gloriã. Hanc proculdubio habebit, quisquis ad talentorum numerum, lucra numerat suę negotiationis; ille verò funditùs omnia perdit, cuius in manibus sterilescit, & vacuum salutis fructu manet acceptum donum.

Matth. 25. Sicut enim homo peregrè proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni dedit quinque talẽta, alij autem duo, alij autem vnum: vnicuiq; secundùm propriam virtutem, & profectus est statim.

§. I.

Cratiùs videtur esse Domino Iesu inter suos homines agere, quàm sine illis vel in cœlesti gloria esse.

EXpende verba, quibus sese ostendit Dominus per Patris regna proficiscentem; ait enim: *Sicut homo peregrè proficiscens*, peregrini subit affectũ, vbi se à suis absentẽ proponit in cœlesti regno. Ait D. Tho. *Ascendit Iesus in cœlũ, peregrinatur, quia nos ab eo peregrinamur.* Sic nos amat, sic nostri tenetur desiderio, vt dũ nos secum non habet, & peregrinũ, & extraneũ se reputet in cœlestibus, nec sic amet in gloria, quàm nobiscum esse. Quis nesciat Iesu alacritatem, qua mortem expete-

D. Tho.

petebat, & appetebat? Non semel illã ardentissimè desiderabat, adeò vt videretur æstuare mortis desiderio. Tandem ad mortem ventum est; hora moriendi instabat; Iesus in horto erat, & humi procumbens
Matt. 26 hanc Patri orationem dedit. Matth. 26. *Pater mi, si possibile est, transeat â me calix iste.* Ecce tibi, maximus ille mortis desiderator mortem deprecatur: cur, Domine, deprecaris mortẽ? Quid in illa times? Nonne scis mortem à te esse superãdam, & vincendam? Quis dux timet hostem, quem scit certò â se esse vincendum? Cur non magis gaudes de victoria certa? quid times de conflictu, in quo victor existere debes? Vnũ in morte Iesu inuenio, quod non miror illi tanto fuisse timori, vt mortem aliàs concupitam deprecaretur: erat quippè morti coniuncta resurrectio, fateor, sed & erat morti coniuncta ascensio in cœlos, qua à suis peregrinaretur: vndè deprecabatur mortem, si quomodo potuisset ascensum in cœlos differre, & diutiùs apud suos manere. In hanc excogitationem me impulit D. Basil. Seleuc. orat.
Basil. Se. 32. vbi ait: *Quid causæ est, cur si euidens est victoria, recusetur passio? An vt ascensum præpediat, Christus passionem subit illubens?* Ita sanè detrectat mortem, vt ascensum in cœlos præpediat, quasi libentiùs apud suos in terra, quàm in cœlestibus se se haberet. Vna hominum societas videtur Iesu magis in optatis esse, quam vt hà beat, mortem deprecatur propter necessariò connexam ascẽsionem in cœlos, & à suis absentiam; & vt eamdem acquirat, non veretur etiãvitam perdere. Sic quidquid amat, eò tendit, vt inter homines degat, etiam si necessum sit exulare à cœ-
Ioan 3. lis. Apud Ioann. cap. 3. sic suam, & Patris charitatem in homines ostẽdit: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Expende, in quantum dilecti à Deo fuerimus homines præ omnibus rebus: non equidem traditus Filius Dei fuit morti pro Angelis reducendis ad cœlos; non pro cœlestibus mansionibus sibi acquirendis, sed pro solis hominibus fuit traditus, vt ostendatur plùs omnibus amori fuisse Deo hominum societas. Quod notans Imperfectus
Imperf. in Matthæum, homil. 53. inquit: *Vis scire, quantùm diligat Iesus fideles suos; considera, quid passus est pro eis. Si enim magis quàm gloriam suam illos amauit, quasi homo moriens propter eos; quid mirum, si maiore dilectione tenebatur Sanctorum, quos relinquebat in terris, quàm dilectione gloriæ, quam habebat in cœlis?* Nõ sic ad gloriam suam afficiebatur Dominus, ea ad hominum societatem sibi acquirendam, pro qua habenda mortẽ oppetijt, & propter diutiùs illam fruendam, & mortem differret: quasi pro hac sola hominum societate habenda, cætera contemneret, & pro nihilo haberet. Vide cui se assimilet, Luc. Luc. 15.
15. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, etsi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, &c.* Fatetur se habuisse centum oues, nimirùm angelicam, & humanam naturam: angelicã habebat iam glorificatam in cœlo; sed humana instar vnius ouiculæ in perditionẽ abierat. Quid tunc? Contẽmnit vnius perditionem, lætus, quòd cùm nonaginta & nouem possit esse in gloria cœlesti? Absit; imò & cœlestia omnia licèt tot Angelis plena, illi vacua, & deserta videbantur, dum in illis cum homine suo non erat. Beda ibi fatur: Beda.
Dimisit nonaginta nouem oues in deserto, quia illos summos Angelorum choros reliquit in cœlo. Cur autem cœlum desertum vocat nisi quòd desertum dicitur derelictũ? Tunc autem cœlum homo deseruit, cùm peccauit. Itaque vnius hominis discessus à cœlo fecit, quòd cœlum etsi Angelis plenum, Iesu meo desertum appareret, qui vna præ omnibus hominum societate gaudebat.

§. II.

Quod superfluum, & excessiuum est, non tàm seruit ad talentorum splendorem, quàm ruinam.

HVc spectat perfecta patris familias œconomia, quòd in distribuendis talentis suis diligenter attendat, quid cuiusque postulet & status, & natura, & virtus; *Dedit enim vnicuique secundùm propriam virtutem.* Nihilominùs nihil superfluũ, nec excessiuum; quidquid enim superfluum est, & excessiuum in cuiusque munere, potiùs confusionem, & ruinam, quã splendorem talentorũ gignit. Aiebat Plato de sua repub. dial. 4. *Possemus etiam* Platõ
agricolis iubere, vt subtilibus vestibus induti, et auro ornati ad voluptatem terram colerent: & figulis imperare, vt ad dexteram reclinati ad ignem præpotarent, et conui-

uiuarentur; & rota apposita, quantum libeat, figulinam exerceant, & alios omnes tali modo beatos facere, quo tota ciuitas beata foret. Verùm nos ne ita admoneas: nam si tibi pareamus, nec agricola, agricola erit; nec figulus, figulus; nec alius quisquam vllam formam habebit, ex quibus ciuitas constat. Manifestè confunditur, & perditur tota reipublicæ forma, vbi supra exigentiam status proprij, seu muneris, seu naturæ, seu virtutis, quisque nititur ad excessiua, & superflua. Nunquam, mihi credite, superfluum, & excessiuum venit à seruatore, sed à corruptore reipublicæ, & æternæ salutis. Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo: venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici.* Perpende & Saluatoris opus, & inimici salutis: ille seminat, hic superseminat; ille ad exigentiam, mensuramque virtutis semen apponit: hic exigentiam non curat, sed supra exigentiam, ad superflua aspicit & excessiua, quibus & perdantur natiua. Fœlix, qui nihil superfluum, nihil excessiuum admittit, quia de manu Seruatoris plenus viuet, vt hostili manui succumbit, qui superfluis nititur, & excessiuis. Hinc monebat Nissen. lib. de orat. Dom. cap. 4. *Panem pete propter vitæ necessariũ vsum, huius te corpori natura debitorem fecit. Cætera, quæ præter hæc delicijs, ac luxui deditorum excogitata, et inuenta sunt, ea de zizaniorum semine sunt. Semen patris familias frumentum est, & ex frumento panis conficitur. At luxus, atque deliciæ zizaniũ est, quod ab inimico iuxta frumẽtum satum est. Sed homines omisso ministerio naturæ necessario, revera suffocantur vanarum rerum studijs, & infrugiferi manent.* Ecce tota causa humanæ ruinæ procuratæ ab inimico salutis, quòd homines, omisso modo exigentiæ, vniuersi ad superflua, & excessiua nitãtur. Hominũ amator Deus nunquam non seminat frumentum, nunquam non dona distribuit iuxta exigentiam cuiuscumque: qui zizania, hoc est, superflua superseminat, is meritò habetur hominis inimicus. Vt enim sata lolijs, zizanijsque nascentibus sterilia fiunt ferendo tritico, quia imparia sunt semini vtrique; sic homines superfluis intenti, inutiles fiunt saluti, & prorsus succumbunt rabidissimi sui hostis consilijs. Famescenti Iesu post quadraginta dierum ieiunia accessit tentator, & ait: *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Lapides offert esurienti panem. Quid insipientius? Quid ineptius esurienti? Quid crudelius in dante? Ait Matth. 7. *Quis ex vobis homo, quẽ si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei?* Non est homo; non est pater, sed inimicus, sed euersor naturæ humanæ, qui esurientibus panem, porrigit lapides; & tamen hic amatur, hic quæritur, & despecto pane, currimus auidissimè ad diaboli lapides, quoties ad superflua, & excessiua properamus. Rem pulchrè expendit Nissen. de beatitudinibus, orat. 4. aiens: *Cùm appetitus necessarij vsus fines excedit, quid id aliud, nisi diaboli ex seminibus reijcientis cibum, ad ea, quæ â natura sunt aliena appetitum prouocantis, cõsilium est? De lapidibus comedunt, qui sumptuosas, et redundantes mensas sibi parant: quorum apparatus cœnarum pompa quædã, fastus, & ostentatio est ad stuporem vulgi commouendum excogitata, quæ vitæ necessarium vsum præterlabitur, & excedit. Potum natura desiderat, tu verò pretiosos tripodas paras, labra, crateras, amphoras, et alia sexcenta, quæ nihil cum eo, quod vsus requirit, commune habent. An non planè per ea, dicto audiens es ei, qui tibi consulit, vt ad lapides respicias?* Et quidem tota illa catinorum pretiosa varietas, abacum superbia, lapidibus, aurovè mirè fulgentia vasa inuenta sunt ab appetitu, quem diabolus allicit, vt amet lapides, metallaque vorare. Sitienti potum, ad quid tot lapillorum pretiosissimorum vasa, nisi quia à diabolo traheris, vt bibas etiam lapides, & magis obstupescas, & rigescas de epoto lapide? Esurienti panem, ad quid totus ille catinorum argenteus exercitus, nisi quia à diabolo impelleris, vt manduces etiam metalla, & de metallis manducatis, totus ereus, vel aheneus efficiaris? Sic diaboli consilium ad perditionem amatur, vbicumque respectu cuiuscumque status, & naturæ excessiua, & superflua amplexamur.

Matth. 25. Abijt autem, qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.

§. III.

§. III.

Non qui timidè, & eneruiter, sed qui confidenter, & alacriter virtutis negotium arripiunt, pertinent ad salutem.

TAlẽtis ex Domino acceptis nil morantur strenui serui, sed confidenter & alacriter in eis negotiari incipiũt, & ea duplicãt. Nec miror, illos enim sem per expectant salutis lucra, qui eius negotia confidenter, & alacriter arripiunt, non pigritantes, & timidos. Aduersus Iudam Machabæum veniebat Timotheus. 1. Machab. 5. & circà flumen subsistens, inquit: *Cum appropinquauerit Iudas, & exercitus eius ad torrentem aquæ, si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum, quia potens poterit aduersus nos. Si verò timuerit transire, & posuerit castra extra flumen, transfretemus ad eos, & poterimus aduersus illum.* Expende in quo Timotheus ponat, aut victoriam, aut perditionem Iudæ; si veniens non retardetur flumine, sed illud traijciat pergens ad appropinquantem hostem, victor erit: si flumine tardatus hæreat, expectans ante flumen inuadentem hostem, absque dubio peribit. Quo nititur fundamento præsagium istud? An vana, & inanis diuinatio est? Absit, imò est fundatissima, & prudentissima præsumptio; quando enim in fortissimo aliàs Iuda ea alacritas, & confidentia appareret, quæ nihil veritus per ignem, vel aquam transiret, vt ad percutiendos hostes curreret, meritò creditur victoriam ingentemque gloriam reportaturus: non sic vbi tarditatem ostenderit, & teporem in traijciendo flumine. D. Tho. Ait ibi D. Thom. adductus à nostro Sanchez: *Æstimo, quòd credebat Timotheus, Iudam esse tantæ fortitudinis, quòd nisi diffideret, nõ superaretur, & quandiũ confideret superaret: ex diffidentia autẽ dimisisset eos transire.* Tepor, & tarditas in duce diffidentiam ostendit, quæ apertissimè sibi trahet ruinam: alacritas autem, & confidentia nihil timens, omnia superans, victoriam proculdubio in quouis conflictu conciliat. Quid plura? Quem in virtutum via timidum, repore, & tarditate plenum, in quauis difficultate hærentem videris, metue, ne funditus tandem debeat perire. Victoria enim, & salutis lucrum ingens eos expectat, qui alacriter, & confidentes difficultates vorant, & per viam virtutis indesinenter currunt. Merrô tardantem exercitum & meticulosum, & passim hærentem, & ad conflictus cunctantem despiciens ille aiebat; *Si timuerit transire, transfretemus ad eos, & poterimus aduersus illum*: Nunquam enim non potens est malum aduersus pigritantes. Huic assonat illud Prouerb. 6. *Vsquequo piger dormies, quando consurges de somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas, vt dormias. Et veniet tibi quasi viator egestas, & paupertas quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet vt fons messis tua.* Ad cunctantem, & hærentem trans flumen præclarè aiebat Timotheus: *Transfretemus ad eos, & poterimus*, nunquã enim ad pigrum nõ venit ruina & egestas quasi vir armatus. De alacri, & cõfidente, nihilq; verẽte ait: *Potens poterit aduersus nos*, quia qui impiger est omnium bonorum affluentem experitur messem suam. Caue ergò torporem, caue cunctationem & pigritiam in via virtutum, ni velis suprate veniant hostiles impetus, quibus minimè resistas. Sed esto diligens, & impiger in aripienda virtute, & veniet, vt fons messis tua. Fallar, si quò maior est diligẽtia, & alacritas, & confidentia in virtutum curriculo, non fit lucrum & maius, & securius. Nota est illa vox Dominica: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Expende, quod solùm iuberis ire, & sequi post Christum: magis audebat illa Cant. 1. *Trahe me post te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Solùm ire iubetur post Christũ, & illa mauult currere; cur non magis timet currere, quando Christus sub cruce per ardua, & accliuia ducit? Imò quia per ardua, & accliuia eundum erat, elegit potiùs currere, quàm ambulare, quò enim confidentius, & alacrius post Christum curritur, eò faciliùs, & securius est lucrũ. Theodoretus aiebat: *Animæ strenuæ amore tuo, Deus, sic incensæ sunt, et post te ita secutæ sunt, vt cursu id fecerint, ne relinquerentur, neve seiungerentur à dilecto suo. Animæ igitur strenuo, ac virili sensu præditæ, voluptatem, et lasciuiam, atq; desidiã fugientes, et laborem delitijs anteponentes post sponsum currunt vnguenti fragrantia illectæ, ac veluti vinculo quodam inexplicabili vinctæ, atque illigatæ.* Itaque elegerunt sequi Iesum non ambulatione, sed cursu; ait enim, *cursu id faciunt, ne reliquer-*

Prou. 6.

Cant. 1.

Theod.

linquerentur. Quo enim magis impigræ omnem excludunt torporem, & desidia, minora, aut nulla impedimenta experiuntur. Sic enim promittebat Prouer. 4. *Et currens non habebis offendiculum.* Offendicula enim vix ab ambulantibus superabilia, currentibus sunt nulla: quod patet in equis venatorum, qui dum montium ardua, & abrupta ambulant, passim hærent, passim offendunt, & mille inueniunt offendicula, quæ necessum habent declinare: at dum veloci feruntur cursu, sic saltant, & transiliunt prærupta omnia, & difficilia, quasi essent nulla. Vide tom. 2. lib. 9. cap. 5. §. 2.

Prou. 4.

§. IIII.

Fœlix, qui non vilibus, sed pretiosioribus operam impendit suam. In quo consistat cœlestis negotiationis lucrum.

QVi quinque acceperunt talenta, *Operati sunt in eis & lucrati sunt alia*, hoc est, in operibus eorum nihil aliud respicitur, quam talentorum multiplicatio, quam pretiosissimarum rerum acquisitio. Est enim talentum genus pecuniæ pretiosissimum: vt hinc iam pateat seruorum Christi fœlicitas in eo posita, quòd semper speciosissima, & pretiosissima spectemus virtutum. Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum, homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* Ecce tibi quid debeat spectari in hominum cœlestium negotiatione, nimirum non quid infimum, & vile, sed sublime, & pretiosum, videlicet margaritæ optimæ. Quo aspiciens D. Ber. allatus à Tilmanno in allegorijs fatur: *Quærit ergò bonas margaritas, qui in opere salutis suæ non est contentus inferioribus, sed summa & excelsiora perquirit.* Sareptana illa vidua vetè summam sui temporis calamitatem, & miseriam designat, cuius totum negotium eò spectabat, vt duo ligna colligeret, vt de parua farinula cum filio posset aliquantisper viuere. Fœliciora sunt euangelica tempora, quibus virtutum negotiatores, non ad stipulas colligendas, sed ad pretiosas margaritas comparandas aspirant. Non sunt contenti negotiari in paruis pecuniolis, sed in talentis, hoc est, in summis, & excellentioribus virtutibus, vt præstantissima adimpleant. De illa cantatissima in Euangel. Dei amatrice dicitur Luc. 10. *Maria optimam partem elegit*; Est enim sapientis, est animi fœlicis non contentũ esse in minimis, sed ad maxima spectare virtutum. Ex quo monebat D. Amb. ibi: *Agat te sicut Marium desiderium sapientiæ, hoc enim magis, hoc perfectius opus, nec ministerij cura à cognitione verbi cœlestis auertat, nec arguas eos, & otiosos iudices, quos videas studere sapientiæ. Nec Martha in bono ministerio reprehenditur, sed Maria, quia meliorem partem elegit, antefertur. Iesus enim multis abundat, & multa largitur, & ideò Maria sapientior iudicatur, quia quod principale adhæsit, elegit.* Vbi & minima, & mediocria, & summa esse vidit, quibus posset in Domino videre; non hæsit in minimis, nec in mediocribus, sed aspirauit ad summa; de magnis, & præstantissimis operibus cupiens negotiari salutem. Hinc repudiat episcopus, homini paucis, & paruis virtutum operibus contento, ofcitanti, imò penitus dormienti ad perfectionis excellentiam, & de cœlestibus glorianti diuitijs, (vt sapienter explicat Alcazar) postquam illuxit Dominus, sic dicit Apocal. 3. *Quia dicis, quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus; suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, vt locuples fias, et vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ.* Se diuitem & locupletem putabat tepidus ille, & vnde se putabat diuitem? Ait Anspertus: *Id circò nullius egere se dicit, quia et recte credens mala cauet, et mala cauendo nonnullis bonis insistit.* Ex nonnullis bonis factis, ex minutissimis operibus virtutum, se locupletem putat; & non locuples, sed pauper est; & nudus, nunquam enim in minutissimorum nummulorum negotiatione sunt diuitiæ, sed nuditas. Qui ad diuitias aspirat, circa pretiosas merces negotietur, necessum est; quo monet: *Suadeo tibi emere aurum ignitum, probatum, vt locuples fias.* Est mercator ligulis vendendis contentus; qui de sacculo pleno æreis nummulis lætus putat se diuite, & nullius egere; at si hominem videas, & vere pauperem est, & proximus nudo, adeo vt vel de centum obolis requisitus a iudice carcere intret, vbi cogatur perire. Nusquam minutissimarum rerum negotiationes hominem eleuant ad fortunam diuitum; vbi autem negotiatio crescit; & circa pretiosa versatur, circa aurum, circa margaritas; tunc & diuitiæ apparent, &

Matt. 13

D. Bern.

Luc. 10

Ambr.

Apoc. 3.

Anspert.

ingen-

ingentia lucra, quæ hominem prædicent fœliciſsimum. Noli in minimis ſolùm negotiari virtutum, qui extremam nuditatem cauere cupis, in aureis talẽtis, in ſummis, & præſtantiſsimis ſit negotiatio tua, vt bona duplices. De fœliciſsima anima
Prou 31 dicitur Prouer. 31. *Guſtauit, et vidit, quoniam bona eſt negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius. Manum ſuam miſit ad fortia, digiti eius apprehenderunt fuſum. Manum ſuam aperuit inopi, et palmas ſuas extendit ad pauperem. Non timebit domui ſuæ â frigoribus niuis; omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.* Ex quo negotiationis prouentum experta eſt, nõ moratur, ſed manum mittit ad fortia: hoc eſt iuxta Dionyſium Carthuſ. opera perfectionis aggreſſa eſt, non contenta implere ſola præcepta, ſed euangelica quoque ſtuduit implere conſilia; & prælia cõtrà aciem vitiorum victorioſè exercuit, opera miſericordiæ tàm corporalia, quàm ſpiritualia, exercuit copioſè, liberaliter, ac feruenter. Quid poſt hæc timeat iſta negotiatrix? Sanè vbi adeò in magnis, & pretioſis exercetur negotium, non timetur nuditas, augentur diuitiæ, omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus. Huc accedant vniuerſi Chriſti ſerui, & ſciant hoc inter omnes negotiatores primum principium, quòd niſi in magnis, & pretioſis negotium fiat, nec cauetur extremę nuditatis periculum, nec valde augmentantur diuitiæ. Ex quo Exod. 13. habes:
Exod 13 *Cum introduxerit te Dominus in terrã Chananæi, ſicut iurauit tibi, et patribus tuis, et dederit tibi eam: ſeparabis omne, quod aperit vuluam Domino, quod primogenitum eſt in pecoribus tuis.* Petit Dominus ab Iſraelitis, quòd primogenita ſua, & præſtantiſsima offerant Domino, cum in terram Chananæorum ingreſsi fuerint. Et cur non anteà iubentur Deo cum primogenitis ſeruire? Quadraginta anni fluxuri erant, anteà quam Chanaam aſpicerẽt; cur ergo non ſtatim ab egreſſu Ægypti iubentur offerre primogenita ſua? Cur primogenitorum oblatio tandiù differtur, & tunc ſolùm præcipitur, cum in terram Chananæorum iam fuerint ingreſsi Iſraelitæ? Chanaam in ſcriptura non tàm ſumi ſolet pro gentis nomine, quàm pro officio, nempè pro mercatore, negotiatore; ſic notant Iſidorus Clarius, Vatablus, Pagninus, Palacius relati à Delrio in Adagial. ad cap. 12. Oſeæ. Et meritò quando negotiatorum, mercatorumque terram poſsident Iſraelitæ, tunc ſolùm iubentur offerre Deo primogenita ſua; ad negotiationis enim certum, & maximũ lucrum, multum intereſt, quòd negotiatio circa maxima, & præſtantiſsima fiat. Vndè monebat Diu. Ambr. lib. 1. de Abel. cap. 10. Amb. t.
Cum introduxerit te Dominus in terrã Chananæi; ibi quæramus omne, quod aperit vuluam maſculinum, hoc eſt, iuſtum & principale, quod ſanctificare Domino debeamus. Expende illud, *ibi quæramus, &c.* Ibi inter Chananæos; vbi inter negotiatores, & mercatores agendum eſt; vbi mercatus fiet, & negotiatio ſalutis; vbi ad mercatorum poſſeſsiones tenendas, & augendas vocati fuerimus, ibi non minutis mercibus, non paruis, & minimis operibus contenti ſimus, ſed ad magna reſpiciamus, & præſtantiſsima.

§. V.

Rationalis naturæ fructus quò remotior à terra, eò ſecurior; terræ autem proximus perditioni eſt vicinus.

QVi vnum talentũ acceperat, abiens *Fodit in terram, et abſcondit pecuniam, &c.* Et planè oſtendit, quàm exile mentis talentum acceperit, qui illud in terra abſconditum ſeruare nititur. Magis perditur, & expònitur talentum rationis, dum terræ adhæret; quare qui ſapiẽs eſt, nil magis ſtudet, quàm terram cauere, aſpirare ad ſublimia. Pſal. 91. *Iuſtus vt palma florebit.* Et quid in palma magis Pſal. 91.
miramur, cui florentem iuſtum aſsimilare poſsimus? An eſt arboris proceritas, & rectitudo? An eſt comarum viror? An dulcedo fructuum? Præclara ſunt hæc in palma, ſed illud maiore admiratione dignum, quòd fructum non ferat niſi in ſublimiori vertice, ne ſi terræ eſſet proximus, terrenis pateat rapinis. Niſſen. hom. Niſſen.
8. in Cant. *Quomodo autem efficit palma, vt fructum ſuum fures difficiliter aggrediantur, vt quæ eum tanquam theſaurum ſurſum recondat, nec vicinum terræ eum ferat.* Palma docet homines, vbi effodiant theſauros; non in terra, non in terræ vicinio; quidquid enim terræ vicinum eſt, & periculis & rapinis patet. Surſum reponendus eſt theſaurus, qui furibus negatur, qui æternùm debet conſeruari: qua enim parte homo ad ſublimia reſpicit, ſublimia rimatur, & ſecuriores, & fœcundio-

res fructus parit. Pulcherrimus ille Absalon, dum fugit à prælio, in ramo quercus apparet suspensus crinibus. Quid tunc?
2. Reg. 18. Ait textus. 2. Reg. 18. de Ioab: *Tulit ergò tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon; cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, et percutientes interfecerunt eum: Et tulerunt Absalon & proiecerunt eum in saltu, in foueam grandem, et comportauerunt super eum acernum lapidum magnum nimis: Porrò Absalon erexerat sibi, cũ adhuc viueret, titulum, qui est in valle regis, &c.* Expende, vbi mentiò inferatur de titulo erecto ab Absalone in valle regis; vbi ruina Absalonis scribitur, vbi eius calamitas extrema ponitur; dum dicit scriptura, Absalonem mortuum, & proiectum in foueam, lapidibus obrutum, statim addit: *Porrò Absalon erexerat sibi titulum, qui est in valle regis.* Quid hæc ad Absalonis adeò miserandã ruinam? Scio ab Absalone titulum erectum fuisse in valle, an in eo iam tanta calamitas viri annuntiabatur? Equidem qui audiunt Absalonem latronum lanceis transuerberatum, occisum, & in foueam proiectum, non multùm mirentur, is enim erat Absalon viuens, adeò terrenis bonis immersus, vt etiam cum de erigendo titulo cogitauit, nihil sublime, & altum: sed infimum, & profundum, & quasi in terrarum ima vergentem vallem excogitauit, in eoque titulum magis sepeliuit, quam erexit. Homo ergo sic sublimium oblitus, & ad ima inclinatus, cur non incidat in latronum lanceas, quas ille deuitat, & securos fructus parat, qui ad sublimia aspicit. Pulchrè cum Helia, & Helisæo, & Petro superiora tenentibus Absalonem comparans
Ambr. Diu. Ambr. lib. epist. 12. fatur: *Denique Elias mortuum viduæ filium tulit ad superiora, in quibus consueuerat sedere, & ibi eum resuscitauit. Helisæo quoque Sunanimitis illa in superioribus hospitium parauit, et ibi concipiendæ prolis meruit prærogatiuam, eiusdemque resuscitati pignoris vidit miracula. Quid de Petro dicam, qui ad horam sextam ascendens in superiora, baptizandarum gentium cognouit mysterium? At verò parricida Absalon in valle sibi regis titulum statuit, et in fossam prò iectus est, cum esset peremptus.* Iusti illi viri, vt palma fructificabant, in vertice, in sublimitate; ad sublimia enim ferebantur, & ibi securos vitæ fructus dabant; at verò parricida Absalon vt ad ima inclinatus, nihil sublime respiciens, sed imis inhærens vallium; non mirùm quòd pereat ipso terræ hiatu voratus. Vt terræ, sic perditioni proximus apparuit, securitas enim & fructificatio de sublimi venit mentibus humanis, vt venit palmæ. Propone tibi ab oculos Iesum ascendentem in montem, & descendentem ad turbas, quæ in imis iacebant. De vtroque Luc. c. 6. *Exijt* Luc. 6. *Iesus in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex eis.* Ecce tibi in montium sublimia eligendos inuenit Iesus: sed descendens de mõte; quid inuenit in imis? Ipse ait: *Et descendens cum illis stetit in loco campestri, et turba discipulorum eius, et multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa & Ierusalem, et maritima & Tyri, et Sidonis, qui venerant, vt audirent eum, et sanarentur â languoribus suis. Et qui vexabantur ab immundis spiritibus, curabantur.* Itaque in montis vertice eligendi inueniuntur; in imis camporum languentium inuenitur multitudo, vt enim de sublimi salus, sic de imis trahitur perditio. Ait Diu. Ambr. Amb. lib. 5. in Luc. *Aduerte omnia diligenter, quomodo & cum Apostolis ascendat, et descendat ad turbas. Quomodo enim turba nisi in humili Christum videret? Non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia. Denique vbi descendit, inuenit infirmos, in excelsis enim infirmi esse non possunt.* In excelsis, & sublimibus aura salutis aspirat; ima omnia & morbis patent, & scatent vitæ periculis.

Matth. 25. Post multum verò temporis venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationẽ cum eis. Et accedens, qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque dicens, Domine quinq; talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque super lucratus sum. Ait illi Dominus eius. Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Accessit autem, & qui duo talenta acceperat, &c.

§. VI.

§. VI.

Princeps non ita fidat ministris, illisque negotia subditorum credat, vt per se actiones ministrorum non inquirat, non diligenti trutinet examine etiam non vocatus.

ET potestatum, dignitatumque talenta, & sæculorum negotia Dominus ministris tradidit, omnia enim per ministros placuit administrare; sed non ideò se à curis exemit, ipse enim per se ipsum venit, vt diligẽti discussione ministrorum suorum actiones examinet. Quippe ait: *Venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis:* Venit, inquam, non vocatus, non adductus iniuriatorum clamoribus, sed ipse ex se suorum sollicitus venit inquirere, & ministros examinare. Vtinam hanc mentem vniuersi principes ebiberent, & non nimis fiderent ministris suis in subditorum causis, sed per se ipsi inquirerent, & attenta inquisitione eorũ actiones examinarent. Hanc mentem Ferran. suggerebat suo principi Regino Ferrandus diaconus in Paranetico regula. 3. aiens: *Non potest sapiens dux excusari de ignorãtia, quoties forsitan dixerit: ego nescio, non audiui, nullius ad me querela peruenit. Per ipsum namq;, quid agatur â suis, oportet inquiri, quia nemo eos audet publicis interpellationibus accusare, quorum violẽtias alij timent, alij patiuntur.* Putet princeps, posse facilius, & dãno maiori errare ministros, homines è vulgo natos, quàm ipsum principem, cui per naturam dedit Deus imperare: Non enim prorsus absurda est illa sententia nefarissimi Imperatoris Cai apud Philonem in legatione sua: Philo. *Quemadmodum corporis forma, habitu gestu, consilijs, actionibus, prognati maiores suos referunt, eodem modo probabile est in ipso semine delineari quãdam habilitatem dignam principe. Et audebit aliquis indoctus me, qui in materno vtero, & naturæ officina imperator formatus fui docere artes imperatorias? An certè fas est in mentem venire posse ciui paulò antè priuato, & humili regia consilia?* Non, inquam, prorsus absurda est hæc præsumptio arrogantis principis, qua parte persuadet in natu rali principe innatas esse ex Deo quasdam virtutes subditos gubernandi, quas vix priuatus homo potest imitari. Vndè nullus sapiens princeps penitus credere debet priuatis ministris subditorum causas, quin ipse per se ipsum diligenter inquirat, quid à suis agatur. Nec speret clamoribus iniuriatorum vocari, sed ipse per se non vocatus exurgat ad examen. Hanc sibi laudem attribuebat Iob cap. 29. *Causam, quam nesciebam, inuestigabam.* Non expectabat sapiens rex vocari clamoribus, sed ipse omni cura, omni diligentia inuestigabat, ne quis esset iniuria pulsatus. Pro quo eleganter Chrysost. in Cat. Græca ait: *Noster Iob vel præstantissimos iudices superauit, ac multis partibus antecelluit. Nec enim expectabat, dum ad eum ij, quibus facta erat iniuria, accederent, nec post eorum aduentum, atque congressum suppetias ferebat: verùm ipse præuertens lustrabat omnia, eos quærens, qui læsi essent iniuria. Causam, ait, quam ignorabam, inuestigabam, scrutatus sum, studiosiùs disquisiui, curiosè semper perspexi; omnia moui, vt calamitosos reperirem, neve quispiã violatus iniuria vspiam lateret. Genus præfecturæ vides, quæ non in solis spectatur verbis, non in cibis tantùm, non solùm in ipsis indumentis, sed etiam in periculis, quæ alienis etiam iudicijs præstat, ac præest.* Ad hãc formam se principes componãt, & non nimis ministrorum suorum iudicijs fidant, sed solliciti sint adilla etiã non vocati examinanda. Quò respicit illud Prouerb. 25. *Gloria regum inuestigare sermonem*: spectat enim ad magnam regum gloriam, quòd sic inueniantur solliciti de suis, vt nullũ esse possit vel murmur absconditum, de quo ipsi non inquirant. Vt possint singuli principes dicere, quod de se aiebat Theodoricus apud Cassiodorum 2. var. 23. *Detestamur miseros premi, commouemur & non querentium malis: velociusque ad nos peruenit, quod dissimulatio patientis abscondit.* Sic bonus princeps inuestigabat omnia, vt vel secretissima murmura de ministris non possent abscondi.

Iob. 29.

Chrysost

Prou. 25

Cassiod.

§. VII.

Sola mala conscientia supplicij instãtis præsaga potest mortis aduentantis tempus breuissimum, citissimumque habere.

POst multum verò temporis dicitur Dominus venire, vt rationem inquirat

ex seruis suis; quis fidelium seruorum non putet aduentum Domini, & mortis tẽpus in immensum differri? Hæc erat Dauidis vox, hoc commune fidelis serui suspirium Psal. 119. *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Sola mala conscientia, & de instanti iam supplicio timida præproperum nimis, & citissimum putat aduentum Domini, mortis diem. Matth. 8. clamabant maligni spiritus voce humana ad Iesum: *Venisti ante tempus torquere nos.* Ecce putant circinatum, & decurtatum tempus Dominici aduentus; sed vndè possunt isti scire tempus decurtatũ; Instãs supplicij metus facit, quòd rei miseri etiam longissimum, & nimis dilatum tempus putent fuisse multum decurtatum. Ait pulchrè Diu. Paschas. lib. 2. in Matth. *Malis semper, licet longa patientia breuis videtur, sicut & bonis vltio tarda. Id circò isti, non quòd sciant, quando debet esse tempus, sed quod licet longissimum, eis breue videatur, eo quòd acrior ineſt cruciatus, & tempus concupiscentiarum, cum pertransierit, sic fit, ac si non esset.* Vt bonis, & fidelibus seruis remunerationem expectantibus nimis sera venit vltima dies; ita seruis malis magnitudo supplicij iam instantis facit apparere Dominici aduentus tempus nimis breuiatum, & circinatum. Hæc enim est vox in omniũ peccatorum ore inuenta, Sapient. 5. *Et nos nati continuò desiuimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno ij, qui peccauerunt.* Nota locum, vbi loquũtur isti, nempè in inferno loquũtur, supplicijs immanibus addicti, flammis æternis sepulti; ad lucem autem vltricium flammarum, non miror, quòd dispareãt anni vitæ. Qui viuentes dicebant animæ suæ, Luc. 12. *Anima habes multa bona posita in annos plurimos.* Nunquam non vitæ curriculos longissimos cogitabant; Vbi supplicio aproximant, etiam longissima tempora iudicant momentanea, imò nulla, clamantes, *nos nati continuò desiuimus esse*, quasi momentaneam, aut nullam ducerent vitam. Hinc Sophonias cap. 1. clamat de die iudicij locutus: *Iuxtà est dies Domini magnus, iuxtà est, & velox nimis.* Dominus in præsenti aiebat: *Post multum verò temporis venit Dominus*: Propheta dicit: *Iuxtà est dies Domini*, & non contentus id semel dixisse, & bis, & ter instat, *iuxtà est, & velox nimis*. Et quando non nisi post multum temporis veniet dies illa, quomodo auderet propheta dicere illam iuxtà esse, nisi magnitudo periculi apud malè conscios, & reos ad nihilum redigeret tempora multa? Aiebat Rupert. ibi: *Nec semel contentus dixisse, iuxta est dies Domini, repetiuit, iuxta est, & velox nimis, & verè secundùm magnitudinem periculi.* Vbi tantum periculum imminet, reus animus pro nihilo æstimat tẽpora multa; & qui nimis serò voluuntur dies, quasi velociſsimi veniunt periclitãtibus de salute. Id quod innuebat Dominus per Malach. cap. 3. inquiens: *Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, adulteris, & periuris.* Vbi seuerus instet Dominus, eiusque ira penè in ianuis sentiatur, non sera sed nimis cita putabitur à malis diuina vindicta.

Psal. 119.
Matt 8.
D. Pasc.
Sap. 5.
Luc. 12.
Soph. 1.
Rupert.
Mal 3.

§. VIII.

Securior apud Deum salus illius, qui non in sola promissione de futuris, sed in præsenti exhibitione operis nititur.

IAm mihi plaudit secura fœlicitas seruĩ fidelis dicẽtis ad Dominum: *Ecce alia quinque, vel, alia duo lucratus sum:* Non ait, in posterum lucrabor; postmodum operã lucris acquirẽdis dabo; sed ecce lucra, ecce opera mea in prõptu sunt, in præsentiarum adsunt. Quid fœlicius? Sanè non sic largissimæ de futuris promissiones Deum alliciunt, vt opera præsentanea. Largissimus promissor Petrus Luc. 22. ait: *Domine tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire.* Quanta hæc promissio? Quantum Petri facinus, vt morti se se offerat pro Iesu? Et nihilominùs illi respondet Iesus: *Dico tibi Petre, non cantabit hodiè gallus, donec ter abneges nosse me.* Hæc apud Lucam de Petro; fœliciora alia habes apud Ioann. cap. 21. vbi Petrus simpliciter ait ad Iesum: *Tu scis Domine, quia amo te.* Et statim Iesus ad Petrum: *Pasce agnos meos.* Vbi morti se se offert pro Iesu, durissima futuræ abnegationis denuntiatione feritur; vbi solùm dicit se amare Iesum, in Ecclesiæ constituitur caput. Quorsum hæc; Nonne summa charitas est, si quis pro amico moriatur? Cur ergò Petrus cum simpliciter amat, plùs placet, quàm cum libertatem, & vitam spondet pro amato? Prima erat promissio de futuro, spondebat Petrus in posterum sese pro Deo moriturum:

Luc. 22.
Ioan. 21.

rum ſecundò præſentem exhibebat amorem, & ideò in promiſsione de futuro feritur, in præſenti amore exhibito prorſus placet. Ait D. Aug. ſer. 24. de ſanctis: *Quãdo ait, tu ſcis, quia amo te; hoc reſpondebat, quod in corde ſuo videbat. Quando autem dixit, animam meam pro te ponam, de futuris voluit præſumere viribus.* Et quidem facile eſt pro futuris ſpondere multa; & peccatores id faciunt, & nocentiſsimi dicunt ſe ſe in poſterum meliorandos; aliqua in præſenti dari, hoc opus, hic labor eſt. Quiſquis erga ſe Dei cupit benignitatem firmare; non multùm credat futuris facinoribus, vt quæ incertiſsima ſunt; ſed præſentibus virtutum actibus operam naŭet, per hos enim Deum ad ſe trahet. Ait D. Ioan. 1. epiſt. cap. 3. *Qui facit iuſtitiã, iuſtus eſt.* Non qui ſe facturum promittit, non qui largiſsimas de virtute facienda ſponſiones facit, iam iuſtus eſt, ſed qui illam inſtanter operatur. Id quod notabat ibi Euchumenius: *Animaduertendum eſt autem, quòd non dixit in ſuperioribus; Omnis, qui fecit, aut qui faciet iuſtitiã, ſed qui facit. Virtutes enim ſemper operantur, & dum fiunt, habent eſſe; ceſſantes verò, aut futuræ, ne eſſe quidem habent.* Et quidem in re virtutũ, qui cum poteſt, nullam præſentem exhibet, contentus multas futuras ſpondere; ſic æſtimatur à Deo, quaſi nihil offerret. Vndè dicebat Dominus Ioan. 8. *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* De virtutibus ſui aſſeclæ locutus verbum poſuit præſentis temporis, dicens *qui ſequitur*; de præmio autem illarum, ſtatuit verbum futuri. Sic notabat Auguſt. tract. 34. inquiens: *In eo, quod facere debemus præſens tempus poſuit, quod autem promiſit facientibus, futuri tẽporis verbo ſignificauit. Qui ſequitur, habebit: modò ſequitur, poſt habebit.* Huc reuoco dicta tom. 2. lib. 6. cap. 3. §. 37.

§. IX.

Seruum prorſus exuat, filium induat qui ad Dei ſublimes honores ſcandere cupit.

FIdeliſsimi ſerui iubentur in Domini ſui gaudia intrare; ait enim: *Euge ſerue bone, et fidelis, intra in gaudium Domini tui*: In gaudia intrant & ſerui, ad ſublimes Dei honores vocantur filij. Felix, qui vbi Deo apparet, ſic omne in ſe ſerile abſcondit, vt prorſus appareat filius, is nõ ſolùm cum ſeruis in patris gaudia, ſed in ſummos Dei honores introibit. In Luc. cap. 15. habes ouem, & filium: illam bonus paſtor quærit, inuentam humeris imponit ſuis, & ad caulas reducit: hunc reuertentem expectat Dominus, & vt noſcit filium, amplexu tenet, oſculis delinit, ſtolam primam exhibet, annulo ornat, vitulique ſaginati ſaturat connubio. Non ſic cum oue paſtor, vt pater exhibetur cum filio; illi, quidquid refrigerij eſt, parat; hũc ad honoris paterni erigit participium. Id ponderans D. Ambr. lib. 7. in Lucam inquit: *Malo ergò filius eſſe, quàm ouis. Ouis enim â paſtore reperitur, â patre filius honoratur.* Tota ouis felicitas, tota ſeruulorum fortuna, quòd à via perditionis reducantur à Deo in viam ſalutis, & ab eodẽ æterna gaudiorũ paſcua accipiant. Super hæc autem maximè ſe ſe extollit filiorum fœlicitas, qua quidquid honoris pater habet, ipſi participant. Vt homines in honorẽ diſtant à cæteris animantibus, etiam plurimi habitis apud mũdiales principes; ſic qui filiorũ ſpiritu ducuntur, diſtant apud Deum ab his, qui ſeruitutis ſeruntur ſpiritu ad capeſſendam virtutem. Id quod docebat Dominus Hierem. cap. 31. inquiens: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et ſeminabo domum Iſrael, & domum Iuda ſemine hominum, et ſemine iumentorum. Et ſicut vigilaui ſuper eos, vt euellerem, & demolirer, et diſſiparem, et diſperderem, et affligerem; ſic vigilabo ſuper eos, vt ædificem, & plantem, ait Dominus.* Loquitur Dominus de liberatione à captiuitate populi Iſraelitici; & qualiter adducturus erat eos in plenam libertatem. Sed maximè expendendum eſt diſcrimẽ illud, quò vſurus erat, vt eos traheret, nimirùm ait: *Seminabo domum Iſrael, & domum Iuda ſemine hominum, & ſemine iumentorum.* Diſtinctè D. Ambr. lib. in Luc. ait: *Semen Iſrael in ſemen hominum, et Iuda in ſemen animalium.* Non enim omnes æqualiter feruntur ad ſalutem, ſed alij ſicut iumenta ſeruilia, alij inſtar hominis ingenui filiorum nobilitate ornati. Filius primogenitus Iſrael quaſi homo regius, Iuda quaſi ſeruile animal in ſalutem intrabit; homo, vt honoribus regni potiatur: ſeruile animal vt teneat æterna gaudia. Et meritò vbi gaudia ſeruiles animos replent; regni culmina filijs reſeruantur. Ad hæc Pſalm. 35. *Homines & iumenta ſaluabis Domine: quemadmodum multiplicaſti miſericordiã tuam Deus. Filij autem hominum in tegmine*

mine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, &c. Sunt homines & iumenta, quæ saluãtur, & sunt filij homines, qui sub Dei triumphant patrocinio, & mirum in modum sese extollunt. Sed qualis ista distinctio inter homines, & iumenta ex vna parte, & filios hominũ ex alia? Voluit Dauid innuere distinctionem saluandorum; alij enim ad salutem currunt animo seruili, & mercenario ducti, vt fugiant mala, & habeant bona; ij dicuntur homines, & iumenta, eò quòd instar iumentorum feruntur ductu vtilitatis propriæ. Alij autem filij hominum dicuntur, vt qui solo ingenuo spiritu ducantur filiorum, nihil in se seruile, nihil mercenarium ostendentes; vtrisque Deus largitur salutem, sed ijs filijs longè honorabiliorem, & glorioſiorem. Seruitutis spiritus deponendus est illi, qui cupit cumulatissimam apud Deum gloriam potiri. Ioannes Baptista aiebat de Iesu Ioann. 3. *Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi stat, & audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergò gaudium meum impletum est.* Non solùm dicit se in gaudio esse, sed insuper de cumulatissimo gaudio, nimirũ de gaudio in se pleno & perfecto gloriatur; & quod inde probat, quia & si sponsus non est, tamen nec seruus, sed amicus est. Cyril. Alex. lib. 2. in Ioann. cap. 62. *Cœlestis est sponsus, ego verò vnigeniti gaudio triũpho, quia serui conditione deposita, tâm nomine, quâm re amicitiæ fruor.* Satis est seruo, quôd in Domini gaudium intret, ego qui non seruus, sed amicus, non simpliciter intro in gaudium, sed intro ouans & triumphans, gaudio enim triumpho.

Matth. 25. Accedens autem, & qui vnum talentum acceperat, ait, Domine, scio, quia homo durus es, metis vbi non seminasti, & congregas, vbi non spa, sisti, & timens abij, & abscondi talentum in terra; ecce habes, quod tuum est.

§. X.

Summa hominis perditio est, quòd neque seueriſſimi iudicis minaci vultu ad virtutum operationem trahatur.

HVc vsque peruenit nequissimi serui malitia, quòd iudicis duritiam noscens adhuc hæret peccatis; & sciens se viuere sub iudice seueriſſimo, tamẽ de tanta iudicis seueritate hoc educit, vt magis velit otio, & inertiæ se tradere. Sic enim ait: *Scio, quia homo durus es; metis, vbi non seminasti: et timens abij, et abscondi talentum, &c.* Quid insanius? De duritie iudicis nota educit, quòd nolit benè operari; Pulchrè ad hæc Imperfectus hom. 53. Imperf. ait: *O malitia peccatorum, qui neque futuri iudicij terrore mutantur.* Iudicem seueriſſimum vident, imò vident strictum gladium: inexorabilitatem iudicij norunt, & toti cõtremiscunt, & summo horrore pauent, & inter hæc minimè in melius excitantur. Nonne hãc deploratam malitiam putaueris? Imò & iam in talibus summus diuinæ iræ ardor apparet. Psalm. 75. slupe Psal. 75. faciens Dauid clamat: *Ab increpatione tua Domine, dormitauerunt omnes, qui ascenderunt equos.* Increpatio clamorem habet, horrẽdum quid solet intonare, quod minimẽ dormire sinit, imô cogit sub ingenti pauore vigilare. Quis adeò stolidus est, & vecors, vt inter increpatorios clamores dormire possit? Sanè somnus iste non tàm somnus, quàm summum iam supplicium ab increpantis Dei ira in dormientem deueniẽs videtur. Ait D. Augustin. ibi: D. Aug. *Attendat charitas vestra rem tremendam. Increpatio strepitum habet, strepitus expergisci solet homines facere. Increpat Deus, & dormis. Magna ira increpantis, magna ira.* Nescio, an maior Dei ira soleat esse aduersus peccatores in mundo existentes, quàm vbi facit ita increpationes suas, mĩnas suas, seueritates suas, imô & flagellorum strepitus audiri, & cognosci, quin ex hoc vlla à vitiorum somno excitatio fiat. Magna hęc est ira increpantis Dei, tremẽ da res, & omni pauore digna, & quæ sola explicat extremam peccatoris malitiam. Isaias cap. 50. ad rebelles Iudæos, & miseram ciuitatem à Tito, & Vespasiano exurendam, ait: *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine* Isai 50.

ne ignis veſtri, & flammis, quas ſuccendiſtis: de manu mea factum eſt hoc vobis: in doloribus dormietis. Expende illud: *De manu mea factum eſt hoc vobis*; exaggerat enim Deus immenſam iuſtitiæ ſuæ vindicatiuę potentiam, quaſi dicat, ait Carthuſianus: *Mea poteſtate ſecundùm ordinem diuinæ iuſtitiæ illata ſunt vobis tanta tormenta à Romanis.* Et quanta hæc iuſtitiæ poteſtas? Quantum eſt ad oſtentationem ſeueriſsimę iuſtitiæ Dei, quòd impij flammis vltricibus dentur? Hoc nõ adeò magna ira Dei in qualicumque impio præſtat. Quid maius in rebellibus Iudæis oſtenditur, quod particulariter denotet in illis diuinæ iræ poteſtatem immenſam? Illud crediderim demonſtrari verbo ſequenti, nimirùm: *In doloribus dormietis*, hoc eſt, medijs flammis ſæuentibus, tormentis vndique pungentibus, doloribus viſcera penetrantibus, adhuc in malitia dormietis, nec excitabimini, vt quęratis à Deo remedium. Hoc niſi ex magna Dei ira, vix homini accidere poſſet credi. Quanta hęc peccatoris malitia, quòd vel inter acerbiſsima ſupplicia, adhuc ſomno vitiorum ſtertat! Quanta Dei ſeueritas, quòd tormenta exhibeat, quę multùm crucient, & à ſomno minimè excitent! Huc trahe dicta tom. 1. lib. 4. cap. 1. §. 15.

Carthuſ.

§. XI.

Vix donum Dei apparet in illo eſſe, in quo nullus extenditur ad proximos fructus.

MIraris quòd reprobandus ſeruus oſtendat in ſe Dei dona integra, nullatenùs diminuta, dum dicit Deo: *Ecce habes, quod tuũ eſt.* Si ergo, quod Dei erat, integrum reddit, cur puniendus ſiſtitur iudici? Verùm ò Domine Deus, miſerè fallitur malus iſte, dum tuum integrũ donum putat, quod in terrâ ſepultum, proximis nullum parturiuit fructum. Quod tuum eſt, in eo cognoſcitur, quòd nequit ſolitariũ inueniri, ſed magis amat vſque ad proximos diuidi. Magnus ille Eliſæus 4. Reg. 2. à magiſtro Elia poſtulabat ſpiritum duplicem, nimirùm donũ Sancti Spiritus habitans in illo; ait enim: *Obſecro, vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Et cur duplicem vocat ſpiritum Eliæ? An erat ſpiritus Eliæ ex duobus compoſitus? Abſit; imò ſimpliciſsimus erat diuinus ſpiritus habitans in Elia, ſed ideò vocatur duplex, quia Dei ſpiritus in quocumq; ſit, quia in ſe non poteſt, tamen in ſuis operationibus amat vſque ad proximos diuidi. Id quod elegãter notabat Galfridus apud Tilmanum in Allegor. inquiens: *Aliter ab Eliſæo duplex, quem Elias habuerat, poſtulatur ſpiritus, non quia in ſe ipſo diuiſus eſt ſpiritus, ſed quia in munere ſuo, vel opere duplicatur. Vnus eſt enim ſpiritus, per quem charitas diffunditur, ea tamẽ in amorem Dei, & proximi deriuatur: nec adeſſe credendus eſt vnicus ille ſpiritus, vbi duplex non inuenitur effectus. Cum enim in ſe ipſo ſit ſimplex, in nobis numquã poterit fieri niſi duplex.* Hæc eſt diuini doni in nobis inhabitantis notio, quòd non maneat vnicum, & ſolitarium, ſed duplicetur diuiſum inter fratres. Dum vnicum, & ſolitarium in nobis eſt, vix Dei donum noſcitur, vix ex Deo eſſe putatur, quando Deus ſuâ illa recognoſcit dona, quæ in operibus videt per proximos multiplicata. Eccleſiaſtes, cap. 4. aiebat: *Conſiderans reperi aliam vanitatem ſub ſole. Vnus eſt, et ſecundum non habet, non filium, non fratrem: & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitijs: nec recogitans dicit; Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas eſt, & afflictio ſpiritus.* Quid vanius? Quid luctuoſius, quàm illud: *Vnus eſt, & ſecundum non habet, non fratrem*, &c. Sed libet hanc vanitatem expendere ex paraphraſte Chaldaica, vbi ſic: *Eſt vir ſolus, & non eſt ei ſecundus, filium quoque, & fratrem non habet, & non eſt finis vniuerſo labori ſuo, oculus quoque eius non poteſt ſatiari diuitijs, et non dicit in corde ſuo, cui ego laboro, & fraudo animam meam bonis? Surgã & faciam ex eo eleemoſinã, & lætabor in hoc ſæculo cum filijs hominum, & in ſæculo vẽturo cum iuſtis. Hoc quoque eſt vanitas & occupatio peſſima.* Et quando peſſimum non eſt, & à Deo donum alieniſsimum, quòd quis ita ſolus ſit, & vnicus ſibi, vt terrenis bonis habendis immerſus, nec fratrem, nec amicum velit habere, cui egenti aliquid communicet? Sanè qui ſe ita ſolitarium ſeruat, & prorſus vanus eſt, nihilque in ſe oſtendit diuini ſpiritus. Ait Catena Græca ibi: *Si quis fratrem non habet, is proculdubio ſpiritum adoptionis filiorum non accepit; & ſi quis pater non eſt, is porrò improbus eſt, id enim eiuſmodi ſacra imprecatur ſcriptura, inquiens. Non eſt progenies malis. Is iure, ac meritò, nec vẽ-*

4. Reg. 2.

Tilman.

Eccle 4.

Chald.

Cat. Gr.

tiositate quidem exsatiatur, cum suam ipsius animam Dei cognitione defraudet. Nõ loquitur de carnalibus patribus, aut fratribus; absq; eò enim quòd quis fratrem habeat carnalem, seù filium, æternam fœlicitatem introibit Dei spiritus auxilio. Loquitur ergo de eo, qui nec pater est orphanorum, nec compassione charitatis fratrem vllum acquirit, sed solus ipse, & solitarius vult suis incubare diuitijs. Is vt planè sterilis, sic & visione Dei caret, & nullum in se Spiritus Sancti donum ostendit; quando diuini doni proprium est non solitarium manere, sed longa operatione ad proximos sese extendere.

Eccl. 1. Vndè Ecclesiasticus cap. 1. ait: *Plenitudo sapientiæ est timere Deum, & plenitudo â fructibus illius. Omnem domum illius impleuit â generationibus, & receptacula â thesauris illius, corona sapientiæ timor Domini, replens pacem, & salutis fructum. Et vidit, & dinumerauit eam. Vtraque autem sunt dona Dei.* Vbi noster posuit: *Replens pacem, &c.* Septuaginta legerunt: *Germinans pacem, & fructũ salutis*: Nullo enim alio explicantur Dei dona, quàm ex multiplici fructu ex illis orto, qui perueniat ad receptacula proximorum. Similiter &

Eccl. 5. Ecclesiastes cap. 5. *Et omni homini, cui dedit Deus diuitias, atque substantiam: potestatemque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo, hoc est donum Dei.* De quo explicatiùs in rem præsentem Chaldæus: *Etiam omnis homo, cui dederit Dominus diuitias, & facultates, et præposuerit eum Dominus, vt comedat ex eis in sæculo hoc, et vt faciat ex eis eleemosynam, et vt accipiat mercedem partis suæ perfectam in sæculum venturum. Ecce hoc donum, quod datum illi â Domino est.* Nullo magis ostenditur, quod sit Dei donum, quàm ex fructibus ad proximos ortis. Ostende substantias, & diuitias proximis fructuosas, & simul ostendes illas profectas ex Dei dono. Vbi cum Zachæo potueris dicere, Ecce dimidium do pauperibus; statim & dicam tibi. Ecce hoc donum, quod datum tibi à Domino est. Hinc colliges talenta tua, opes tuas, esse dona Dei, si ex eorum fructibus participent proximi: nequeunt enim Dei dona non esse proximis proficua. Vndè aiebat

D. Greg. Thaum. D. Greg. Thaumat. in hoc cap. *Non negauerim etiam opes bonas esse, Dei enim donum est, si homo lætè perfruatur laboribus suis: modo opes illæ â Deo sint concessæ: Talis enim benefico in omnes est animo, et in munere diuino exultat, et omnem vitam suam bonis operibus, ac largitionibus adornat.* Expende notionem hominis illius, qui opes habet à Deo sibi particulari dono concessas; nempè ait: *Talis benifico est animo in omnes, et vitam suam largititionibus adornat.* Quasi hoc proprium velit esse diuini doni, quòd impellat ad bene faciendum.

Matth. 15. Respondẽs autem Dominus eius, dixit ei, serue male, & piger, sciebas, quia meto, vbi non semino, & congrego, vbi non sparsi, oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs, & veniens ego recepissem vtique, quod meum est cum vsura.

§. XII.

Summa diuinæ sapientiæ laus, quod ab ipsis peccatorum morbis messem faciat humanæ salutis.

NOn negat Dominus se metere, vbi nõ seminauit; imò vbi ille dixerat: *Scio, quia homo durus es, & metis, vbi non seminasti.* De duritiei obiectione prorsus tacet; solùm meminit, quòd dicatur metere, vbi non seminauit; quasi hoc verum esse admittat, & sibi non vitio tribuat, sed laudi. Cum enim solum inueniatur malum non fuisse à Deo seminatum, vt qui omnis boni sit author; in immensum extollit diuinæ sapientiæ laudem, quòd sciat de ipsis malis, de morte ipsa, de ipsis peccatis, humanæ salutis copiosissimam segetem facere. Ad Rom. 8. ait Paul. extollens Dei gratiam supra legem: *Quòd impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem. Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato dãnauit peccatum.* Non poterat lex vlla, nec vllus legis lator in infirmitate, in vulnere ipso, in ipso peccato, medelam inuenire, & remedium peccati. Quid tunc? Venit Dei filius, & de eius sapientissima arte vniuersæ malorum venæ cæperunt scaturire sanitatibus. Pulchrè ad hæc aiebat

Ad Ro 8

Cellen-

Cellenſis Abb. lib. de Pan. cap. 11. ſatus: *De fonte igitur peccatorum vena exiſtit omnium lachrymarum. Miram tamen in hoc artificis Dei ingenium, vt lachrymæ de venis erumpens peccatorum, humiliter profuſa abſorberet omne peccatum. Plane, ſic de peccato damnatur peccatum.* Nihil a Deo alienius, quam peccatu eſt, vt enim mortem non fecit, ſimiliter nec potuit Dominus facere peccatu; ſed hic dominu ca prevaluit ars, vt alienisſimum a te peccatum, ſibi in reſtauratione hominum ſeruire faceret, dum illud materiam miniſtrat fluentis lachrymarum. Hæc eſt maxima Dei ſapientia, de qua ſatur Exod. 7. *Immittam manum meam ſuper Ægyptum, et educam exercitum, et populum meum Iſrael de terra Ægypti per iudicia maxima.* Expende, quòd non dicat educeadum populum per fortitudinem maximam, plura enim erant alia Dei opera longe maioris fortitudinis, & poteſtatis, qui enim de nihilo eduxit omnes exercitus creaturarum, quid magnum faceret, quòd educeret populum ſuum de Ægypto? Non ſane hoc ad maxima diuinarum fortitudinum decora pertinuiſſet, quando & vnus Angelus ingentē Aſſyriorum exercitum vna nocte interemit, vt Hieroſolymam ab obſidione liberaret. Vnde merito tacens, quòd per fortitudinem populum eduxerit, notanter oſtendit eductū illum *per iudicia maxima*, hoc eſt, maximam, & præſantiſsimam ſapientiam. Et in quo tunc Dei ſapientia oſtenſa fuit maxima? Qualis res Dei ſapientiam tunc temporis in illa eductione oſtendit adeo magnam, quæ excederet ſapientiam Angeli? Sane cum tunc Pharao magis in Deum rebellaret, maioremque cumulum malitiæ oſtenderet, aggrauans cor ſuum, obdurans aduerſus Dei præcepta, eò peruenit Dei ſapientia, vt totam illam Pharaonis malitiam gloriioſor eductionis Iſraelitarum, & educentis ſeruire faceret. Quocirca aiebat Niſſen. orat. de Infantibus, qui &c. *Excellentia ſapientiæ ſuæ, Deus nimirum, etiam malum ad aliquid bonum trahere, et accommodare ſcit.* Ad excellentiſsimam Dei ſapientiam pertinet, quòd ipſa mala, ipſa peccata eò trahantur, vt virtutibus poſsint quodammodo præſtare; imò vt ex ipſis malitiæ luxuriantibus pratis copioſæ virtutum ſegetes metantur. Is equidem eſt Deus, iuxtà Paul. 2. ad Corint. 4. *Qui dixit de tenebris lucem ſplẽdeſcere.* Quid eſt de tenebris? Nimirum de peccatis, de hominum ſceleribus lucidiſsimam luminum meſſem traxit. Accipe Orig. hom. 14. in Num ſantem: *Malitiam Deus non fecit, tamen cum ab aliis inuenta poſsit prohibere, non prohibet, ſed vtitur ea ad neceſſarias cauſas. Tolle malitiam fratrum Ioſeph, tolle inuidiam, tolle omne parricidale commentum, quo ſeuierunt in fratrem, quouſque venderent eum. Si hæc auferas, vide quantam ſimul peremeris diſpenſationem Dei. Simul enim abſcindes cũ illis quæ apud Ægyptum per Ioſeph pro ſalute omnium geſta ſunt. Non fuiſſet interpretatio ſomni Pharaonis, nemo neceſſitatem famis curaſſet; periiſſet Ægyptus, interiiſſet etiã ipſe Iſrael, et ſemẽ eius quærens panem. Nuſquam plagæ in Ægyptios, neq; virtutes illæ, quas fecit Deus per Moyſen. Non rubrum mare ſiccis veſtigiis inceſsiſſet. Cibum manna mortalis vita neſciſſet. Nulla de ſequenti petra aquarum fluenta prorupiſſent. Si auferas malitiam Iudæ, abſtuleris pariter crucem Chriſti: & ſi non ſit crux, non exũuntur principatus, nec poteſtates, nec triumphatur in ligno. Si non fuiſſet mors Chriſti, vtique neque reſurrectio, neque ſpes nobis reſurrectionis fuiſſet. Ex quibus omnib' colligitur, quia Deus non ſolum bonis vtatur ad opus bonum, ſed etiam malis.* Quid pulchrius? Quæ vberior meſsis virtutum eſſe potuit, quam hæc, quam Dominus metit de malitia, quam minimè ſeminauit? De vno peccato venditionis Ioſeph, & huius exaltatio, & ipſorum venditorum vita, & Ægyptiorum conſeruatio, & cantatiſsimus maris rubri tranſitus, & cœleſte manna, & dulciſsimæ e ſaxis aquæ manarunt. De vna Iudæ proditione, & crux Chriſti, & reſurrectio, & mundi ſalus, & Dei glorificatio ortum ſunt. Quis non miretur ſummi artificis ingenium maximum, qui tot virtutum meſſes in dies facit, de malitiæ agris, in quibus nō ſeminauit? Quo ſpectans ipſe Paulus aiebat ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quæ verba ſic pulcherrimè expendit D. Bern. ſerm. de vitæ fallacia, aiens: *Vſque adeò omnia nobis cooperantur in bonum, vt inter hæc omnia, etiã ea, quæ nihil ſunt, numerentur, moleſtia, morbus, et ipſa mors etiam & peccatum. An verò et peccata ipſa non cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, ferentior, timoratior, et cautior inuenitur? Hæc ſunt ergo primitiæ ſpiritus, hæ primitiæ regni, hæc gloriæ prælibatio, hoc poteſtatis initium, et arrha quædam paternæ hæreditatis.* Hæc ille, quibus patet, quanta bona ſoleat Deus educere ex ipſo lapſu peccati.

Cellenſ.

Exod. 7.

Niſſen.

Paul. 2. Corin 4.

Orig.

Rom. 8. D. Bern.

Matth. 25.

Matth.25. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta: omni enim habenti dabitur, & abundabit; ei autem, qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo. Et inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores.

§. XIII.

Deus in summa suæ seueritatis duritie aduersus malos nescit non in bonos tenerescere.

DVrus homo habebatur Dominus à pigro seruo; aduersus quem durissimũ se meritò ipse Dominus exhibet, dũ illum spoliari mandat bonis omnibus, & mitti in tenebras. Sed illud notandum venit, quòd in hac ipsa seueritatis duritie erga malum seruum, simul se mansuetissimum præbet erga bonos, quos iubet ditari nouis talentis. Quippe ait: *Tollite ab eo talentum, et date ei, qui habet decem.* Nunquam enim adeò durum se se ostendit Deus, vt in bonos non tenerescat. Numerorum.21. pro remedio serpentini veneni, iubetur serpens æneus extolli super lignum, & populo percusso exhiberi. *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, et proposuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Notissima est in serpente hoc filij Dei mundi Saluatoris adumbratio, in qua illud nunquam mirari desinam, quòd vbi proponitur Dei filius saluaturus mundum in ligno, proponatur totus æneus. Quid ære durius? Vt immensam duritiẽ minaretur Dominus aiebat Leuit.cap.26. *Conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, et terram æneam.* Hoc minabitur Dominus peccatoribus, quòd cœlestia ænea, hoc est, durissima, & penè inexorabilia experturi essent. Cur ergo salutis signum iubet æneum fieri? Dum te æneum exhibeas, ò Deus, quis sperabit salutem? Quis credet ab aneo cœlo salutiferum rorem posse descendere? Quisquis credat sub ære latere Deum; is simul credet, ab æneo vultu salutis succum posse obtineri; Deus enim etiam in summa duritie erga malos positus, in bonorum salutem tenerescit. Vt mirabundus dicat D. Athanas. in Synopsi ad lib. Sap. *Contrâ morsum serpentum, per æneum serpentem curatus est populus.* Potuit populus fidelis vel ex æneo vultu succum salutis obtinere, quando inibi Dei latebat mysterium. Id quod ponderans D. Cæsar. Arelat. aiebat: *Tam prompta aderat salubritas medicãdi, quàm velox inerat fœlicitas intuendi; sequebatur certum sub momentanea contemplatione remedium, quia latebat in serpente mysterium.* Expende, vndè ab æneo aspectu potuit salutis succus exhiberi, nimirùm ait: *Quia latebat in serpente mysterium.* Latebat sub æneo serpente Deus, qui etiam in summa suæ seueritatis duritiæ non potest ad bonorum salutem largiẽdã non tenerescere. Quid durius Deo per Ægyptum lugubri illa nocte ingrediente? Ait Sap.cap.18. *Cum enim quietum silentium continerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens de cœlo â regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminij terram prosiliuit, gladius acutus, &c.* Hæc inter durissima Dei ostensa, simul per domos Israelitarum agnus anniculus immolandus exhibetur. In plateis Ægypti durus debellator, gladius acutus apparet, omnia morte replens, & in Israelitarum domibus quasi agnus ostẽditur, protegens, & defendens, quia nescit Deus etiam medias inter duritiẽs, & seueritates, non se mansuetum, & benignum suis fidelibus ostendere. Ait Rupert. lib.3. de vict. cap. 16. *Mirabile vtique fecit inter domos Ægyptiorum, et domos Israel, vno eodemque tempore, vna, eademque nocte. Illic, id est, in domibus Ægyptiorum tanquam durus bellator erat, tanquam gladius acutus sententiam vibrabat. In domibus autem filiorum Israel mitem se, et humilem natura esse signabat per agnum, simplex, & mansuetum animal.* Nunquam tam durus in malos, nunquam tam æneus apparuit, quin media illa duritie non inuenirentur mansuetus, & beneficus in eos, qui illum non irritauerunt.

§. XIIII.

In impio homine cœlestium virtutum, quæ gloria donantur, tantùm inueniuntur vmbratiles apparentiæ, & phantasiæ. Imò & ipsa hominis ratio in illo solùm est apparenter.

EXpende, quid cœlestis talenti iubeatur tolli in seruo nequam; nimirùm ait: *Quòd videtur habere, auferetur ab eo*; non quod in veritate habet, sed quod videtur habere; cœlestium enim virtutũ, quæ gloriam adipiscuntur, in impio non veræ existentiæ, sed solùm inueniũtur apparentiæ. Dum somnium arboris explicat Dan. 4. Daniel, cap. 4. sic loquitur ad Nabuchodonosor: *Tu es Rex, qui magnificatus es, & inualuisti, et magnitudo tua creuit, et peruenit vsque ad cœlum, et potestas tua in terminos vniuersæ terræ*. Non mirabor, quòd florentissimi Regis potestas vsque ad vniuersos finiret fines terræ; at illud valdè miror, quòd in tanto tyranno dicatur esse aliquid, quod cœlum pertingat. Ait enim: *Magnitudo tua creuit, et peruenit vsque ad cœlum*: quî fieri potest, vt in viro pessimo ea splẽdoris magnitudo inueniatur, quæ cœlestium splendorum sit æmula? An erant in Rege hoc virtutes aliquæ pertingentes cœlestia? Non equidẽ in re erant in Nabuchodonosor virtutes cœlestes; sed Propheta non loquitur de eo, quod in re erat, sed quod vel in phantasia Regis, vel in quadam vmbratili apparẽtia videbatur esse. Quandiu enim de cœlestibus virtutibus fit sermo, sic intelligẽdus est, quòd in impijs solæ illarum inueniantur phantasiæ, & apparentiæ. Ait Procop. Procopius in Glossa: *Aptè admodum, et opportunè cœlo, et terræ accõmodauit. Dominationem enim peruenisse ad fines terræ: ad cœlum verò non item dominationem, sed magnitudinem, hoc est, cogitationis phantasiam*. Sapiẽter Propheta impij Regis magnitudinem solam dixit peruenire ad cœlum, vt euidentiùs ostenderet, id nõ posse esse in veritate, sed in phantasia cogitationis, & vmbratili, & fallaci apparentia. Nihil enim in impio inuenitur pertingẽs cœlum in veritate, sed in apparentia, & cognitioni sphantasia. Hinc apud Isaiam Isai. 10. cap. 10. ait Dominus: *Visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum eius*: non super verè existentem gloriam eius, quæ nulla erat, sed super gloriam altitudinis oculorum eius, nimirùm quę solùm habet esse in apparentia. Quò aspiciens Eccle- Eccl. 8. siastes cap. 8. ait: *Non sit bonum impio, nec prolongentur dies eius; sed quasi vmbra trã seant, qui non timent faciem Domini*. Non solum cœlestes virtutes æternitatis meritoriæ, sed quidquid ad bonum honestum, imò quidquid ad veram rationem hominis attinet, vult esse in impio, non timente Deum, nõ in veritate, sed velut in vmbratili repræsentatione. Ait ibi Caietan. Caiet. *Hominem nõ timentem â conspectu Dei assimilat vmbræ, eo quòd sicut vmbra non est verè corpus eius, cuius est vmbra, sed quædam repræsentatio illius: ita non timens diuinum conspectum non est homo, sed hominis vmbra. Non est, inquam, homo secũdùm mentis vsum, sed vmbra hominis. Vsus enim humani animi pendet â timore diuini conspectus, tanquam â prima regula*. Nihil solidum, nihil verum in impio homine inueniri potest in ordine ad gloriam, & cœlestes virtutes; imò & ipsa hominis ratio in illo quasi apparenter exisiit, velut imago vmbratilis quædam. Vndè de impijs dicebat Iob cap. 33. *Respiciet homines, et dicet: peccaui*. Vbi D. Gregor. lib. 24. Moral. Iob. 33. Gregor. cap. 6. *Ideò peccasse se nesciunt, quia homines non attendunt. Nam si considerarent homines, citiùs agnoscerent, quantùm peccando infra homines cecidissent*. Inuenirent procul dubio in se solam esse vmbram, & apparentiam hominis.

LIBER DECIMVS SEPTIMVS.

DE HISTORIIS ADDVCTIS A IESV.

VT Effictis ſimilitudinibus, ſiuè parabolis Dominus ſermones exornabat ſuos, ſic etiam de veris hiſtorijs exempla proponebat, quibus pulcherrimæ orationi non minimam addebat pulchritudinem. Quid deſideres in cœleſti Oratore de orationum luminibus? Habes neruoſa argumenta, propoſitiones ſpectatiſsimas, ſimilitudines aureas à parabolis, exempla ab hiſtorijs petita, ne vllus pulchritudinum fons deficiat, quò gratiùs, & efficaciùs currat orationis flumen.

CAPVT I.

De Epulone, & Lazaro.

ADEST Cantatiſsima toto in orbe hiſtoria de diuite in damnorum ima deſcendente; & paupere Lazaro ad fœlicitatum præſtãtiſsima ſublato. De vtroque Dominus ornatè, & oratoriè diſſerit, & ſuppoſitis in vtriſque & diuitiarum, & tormentorum, & miſeriarum, & fœlicitatis ſtatibus: alia de oratoris licentia affingit Dominus, non quæ in re fuerint, ſed quæ apprimè explicent vtriuſque ſtatum. Spiritibus dat membra, dat voces, vt eadem ſolent Oratores attribuere vel lapidi; quibus oſtẽditur, quid à præſenti tormento flammæ cogetur miſer ſibi deſiderare, cùm poſt reſurrectionem corpus habeat. Sanè ad epulonis tormentum non parùm faciet, quòd vt anima propter gulam torretur, ſic vbi adſit corpus, lingua truculentiùs torreatur. Sicut & hominis crudelitas non parùm punitur, dum ſe in omnium rerum penuria videat, de quarum abundantia deſpectus quondam Lazarus ſic lætatur, vt vel de eius reliquijs æterna miſerorum tormenta poſsint refrigerari. Hęc affictis vtrinq; colloquijs ſapientiſsimè exprimuntur; tãdem additur colloquium aliud de mittendo Lazaro prædicatore ad miſeri diuitis fratres. Nõ quòd poſsit epulo bona velle alicui, ſed quòd naturale cuiquã eſt, cupere, vt ſibi noti certò ſciant, rem à ſe euidẽtiſsimè expertam, quam noſcit ab illis craſsiſ-

craſsiſsimè ignorari. Sed prouidentior Deus circa omnes extitit, quàm damnatus iſte, quando nulli negauit certiſsima teſtimonia, per quæ ſi vellent, ſalutarem omnem inuenirent veritatem.

Luc. 16. Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidiè ſplendidè.

§. I.

Nequit vir nominis eſſe, qui nimis epulis, gulæque deditur.

NOmen epulatoris iſtius à Domino tacetur, & meritò; quando vix fieri poteſt, vt vir nominis euadat, quiſquis nimis indulget epulis. Apud Marc. cap. 4. dicebat Dominus: *Num lucerna incenditur, vt ſubter modium ponatur, aut ſubter lectum? Nonne vt ſuper candelabrum ponatur?* Nemo vnquam credet, lucernam poſſe accendi, vt ſubter modium ſit; imò ex quo ſub modio aliquid eſt, euidenter colligitur, illud non poſſe eſſe lucernam accenſam, & in domo lucentem. Et quidem modius inuentus eſt, vt triticum recipiat, & menſuret, ſimul & alias fruges; vndè vt aptus eſt frugibus recipiendis, ſic eſt ineptus, vt in ſe oſtendat lucernam accenſam: quando enim quis lucere poteſt inter epulas? Sapienter Theophilactus in præſenti ait: *Erit autem vnuſquiſque veſtrum lucerna, qui debet poni ſuper candelabrum, hoc eſt, ſuper ſummitatem diuinæ vitæ, vt & alijs poſsit lucere: ſed non ſub modio, hoc eſt, ſub ciborum cura. Nullus enim, cui cibi curæ ſunt, et qui requiem deſiderat, poterit lucerna eſſe omnibus lucens, etiã per ſuam vitam.* Nũquam epularum ſtudium hominem luci dedit; nunquam de ſub fer culis potuit quis cõſtitui in mundi lucernam, & inter mundi lumina ſplendeſcere. Et quam claritudinem obtinebit, qui totus videtur natus, vt mente euoluat culinarum fumos? Mentiar, ſi quis mihi aſſignetur gulæ deditus, & facinorum gloria, nominiſque claritate inſignis. Apud Num. cap. 11. vbi gulæ tentatio, & punitio deſcribitur, notanter dicit textus: *Vulgus quippè promiſcuum, quod aſcenderat cũ eis, flagrauit deſiderio carnium.* Vix in alijs tentationibus populi defuerunt aliqui viri nominati, qui illis corriperentur, vt in ambitu ſacerdotij, Core, & Dathan, & Abiron: in ipſo Madianiticæ fornicationis crimine Zambri filius Salu, dux de cognatione Simeonis. Vbi autem ad tentationẽ gulæ ventum eſt, ecce vobis, quid dicat: *Vulgus promiſcuum flagrauit deſiderio carnium.* Nullus vir nominis claritate inſignis, ſed inter fæces vulgi obſcurus maneat, neceſſum eſt, qui ſe ventris ſeruituti tradit. Et illud notandum, quòd non cõtentus ſit dicere, quòd vulgus concupierit; ſed notãter addit illud, *vulgus promiſcuum*: quaſi id faciat ad maiorem epulonũ obſcuritatem. Quid enim eſt vulgus promiſcuum? Sanè id ponitur ad diſtinctionem vulgi clarioris compoſiti ex viris nominatis, quale erat vulgus Iſraelitarum. Etenim cum Moyſe exierant de Ægypto & Iſraelitæ, & Ægyptiorum familiæ innumerabiles; in Iſraelitarum autem multitudinum cenſu nunquã habebatur ratio fœminarum, nec puerorum, ſed ſolùm virorum illorum, qui ad nomen iam accedebant. Verùm in Ægyptiorum cenſu, nulla erat diſtinctio inter viros, & fœminas, omnes confuſè, & promiſcuè cenſebantur; vndè fit, quòd de epulone, & guloſo vulgo locuturus Moyſes, dicat illud fuiſſe vulgus promiſcuum, inter fœminas, & pueros confuſum, ad diſtinctionem vulgi Iſraelitici, qui ſolis nominatis viris conſtabat. Sic ait Abulibi, quæſt. 10. *Reſpondendum eſt, Ægyptios vocari vulgus promiſcuum, ad diſtinctionem Iſraelitarũ, quia in Iſraelitis non vocabatur populus, niſi ipſa multitudo virorum tranſeuntium ad nomen; inter Ægyptios autem tâm viri, quàm fœminæ computabantur populus, & de Ægyptijs dictum eſt, quòd aſcenderat vulgus promiſcuum, et flagrauit deſiderio carniũ.* Et meritò vulgus flagrans deſiderio carnium diſtinguitur à vulgo cõſtanti ex hominibus tranſeuntibus ad nomen; nunquam enim ad claritatem nominis trãſit, ſed inter promiſcui vulgi fæces confuſus cum fœminis, & pueris manet, qui nimis ſollicitè epulis traditur. Non equidem in comeſſationibus, ſed in ſobrietate ad nominis claritatem itur. De clariſsimo illo Iſraelitarũ iubare Sãſone, ait Angelus ad matrem eius. Iud. 13. *Caue ergo, ne bibas vinum, ac ſiceram, nec immundum quicquam comedas, quia concipies, et paries filium, cuius non tãget caput nouacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia ſua, et ex matris vtero, et ipſe incipiet liberare Iſrael.* Quid tunc? Quid poſt hoc angelicum nũtium?

Mart. 4.

Theoph.

Abul.

Num. 11.

Iud. 13.

Ait textus ibi: *Peperit itaque filium, et vocauit nomen eius Sanson.* Mater filio nomẽ imponit, & vocat Sanson, id est, solẽ, neque id sine spiritu diuino, sed illo spiritu, quo admonita de abstinẽtia circa potum, victumque, filium Nazaræum patriæ liberatorem iussa est expectare, illum lucidissimi syderis nomine nuncupauit, certa, quòd inter Nazaræatus sobrietates nõ poterat, non clarissimi nominis homo procreari. Id quod notat Arias Montan. fatus: *Illa ab Angelo de nati munere, atq; officio edocta, nomen opportunum inuenit.* Et cui opportunius, quam abstemio infanti nomen præstãtissimæ datur claritatis. Nũ quam, mihi credite, tantũ nomen adipisceretur, si inter dapes nutriretur. Ex quo apud Minucium Fœlicem insultat Cæcilius in Octau. fatus: *Et quid ad hæc audet Octauius homo Plantinæ prosapiæ, vt Pistorum præcipuus, ita postremus Philosophorum?* Negãs posse expectari de pistoria arte aliquid præclarum: quando quod eximium est, magis nascitur de frugalitate. Psal. 119. *De torrẽte in via bibet, propterea exaltabit caput.* Expende, vndè exaltatio oriatur, non de vinis pretiosis, sed de torrentis aquis, hoc est, de vita frugali. Ibi Chrysost. *Et tu, dilecte, vitam luxuriantẽ, fastuque, & potentia extrinsecũs repletam cõtemne; tenuem, ac facilem, et minimè exquisitã persequere, si vis esse clarus, et magnus. Audiant ergo, qui sibi mensas apponunt sybariticas, epulisque condimentorum omne genus excogitant, et alias huiusmodi delicias important, vt euadant omnium abiectissimi. Nec enim excelsum quid consueuit facere, quod pluribus indiget.* Hæc ille.

Arias Mont. Cæcil. Psal. 119. Chrysost.

§. II.

Lauta conuiuia diuitiarum excedũt, & longè superant malitiam, ne Deum admittant.

ECce clausulã diuitis perditissimi: *Epulabatur quotidiè splendidè*; non sic ab omnibus mũdi diuitijs suffocatur in homine verbum Dei, vt suffocatur à cõuiuijs, imò, vt quid certiùs dicã, diuitiæ suffocãt verbũ Dei, aliquales agẽs in corde radices; at cõuiuia nullo modo permittũt Deum in corde admitti. Cauebat Dominus, Deut. 8. *Ne postquam comederis, et satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, et habitaueris in eis, habueriſque armenta boum, et ouium greges, argenti, et auri, cunctarumq; rerum copiã, eleuetur cor tuũ, & non reminiscaris Dñi Dei tui, &c.* Ecce tibi inter pericula, à quibus posset timeri obliuio Dei, in primis ponũtur conuiuia, deinde domorum, armentorũ, auri, & argenti possessiones copiosissimæ; quasi tota auri copia, & infinitæ armentorum possessiones, & vniuersæ diuitiæ cedant primas epulis, & conuiuijs in excludendo Deo ab hominũ intimis. Id sapienter notabat Tertul. in insipienti, lib. aduers. Psychicos, inquiens: *Ne, inquit Deus, cũ manducaueris, et biberis, et domos optimas ædificaueris, ouibus, et bobus multiplicatis, et argento, et auro, exiollatur cor tuum, et obliuiscaris Dñi Dei tui. Præposuit corruptelæ diuitiarum edacitatis enormitatem, cui ipsæ diuitiæ procurant. Per illam scilicet incrassatũ erat cor populi, nec oculis videret, & auribus audiret, et corde conijceret adipibus obstructo.* In hoc diuitiæ amplissimę primas cedunt epulis, & conuiuijs, quòd illæ admitti sinunt verbum Dei, licèt tandem suffocent illud; conuiuia autẽ superflua sic obstruunt conuiuantium oculos, aures, & vniuersos sensus, vt nullus aditus maneat, qui vel minimam Dei memoriã possit admittere. Monebat Dñs, Matth. 6. *Non potestis Deo seruire, et mammonæ*; quasi necessum sit, vt mammona nobiscũ existens Deũ minimè admittat, sed prorsus excludat. Sed scire cupis, quæ sit mammona hæc à Deo sic aliena? Communiter per mammonam intelligũtur diuitiæ, sed Clemens Alexand. putat, non debere intelligi diuitias solitariè, & per se sumptas, sed diuitias expẽsas, & suppeditatas in varios appetituum vsus. Hæc diuitiarũ suppeditatio, vt carnales comparentur deliciæ in epulis, & cõuiuijs, seu ãlijs quibuscumq; minimè secũ Deum admittit. Ait Clemens Alex. lib. 7. strom. *Nemo enim potest duobus dominis seruire, Deo, et mammonæ: non pecuniam dicens, sic nudè dicit, sed suppeditationẽ, quæ fit â pecunia in varias voluptates.* Forsan si diuitias solitariè spectes, posset cum illis & siare, & radicari, & vel aliquãtisper crescere verbum diuinum; vbi autem non solę diuitiæ, sed & earũ suppeditatio in acquirẽdas delicias, & voluptates per epulas, per conuiuia cõcurrunt, neque ad momentum Dei verbũ admittitur. Isai. 22. *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletũ, et ad planctum, ad caluitium, et ad cingulũ sacci: & ecce gaudiũ, et lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum: Comedamus, et bibamus, eras enim*

Deut. 8. Tertull. Matth. 6. Clem. Alex. Isai. 22.

enim moriemur. Clamabat Deus, vocans miseros ad pœnitentiam, ostendens vias, quibus possint saluari, & interea ab illis, quid fiebat? Occidere vitulos, comedere carnes, & bibere vinum; nullumque aliud æstimantes bonum, quàm epulari. Vndè clamant, comedamus, & bibamus, & cras moriemur; putantes, quòd totum mortis malum vna epularum dulcedine posset saporari. Pulchrè hos pingebat Philo lib. de mundi opificio: *Qui coquorum, & popinariorum laborem obliguriunt, attacti caput nidoribus, et condimentis exhalantibus participes turpitudinis fieri cupiunt: & vbi quis sumptuosam mensam viderit, toto corpore in appositam ruit, hoc solùm spectans, vt nihil ê tanto apparatu sinat reliquum.* Expende illud, *hoc solùm spectat*; adipes enim oculos, aures, mentem obstruentes, minimè aliud, quod extra esculenta sit, percipi sinunt. Matth. 24. aiebat Dominus: *Sicut autem in diebus Noe, ita erit in aduentu filij hominis; sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes, et bibentes, nubentes, et nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, et tulit omnes.* Expende, quod ait: *& non cognouerunt*: id est, non habuerunt notitiam, nec cognitionem diluuij, &c. Et quì fieri potest, quòd non haberent notitiâ? Nonne illos passim monebat Noe? Nonne ad illos singulis momentis clamabat? Nonne ob oculos ponebat arcam? Quomodo tàm clara, & aperta non cognoscebant? Erant comedentes, & bibentes, quo sic obstructos habebant sensus, vt audientes non audirent, & videntes non viderent. Vndè de ijs dicebat Paul. 1. ad Thessalon. 5. *Eis repentinus superueniet interitus.* Imperfect. hom. 51. in Matth. *Repentinus autem non antè nuntiatus*: & quidem sic erât in epulis toti, quasi nihil eis de salute diceretur.

Philo.

Matt 24

1. Thes. 5

Imperf.

§. III.

Bona temporalia impios homines non tàm ornant, quàm designant perditioni.

CVi nomen negatur, nec dignus est, qui vocetur proprio nomine, is maximus in diuitijs ostenditur, & purpura, & byssо ornatus, & magnificis conuiuijs opulẽtus. Quid purpura, & byssus, & splendidæ mensæ faciunt apud hominem indignum nomine? Crediderim pessimũ hominem affluentia temporalium bonorum non tàm ornari, quàm designari ad extremam perditionem. Huc respiciebat pulcherrima mens Minutij Felicis, qui sic in suo aureo Octauio loquitur: *Nisi fortè vos decipit, quòd Deum nescientes diuitijs affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus. Miseri in hoc altiùs tolluntur, vt decidant altiùs. Hi enim vt victimæ ad supplicium saginantur, vt hostiæ ad pœnam coronantur.* Quis nesciat sacrificandis pecudibus, & florida serta, & aurea decora simul & gladium parari? Et quidẽ dum taurorum cornua auro splendebant, totumque caput mille floribus adornatum, iam in vicinio præcognoscebatur gladius, quo victima casura erat sub aris. Hinc Hier. 48. *Date florem Moab, quia florens egredietur, et ciuitates eius desertæ erunt.* Alij legunt: *Date coronam Moab.* Alij ponunt: *Date signa Moab.* Eo enim ipso, quòd peccatrici ciuitati florentes coronæ darẽtur, iam incipiebat designari perditioni extremæ. Quò spectans Syrus, & Arabicus, sic ibi legebant: *Date coronã Moab, quia destructione destruetur, et omnes ciuitates eius in desertum erunt.* Nequit enim fœlicitas in impijs, non esse indicium appropinquantis vltimæ miseriæ, vt floridissimus impiorum status illos iam prædicet proximos lanienę. Ex hoc lucem capiet Amos, cap. 6. vbi sic fatur: *Væ, qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ; optimates, capita populorum ingredientes pompaticè domus Israel: Qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis.* Et quidẽ vt armẽta pascebat Amos, sic in opulentia pessimorum Principum, aliquod de bubulcorum cõsuetudine meditabatur. Duo erant notissima bubulcis circa armenta, quæ pascebantur: illorum plura in primis ad selectiora pascua separabantur, vt inde inciperent iã pro victimis designari. Sic Ouid. 4. Pont. eleg. 7.

Hier. 48

Amos. 6

Ouid.

---- *Gramine pasta Phalisco*
Victima, Tarpeios inficit icta focos.

Et Varro lib. 2. de re rustica, cap. 5. loquẽs de tauris, ait: *Tametsi quidam de Italicis, quos propter amplitudinem præstare dicũt, ad victimas farciunt, atque ad Deorum seruant supplicia.* Post hãc ad selectiora pascua separationem, iam iam immolandi separabantur tauri, vt auro eorũ cornua inficerentur, vt corollis pulcherrimis ornarentur: vt dicat Plutarc. in triũpho Pauli Æmilij: *Ducebantur post hos centũ viginti boues armẽtales, cum auratis cornibus, quibus*

Varro.

Plutarc.

bus etiam mitræ, et coronæ. Nihilque magis notum, & decantatum apud prophanos, quàm aurea cornua, quàm pretiosæ coronę suarum victimarum; adeò vt ex auro, & frontis ornatu imminętem iam gladium victimæ colligerent. Hinc Iuuenal. Satyr. 12. Iuuen.

Sed procul extensum petulans quatit hostia funem
Tarpeio seruata Ioui, frontemque coruscat,
Quippè ferox vitulus templis maturus, & aris.

Quid ad nostri Prophetæ rem pulchrius? Si licet aliquando prophana componere diuinis; compone Prophetam, & Vatem: hic loquitur de iam immolądis victimis; ille de impijs perditioni dądis. A Vate vitulus describitur, & selecto gramine pastus, & fróte auro, mitris, coronisq; coruscans, quibus maturus iam ostenditur aris, quasi hostia seruata Diuis, & statim mactą da. A Propheta similiter ostenduntur scelesti Principes *opulenti*, farti delicijs & diuitijs, selectiora potiũtes pascua, nimirũ. *Confidentes in monte Samariæ, ingrediẽtes pompaticè*, onusti auro, floribus redimiti. Quid ex hoc? An seruati victimę Ioui? An maturi ararũ focis? Planè ait: *Qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis.* Ex quo selectiori pastu farti, mitris, coronis, auro fronte coruscant, iam maturi ostenduntur victimarum gladijs, iam apparent lanienæ separati, & approximantes. Huc spectans D. Ambr. lib. de virg. dicebat: *Denique Petrus vulneratur, Iudas osculatur. Illum oscula condemnant; hunc vulnera emendant. Illius osculis proditionis venena funduntur; istius lachrymis culpa lauatur.* Sic prosperitas hominẽ nequam perditioni designat, luctus, & angustia erigit in spẽ vitæ. D. Maxim. hom. 7. de sancto latrone, latronis dolores cum Iudæ fauoribus componens ait: *Mirares, plùs in cruce latro Christum diligit, quàm Iudas dilexit in cœna. Ille per cibum supplantat Magistrum, hic credidit Dominum per dolorem, sicut ait Proph. Qui edebat panes meos, adampliauit aduersus me supplantationem.* Hæc ille. Ambr. Max.

Luc. 16. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus: cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.

§. IIII.

Nimia rerum abundantia, & copia plùs solet virtuti obesse, quàm omnia mala.

LIcet in præsenti videre & calamitatũ, & felicitatum phalanges aduersus virtutẽ, & Deum armatas. Vide in diuite fœlicitatũ exercitũ, cui militat aurũ, militant pretiosa ornamenta, mensæ lautæ, conuiuia quotidiana, & continua omnium deliciarum suppeditatio. In Lazaro autẽ exercitus inuenitur longè alius, cõstans omni genere calamitatum; ibi extrema paupertas, summa desolatio, morbi, vlcera, dolores ingentes, rabidissima fames. Quorsum illa bona, & hæc mala? Licèt tã diuersis exercitibus, idem prætenditur negotium, nimirùm vt homines probentur, & virtus Dei pateat. Et ecce tibi omnia malorum genera nihil faciunt contra virtutem in Lazaro; fœlicitas autem, & abũdãtia in diuite nullum virtuti relinquunt aditum. Quid plura? Fortior videtur fœlicitas nimia cõtra Deum, & virtutem, quã vniuersa genera calamitatũ. De extremis temporibus locutus Matth. 24. ait: *Surget gens in gentem, et regnum in regnum; et erunt pestilentiæ, et fames, et terræmotus per loca. Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos, &c.* Hæc de malis temporis illius: & post hæc ait: *Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, et bibentes, nubentes, et nuptui tradentes vsque ad eum diẽ, qno intrauit Noe in arcam, et non cognouerunt, donec venit diluuium, et tulit omnes, ita erit & aduẽtus filij hominis.* Cõponite modò: in primis bella, pestilentię, fames, occisiones, & omnium tribulationum genera apparebunt; post hæc conuiuia, nuptiæ, gaudia, celebritates, & omnia ad iucundissimam pacem spectantia. Cur magis tribulationum exercitus non durabunt? Cur in tẽpore probationi determinato, datus est locus paci, conuiuijs, gaudijs? An hæc ad probationem poterũt deseruire, magis quàm bella, pestilentiæ, fames? Equidẽ permittuntur tunc temporis pacis gaudia, & conuiuia, vt quæ sic valeãt contra virtutem, vt mirum sit, si inter illa aliquis Dei memor permaneat. Ait Pasch. *Post pugnas, et dissentiones insidiãtium, et cætera, quibus semper genus vastatur humanum, breuis ad modicũ subsequenda est pax,* Matth. Pasch.

quæ

quæ quietare permittit omnia, vt fides credentium cõprobetur, vtrũm transactis malis, sperent iudicẽ Deum esse venturũ. Quasi vniuersa mala nõ sufficiẽter probauerint homines, introducũtur bona, cõuiuia, fœlicitates, adeò efficaces probationes, vt illis positis, meritò possit dubitari, an maneat, qui Deũ nouit spectare. Fortè ad hęc miraris? Accipe aliud, vndè mirere magis: propone tibi ob oculos diuitẽ hunc Epulonem, & iudicẽ iniquum, de quo Luc. 18. vtrumq; vult Deus adducere ad virtutẽ, & vt ad virtutem adducat, obijcit diuiti Lazarũ, & iudici iniquo viduã obijcit miserabilem. Armatur diues, armatur iudex contra voces miserandas, ne virtutem faciant. Diues armatur purpura, & byssо, & epulis, & conuiuijs quotidianis: iudex armatur contẽptu Dei, despectu hominum, qui *nec Deũ timebat, nec homines reuerebatur.* Vter durior, & inexorabilior, qui purpura, & byssо, & conuiuijs; an qui Dei, hominumq; despectu armabatur? Planè hic, quã ille expugnabilior à virtute apparuit: obdurato enim Epulone ad Lazarum, sic iudex ad viduam fatur: *Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illã.* Nõ sic Dei, hominumq; contẽptus hominem ad virtutem obdurarunt, vt purpura, & byssus, & epulæ videntur obdurasse. Qui nec Deũ, nec homines timebat, tamen viduæ flectitur clamoribus: qui purpura induebatur, & epulis vacabat, nullo mouetur

Chryſoſt. clamore pauperis Lazari. Chrysost. hom. 1. de Lazaro ait: *Nihil misericordiæ sensit Epulo; sed illo quoq; iudice, qui neq; Deũ metuebat, nec hominẽ reuerebatur, & impudẽtior erat, et inexorabilior: nã illum quidem viduæ instantia, quãuis crudelem, et aspetum, tamen flexit ad gratificãdum, victiq; mulieris supplicatio. Hunc verò ne ista quidem res flectere potuit ad subueniendũ pauperi.* Nescio quid habet delicioſa vita magis virtuti aduersarium: sępè vidi obduratissimos publicanos tãgi, vel pauperis clamantis importunitate: à comptulis autẽ istis in otio, & lętitia viuentibus rarò, aut nũquã aliquid extorquet vel miserabilissimi clamor pauperis. Hęc vox delicioſorũ,

Sapꝛ. Sap. 2. *Venite ergo, et fruamur bonis, quæ sunt, et vtamur creatura tamquam in iuuentute caleriter. Vino pretioso, et vnguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos tẽporis. Coronemus nos rosis, antequã marcescant; nullũ sit pratum, quod non pertrãseat luxuria nostra. Nemo vestrũ exors sit luxuriæ nostræ. Vbiq; relinquamus signa lætitiæ, quoniã hæc est pars nostra. Opprimamꝰ pauperẽ iustum, & non parcamus viduæ, &c.* Expende, quid ab vnguẽtis, à vino, ab epulis, à floridis sertis prodeat; qualis sit horũ coronatorũ, & epulantium sonus, nimirũ, opprimamus pauperẽ iustum, & non parcamus viduæ. Augusſt. *Ex hac enumeratione libidinum, videte in quæ facinora, & in quã immania scelera profilietur. Exhausti enim, atq; submersi immoderatorũ delictorum corruptela; opprimamꝰ, inquiunt, iustũ pauperẽ, non pareamus viduæ. Omnia horrenda facinora, quæ timentur in sceleratis hominibus, videte de qua labe cõsurgant: iã dudum dicebant: fruamur bonis, quæ sunt; vino pretioso, & vnguentis nos impleamus; nunc dicunt opprimentes pauperẽ, nõ parcamus viduæ. Vinũ sequitur furor; vnguenta tormenta, sanguis rosas, ira lætitiã.* Solent à prædonibus, à latronibus, à Dei osoribꝰ crudelissima dãna timeri; sed iã osteditur nihil esse sic exitiale, vt sint lauta cõuiuia, bonorũ affluentia; hæc magis possunt aduersus Deum, & virtutem, quã omnia reliqua. Propone tibi duarum fœminarũ impugnationes aduersus hominẽ: Eua insurgit aduersus Adamũ, & vxor aduersu Iobum: Euæ militat dulcis esca, integer deliciarũ paradisus: vxori Iobi, militat paupertas, sterquilinium, morbi, dolores immensi, vermes ab vlceribus scaturiẽtes. De quo magis timeas, de Adamo impugnato delicijs, epulis; an de Iobo impugnato paupertate, doloribus, desolatione, vermibꝰ. Pulchrè Augusſt. *Euam Adã in paradiso nõ recusat, repulit Iob in sterquilinio. In stercore sedebat Iob, cùm flueret vermibus, atq; putresceret, sed melior Iob vulneribus plenus in stercore, quã Adam integer in paradiso.* Sic efficaciores sunt deliciæ ad perdendum, quàm mala alia vniuersa.

Augusſt.

Augusſt.

§. V.

Epulæ seu conuiuia, in quibus Deus adest, minimè sustinent iacere desolatum pauperem vllum.

DVm hominis diuitis afferuntur epulæ, lautaque celebrantur cõuiuia: *Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius.* Sapienter solus dicitur homo diues epulari, dum desolatus mendicus ad eius ianuam iacere dicitur. Hominis enim est, non Dei conuiuiũ, quod patitur iacere desolatos mendicos. Fallar, si clariori aliquo signo ostẽdi posset Deus, & non solus homo adesse con-

uiuijs, quàm si non permittatur iacere desolatus pauper vllus. Quis nesciat cœnaculum illud magnum, in quo Deus homo Christus manducauit Pascha cum discipulis suis? Ibi mensæ Dominus accubuit, ibi corporis sui panem, & sanguinis calicem communicauit: inde *hymno dicto exierunt in montem Oliuarum.* Nec aliò potuerunt diuertere, qui à cõuiuio illo exierant, quã ad montem Oliuarum: semper enim conuiuiũ, in quo Deus adest, impellit ad multiplices misericordiæ actus. Cum hoc conuiuio componit Chrysost. conuiuiũ quotidianum, quod celebratur in altari, & inde probat, non solùm illud, sed & hoc Dei præsentia gaudere, quò necesse habeamus exire ad pauperes, nulloſque permittere iacere desolatos: quippè ait Chrysost. homil. 83. in Matth. *Non sunt humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna confecit; ipse nunc operatur, ipse perficit. Cum discipulis meis, inquit, facio pascha: hæc enim illa, non alia mensa est; hæc nulla reminor, quàm illa est. Non enim illam Christus, & hanc homo quispiam facit, sed vtrãque ipse. Hoc est illud cœnaculum, vbi tunc Christus cum discipulis erat, hinc ad montẽ Oliuarũ exiuit. Hinc & nos ad manus pauperum exeamus, ibi enim mons Oliuarum est, Oliuæ in domo Dei plantatæ multitudo pauperum est: hinc stillat oleum, quo nobis nunc opus erit; hoc est, quod virgines habebant: hoc est, quo alteræ carentes perierunt.* Expende illa verba: *Non enim illã Christus, & hanc homo quispiam facit, &c.* Meritò canit mensæ huic altaris non solũ simplicem hominem, sed Deum hominem Christum adesse, vt Deus homo Christus adfuit cœnæ illi in cœnaculo celebratæ, de qua exiuit in montem Oliuarum. Quid tunc? Ex eo, quòd vtramq; hanc mensam fecerit nõ homo simplex; sed homo Deus Christus, quid inde? Id maximè inde elicit, quòd necessum sit mensas à Deo præsentia sua honoratas non esse absque misericordia in pauperes; sed vt altera egit conuiuas suos in montẽ Oliuarum, sic altera nos agat in manus pauperum, in quibus oliuæ sunt, de quorum oleo curentur vulnera pauperis, & lampades nostræ nũquam apud Deum extinguantur. Ad has oliuas nos mittat, necessum est, conuiuiũ, in quo non homo solus, sed & Deus adsit. Nolo comessationes, nolo conuiuia penitùs extirpare: sed signum offero euidentissimum, quo perspicias, an Deus tuis cõuiuijs adsit. Cùm cõuiuia paras, cùm epulas diuidis inuitatis; simul agis, vt pars pliqua pauperibus exhibeatur. Sanè mensam hanc non homo quispiã, sed Deus & homo facit; mensæ Deum habentis propriũ est, ad oliuas impellere, ad misericordias faciendas inclinare. Quam mẽsam homo sine Deo facit, ex immisericordia manifestè notatur. De hac loquebatur Amos, cap. 6. inquiens: *Væ, qui comeditis agnũ de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterij: sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super cõtritione Ioseph:* Ecce tibi, & conuiuia, & compotationes, & immisericordia erga egẽtes fratres. Nihil patiuntur super cõtritione Ioseph, super egente fratre, dũ epulis ipsi, & cõpotationibus instant; dum ferculorũ adipibus implentur, dum ad hauriendos calices mutua propinatione sese alliciũt, quid iniquius? Fallar, si Deus adsit istis cõuiuijs. Aiebat D. Augustin. ser. 231. de tẽp. *O infœlicitas generis humani, quã multi inuenũtur, qui ebriosos ampliùs quàm oportet, coguut bibere, & ante ostium pauperibus petentibus, vel vnum calicem dissimulant dare. Qui tales sunt, quãdo alios in nimio potu sepeliunt, pauperi eleemosinam petenti dicunt: Vade in antè, & dabit tibi Deus. Quid est ergo quod dicit, vade in ante, & dabit tibi Deus, nisi vade ad illum hominẽ, qui habet Deum, quia daturus est Deus? At sic ore suo ipse confitetur, apud se Deum non esse, quo sperare possit erogare pauperibus.* Et sanè quando inter pinguia conuiuia, inter calicum concertationes, quibus & pleniam coguntur iterũ ad epulas, ad vina descendere, & pauper ieiunus permittitur perire, aut iubetur abire: in ijs conuiuijs non potest esse Deus. Magnificus, imò superfluus ad conuiuas tuos, pauperi petẽti dicis: Abi, Deus te adiuuet; planè ostendis apud te Deum non esse, quando à te iubes abire illum, qui à Deo recepturus est auxilium. Et quid parient aliud lauta cõuiuia, in quibus Deus non adest, nisi immisericordiam, nisi inexorabilem cordis duritiem? De ijs ait Deut. 32. *Impinguatus est, incrassatus est, dilatatus est dilectus, & recalcitrauit.* Circa quę verba Chrysost. concion. 1. de Lazaro notat: *Non ait, recessit, sed recalcitrauit, illius intractabilitate nobis significans.* Vt enim Deo accepta conuiuia eò tendunt, vt homines hominibus fiant tractabiles, & humani; sic ex conuiuijs, à quibus Deus exulat, nil priùs elicitur, quàm intractabilitas, & inhumanitas, quibus homines efferantur.

Amos 6.

Chrysost.

Augustin.

Deut. 32.

Chrysost.

§. VI.

§. VI.

Vt in proximo sunt tibi pauperes, sic in proximo salutem habes.

ECce ad diuitis ianuam mendicus iacet cupiens de illius micis saturari, quem vbi despicit diues, nõ solũ putandus est despicere mẽdicum, sed & ipsam Dei misericordiam in paupere etiã iacente ad ianuam. Ait enim D. Chrysol. ser. 121. *Chrysol* *Iste diues non pauperem, sed ipsam misericordiã despicit ad ianuam suam, Lazaro sic tacẽte.* Non longiùs erat à diuite Dei misericordia, quàm pauper, vterq; iacebat ad ianuã; non enim salutis prẽmia plùs distant, quã eleemosinarum erogatio, sed illa hãc comitantur. Circa Emaus castellum duobus discipulis Iesus in peregrini specie apparet; peregrinum socium illi admittunt, ad hospitium inuitant, & morantem cõpellunt intrare, mensam apponunt, offerunt peregrino panẽ. Quid tunc? Ait Luc. cap. *Luc. 24* 24. *Factum est autem, dum recumberet cũ eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, ac porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Non ampliùs cæci, non ampliùs stulti, & tardo corde; & panis in manu peregrini frangitur, & hospitantium cæcitas, & tarditas abest. Non plùs distauit Dei cognitio salutaris, quàm erogatio panis distauit. Pulchrè D. Laurent. Iustin. de triumphali Christi agone, *Laur. Iustin.* cap. 25. *In panis fractione potiùs quàm in prædicatione agnoscere meruerunt, quatenꝰ sicut egeni miserti sunt, ita misericordiã reperirent.* Ibi vbi pauper accepit, misericordiam fuerunt nacti: iunctæ sunt semper & misericordia Dei, & erogatio in pauperes, nequit altera distare ab altera. Ta in proximo habebis Dei misericordiam, quã in proximo habeas pauperes, quibus de tuis bonis aliquid largiaris. Laodicensi Episcopo, qui fallaciter se diuitem, & locupletẽ putabat, sic ait Dominus, Apoc. 3. *Aemulare ergo, & age pœnitentiam: Ecce sto ad ostium, & pulso.* Cur, Domine, ad ostium stas pulsans? Si ad amicum accedis, cur nõ intimiùs intras? Si ad inimicum, cur adeõ accessibilem te præbes, vt pro eius foribus adsis? Sunt ad ostium diuitum pauperes, quibus sese Dominus assimilat, vt ostẽdat se nec proximiorem, nec distantiorẽ esse, quàm est pauper, cui penitùs assimilatur. *Rupert.* Ad hęc Rup. lib. 2. in Apoc. ait: *Istud, quod hactenus corripiẽs te, dixi, simile est stãti ad ostium cuiuspiam diuitis, & pulsanti, quatenus admissus hospitio cœnet cum illo.* Non præterit peregrini pauperis terminos Dominus, nec ab illis elongatur, sed quò pauper solet peruenire hospitium quærens, eò accedit Dominus etiam, cùm magis se ostendit in peccatores iratum: vt intelligãt omnes, non magis despiciens à se habere Dominum, quàm pauperes habent. Quid proximius diuitibus, quàm sunt pauperes? Eorum perpetuò hærent ianuis; eque proximus illis Deus adest, non longiori via egent, vt perueniant ad Deum, quã vt perueniãt ad pauperẽ. Huc spectat illud Isaiæ *Isai. 58.* cap. 58. *Frange esurienti panem tuum, egenos, vagosq; induc in domum tuam: cũ videris nudum, operi eum, & carnem tuam non despexeris. Tunc erumpet quasi manè lumẽ tuum, & sanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuã iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc vocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet: Ego adsum.* Nõ magis distabit Deus à te, quã pauper; dum egenos induxeris in domũ tuam, non lõgum iter capias, vt Deum habeas; habes Deum præsentem illi ipsi loco, cui pauperem. Pulchrè D. Chrysost. hom. 55. in *Chrysost.* Mat. *Non dixit, mentes pertranseas, maria nauiges, tot, tantaq; terræ iugera effodias, ieiunus permaneas, cilicio te induas: sed præbe de tuis, frange panem esurienti, iniusta chirographa proijce. Quid istis facilius inuenire potes?* Non est necesse plùs ambulare, quàm vsque ad pauperem, vt Deum inuenias; quid proximi? Ij pro foribus adstant: ij cõtinuò tibi sunt ad manus; ne minùs ad manus habeas Deũ, cui satisfacias. De muliere forti dicitur. Prouer. 31. iuxta *Prou 31* Sept. apud Complut. & Reg. edit. *Manus suas aperuit pauperi, & fructũ extẽdit inopi.* Nec putes hic eũdem esse pauperẽ, & inopẽ; superflua enim videretur repetitio. Sed alius est pauper, cui manus suas extẽdit; & alius est inops, nẽpè Christus cui extendit fructũ, vt inde ostenderetur, quàm sint, & quã ad manus inueniantur pauper, & Christus; pauper, cui liberalẽ misericordiam exhibeas; Christus, cui pendas debitum fructũ, & satisfacias illi. Ait August. *August.* *Manus pauperi, fructus inopi est; quidã pauper manus suas quærit, & quidã inops fructum tuũ quærit, qui non vult à te, nisi quod necessitati suæ prosit, pauper est, manꝰ suas quærens. Est autẽ alius inops, scilicet Christus, qui non quærit datum, sed requirit fructum.* Itaq; eadem extensione manus: qua pauperẽ inuenis, inuenis & Christum, cui satis facias pro debitis fructibus; non plùs distat Christus, quã pauper, sed simul, & in eodem loco sunt, vt dũ pauperi exhibes, de satisfactione præsita Christo viuas.

§. VII.

§. VII.

Pauperibus Christi solùm licet concupiscere, quæ vilia sunt, & necessaria ad vitam sustentandam.

AD diuitis quotidiè splendidè epulantis ianuam iacebat Lazarus, bonus Christi pauper & de tot splendidæ mensę cibis, vnum solùm concupiscit de cadētibus micis saturari. Sic enim ait textus: *Cupiens saturari de micis, quæ cadebant, &c.* Longè appetibiliores erant in mēsa diuitis epulæ aliæ, quæ vel mortui cupiditatem poterant excitare, imò irritare: sed bonus pauper nō has cupit, solùm de vilibus micis amans saturari. Huc veniant vniuersi Christi pauperes; vniuersi, qui desiderio perfectionis paupertati nomē dederunt, & vestigia sequuntur Christi pauperis, & videant, quid liceat illis concupiscere de diuitum facultatibus. Præ oculis erat byssus nudo, & vlcerato Lazaro: præ oculis erant famelico mensæ pretiosis obsonijs fartæ: & de ijs omnibus nihil concupiscit, nisi solas micas panis. Nec aliud concupiscere licet pauperibus Christi de tota mundi despecti substantia, nisi quod vile, & necessarium est ad sustentationem vitæ humanæ. Hinc probat Diu. Nilus in Ascetico, pauperes Christi sese extuliſſe super omnes mundiales potestates. *Frugalitatem enim amplexi, dum paucis, minimisque rebus contenti sunt, eò peruenerunt, vt nullis indigerent, proximêque ad incorporeas virtutes accederent. Quamobrem cùm obscuri, inglorijque essent secundùm corpus, illis, qui omnia posse videri volunt, potentiores extiterunt.* Expende, de quo fonte veniat omnis pauperum Christi excellentia, quòd mundialium gloriam superent, & approprient angelicæ, nimirùm, *dum paucis, minimisque rebus contenti sunt*: dum in eorum optatis nihil grande, sed omnia vilia, & frugalia sunt. De primis Christianæ paupertatis fundatoribus dicit, Actor. 2. *Possessiones, & substantiam vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Quotidiè quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione.* Et in cibo, & in vestitu id solùm attendebatur, quod vitæ erat necessarium: tota exultatio erat de solo accepto pane in cibum. Quid fœlicius paupere Christiano? Benè D. Petrus Damian, ser. de omnibus sanctis, ait: *Qui pauper est spiritu, vilitate gaudet, humilitatem amplectitur, desideria terrena cōculcat. Illa paupertas execrabilis est, quæ regio spiritu intumescit.* Suam rideat, imò execretur paupertatem, qui sub paupertatis voto pretiosa quæq; amat, suauiores semper escas meditatur, honoratiores affectat gradus, nihil non excelsum, & sublime mente tractat. Hic non est spiritus paupertatis, sed regius fastus, & pestilēs tumor, qui solet Christi pauperes infestare. In hos D. Bern. homil. 4. super Missus est: *Video post spretam sæculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiā magis addiscere, ac sub alis mitis, humilisque magistri graniùs insolescere, & impatientes ampliùs fieri in claustro, quā fuissent in sæculo. Quodq; magis peruersum est plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerūt: vt qui videlicet, vbi â pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur, vbi ab omnibus honores contemnuntur.* Ij tumores solent Christi pauperibus innasci, quibus perdātur, reddantque Deo, & hominibus suam paupertatem execrabilē. Quæ enim vera paupertas est cœlorum regno destinata, quidquid sublime, & pretiosum est, calcat, vilitate gaudet. Fœlices illi Magi, qui prima paupertatis cœlestis viderunt cunabula. Mat. 1. *Procidētes adorauerunt puerum, & apertis thesauris suis, obtulerunt aurum, thus, & myrrham.* Cur hæc offerunt puero, & pauperi? Sanè offerunt, & abdicant à se, quæ præsentiebant adimenda ab illo, qui spiritu paupertatis seminabat, vt in humilitate, & frugalitate, vilibus gaudentes, eius affectæ agerent. Tertul. lib. de idolol. *Nam, & thus illud, & myrrham, & aurum ideò infanti Domino obtulerunt, quasi clausulam sacrificationis, & gloriæ sæcularis, quam Christus erat adempturus.* Quidquid ad gloriam, ad honores, & delicias sęculares spectat, hoc à se abjiciunt, & ponūt ad pedes diuini infantis, scientes omnia illa auferenda esse à suorū cordibus per Principem, & Magistrum paupertatis, qui nullo modo permittit pauperes suos, nisi in vilibus, & abiectis exultare, nisi velint turpiter cadere. De illis Isaias, cap. 4. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pēnas sicut aquilæ, &c.* Quid fœlicius ijs, qui mundialia bona exuerūt, qui nesciunt in alio, quàm in Domino sperare? Ij profectò sublimi se eleuant volatu, &

Nilus.

Act. 2.

Dam.

Bernar.

Matt 1.

Tertull.

Isai 4.

tu, & ſicut aquilæ aſtrorum altitudinem æmulantur: ait enim D. Bernard. ſerm. 3. in Aduent. *Magna quædam penna eſt pauperta-* Bernar.
tis, qua tam citò volatur in regnũ cæ-
lorum. Sed ò pauper Chriſti, vt paupertatis penna, velut aquila, te ſuper aſtra extollis; caue, ne ſicut aquila etiam te præcipites ob appetẽtiam eſcarum carnalium: quippè D. Ambroſ. lib. 3. de virg. ait: *Eſ-* Ambr.
cis quoque omnibus, quæ gignant membris
calorem, parcè vtendum puto. Carnes etiam
aquilas volantes deponunt: in vobis quoque
auis interior illa, de qua legitur, renouabi-
tur vt aquila iuuentus tua, ſublime tenens,
virgineo perpes volatu, ſuperfluæ carnis
neſciat appetentiam. Vt appetentia humi iacentis carnis ſublimes volatu aquilas facit à cœlo ipſo deſcendere, & in ima terrarum ſeſe præcipitare, vt cupitis fruãtur epulis: ſic vbi in religioſo corde excitatur appetentia ſuperfluę carnis, appetẽtia ſuperflui circa victum, veſtitumque, & alia ſplendidiora ſæculi, proculdubio trahet hominem à cœlorum ſublimi ad imũ inferni. Quod proſecutus D. Bernard. ſerm. Bernar.
3. in Pſalm. *Qui habitat*, ſic fatur: *Quid er-*
go timendum eſt ſic volanti, niſi ne fortè ca-
dauer, vel ſimile aliquid in terra videat,
cuius deſiderio tractus videatur à venato-
ribus peßimis, & præparatis laqueis capia-
tur, & ſint nouiſſima hominis illius peiora
prioribus? Hoc eſt, quod vehementer ſingu-
lis timendum eſt, ne quando fortè eatenûs
Deum offendant, vt manifeſtè abijciantur,
& euomantur: aut ſi pudor neget apoſtaſiã
corporis, tepor ipſe paulatim ingerat apoſ-
taſiam cordis, vt videlicet in habitu religio
nis cor ſæculare gerant, & quidquid ſæcu-
laris conſolationis inuenire potuerint, am-
plectantur. Quis credat, Deo eſſe religioſum, & Chriſtianæ paupertatis æmulatorem, illum, qui ad carnalia, & ſæcularia euolat; qui de ſæculi bonis, & conſolationibus, & gaudijs, illa ſola dimittit, quæ nulla potentia, & diligẽtia habere poteſt? Huic pauperis profeſsionis frugalitas nõ penna eſt ad cœlum, ſed pœna duriſsima, qua mergitur in abyſſum. Fallar, niſi hunc Iob 26.
indigitaret Iob cap. 26. dum inquit: *Gi-*
gantes gemunt ſub aquis: qui giganteo robore videbãtur poſſe cœleſtia omnia ſuſtinere humeris, ſub aquis, hoc eſt, ſub frugali vita, pane, & aqua, vilibuſque cõtenta, dant triſtia ſuſpiria, & quaſi ſub iminẽſo pondere preſsi merguntur. Et dũ pretioſis vinis, pretioſis, & ſuauibus epulis, ſplendentibuſque ſæculi bonis inhiant, quid mirum, ſi panẽ, & aquam, ſi ſola neceſſaria ad vitam putent duriſsima, & importabilia, miſeriſque crucientur, & querelis, & ſuſpirijs? Hoc malum, hanc pœnam vt æternæ proximiorem curat diabolus religioſis hominibus immittere. Vndè famelicæ Ieſu acceſsit tentator, Matth. 4. Matt 4.
Si filius Dei es, dic, vt lapides iſti panes fiãt.
Quæ verba põderans Galfridus apud Tilmannum in allegorijs, ait: *Ille dicit, vt la-* Galfr.
pides panes fiant, qui duritiam diſciplinæ,
quam profeſſus eſt, conuertit ad commodita-
tem vitæ, non recolens in verbo Dei ſibi po-
tiùs eſſe viuendum. Peius tamen dicit ali-
ter, vt panes lapides fiant, cùm neceſſaria
ſuppetant, occaſiones querelæ, & murmu-
rationis exquirens. Malum eſt religioſo pauperi duritiem profeſsionis ad commoditatem retorquere ſuam; ſed illud peſsimum, quòd de frugali victu, & veſtitu põderoſum, & importabilem lapidem efficiat, & quaſi quid duriſsimum effingat, quo ſemper in querelis, & murmurationi bus religioſæ frugalitatis viuat. Quiſquis ergo hæc præcauere ſtudet, & de Chriſtianę paupertatis æmulatione gloriari cupit; hoc faciat, ne ſibi permittat velle, nec deſiderare niſi abiecta, & vilia. Quidquid ſplendidum, quidquid opulentũ eſt, nullo prætextu accipiat. Sic Apoſtoli faciebant, cuius ad pedes ponebantur venditarum poſſeſsionũ pecuniæ. Actor. 4. *Quot-* Act. 4.
quot enim poſſeſſores agrorum, aut domorũ
erant, vendentes afferebant pretia eorum,
quæ vendebant, & ponebant ante pedes A-
poſtolorum. Vbi ſapienter notat D. Cyril. Cyril.
Hieroſol. cathec. 16. *Pedibus diuitias ad* Hieroſo.
pauperum alimenta oblatas conculcabant.
Falluntur enim plurimi Chriſti pauperes, qui diuitias amant, prætextu benefaciẽdi pauperibus. Heu quàm fallax prætextus iſte; equidem Apoſtoli, etiam oblatas pecunias pro pauperibus ſuſtentandis deſpiciebant, cõculcabant: ſcientes pauperi cordi nullo prætextu licere, diuitias ſpectare.

Luc. 16. Factum eſt autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives: & ſepultus eſt in inferno.

§. VIII.

§. VIII.

Omnia eueniunt apud Deum contraria ijs, quæ nunc apud mundiales censentur.

ECce qui iacebat ad ianuã, & qui splendebat in toto, vbi apud Deum venitur, quàm miras in se mutationes ostendant; dum ille in cœlorum sublimibus, & hic apparet in imis inferni. Sanè apud veracem iudicem Deum è conuerso repræsentantur omnia esse in veritate, quæ aliter apparebant in terra. Miserum exhibebat Lazarum terra, fœlicem epulonẽ; vbi ad Deum acceditur, non sic, sed Lazarus fœlix, & miser epulo exhibetur. Præclarè de omnium creaturarum iudice Filio Dei
Sap 7. dicitur Sap. 7. quòd sit *candor lucis æternæ, speculum sine macula Dei maiestatis, &c.* Speculum est Dei Filius, speculum est iudex viuentium omnium, & mortuorũ, & quid, quòd sit speculum? Speculũ è cõuerso repræsentat, quæ sibi accedunt; si ad sis speculo, in illo appares sic commutato situ, vt dextera in sinistris, & sinistra in dextris appareat. Speculum est fulgentissimum Filius Dei, & quidquid mundialibus dextrum putatur, in sinistris ostendat, necessum est; quod autem sinistrum modò videtur, in dextris apparere facit. Quo-
Galfr. circa aiebat Galfridus in allegor. Tilmanni: *Cõtigit, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis. Mortuus est autem dines, & sepultus est in inferno. Videbatur ad dexteram Domini stare, dum viueret, sed moriens statim inuentus est ad sinistrã. Videbatur et pauper positus ad sinistram, dum multipliciter affligeretur, sed ad dexteram factus est, dum in sinũ Abrahæ portaretur.* Sic perlucidum speculum Deus in se ostendit commutatos situs rerum mundialium, vt in dextris sint, quæ sinistra, & in sinistris, quæ dextra videbantur. Vndẽ
Matth. 5 ipse clamabat, Matt. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eũ, et proijce abs te: Et si manus dextra tua scãdalizat te, abscide eam.* Scindendam manum dexteram vocat, & dexterum oculum etiam scindẽdum; cur non magis communi vtitur vocabulo, dicens; si manus tua, vel si oculus tuus? Cur maluit addere oculum dexterũ, manum dexteram? Simul voluit ostendere, quæ sint huius sæculi dextra; quæ sanè nisi abscindantur, in futuro sæculo sinistra erunt. Sinistra enim venturi iudicis tota implebitur de mundialibus dextris. Ait D. Laurentius Nouarien sis, homil. de pœ- Laur. nit. *Quando committis peccatum, oculo tibi* Nouar. *ministrante, dulce tibi, & dextrũ videtur. Et dextrum hoc tunc corrigitur in sinistrum, quando residente Domino, & discutiente peccata cæperis inter multos alios & ipse audire: Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Ecce quàm ê conuersores accidant iudicante Domino, qui ostendet sinistra esse, quæ modò apparent in dextris. Infœlix, qui nititur huius mundi dextris, quando hæc non dextera, sed sinistra sunt apud Deum, apud quem quod est dexterum, verè dexterum est. Psalm. Ps 136. 136. *Si oblitus fuero tui Hierusalem, oblitioni detur dextera mea.* Et cuius dexteræ petit oblitionem? Dum dicit dexteram, solam æternam fœlicitatem intelligit, quę sola est, & vocari potest dextera; temporalitas enim non dextra, sed sinistra est. Ex quo Diu. Augustin. *Qui obliuiscuntur* August. *Hierusalem, hoc contingit, quod dicit; obliuiscitur illos dextera eorum. Vita enim æterna manet in se, illi manent in delectatione temporali, & faciunt sibi dextrum, quod sinistrum est.* Hoc habent, qui temporalibus delectationibus adhærẽt, putant dextrum, quod sinistrum est; adeò vt qui modô omnia dextra vidẽtur habere, dum ad mortem ventum fuerit, in perlucido iudicij diuini speculo in sinistris consistere apparebunt.

§. IX.

Temporalitatibus seruienti nec vlla sepulturæ requies permittitur.

NOn otiosè vbi defunctum epulonem ostendit, de eius sepulchro in terra tacet, & solum dicit, sepultũ fuisse in inferno. Cur etiã de sepultura eius in terra non facit verbum? Cur, vt defunctũ perhibet, simul & eius exequias, & nobile sepulchrum in terra ostendit, sed statim transit ad sepulchrum inferni? Ne dũ terræ sepulturam meminit, aliquam spẽ, vel quietis, vel alicuius boni apparenter ingeneret, quando ille, qui tertenis se bonis immersit, non potest habere sepulchrum, quod boni speciem præseferat. Hierem. Hier 22 cap. 22. *Hæc dicit Dominus ad Ioakim filiũ Iosiæ Regem Iuda: Non plangent eum, væ frater,*

frater, et væ soror; non concrepabunt ei, væ Domine, et væ indyte. Sepultura asini sepelietur, putrefactus, proiectus extrà portas Hierusalem. Nihil vel sepulchralis solatij permittitur impio regi; nec ei ex sepultura datur alia spes, quà asino: vt enim asinus in sepultura solos rodentes vermes spectat, sic ille, qui temporalibus sepultus vixit, eam solam habebit sepulturam, ex qua nihil boni, sed omnia tremenda sibi auspicetur. Pulchrè enim D. Ambr. lib. 3. epist. 12. *Qui enim viuum se sub terram infodit, et tanquam in sepulchro sepeliuit, eripuit sibi mortuo requiem sepulturæ. Depositus itaque in valle corporalium delectationum non inuenit sepulchrum, de quo possit resurgere.* In terrena sepultura requies promittitur defunctis, insuper & promittitur illis, quòd germinabunt iterum, & inde florebunt rediuiui, vt de terra germinant, & florent quæuis semina, quę ibi putrescunt sepulta. Hinc spem ebibunt à terræ sepultura, qui terrenis despectis, cœlestibus bonis inhiantes duxerunt vitam. Qui autem viui, se se terrenis tradiderunt bonis, illis penitus immersi, & sepulti, terrenæ sepulturæ spem abiecerunt, nec meruerũt habere sepulturam, ex qua aliquid sibi boni possent præsagire. Vnum habebunt in inferno sepulchrum, quod flammanti æstu omnem viuendi spem funditus succidat, & miseram animam quasi fœtidum cadauer æterno vermi rodendam detineat. Sic ad superbissimum, & deliciosissimum tyrannum aiebat Isaias cap. 14. *Tu autem proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis pollutus, & obuolutus cum ijs, qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadauer putridum.* Expende illud, *quasi stirps inutilis*, vt enim stirps arida & sine succo & si terræ insita sit, nulla est ei spes, quòd de terra germinet, sed etiam inter fœcundissima arua signatur igni: sic voluptuosi homines, nihil boni habent, quod sperent de sepultura; in qua enim sancti habent, quòd rursus germinabunt, & in flores ibunt; voluptuosi solum expectant, quòd æterno cruciabuntur igne.

Luc. 16. Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei.

§. X.

Hoc est præsentissimum hominis remedium, si videat.

NOn cunctatus est miser in misericordia postulanda, cũ primùm vidit Lazarum in Abrahæ sinu, visus hic illũ fecit currere ad misericordiam petẽdam, sed fuit visus serus nimis: *Cùm enim esset in tormentis, vidit.* Non anteà vidit, non anteà aspexit; posset enim illi vel vnus tẽporaneus visus salutis præstare remedium. Deditus antea deliciarum epulis, fercula pretiosa videbat, & vina rubentia; nihil aliud quiuit videre. Vbi autem ab ijs abstractus Lazarum vidit in Abrahę sinu, anxiẽ veniam postulat, quam & acciperet, nisi visus, & postulatio serotina essent. Fęlix cui datum est in tempore posse eleuare oculos, & videre, fallar si visus non attulerit malis remedium. Propone tibi ob oculos serpentem illum antiquum frondenti arbori innexum, & de sub viridantibus folijs, de sub aureis fructibus illud insi tillantem venenum Gen. 3. *In quacumque die comederitis: eritis sicut Dij.* Gen. 3. Hæc verba dabat mulieri serpens latens sub aureis esis. Quid tunc mulier? *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis: tulit de fructu illius, et comedit, &c.* Nil vidit mulier præter escas, nil vidit præter arboris pulchritudinem, & amænitatem, sicque totum ebibit serpentis venenum, & vniuersa mala mundo inuexit. Quis ignoret Israelitarum calamitates in deserto? Cadebant passim percussi à venenosis serpentibus, in cuius mali remedium de Dei mandato serpens æneus fit: & assumptum serpentem æneũ Numer. 21. Moyses *Posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanarentur.* Num. 21. Serpentẽ obijcis ô bone, vt sanentur homines, cum vniuersa hominum mala à serpente venerint? Serpens arbori, innexus

vbi mulieri accessit, perditionem mundo dedit; cur non magis caues à ligno, & serpente? Cur lignum, & serpens non magis suspectus homini erit? Expende medelam, *quem cum percussi aspicerent*, ponitur serpens, quem videant homines, mulier solum vidit escas, solum vidit arboris pulchritudinem, nihil aliud attendit cæca. Vtinam & ipsa plenè videret; vtinam & nos videamus plenè; non malum hauriemus, sed visus dabit malorum remedium.

Philo. Aiebat Philo lib. de agricultura: *Portento sanè quidem ista videntur. Draco mulierem decipiens, ac rursus alijs solo aspectu salutem afferens. Hanc speciem quisquis benè considerauerit, etiam si fortè priùs à veneficijs voluptatis morsus fuerit, necessum est eum viuere.* Et sanè necessum est eum viuere, qui in tempore oculos aperuerit, & plenariè res intuitus fuerit. Vix homo habes, à quo timeas, vbi tibi datum fuerit, quòd plenariè res videas. Nosti puerum Elisæi timentem saluti suæ ab appropinquante

4. Re. 6. exercitu. 4. Reg. 6. *Et oranit Elisæus, et dixit, Domine aperi oculos eius, & videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, et vidit.* Vt consulat Elisæus puero suo, hoc solùm petit, & impetrat, vt puer videat; eo enim ipso, quòd quis plenariè res videat, vix poterit ab aliquo timere saluti suæ. Vndè

Ambr. aiebat Diu. Ambr. serm. 1. in rem præsentem, *Minus timere cæpit, postquam plus videre promeruit.* Vbi visus clarus est rerum, quid timeat homo? Quale malum non potest cauere? Ille irremediabiliter perit, qui non videt, qui cæcus volubilium rerum statui hæret. Hinc Matth. 26.

Matt. 26 *Duæ molentes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur.* Et cur vna ad molam assidens relinquetur? Vnam causam eius

Pasch. perditionis assignat D. Paschasius, quòd volubili rerum statui ad hæreat cæca. Sic enim ait lib. 11. in Matth. *Altera verò, quæ permanserit cæca ad molam relinquetur girando in sua cæcitate. Alioquin ille Sanson fortissimus nunquam ad hanc molam veniisset, nisi priùs gratiam Spiritus Sancti, deindè oculos perdidisset.* Et quis habens oculos ad videndum vellet volubilibus rebus inhærere? Sanè solus cæcus ijs hæret, & vt cæcus est, sic penè irremediabiliter perit.

§. XI.

Ditissimis, liberalissimisque eleemosinarum largitoribus minimè impares sunt in præmio Christi pauperes.

ECce tibi Abraham apparet in sinu habens Lazarum pauperem; habet quidem in sinu, hoc est, tanquam filium charissimum, & prorsus paternis virtutibus æqualem. Sic enim D. Chrysost. hom. 14. in Ioannem, ex eo quòd filius Dei dicatur esse in sinu patris, probat eiusdem cum patre æqualitatem. Sed quomodo Lazarus, & Abraham æquales? Hic ditissimus, ille pauperrimus; ille liberalissimis eleemosinis datis clarus, hic penitus nihil habens, quod possit dare. Vndè ergò æqualis? Dicatur Zachæus verus filius Abrahæ, quando dimidium substantiæ suæ pauperibus dabat; at Lazarus lobi sterquilinio magis, quam Abrahæ muneribus potest comparari. Sed ea est paupertas in sancto paupere, quæ possit ditissimis largitionibus virorum misericordium æquiparari, & minimè inferior putari. Vndè

Chrysost. aiebat Chrysost. hom. 9. Quòd nemo læditur, nisi à se ipso. *Paupertas non impedit hominem ad misericordiam faciendam, hominem dico misericordem. Quamuis enim pauper sis, erunt tibi duo minuta, quæ cum obtuleris, super omnem diuitum censum reputabuntur tibi, et erit tibi manus plena farinæ, quæ sufficiunt tibi ad pascendum prophetam. Quòd si defuerint etiam hæc, nunquam tibi, crede mihi, deerit calix aquæ frigidæ, ex quibus omnes diuitias effusas pro misericordia superabis.* Itaq; vel omnium pauperrimus in summa paupertate habet, quo ditissimas largitiones exæquet, imò quo possit ditissimo cuique, & liberalissimo in largiendo assimilari. Dixerat Do-

Matt. 6. minus Matth. 6. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*: Pauperibus proprium dicit esse regnum cœlorum; & tamè cum de facto datur regnum cœlorum, non audio illud dari alicui pauperi. Ea enim est vox regnũ dantis Matth.

Matt. 25 25. *Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Esuriui enim, et dedistis mihi manducare.* Vbi hic inuenitur pauper? Bonorum suorum largitores, diuitiarum expensores, & erogatores hîc in regnum tolluntur,

luntur de paupere, qui nihil habuit, quod dederit, & nihil dedit, nec verbum audio. Quid habet commune munificentia largiendi cum extrema paupertate? Si ergo magnifici largitores tantùm vocantur, quando pauperes ad regnum intrabunt? Equidem vbi magnifici in largiendo vocantur, pariter intrāt & pauperes, vt magnificis largitoribus pares, & minimè ab illis seperandi. Pulchrè hanc excogitationem conficit Nissen. orat. 8. de beatitud. Nissen. aiens: *Pariter in cœlum ducit eum, qui pauper spiritu fuerit, et eos, qui condolentiam erga proximos præstiterint. Quid igitur ad hæc dicimus? Nam omnia inter seſe cohærent. Etenim egestas pulsu facilis, et benignitas in pauperes, & egenos, à paupertate aliena non est.* Inseparabiles sunt paupertas spiritu & magnifica benignitas in pauperes; neutra est in præmio sine altera: pariter ambo ducūtur in cœlorum regnum, & quò pertingit magnifica largitas, eò perducitur spiritu pauper. Nūquam enim paupertas sciuit impar esse erogationibus largis. Ait enim Paul. 2. ad Corinth. 8. *Altissima paupertas eorum, abundauit in diuitias simplicitas eorum, quia secundū virtutem, et supra virtutem voluntarij fuerunt.* Expende illud, *abundauit in diuitias, &c.* non enim sufficiens videbatur, si summa paupertas Christianorum æquaretur diuitibus largitionibus, sed & abundauit, imò vt legit Chrysost. exundauit superās quascumque largas effusiones eleemosinarum. Ad hæc D. Thom. *Idem facit in pauD. Tho. pere contemptus diuitiarum, quod in diuite abundantia, et ideò dicit, altissima paupertas sic supra abundauit, id est, effectum abundantiæ fecit in diuitias simplicitatis eorum.* Quidquid præstantis effectus ab abūdantibus diuitijs nascitur, idem & superabundanter nascitur à Christiana, & perfecta paupertate.

§. XII.

Impiorum gaudia magna non minoribus soluentur clamoribus.

VIdit epulo miser Abrahamum, vidit & à longè Lazarum, quid tunc? *Et ipse clamans dixit*: qui modò epulabatur, iam miserè clamat, sic sapienter notat Prouerbium Hispanum: *A buen bocado, buen grito.* Nunquam enim minori clamore soluuntur impiorum gaudia. Thren. 2. *Repulit Dominus altare suū; maledixit sanctificationi suæ, tradidit in manus inimici muros turrium eius; vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni.* Illuc vsq; peruenit Israelitarum calamitas, vt à Deo repellerentur, vt in hostiles traderentur manus; sed inter hæc ait: *Vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni*, quia captiuorum gemitus, & suspiria, & clamores luctuosi exæquabant instrumenta musica maiorum festiuitatum. Nullus fuit illorum cantus in die solemni, cui non responderet par clamor in die captiuitatis, quo eorum augeretur calamitas. Ait Ru- Rupert. pert. ibi, cap. 42. *Magnitudinem doloris, & miseriarum cumulum quàm vehementer expressit, dicendo: Vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni, ac si diceret: Nunquam altiùs in gaudio solemnitatis cecinerant, quàm nunc in angustia, et dolore suo clamauerunt.* Extrema sanè hominis est calamitas, quando non licet dedisse lætitiæ sonum, cui non æquè ingens luctus, & clamor respondeat. Cuius præterita gaudia, non tàm gaudia apparent, quàm certæ mensuræ dolorum. Hinc Iob Iob. 30. cap. 30. calamitates suas maximè pōderat fatus: *Frater fui draconum, et socius struthionum. Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt præ caumate. Versa est in luctum cythara mea, et organum meum in vocem flentium.* Nec alio posset meliùs explicari maximus cumulus calamitatis, quàm vbi ostenduntur omnia lætitiæ præteritę instrumenta conuersa in instrumēta fletuum, & lachrymarum, adeò vt vel simplici voci iubili respondeat ingens à dolore extortus clamor.

Luc. 16. Et mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

§. XIII.

Impij sola iustorum extrema desiderant.

QVàm proprium istud est reproborum desideriū! refrigeriū aquæ desiderat miser, sed quod veniat de extremi-

tate digiti hominis iusti; ait enim: *Intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Nescit reprobus animus desiderare alia, quàm extrema, & no-
Gregor. uissima iusti. Ait D. Gregor. in præsenti: *Ab extremo digiti se tangi desiderat, quia æternis supplicijs datus optat operatione iustorum vel vltima participari.* Vt reprobis, & impijs hominibus odio sunt iustorum media, quibus per virtutum exercitia gloriam, dum viuunt, mercãtur; sic in illorum sunt optatis iustorũ extrema, quæ requie plena apparent, & solatio. Sic ille reproborum non infimus Balaam, cap. 23.
Nu. 23. Num. ait: *Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant nouissima mea horum similia.* Sapientius dixisset, & optasset: *Viuat anima mea vita iustorum*: sed malus, imò pessimus Vates vitam iustam cauebat, quę autem in vitæ iustæ extremis sunt gaudia, hæc solum modo sibi optabat. Ex quo pul-
Bernar. chrè Diu. Bernard. serm. 21. in Cant. *Optabat sibi extrema iustorum, sed nõ ita & principia. Mortem spiritualium optant sibi etiã carnales, quorum tamen vitam abhorrent, scientes pretiosam mortem esse sanctorum, quoniam cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini; et quia beati mortui, qui in Domino moriuntur. Non curant quærere, quem tamen desiderant inuenire; cupientes consequi, sed non sequi.* Nullus est adeò impius, adeò desperatus, & vel in ipsis æternis supplicijs constitutus, qui extrema iustorum non concupiscat; qui vt vehementer odit virtutem in vita, sic virtuosorum hominum non sibi eligat fi-
3. Re 13. nem. Habes etiam ex. 3. Reg. 13. pessimũ Ieroboami Vatem, penè senio confectũ; is cùm audiret sanctissimum Prophetam, virum Dei à leone interfectum, eius requirit cadauer, celebrique luctu proprio inuehit monumento. *Cumq; planxissent eũ, dixit ad filios suos: Cùm mortuus fuero, sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est, iuxta ossa eius ponite ossa mea. Profectò enim veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra altare, quod est in Bethel, et contra vniuersa phana excelsorum, quæ sunt in vrbibus Samariæ.* Iniquus iste, & pessimus idololatra, & præcipuus ex ijs, qui in Bethel adolebant incensum Ieroboami vitulis, sciens prophetias iusti defuncti veras esse contra idola Bethel, & contra vniuersos idolorum Sacerdotes: quid inde educit? Textus ait: *Sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est, iuxta ossa eius ponite ossa mea. Profectò enim veniet sermo, quem prædixit contra altare, &c.* Si veniet sermo eius cõtra altare, cur non magis caues ab altari adeò periculoso? Cur non magis times in idololatria persistere? Cur non dicis filijs tuis, quòd & te, & sese eripiant imminenti iræ diuinæ, benè viuendo, amplectendo virtutes, & iustorum hominum imitationes? Sanè impius homo nihil de iustorum vita in se amat, imò quidquid in sanctorum vita videt, expuit, abominatur; abiecta iusta vita, iustorum mortis solùm amat fieri participem. Se mortuum coniungi mandat viro Dei defuncto, vt de extremis eius aliquid participet, cuius prorsùs refugit participem fieri vitæ. Totus iusti Vatis defuncti morti inhiat, vbi ait: *Iuxta ossa eius ponite ossa mea.* Sed quia, quod facilè posset, non vult iuxta vitam eius ponere vitam suam, nullam sibi, & suis venientem calamitatem vitat.

§. XIIII.

Carnales homines plùs moueri consueuerunt ad inanes, & apparentes solùm repræsentationes, quàm ad solida, & vera.

VEhemẽtissimos, & durissimos cruciatus in veritate sustinens miser epulo, de ardore linguæ, qui solùm erat apparenter in apprehensione, maximè queritur: ait enim: *Refrigeret linguam meam, quia crucior, &c.* Quam linguam, miser? Anima non habet linguam, nec vlla alia membra; sunt autem hæc membra in damnatorum animis solùm apparenter, in apprehensionibus elicitis ex pristinis vitæ speciebus. Cur ergo relictis durissimis tormentis, quibus in veritate misera anima torquetur, de apparentibus solùm linguæ ardoribus queritur, pro ijsque dolet vehementiùs? Hæc est semper carnalium, & impiorum animorũ natura, quòd magis moueantur ad apparentias, & mendacia, quã ad solida, & vera. Hinc pulchrè Gentiles mordebat Minutius Felix in suo Octauio Minut.
fatus: *In ludis curulibus quis non horreat populi rixantis insaniam? In gladiatorijs homicidij disciplinam, in scenicis etiam non minor furor, turpitudo prolixior. Nunc eneruis histrio, amorem dum fingit, infligit. Idem Deos vestros, induendo stupra suspiria, odia dedecorat. Idẽ simulatis doloribus, lacrymas vestras vanis gestibus, et nutibus pronocat. Sic homicidium in vero flagitatis;*

in

in mendacio fletis. Quid pulchrius? Componite modò inter ſe de Romanorum ludis, & arenam gladiatorum, & ſcenarum theatrum. Sunt in arena duo neruoſi iuuenes, qui ſeſe petunt ſtrictis gladijs, vterq; de alterius vulnere laborat ſibi rapere populares plauſus. Ambo in rixa furunt, ambo ſe miſerè feriunt; intereà populus gaudet, robuſtiori applaudet, & plauſilibus vocibus hominem hortatur, vt abrupta mora inſiliat, feriat, mactet: nulluſq; eſt, qui in cæde victori non arrideat, mactatori nõ applaudat. Sed iam adeſt in ſcenarum theatro hiſtrio amatoriam agẽs fabulam, dumque Amaſiæ fauoribus fruitur, hoſtiles incidit in manus, reptat miſer, ementitis vulneribus: ſanguineum præmonſtrat vultum, lachrymabilem vocem, ſuſpiria crebra, & dum inter Amaſię brachia videtur quaſi exhalare animam, quis ſiccis oculis videt miſerum ſpectaculum? Quis non doleat, & fleat? Quid agitis, ò carnaliſsimi Romani? Sic *homicidium in vero flagitatis; in mendacio fletis.* Sic ad vera mala obduratis animos, & valdè cõmouemini ad apparentia, & falſa. Vndè monebat Paul. ad Epheſ. 4. *Hoc igitur dico, et teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis, ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum.* Quaſi hoc ſit propriũ gentium carnalium, non iuxta veritatem rerum, ſed iuxta vaniſsimi ſenſus fictionẽ, & apparẽtias ambulare; ſic Paulus, & mouet, & conteſtatur ſuos aſſeclas, ne in hãc deueniant vanitatem. Ne moueãtur inani rerum fictione, ne vehementiùs currãt ad apparentias inanes, ne magis agitentur mendacijs. Hoc relinquatur gẽtibus, hoc carnalibus hominibus proprium præbeamus, quòd ipſi non in veritate, ſed in vanitate ſenſus ſui ambulent, in vero inſenſibiles, in mendacio turbati. De ijs Chryſoſt. in præſenti ait: *Talia quædam inania, & mendacia multo cum timore, magnaque cum mentis perturbatione metuũt. Quæ verò meritò timenda eſſent, illa non timent: ſed quemadmodum pueri, qui dum â nutricibus baiulantur, in ignem quidem, ac lucernã ardentem temerè, et cum audacia manus immittunt, virum verò, qui ſacco indutus ſit, exhorrent; ita & Græci iſti, &c.* Larua timori eſt puero, non verus ignis; hũc præterit puerilis animus, ad illam totus expauet, & vociferatur. Sic gentes, ſic homines carnales circa vera, & ſolida ferè nullum ſenſum habent, circa mentis fictiones, & apparentias falſas ardentiùs concitantur. Huc referri poſſunt dicta tomo. 3. lib. 15. cap. 1. §. 11.

Luc. 16. Et dixit illi Abraham: Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem, hic conſolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus, inter nos, & vos, Chaos magnum firmatum eſt, vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſsint, neque inde huc tranſmeare.

§. XV.

Spes bonorum æternorum reddit animos ab omni moleſtia liberos, conſolatione plenos.

APud inferos erat adhuc Lazarus; nigro illo Limbi carcere detentus, nullis æternę vitæ fruebatur bonis, ſed ſolum illorũ certã ſpem tenebat: & quia in ſinu illo ſpes hæc vigebat, nulla ibi triſtitia, nullus mœror de ſubterraneo loco, de anguſtia carceris; ſed & gaudium magnũ, & conſolatio erat: ait enim prorſus verè: *Hic autem conſolatur*; hic, qui adhuc apud inferos, qui adhuc ſub terra, qui adhuc quaſi nigro eſt in carcere, tamen conſolatione eſt plenus, quia certò ſperat. Hinc Zacharias, cap. 9. ſanctos Patres in ſinu Abrahæ quieſcentes, non dubitat, vocare vinctos, & incarceratos; quippè ait ad Ieſum: *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. Conuertimini ad munitionem vincti ſpei.* Zacharias putat, ſanctos in Limbo vinciri, & incarcerari; Abraham publicat eoſdem ibi conſolari, aiens: *Hic autẽ conſolatur.* Qualis conſolatio in vinculis, in carcere? Quos vinctos, & incarceratos audiſti gloriari de conſolatione, de gaudio? Notanter deſignat Propheta, dũ ait: *Conuertimini ad munitionem vincti ſpei*: vinctos vocat, ſed qui certa bonorum æterna rum ſpe potiuntur; qui autem hac nutriũtur ſpe, vel in vinculis habent conſolationem maximam. Quis neget, triſtiſsimum fuiſſe carcerem Noemi arcam? Geneſ. 7. *In articulo diei illius ingreſſus eſt Noe, et Sem, et Chã, et Iaphet filij eius in arcã: ipſi & om-*

Zach. 9

Gen. 7.

& omne animal, &c. Nullus carcer obscurior, nec angustior excogitari potuit; ibi claudebatur vir iustus cum paucis animabus; inibi erant vniuersa mundi animalia; vt arca videatur, & carcer, & stabulum; & iustum affligebat intùs aspectus carceris, carentia lucis, pedor stabuli, & extrinsecus lamentabiles gemitus pereuntiũ, horrificus fluctuum sonitus iustum vexabat. Quis inter hæc non tristitia absorberetur? Sanè ille solus qui medijs ijs malis spem diuinam in sinu suo fouebat, sustentabat, hæc sola potens erat ab omni molestia hominem liberum conseruare. Ait D. Chry- *Chrysost.* sost. hom. 26. in Gen. *Ego verò admiror, quomodo præ tristitia non fuerit Noe absorptus, cum mentem illius subiret humani generis interitus, sua solitudo, et difficilis illa vita. At cum spe pasceretur, nihil triste sentiebat.* Spes absorbebat omnes difficultates. Spatium arcæ dilatabat, angustias omnes absumebat, nihilque in corde iusti permittebat exire, quod ad consolationem, & lætitiam non faceret. Propter hoc monebat *Oseas.10* Oseas cap. 10. *Seminate vobis in iustitia, et metite in ore misericordiæ.* Vbi Septuag. legunt. *Seminate vobis in iustitia, vindemiate fructum vitæ.* Aliter in rem præsentem accomodatiùs legit D. Ber. ser. 38. in *D. Bern.* Cant. *Seminate vobis ad iustitiam, metite spem vitæ.* Et quidem spes magis videtur pertinere ad sementem, quàm ad messem; in semẽte omnia in spe sunt, in messe autẽ iam desinit spes, & intrat possessio, quę ditat corda humana, & bonis replet. Cur ergo dicit, metite spem vitæ, quando messis non spem, sed possessionem imporrat? Planè temporalium spes tota pertinet ad sementem, nihil habet messis, at æternorum spes iam habet messem, iam habet, vndè homines lætari possint, sicut qui lętantur in messe. Quò spectans Dauid Ps. *Ps. 121.* 121. aiebat: *Lætatus sum in ijs, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Nondum domum Domini intrauerat, tantùm data illi fuerat spes illuc eundi, & iam ipse fatetur, se totum lætitia perfundi. De alijs ait Psalm. 125. *Euntes ibant, et flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Dum eundum erat, nihil nisi lachrymas fundebant, & suspiria; lætitiam, & exultationem tunc solùm habebant, cum iam finierant viam. Itaque læta manipulorum messis post finitam viam alijs venire solet, Dauid autem antè viam finitã iam lætatur in messe, quia spe æternorum hilarescit. Ait D. Bern. serm. 37. in Cant. *Dauid nõ lætaturum, sed lætatum se dixit, quòd in domum Domini se speraret iturum. Nondum vitam tenebat, sed spem profectò vitæ messuerat; atque in semetipso experiebatur veritatem scripturæ perhibentis, quia non modò remuneratio, sed ipsa quoque expectatio iustorum lætitia est.* Expende illud, *spem vitæ messuerat*, quia in ipsa spe iam gaudiorum æternorum messem faciebat. Sic lætabatur in spe, sicut qui lætãtur in messe, quia spes certa bonorum permanentium sementis labores non sentiebat, & nouis gaudijs hominẽ implebat. Hinc vbi Oseas cap. 2. ait iuxtà vulgatam: *Dabo vallem Achor, ad aperiendam spem*: Symacus ponit: *Ad ostium spei*: Chaldæus autem reddit: *Ad delicias animæ.* Quasi innuat, quòd vbi spes æternorum subintrat, iam anima habet messem deliciarum. *D. Bern.* *Oseas. 2.*

§. XVI.

Infernus est, quisquis firmatam diuisionem inter fratres, & proximos facit.

VT munitissimæ vrbes profunda, & lata fossa cinguntur, vt aditum aut difficilem reddant, aut penitus occludant, sic inter Abrahæ sinum, & locum dãnatorum ingens quoddam spatium est, ni mirùm penè media pars inferni, quæ omni communicationi in bonum, sic Deo disponente, occludit aditũ. Hoc sibi proprium habet ingens inferni chaos, quòd sic diuidat, & separet suos alũnos ab alijs, vt nulla cum illis in bonum communicatio permittatur, nec etiã amicis, nec cognatis. Huc accedant, qui eò incumbũt, vt seminatis discordijs, diuisiones efficiant inter fratres, & videãt, cuius munere, & officio fungantur, nimirũ Chaos sunt, & inferni hiatus, qui solus id munus proprium habet, ne permittat fratribus communicari fratres. Oseas cap. 13. *Consolatio abscon-* *Oseas. 13* *dita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres diuidit.* Quis est ille ipse, qui inter fratres diuidit? Dixerat paulò antè in Christi nomine: *Ero morsus tuus inferne*, & quia infernum nominauit, statim de eius malitia stupefactus, hoc dolet in illo esse maximum malum, nimirùm, quòd infernus diuidat inter fratres, irreconciliabilesque separationes causet. Id quod notans Diu. *Hieron.* Hier. ibi fatur: *Non valeo consolari; quidquid mente concepero, dolorem meum non*

potest

poteſt mitigare, cernentis chariſſima inter ſe nomina morte ſeiungi: ipſe enim infernus inter fratres diuidit. Quidquid igitur ſeparat fratres, infernus eſt appellandus. Et nomen, & officium inferni habet, quiſquis ſeparationes, & diſciſsiones inter fratres cauſat. Parum eſt, quòd ſeminator diſcordiarum intes fratres diabolus vocetur, vt paſsim vocatur; non enim ſolùm diabolus eſt, ſed totus infernus, & ingens eſt inferni hiatus. Hinc lucem capit Prouerb. 16. vbi dicitur: *Vir impius fodit malum, & in labijs illius ignis ardeſcit.* Ex Hebræo propriè: *Vir Belial fodit malum, & ſuper labijs ſuis, vt ignis ardens:* Apud Chaldæũ autem: *Vir calumniator fodit malum, & in labijs eius ignis dat ſcintillas.* Expende, qualis exhibeatur diſcordiarum inter fratres ſeminator, nimirùm & fodiens malũ, & ignem iaculans; vt enim qui vrbes inaccesibiles reddere ſtudẽt, ingentes, & profundiſsimas foſſas obijciunt, inſuper & flammantes ignes addunt, qui accedentes arceant. Sic iſti diſcordiarum ſatores, velut ingentes, profundiſsimæque foueæ interponuntur, flammas, ignemque iaculantes, vt penitus ſimillimi inferni hiatibus appareant, qui nullam charitatis communicationem permittant fratribus.

Prou. 16.

§. XVII.

Charitati nullum eſſe poteſt impedimentum diſtantiæ, quod non peruadat.

IMmiſericordi diuiti meritò obijcitur magnum chaos interpoſitũ, quod minimè poſsit tranſmeari: *Eſt enim* (ait Abraham) *inter nos, & vos chaos magnum firmatum.* Intranſmeabilem enim diſtantiam ad bona ſibi immiſericordia facit, cuius impedimentum ſentire nunquã nouit charitas. Vnicus parentibus ſuis Samuel, poſtquam ablactatus eſt, in Silo adducitur, ibique Deo miniſtraturus offertur, poſt quam oblationem ait textus. 1. Reg. cap. 2. *Et abijt Elcana in Ramatha, in domum ſuam; puer autem erat miniſter in conſpectu Domini ante faciem Heli.* Puer adeò deſideratus, adeò à parentibus expetitus, tàm facilè in Silo relinquitur, & redeunt parentes ſine illo in Ramatha in domum ſuam. Multum eſſet, quòd mater amantiſsima filij permitteret eſſe puerum extra domum ſuam in eadem vrbe; at Samuelis mater non in eadem vrbe, ſed in longè diſtanti oppido patitur eſſe filium amantiſsimum. Cur non magis ſentit abſentiam pueri? Cur non manet ipſa cũ illo? Cur non magis veretur diſtantiam domus ſuę? Sanè diſtabat à filio, interiacente terra, ſed illi erat charitate coniuncta; in quibus autem eſt charitas, nullum ſciunt impedimẽtum diſtantiæ ſentire. Pulcherrimè aiebat Chryſoſtom. homil. de educatione Samuelis, inquiens: *Nec ipſe puer ægrè tulit â matre diuulſus, ſed ad Dominum reſpexit, qui matrem creauerat: nec ipſa mater doluit â puero ſeiuncta, propterea quòd vterque ſe alteri conuiuere exiſtimabat: quemadmodum eodem in loco fixa vitis in longum producit palmites, & vua multo interuallo pendens cum radice habet commercium. Itidem & in hac accidit fœmina, quæ in vrbe manens vſque ad templum extendit ſuum palmitem, atque illic vuam ſuſpendit maturam: nec interuallum illud vllum attulit impedimentum, cũ charitas, quæ ſecundùm Deum eſt, puerum matri copularet.* Chryſoſ.

Non ſentitur impedimẽtum diſtantiæ, vbi intereſt charitas, quæ diſtantiſsima copulat, & vniuerſa peruadit. Quod interuallum, quod chaos, qui hiatus, aut foſſa firmari poteſt, quã non pertranſeat, & tranſuolet charitas. Sanè ait Cant. 8. *Fortis eſt vt mors dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio; lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Habes apud Septuag. *Alæ eius, alæ ignis:* nõ enim tantum chaos firmare poteſt infernus, vt ſeparationem faciat, quantum tranſuolant alæ charitatis, ne vllũ interualli ſentiant damnum. Vix enim apparet interuallum, vbi eſt charitas. Magnum illud Eccleſiæ caput Petrus præ amoris ardore ſequitur Chriſtum vſque ad domum Cayphæ, ſed tamen præ humana fragilitate ibi Chriſtum negauit. Quid tunc? Ait Lucas, cap. 22. *Et egreſſus foras fleuit amarè.* Cur foras egrederis? Cur imbecillus factus non magis metuis à forti Ieſu diſtare? Cur non magis expaues inter te, & Ieſum ponere interuallum? Egreditur ploraturus, ſed non egreditur amans; vbi enim pœnitetiæ ictibus charitatem in ſe incipit excitare, neſcit timere interualli damna, per charitatem Domino copulatus. Theodoretus, orat. de charitate, fatur: *Neque enim poſt negationem in animum induxit, vt magiſtrum relinqueret; ſed fleuit quidem amarè, & quòd victus eſſet, ſuam deſleuit imbecillitatem: aſſedit autem vinculis amoris irretitus.* Putabatur egreſſus à Ieſu, vt ploraret; ſed quia amabat Ieſum, etiam dum abeſt, illi

1 Reg. 2.

Luc. 22.

Theod.

illi assidet vinculis amoris copulatus. Nullam non præteruolãt distantiam charitatis alæ. Huc reuoca dicta. 2. tom. lib. 6. capit. 6. §. 12.

Luc. 16. Et ait, rogo ergô te, pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres: vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham; habent Moysem, & prophetas, audiant illos.

§. XVIII.

Reproborum oratio vt inconstans, sic vana, posset fructifera inueniri, si perseueraſſet.

VIde inconstantissimam mentem hominis reprobi, semel flagitauit refrigerium aquę, & cùm primũ non obtinet, statim ab illa cessat oratione, transit ad alia. Semel dixit: *Mitte Lazarũ, vt refrigeret linguam meam*, & subitô hoc dimittens ait: *mittas eum ad domum patris, &c.* Sic reproborum orationes vt inconstantes, sic euanidę. Pulchrè illos pingebat Prouerb. 10. *Desiderium suum iustis dabitur. Quasi tempestas transiens; non erit impius; iustus autem quasi fundamentum sempiternum.* Dantur impleta desideria iustis, impijs penitùs negantur. Et cur impijs negantur? Ait: *quasi tempestas transiens non erit impius.* Chaldæus legit: *Sicut transit turbo, sic trãsibit impius.* Et in se, & in omnibus suis desiderijs, & in precibus ipsis transit impius quasi turbo; videbis sæpè obscurissimo nubilo cœlũ obduci, quod rapidissimo vento turbinis agitatum iam huc trahitur, & omnia exundat aquis, & temporis momento sic turbo quiescit, sic cœlum rutilat in præsenti clarum, vt vix maneat memoria præteritæ tempestatis. Sed interea aliò & nubilum, & turbo incipit insonare, fulminare. Quid tunc? Sic impius, sic reprobus animus ad desideria, ad preces rapitur, quasi turbo, quasi tempestas, quæ citissimè desijt, & aliô transit. Ecce reprobi animi turbinem: Ioann. 18. ingerebat Iesus Pilato desiderium noscendæ veritatis: *Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cũ hoc dixisset, exiuit ad Iudæos.* Affectus ad veritatem desiderio rapitur, pro eius notitia orat, & subitô ad aliud transit. Cur non magis expectas responsum, miser? Sanè sicut transit turbo, sic trãsibit impius; in nulla prece, in nulla oratione sciuit durare, sed ad varia desideria quasi turbo transit. Proh orationes reproborum euanidæ! Vtinam possent vel reprobi, vel damnati ipsi in supplici oratione perseuerare; fallar, si posset illis esse chaos firmatum, aut ostium clausum, ne ad cœlũ volarent. Ait Dominus, Luc. 11. *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniã amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum: & ille deintùs respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iã ostiũ clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi. Et si ille perseuerauerit pulsans: dico vobis, dabit illi quotquot habet necessarios, &c.* Dixerat Abraham epuloni: inter nos, & vos chaos magnum firmatũ est, vt hinc ad vos transire non possint. Dixerat autem & amicus hic: ostium clausum est, non possum surgere, &c. Vterq; videtur æqualem præferre impossibilitatem postulanti; quid tunc, vbi chaos firmatum, vbi ostium clausum est, sperabitur? Sed & pro tunc ait: *Si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis, dabit illi, &c.* Non sic chaos firmatum, non sic ostium clausum impedit, vt orationis impedit inconstantia; da, vel damnatũ posse perseuerare in humiliter pulsando, & dabo tibi posse eius precibus æneas cœli portas penetrari, & lapideum Dei cor ad mãsuetudinem inclinari. Aiebat Iob, cap. 29. *Clamo ad te, & non exaudis me; sto, & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. Eleuasti me, & quasi super ventum ponẽs, elisisti me validè. Scio, quia morti tradẽs me, vbi constituta est domus omni viuenti. Verũtamen non ad consumptionem eorum, emittis manum tuam, & si corruerint, ipse saluabis.* Vndè hæc spes iusto viro, quòd Deus sic obduratus, sic crudelis factus, sic ad mala omnia inferẽda paratus, tandem saluabit, & auxilium dabit? Vbi incipit, *Clamo & sto, & non respicis.* Vbi Philippus in Cat. *In clamore intentio est orantis: in stando verò perseuerantia, & indeclinabilis fiducia:* vbi autem orationis erat perseuerantia, non poterat non sperari auxilium vel ab obdurato, & obfirmato lapide. Huc spectans Gillibert. Abb. serm. 6. in Cant. fatur: *Pertinax oratio pertingit ad finem. Et si tibi in initijs sicca, & saxea videatur; oleum tamen gratiarum eli-*

Prou. 10

Ioann. 18.

Luc. 11.

Iob. 29.

Cat. tom.

Gillib.

elicies de hoc ſaxo duriſſimo, tantùm ſi perſeueres. Nulla eſt duities, quæ non cedat, & in fontes gratiarum erumpat, vbi quis in oratione perſeuerat. Exemplum eſto mulier illa Chananæa, quæ bis, & ter à Deo repulſa, tandem inſtans orationi audit, Matth. 15. *Fiat tibi, ſicut vis.* De quâ D. Ambroſ. lib. 5. in Luc. *Verè hæc regnum coegit pertinax in precibus. Prætereuntem reuocat, tacentem rogat, excuſantem adorat, negantem inclinat.* Negâtem, imò obdurarè negantem emollit, & inclinat oratio, quæ etiam inter repulſas in petendo perſeuerat, & durat. Ille damnatorum comes, qui neſcit in oratione perſeuerare; Saul. 1. Reg. 15. vbi ſe regno priuari audit, ſic orat: *Peccaui: ſed nunc honora me coràm populo.* Hæc dixit, & nihil magis curauit; vndè ſapienter eius damnationem expendens D. Ambroſ. in epiſt. ad Rom. cap. 9. ait: *Dauid, & Saul, vterque eorum neceſſitatem paſſus eſt regni. Et quanta fuit Dauid neceſſitas, vt filius eius vellet eum regno priuare? In qua neceſſitate flens, nudo pede iter faciebat, vt per patiẽtiam Deum ſibi propitium faceret. Saul autem nec in tali neceſſitate inuentus; inſuper ferens, quia ſemel, & iterùm non ſit auditus, cùm eſſet indignus; nec in prece perſtitit, vt meritum ſibi faceret, per quod eſſet dignus.* Cur non pereat, qui in precibus perſiſtere neſcit?

Matt. 15
Ambr.
1. Reg. 15
Ambr.

§. XIX.

Oratio fructuoſa nihil priùs requirat, quàm id, quod magis vrget, magis neceſſarium eſt cuique.

MIſer epulo ſuos cruciatus præterit, ſuam diſſimulat ſalutem, & de alijs oſtẽditur ſollicitus. Ait: *Rogo te, vt mittas eum in domũ patris mei: habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, &c.* Proh ſtulta, & vana oratio, quæ circa extrinſeca alia verſatur, & quæ intima ſunt, & magis propria, & magis vrgentia prætermittit. Quid magis vrgens, & neceſſariũ epuloni, quàm à cruciatibus inſtantibus liberari? Sanè ſi ipſe ſaperet, ſi fructiferè oraſſet, hoc vnum & vrgens, & neceſſarium ſibi inſtanter peteret; de alijs nec verbum eliceret. Duo cæci apud Iericho miſericordiam à Ieſu contendebant, Matth. 20. & requiſiti, quid tot clamoribus, tot poſtulationibus repetitis vellẽt ſibi, hoc vnum dicunt: *Domine, vt aperiantur oculi noſtri.* Et ſanè ipſi mendici erant, oſtiatimque in dies quærebant victum; & ad potentiſſimum, & magnificentiſſimum Dominum proximi erant, à quo omnium neceſſitatum remedia poſſent obtinere, & ab illo requirebantur, quid ſibi vellent, & vnum poſtulant oculorum viſum. Cur non & paupertatis remedia petunt? Cur hoc vno contenti ſunt? Sapientiſſimi oratores illud, quod primum erat, & maximè neceſſarium poſtulant enixè; omnia alia prætereunt, & diſſimulant, dum id, quod magis vrgebat, & neceſſarium erat, poſſunt habere ſibi. Vndè Diu. Ephrem de panoplia ſpirituali fatur: *Cõſidera duos illos cæcos ad eum accedentes, atque clamantes, miſerere noſtri, Fili Dauid. Et quid ad illos Dominus? Quid vultis, inquit, vt faciam vobis? At illi ſecundùm dolorem, & affectum cordis ſui petierunt, vt aperirentur ſibi oculi. Nunquid petierunt ſibi donari aliquid etiã earum rerũ, quibus verè indigebant? Nunquid dixerunt, da nobis veſtimentum, quoniã pauperes ſumus? Minimè verò, ſed illud poſtularunt potiùs, quod magis vrgebat. Quapropter, mi frater, quod vrget magis, quæque in omni tempore tibi magis neceſſaria ſunt, ea à Deo poſtula.* Hoc ſemper attendat, qui fructuoſè contendit orare; nimirùm, quòd magis vrgentia, & neceſſaria ſibi in primis contendat habere; & dum hæc non habet, nihil curet de alijs. Nunquam enim non erit & ſtulta, & vana illa poſtulatio, quæ vrgentia, & neceſſaria, ſibique proxima prætermittens, pro minoribus, & remotioribus, & adiectitijs totam ſollicitudinem habeat. Non equidem pro remotis, & ſibi ſuperfluis, ſed pro vrgentibus, & neceſſarijs fructuoſus exardeſcit orator. Pſalm. 26. *Vnam petij à Domino; hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.* Mirabar, quòd tantus Rex, tot hoſtibus circumdatus, vnam tantùm rem à Deo petere ſtatuat, in illamque acquirendam totus incumbat. Cur vnam tantùm petis, ò bone? Cur nõ plura alia petenda tibi in mentem veniunt? Bonus orator neſcit prætermittere, quæ magis vrgent, quæ magis ſunt neceſſaria, vt ipſe in domum Dei abeat, cætera omnia vt ſuperflua prę terit, nec de illis verbũ facit: ait enim D. Ambroſius, lib. 1. de Iacob. cap. 7. *Abundat huiuſmodi viro ad beatitudinem, & ad poſſeſſionem boni, & ideò nihil aliud deſiderat: nihil enim quaſi nouum expetit, qui omnia habet, nec ſuperfluis delectatur, ſed neceſſarijs.* Eô in primis tendit, vt neceſſaria habeat, ſine quibus infœ-

Matt. 20
Ephrem.
Pſal. 26.
Ambr.

lix erit, etiam si suppetât alia; & cum quibus fœlicitatem habebit, etiam si cæteris careat. Hanc mentem obibant, qui reprobæ stultitiæ effugiunt maculam, & curent omnes preces suas eò dirigere, vt sibi acquirant necessaria; stultum enim, & reprobum est necessariorum, & vrgentium inte penuriam pati, & pro superfluis, & remotis nimis sollicitari.

§. XX.

Dona Dei damnabiliter à creaturis emendicantur.

DAmnatus homo dum esset in tormentis, duo maximè dona sibi flagitat: & quòd à cœlo mittatur Lazarus ad refrigerandam linguam suam, & quòd ad fratres suos monendos mittatur. Vtrumque donum & maximum erat, & non nisi Dei potentia absoluta patrandum; verùm ille, vt vtrumque acquirat, nullam Dei mentionem facit, sed vnũ rogat Abrahamum. Quid magis damnabile? Sanè quæ Dei sunt propria dona, damnabiliter non à Deo, sed à creaturis flagitantur. Salo-
3. Reg 3. mon, lib. 3. Reg. 3. orabat ad Dominum: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum, & malum.* Expende, quòd petat Salomon cor docile, cor sapiens, & sciens bonum, & malum; & quidem huius scientiæ boni, & mali desideriũ magna causa fuit damnationis generis humani. Sic
Gen. 3 Genes. 3. infundebat serpens damnationis venenum: *Quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum.* Ecce tibi Adamo instillatum venenum, quo vniuersi filij eius damnantur, nimirùm scientia boni, & mali. Quam scientiam Salomon dum exquirit, nullã damnationem incurrit, imò maximè placet. Et cur huius scientiæ desiderium Adamo lethale fuit, Salomoni autem salutare? Salomon vt nouit donum scientiæ à Deo esse; sic non aliunde, sed ex Deo scientiam boni, & mali obtinere amat, Deum pro illa precatus: Adamus autem non à Deo, sed à serpentis ore, ab vxoris manu requirit fructum, quo sciat bonum, & malum. Cur non fuerit illi lethale, Dei donum, non à Deo, sed à creaturis emen-
Ambr. dicare? Ait Diu. Ambrosius adductus in Glossa: *Quod enim scire, diuinum est; à Domino, vt possis cognoscere, promerendũ est, Si petijsset Adam; vt petiuit Salomon, nequaquam in illos inextricabiles erroris laqueos incidisset, quibus omnis eius hæreditas strangulatur.* Non à creaturis emendicandum est, sed à Deo, quod diuinæ potestatis est, vt lagiatur. Vtinam Adam non de manu vxoris, non de serpentis consilio scientiam vellet habere boni, & mali; sed illam à Deo postularet, & sapiens esset, & eius hæreditas illæsa perseueraret. Sic Salomon vbi sciuit boni, & mali sapientiam à Deo esse, illam à Deo postulauit, imò & cum multis alijs acquisiuit, iam extunc damnans eos, qui Dei dona non à Deo, sed à creaturis infructuosè, & damnabiliter flagitant. Hoc patuit in Ochosia illo infausto Rege Israelis, de quo lib. 4. Reg. cap. 1. *Aegrotauit,* 4. Reg. 1. *misitque nuntios, dicens ad eos: Ite, consulite Beelzebub Deum Accaron, vtrùm viuere queam de infirmitate mea hac. Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbitem, dicens: Surge, & ascende in occursum nuntiorum Regis Samariæ, & dices ad eos. Nunquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Et meritò mori iubetur, qui, quam vnus Deus Israel salutem dare posset, illam ab effictis idolis quærit. De quo sapienter Eucher. ait: *Quia Dei præsidium dereliquit, salutis remediũ non inuenit.* Et quando inuenietur salutis remedium ab eo, qui illam quærit, non ex Deo vera salutis causa, sed ex creaturis, penes quas nec vmbra salutis potest esse? Quæ Dei sunt dona, caueat homo petere, nisi à Deo, si amat illa tenere. Quod mo-
Ioan. 4. nebat Dominus, Ioan. 4. dicens Samaritanæ fœminæ: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu forsitan petijsses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Expende, à quo petijsset, vt acciperet Dei donum, nempè ab eo, hoc est, ab ipso Deo. Nullus alius daret Dei dona, nisi Deus, & à nullo alio nisi stultè, & damnabiliter exquirerẽtur. Ex 2. Paralip. 16. ponderat D. Ambros. orat. de obitu Theo
Ambr. dosij: *Asa Rex adhuc inualidus corporis robore, cùm regnandi curricula recepisset, quadraginta annis regnauit in Hierusalẽ; quoniam cùm Aethiopum infinita vrgeretur, atque innumerabili multitudine, sperauit à Domino, & in paucis se posse saluari. Vtinam tâm fidelis processu, quàm exordio. Nam seruatus in paucis, & victor,*

postea à Syrijs auxilia, relicto Domino, postulauit, & medicos adhibuit ad pedum dolorem. Accepto enim tanto indicio diuini fauoris; auxiliatorem suum non debuit relinquere debuit, sed tenere. Ideò ei nec medici profuerunt, & quasi incredulus mortem impleuit. Sic ille; vt cauēamus dona Dei nisi à Deo petere.

§. XXI.

Sanctorum verba efficacissima. sunt ad salutem.

AD Moysem, & Prophetas remittuntur peccatores, vt salutem possent sibi comparare. Ait enim: *Habent Moysem, & prophetas, audiant illos*; Quasi ex quo Prophetas, & Moysem audierit, nihil requirant amplius, sed in eis habeāt, quo possint æterna cauere mala. Et quidem adeò valida sunt sanctorū verba, quę, si audiantur, feralissimos quosq; possunt ad salutem trahere. Ait D. Paulinus epist. 4. *De omnium fidelium ore pēdeamus, quia in omnē fidelem Spiritus Dei spirat, & necesse est, à minimo Dei seruo vel guttam cœlestis sapientiæ distillare: quæ ariditatē mei cordis irroret, & mihi supra huius sæculi sapientum flumina, ad potum vtilitatis exuberet: quia malo quinque verba loqui in lege, quàm multa millia in lingua; sicut vnā diem in atrijs Domini viuere, quàm millia in tabernaculis peccantium.* Expende illud: *Necesse est à minimo Dei seruo vel guttam cœlestis sapientiæ distillare, &c.* Quicumque enim seruus Dei, vel minimus, si audiatur, eam stillabit pluuiam voluntariam, quæ in corde audientium diuites salutis segetes faciat. Nec sic Rhetorum flumina valent animos fœcundare, vt vel verbulum ex lege diuina prolatum. Quis crederet, in leonis faucibus posse inueniri terram melle, & lacte manantem? Et ecce habes Iudic. 14. leonem in via à Samsone percussum, & cùm post aliquot dies voluisset videre leonis cadauer: *Ecce examen apum in ore leonis erat, & fauus mellis.* Quid mirabilius? Et hoc potuerunt apiculæ facere, quæ dum floridi roris guttulas ibi apponunt, de feralissimo leonis rictu efficiunt fontem suauitatum. Nec, mihi crede, inuenies efferatiorem gētem, quàm erat populus nationum; hic meritò & in tyrannide, & in feritate leoni comparatur: huius tamē in ore humiles Christi apiculæ, nimirùm Apostoli, non Rhetorum flumina, sed diuini Verbi rorem instillarunt; & videres leonem, non leonem, hoc est, totam gentium vastitatē, & feritatem conuersam in terram lacte, & melle manantem. Ad hæc Diu. Paulinus epist. 4. ait: *Gentium figuram plerique in hoc leone posuerunt, quia populus gentium, qui credidit, corpus feritatis erat antè, nūc Christi est, in quo Apostoli, velut apes, à rore cœli, & diuinarum floribus gratiarum mella sapientiæ condiderunt, ac si esca ab ore edentis exierit; quia priùs efferæ à Deo nationes receptum Dei verbum fideli corde sumentes, fructum salutis ediderunt.* Sanè validissimum Dei verbum est ad conuertendas animas, quando humiles apiculæ florido instillato rore feralissimum leonem conuertērunt in suauitatem; hoc est, humiles, & abiecti piscatores, verbo Dei instillato, vastissimam, & ferissimam gentium nationem adduxerunt ad salutis pascua. Mirabar ego verbi diuini ab Apostolicis apiculis irrorati efficaciā in trahendis ad fidem gentibus adeò feris, & barbaris; & ecce incido in omnium barbarissimum, & feralissimum hominem Pilatū; hunc Iesus vermis factus, & non homo, sed abiectio plebis, vel verbulo veritatis prolato, ad desiderium veritatis traxit. Dicebat Iesus, dum vt reus staret, dū opprobrium hominum videretur, Ioan. 18. *Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas?* Pulchrè ibi Theophilact. notauit: *Paucis illis verbis Pilatū rapuit, atq; ita vt de veritate interrogarit, quid sit.* Abiectissimus tunc Iesus videbatur, & vnum verbum fecit de veritate; & vel vno verbulo Pilatum raput, vt desideraret venire in cognitionem veritatis. Sic sunt Dei verba valida. De hoc sæpè aliàs.

Paulin.

Iud. 14

Paulini

Ioan. 18.

Luc. 16. At ille dixit: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autē illi: Si Moysem, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

§. XXII.

§. XXII.

Gentilicus error fuit corporum mortuorum fidere responsis. Quæ fugienda sunt viuenti in Christo homini, quia neciua, & vanæ.

STultissimus epulo, nec in tormentis fit sapientior, adhuc illic gentiliter cogitat, dum mortuis totam rationem credit circa ordinem vitæ. Erat hic apud gentes error cantatissimus, quòd nagis fiderent mortuorum nutibus, quàm sapientia plenis viuorum discursibus: & in pecudũ mortuis fibris quærerent, vndè vtiliter homines viui possent præcauere ruinas. Quid stultius? Pulchrè in hos inuehens D. Chrysol. ser. 5. fatur: *Occidebatur pecus, vt quod viuum nihil scierat, diuinaret occisum: & loqueretur ex fibris mortuum, quod nunquam fuerat ore prolocutũ.* Chrysol. Huc vsque dementia gentilica peruenit, vt vel pecudi mortuo credat plus, quàm viuidissimis argumentis pro ordinanda vita. Cuius erroris vanitatem damnãs Dominus dicebat Isaiæ cap. 8. iuxta lectionẽ Sepuag. *Et si dixerint vobis, requirite vates de terra vocẽ edentes, ventriloquos, vanidicos, & qui de ventre loquentur, nonne gens ad Deum suum? Quid consulitis pro viuis mortuos? Legem enim in adiumentum dedit.* Isaiæ 8. Non potest vnquam ab stultitia vacare, quòd pro viuis instituendis à mortuis petamus consiliũ, præcipuè cum Dei viuentis ore prolatam habeamus legem, in qua quidquid ad salutem spectat, possumus addiscere. Sapienter enim aiebat ad hæc D. Cyrill. Alex. lib. 1. orat. 5. D. Cyril. *Quem colorem rationis habet, pro his, qui etiam nunc viuunt, homines in terra iacentes, vel animas, quæ fortè sunt apud inferos, sciscitari? Quin alio modo insulsum & ineptum est falsis præstigiatorum verbis, qui mentem mortuam habent, attendere. Etenim vniuersitatis opificem ignorant, nec habent in se ipsis viuentem Dei sermonem; imò mortuorum operum cultores, & sectatores sunt. Quomodo ergò, qui viunut, qui viuo Deiverbo ditati sunt, pro illis mortuos consulunt? Hæc ergò, inquit, dicite, Legem in adiumentum dedit, id est, Euangelicam. Præstat volentibus cœleste vaticiniũ, per quod ad omnia bona, quasi pede ducimur. Quæcumque enim futura sunt, & fieri debent; didicimus.* Quid pulchrius? Sanè non habet colorem rationis, quòd credamus mortuis & in terra, siue apud inferos iacentibus institutionem vitæ; quæ conuentio lucis cum tenebris, & mortis cum vita? Quod veritatem habet non solùm in corporibus mortuis naturalibus, sed in spiritualiter mortuis, nõ solùm qui mortuus est in carne & cadauer est, sed & qui mortuus est in spiritu, operumque mortuorum sectator inuenitur, cauendus est à viuis, qui legem Dei habent in adiutorium vitæ, & diuina oracula halantia vitam, qua ad omnia bona ducuntur, & sciunt, quidquid necessarium est de futuris, Vndè adolescentem volentem ire ad sepeliendum patrem defunctũ, vt de mortui conspectu perueniret ad sequendã vitã in Christo sic monet Dñs Mat. 8. *Sine mortuos, sepelire mortuos suos.* Mat 8. Et erat mortuus eius pater in carne, & erant mortui in corde innumeri alij assistentes officio sepulturæ; quapropter adolescentẽ ab omnibus cauere iubet, vt cui iam suppeditabat verbum vitæ. Qui enim viuit in Domino, caueat necessum est mortuos consulere: quocircà ait D. Pasc. lib. 5. in Mart. *Sine mortuos sepelire mortuos suos. Ac si patẽter dicat: Tu qui fide viuis, & mortuus sæculo probaris, nihil tibi cum mortuis, ideò illud consortibus relinque: Tu autem vnà cum electis sequere me in vitam; alioquin cum mortuis deputaberis. Hæc non, vt ab officio patris filium reuocet, sed vt à consortio impiorum eum secernet.* D. Pasc. Non credat mortuis institutionem vitæ, qui non vult fieri sicut vnus ex illis; caueat mortuorum in carne, & in spiritu placita, qui agitur fidei vita; mortui enim nihil magis curabunt, quàm facere sibi similes. Ecce vobis Saul mortuum Samuelem consulit. 1. Reg. 28. & quid mortuus surgens à terra Sauli? Ait ibi: *Cras autem tu, & filij tui mecum eritis.* 1. Reg. 28. Huc sanè tendunt omnia mortuorum responsa, vt secũ esse faciant homines viuos; quare nihil cum mortuis habeat, qui nequit reputari cum illis, sed viuida Dei sequatur verba. Ad hæc dabat Ecclesiastes cap. 9. obscura verba inquiẽs: *Nemo est, qui semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam: melior est canis viuus leone mortuo.* Quæ in rem præsentem elucidat Lectio Veneta, inquiens: *Ille tamen qui societatem habet cum omnibus viuentibus, habet spem; cum & cani viuo melius sit, quam leoni mortuo.* Nunquam non est vtilior communicatio cum viuis, quàm communicatio cum mortuis; canis viuus vtilior semper est, quã leo mortuus. Sic de viuentibus, licet vilissimi appareãt, emoli-

emolumẽtum, & ſpem bonorum elicies; de mortuis autem vel leonibus, vel præſtantiſsimis nihil elicies niſi fœtorem. Et qui ſunt hi viui adeò fructuoſi? Viuos vocat eos, qui diuinas leges, diuinaque verba habent præ oculis; de conſuetudine enim legum diuinarum ad vitã perueniet homo, ad quam minimè eum deducent de terra ſurgẽtes omnes mortui. Chaldæus Complutenſis, ait: *Quicumque vir, qui adhæret omnibus verbis legis, & vt poſsideat vitam venturi ſæculi, eſt ei ſpes: quoniam canis viuus melior eſt leone mortuo.* Da minimum verbum, & contemptibilius diuinæ legis vitam halantis, plùs hoc tibi proderit ad vitam, quàm & præſtãtiſsimi mortuorum. Potuit aliquando ab vno leone mortuo fauos melleos educere Sanſon; ſed quod aliquando vnus mortuus leo exhibuit Sanſoni; hoc ſingulis momentis exhibebunt vel contemptibiliores diuini Verbi ſententiæ, quarum dulcedine, dum in hoc ſæculo permanes, viuere poſsis.

Chald comp.

quibus exit mundus. Sic pauper fœmina, & diuites Principes, licèt exteri, licèt Gẽtiles ſint, à Dei Prophetis tanta obtinent beneficia, quanta non obtinuerat Iſraelitarum vicinorum vnus.

Luc. 14. Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. In veritate dico vobis: multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, quando clauſum eſt cœlum annis tribus, & menſibus ſex, cùm facta eſſet fames magna in omni terra: & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam.

CAPVT II.

De Sareptana vidua, & Naaman Syro.

NOTISSIMÆ Sunt duæ hiſtoriæ adductæ à Chriſto Domino, Luc. cap. 4. altera petita ex 3. Reg. 17. altera ex 4. Reg. 5. Erat equidem Sareptæ Sidoniorum paupercula vidua, quæ in extrema totius regionis fame, adhuc retinebat paululùm farinæ, quantum ſemel comedere poſſent ipſa, & filius, quem habebat vnicum. Pugillus farinæ erat tota ſpes vitæ matri, & filio: quibus tamen Dominus addidit tertium conuiuam, nimirùm Eliam Thesbitem. Quid plura? Farina, quæ in hydria clauſa vix pugnum explebat, & deſignabat prandium diei vnius, cũ egente diuiſa, tot prandia explet, quot fames egit in Iſraele dies. Profuit Prophetæ hoſpitium pauperculæ viduæ; ſed & diues Naaman Syrus non minorem gratiam inuenit in Eliſæo Eliæ diſcipulo. imò qui regio fauſtu tumens Prophetam deſpiceret, humilior factus de Prophetæ conſilio Iordanis aquas leproſus intrat, è

§. I.

Veri Domini, & Reges à Deo habere ſolent eum ſpiritum ad bonum annuntiandum, quo videantur Prophetæ.

DE ſe locutus Ieſus paulò antè, vt de vero Chriſto, & Rege Iſraelitarum, iam etiam de ſe loquitur, vt de Propheta, excuſans, quòd non fecerit miracula in patria ſua: *Quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.* Siquidem tu vnctus es Rex Iſrael, & vt Rex, & Princeps, & verus mundi Dominus annuntiaris à Prophetis, cur te Prophetam vocas? Cur Prophetæ appellatione regalem illam, atque dominatricem poteſtatem à patre receptam abſcondis? Minimè quidem abſconditur regia poteſtas appellatione Prophetæ, ſed illuſtratur, ſed proditur; qui enim verus Dominus, & Rex eſt, eum ſpiritum habet ex Deo ad annuntiandum, & perſuadendum bonum, vt meritò Propheta dici poſsit. Huc traho illud 3. Eſdræ, capit. 1. *Miſit Rex Ægypti ad Ioſiam, dicens: Quid mihi, & tibi eſt, Rex Iudæ? Non ſum miſſus à Domino,* 3. Eſd. 1.

vt pugnem cõtra te, ſuper Euphratem enim meum bellum eſt. Feſtinans deſcende. Et non eſt reuerſus Ioſias ſuper currum, ſed expugnare eum conabatur, non attendens verbum Prophetæ ex ore Domini. Vnus Pharao Rex Ægypti locutus eſt, conſulens Ioſiæ reuerſionem, & annuntians voluntatem Domini; & dicitur Ioſias non attendiſſe verbum Prophetæ. Cuius Prophetæ? Ibi nulla alia perſona intercedit, ſolus Pharao loquitur, & Ioſias audit, cuius ergo Prophetæ verba non attendit? An Pharao Rex dicitur Propheta? Ita Lyranus ait: *Ipſe Pharao dicitur hic Propheta Domini*: & meritò, qui Rex eſt, in conſulendo bono Propheta dicitur; ſolet enim venire à Deo cum poteſtate regia ille ſpiritus, qui propheticè ſe habeat in annuntiandis, & cõſulendis bonis. Vbi tres pueri in fornace Babylonio illæſi conſeruabantur, Rex Nabuchodonoſor ſtupefactus rei nouitate, acceſsit ad os fornacis cum Principibus ſuis, vt clarius rem videret. Tunc ait, Dan. 3. *Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis eſt in eis, & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei.* Sceleſtiſsimus Rex fit videns, fit Propheta, & Filium Dei clara voce annuntiat; & vndè tacentibus ipſis ſanctis pueris, & nihil de Filio Dei dicentibus, ſolus peſsimus Rex Filium Dei annuntiat, niſi quia & regiæ poteſtati inſerta eſt vis diuina, quæ neceſſarias ad vitam veritates, & ſolet præſentire, & illas annuntiat? Proximè huc acceſsit D. Hyppolytus martyr, adductus à noſtro Pereyra, in præſenti: *Dic mihi, Nabuchodonoſor, quando, et vbi vidiſti Filium Dei, vt hunc Dei Filium confitereris? Quibus oculis potuiſti tantas has diuitias, velut in ſpeculo proſpicere? Cur tibi ſoli, & nulli præterea tuorum Satraparum innotuit? Sed quando ſcriptum eſt, cor Regis in manu Domini, hæc profectò eſt manus Domini, vt cognoſcens eum in camino, ipſum prædicaret, & glorificaret.* Dixerat, Prouerb. 21. diuinus Spiritus, *Cor Regis in manu Domini*, quaſi hoc eſſet regiæ poteſtatis inſigne, quòd Regum cordi, & menti ſingulariter aſsiſteret manus Domini: ex quo præclarè educit D. Hyppolitus, natum fuiſſe, quòd cæteris tacentibus, & nihil videntibus, ſolus Rex barbarus, & ſceleſtus potuit præſentire, & annuntiare Filiũ Dei: non quidem quia ipſe ſanctior, aut perſpicacior, ſed quia ipſe erat Rex, cui peculiaris vis diuina inſeritur, vt prænoſcat, & annuntiet bonum. Huic Regi addam Salomonem ob mentis perſpicaciam, & veritatum auſpicia cantatiſsimum; de quo dubitari ſolet apud Doctores, an voluptatibus immerſus, vt perdidit fidem idololatra factus, ſimiliter & mentis perſpicaciam perdiderit? Vel an in ipſo idololatra, & voluptuoſiſsimo homine adhuc potuiſſet perſeuerare ſapientia illa ſingulariſsima in veritate prænoſcenda, & annuntianda? De quo ſapienter D. Auguſtin. ex veteri teſtamento, quæſt. 18. fatur: *Primum merito ſuo Salomon accepit ſpiritum prudẽtiæ, poſteà verò quàm mulieribus cæpit vti, & per hoc peccare, ſi habuit ſpiritum ſapientiæ, regni merito habuit: ſicut & Nabuchodonoſor regni merito in camino Chriſtum vidit.* Et Salomon, & Nabuchodonoſor licèt idololatræ, licèt ſceleratiſsimi, tamen regni merito, hoc eſt, quia Reges erant, eum ex Deo retinebant ſpiritũ, quo poſſent diuinas veritates ad bonum vitæ cõducentes annuntiare, & præſentire.

Lyran.

Dan. 3.

Hyppol.

Auguſt.

§. II.

Diuinæ virtutis honor, & ſplendor præferendus eſt carnali cognationi, atque bono.

PEtentibus cognatis, & conciuibus Ieſu, vt diuinas efficeret in patria ſua virtutes; ijs verbis ſeſe Dominus excuſat, inquiens: *Dico vobis, quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.* Vel vt Matthæus ait, cap. 13. *Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua, in domo ſua.* Ratio equidem efficaciſsima ad oſtendendum, quàm neceſſarium ſit, vt contemnatur patria, & cognatio, quando virtutum diuinarum honori conſulitur. Etenim nihil in primis proſpiciendum eſt, quàm quòd ſuus habeatur honor & Deo, & virtuti diuinæ; is habeatur in primis, licèt cæteræ omnes neceſsitudines, & patria, & cognatio ruant. Rubenitæ, & Gaditæ ſtrenuè pugnauerunt contra Gentes pro fratribus ſuis; bello autem finito, Ioſue habens illis gratias maximas, cum diuitijs multis auri, & argenti illos in ſortes ſuas dimiſit. Quid tunc? Ait Ioſue, capit. 22. de Rubenitis, & Gadditis: *Cùmque veniſſent ad tumulos Iordanis in terrã Chanaam, ædificauerunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis. Quod cùm audiſ-*

Matth. 13.

Ioſ. 22.

audissent filij Israel, & ad eos certi nuntij detulissent, ædificasse filios Ruben, et Gad, & dimidiam tribu Manasse altare in terra Chanaam super Iordanis tumulos contra filios Israel, conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, et dimicarent contra eos. Ecce vobis, vix descendunt Rubenitæ in sortem suam, & iam decernitur bellum à fratribus contra illos. Et sanè Rubenitæ fratres erant Israelitarum ab eodem patre Iacob orti, insuper & amici erant; & quod magis est, pro illis durissima obierant certamina aduersus gentes, nec anteà voluerunt esse in parte sua, quàm cæteri Israelitæ ab aduersarijs manerent liberi. Vix dum hæc præstiterunt officia in sortem suam redeuntes, altare ædificant, cuius ædificij nuntium vbi acceperunt Israelitæ, quasi obliti & cognationis, & amicitiæ, & recentium beneficiorum bellum publicant aduersus Rubenitas. Cur non magis consulunt fratribus suis? Cur non magis cunctantur aduersus cognatos suos? Cur tàm citò obliuiscuntur beneficia accepta, cõsanguinitatem, & testatam amicitiam? Vbi audierunt altare erectum, aliquid suspicati sunt cõtra honorem diuinum, pro quo nõ dubitant obliuisci, & calcare omnes cognationes, & necessitudines. Iosephus libro. 5. antiquit. cap. 5. *Pro cultura nouorum Deorum hoc altare erectum credentes, erant armati ad vltionem, puniturí eos pro paternarum solemnitatum destructione. Non enim videbatur eis iustum, vt cognationem respicerent, aut dignitatem eorum, qui auctores fuerant harum rerum: sed Dei amplectebantur mandata, et quomodo honorari congaudeat.* Non enim est iustũ, quòd respicias cognationem, aut necessitudinem, aut obligationem aliam, vbi intercedit Dei, & virtutis honor, qui debet præferri in omnibus. Aequius est, quòd vniuersi cognati pereant, & omnes temporales euaneant obligationes, quàm quòd suus non deferatur & virtuti, & religioni honor. Quis nesciat arctissimam amicitiam, quam habuit Assuerus Rex cum Aman? Illum super omnes Principes exaltauit: vt sui similem fecit coli, imò adorari, sibique in omnibus charissimum, & gratissimum reperit. Sed tandem repentè mutatus, ad Reginæ gratiam tantum amicum suspendi fecit. Sic habes Esther cap. 7. *Suspensus est itaque Aman in patibulo.* Miraris Regis ferociam, & leuitatem, quòd tàm subitò in amicissimum caput exarsit? Cur non magis meminit amicitiæ, & necessitudinis? Cur non morosius in clarissimum, & gratissimum hominem processit? Non fuit sanè barbaricus iste rigor, sed prudentissimus, sed debitus, quando regius honor, & splẽdor nigricare incipiebat ex decreto per Aman extorto in innumerabiles innocẽtes. Vbi autem iustitiæ, & honestatis splẽdor in discrimine versatur, omnes necessitudines, & amicitiæ perire debent, vt ille conseruetur. Ait Diu. Ambrosius, lib. 3. officior. cap. 15. *Denique quem secundum â se, ac præcipuum inter omnes amicos haberet, cruci tradidit, quòd dehonestatum se eius fraudulentis consilijs animaduertisset. Ea enim amicitia probabilis, quæ honestatem tuetur, præferenda sanè opibus, honoribus, potestatibus: honestati verò præferri non solet.* Nulla est necessitudo, quæ non contemni debeat, vt suus honor virtuti debeatur. Pereat amicus scelestus, pereat patria, pereant cognati, ne virtutis diuinæ turbetur splendor. Quid miraris, quòd necessarij scelesti pereant, ne pereat virtus? Imò & amici sanctissimi, & religiosissimi, & optimi parentes contemni aliquo modo debent, si inde clarior, & præstantior Deo honor exhibeatur. Sanè Ioannes Baptista amicus erat Iesu, & consanguinitate iunctus, & qui non minima Iesu præstiterat obsequia. Hic charissimus, hic sanctissimus Christi amicus, & affinis in vincula coniectus est ab Herode Rege: ait enim Matthæus, cap. 14. *Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem.* Iesus autem, qui sic affectus erat in amicos, vt non timeret ire inter hostes suos Iudæos, iam paratus ad necem, vt amicum Lazarum à sepulchri vinculis erueret. Ioann. cap. 11. Et qui ab Herodis carcere eripuit Petrum, vt ait Actor. 12. *Eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum*: & qui queritur se non requisitum in carcere, Matth. 25. *In carcere eram, & non venistis ad me.* Nihilominùs sciens amicum Ioannem in carcere esse, nec illum inuisit, nec liberat à vinculis, nec pro illo facit verbum, sed tacens permittit illum occumbere manu impijssimi Regis. Cur, Domine, non curas eripere à vinculis amicissimum Ioannem? Cur vt Petrum ab Herodis carcere eripis, vt tuum nomẽ prædicet, similiter Ioãnem non liberas, vt post tuam ascensionem doctrina sua sustentet Ecclesiam? Accipite singularẽ Theophilacti opinionem in tertium caput Ioannis aientis: *Opinor autem permissum Ioannis matu-*

Ioseph.

Esth. 7.

Matth. 14

Act. 12.

Matth. 25

Theoph.

maturari mortem, vt omnis populus paratus ad Christum transiret, & non diuiderentur sententiæ de Christo, & Ioanne. Ioannes habebat scholam, & discipulos adeò sequaces magistri sui, vt quamuis ille mitteret eos ad Iesum, tamen ipsi & Christianæ scholę inuidebant, & passim curabant obscurare discipulatū Christi. Quid tunc? Id putatur à Theophilacto permissionem mortis Ioannis maturauisse; æquius enim erat, vt tantus Dei amicus, & cognatus Iesu tolleretur de mundo, quàm vel tantillum retardaretur augmentum Christianæ virtutis, & Christi scholæ splendor minùs fulgeret. Hinc adeò placuit Centurio, Matth.8. qui ardenter cupiens filij salutē, cùm audit Iesum ad domum venientem, humi prostratus ait: *Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum, &c.* Ijs dictis Iesum à via suscepta impediebat: *Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.* Sed vndè tantus Centurio iste, quòd omnes præsentes excederet? Sanè inde magnus erat, cùm in ardentissimo desiderio salutis filij, simul cauebat, ne quid indignum, aut indecens Saluator pateretur, & hanc curam curæ de filio præferebat. Ait Diu. Chrysostomus, ibi: *Nec doloris magnitudo animum eius confudit, vt non philosopharetur. Non enim salutem solùm filij respiciebat, sed ne quid ipse minùs decenter faceret, animaduertebat.* Sic verebatur indecentiam domus in summo salutis desiderio, & omnia sua religioni postponebat. Similiter mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, similem habuit cautelam, ne pro salute obtinenda aliquid indecorum fieret contra Deum. De illa S. Dionysius Alexandrin. epist. ad Basilidem, ait: *Neque enim quæ duodecim annorum fluxum habebat, ipsum ad medicinam tetigit, sed solùm eius fimbriam.* Sic vel salutem postponebat Christianæ decentiæ. Vtinam modò multi Christiani, etiam proprij solatij dispendio emerent, quòd in Christi corpore tractando decentia, & honor creseeret.

Chrysost.

Dion. Alex.

§. III.

Barbarissimi hominum mores, apud quos ideò vilescunt bona, quia propria; ad externa, & aliena affectissimi.

QVi populus æstimat ciuium suorum virtutes? Sanè verissimè dictum est, *Nemo Propheta acceptus est in patria sua*: eo enim quòd populus suum aliquem videat ciuem, nō credit summum. Hęc semper barbaries insita est hominum intimis, vt ex nullo capite prius vilescat aliquid apud illos, quàm si proprium sit. Nota est Adami historia, quando è latere dormientis educta costa ædificata est in mulierem. Hanc expergefactus vt vidit, ait, Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hanc relinquet homo patrem, et matrem suam.* Expende illud, *hoc nunc*: nunc, ait, hoc os ex ossibus meis est, quasi anteà non fuisset. Sanè & anteà hoc os magis tuum erat, tibi adhærebat intimiùs, & annumerabatur inter costas lateris tui. Cur nunc magis tibi arridet? Cur nunc magis æstimatur vt tuum, & illud nunc tuum magis reputas, & propter illud parentes relinquis? Ideò magis nunc reputat suum, quia minùs est suum, & magis alienatum est ab illo. Diu. Basil. Seleuc. orat. 2. ait: *Agnosco membrū, donum amplector: vertit in desiderium, quod costæ accidit. Hoc nunc os ex ossibus meis. Hoc, quod nunc verè intueor, non illa priora, quæ cùm in mea essent potestate, eorum ego visionem minimè desiderabam. Tamen à membro abiunctus philtro vincior, loco seiunctum est, & desiderio coniunctum.* Quid pulchrius? Quid magis expressiuum barbarissimi hominis? Dum os in sua potestate erat, intra suas costas annumerabatur, nullum habebat affectum ad illud, nullo illius tenebatur desiderio; vbi seiunctum est os, & abalienatum ab illo, nunc ardet ossis desiderio, nunc os mille affectibus prosequitur, & tantò magis illud suum æstimat, quantò est minùs suum. Hanc barbariem ebiberunt homines innumeri, apud quos eo solùm nomine vilescunt bona, quia propria. Vides hominem, cui est vxor, & iuuenis, & pulcherrima, & prudens, & mille alijs naturæ, & gratiæ dotibus insignis;

Gen. 2.

Basil. Se.

ſignis; ipſe autem minimè in vxore quieſcens, ad aliam rapitur, alterius vel conſpectum & vigilijs, & pecuniarum diſpendio emere procurat. Cur non magis ad vxorem aſpicis? Nonne pulchrior? Nonne gratantior? Sed vxor in poteſtate, & ideò vilis apud illum; & quæ tibi vileſcit, quia tua, ſi aliena eſſet, deperires illã. Tales ſunt homines plures, quorũ bona non alio nomine vileſcunt, niſi quia ſua. Quò refero illud Malachiæ cap. 2. *Dominus teſtificatus eſt inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu deſpexiſti, & hæc particeps tua, et vxor fœderis tui.* Loquitur ad priſtinos Iſraelitas, quibus licebat adducere plures in coniugium, quorum in poteſtatem quæ primò veniebat, ea primùm deſpiciebatur. In tantum non erat fœmina deſpecta ab homine, in quantum nõ erat ſua. Quæ maturabat coniugium, vt puberem maritum haberet, ſimul maturabat deſpectionem ſuam. Sed cur hoc malum appropriatur à Malachia non tàm omnibus nuptis, quã illi quę in annis pubertatis fuit tradita viro? Sanè rationem indicant verba illa: *Et hæc particeps tua, & vxor fœderis tui*: hæc vt prima erat, ſic magis præcipua inter vxores, & magis peculiariter, & naturaliter fiebat vna caro cum marito, & ſub eo, vt capite peculiariùs cẽ ſebatur: vndè quò magis videbatur propria viri, neceſſum erat, vt citiùs deſpecta fieret. Eſt hæc barbaries mentibus humanis indita, vt citiùs propria deſpiciant. Vndè dicebat illa, Hierem. 2. *Adamaui quippè alienos, et poſt eos ambulabo.* Cui vi detur ſuccenſere Diu. Ambroſ. lib. 4. in Lucam, dicens: *Cur tu faſtidias, quod natus es, appetas quod indebitum eſt?* Genium prorſus barbariſsimum propria, & propinqua deſpicere, ad aliena, & inexperta toto deſiderio currere. Aiebat Achab ad Naboth. 3. Reg. 21. *Da mihi vineam tuam accepta pecunia; aut ſi tibi placuerit, dabo tibi vineam meliorem pro ea.* Fatetur meliorem ſe habere, & ſciẽs meliorem eſſe ſuã, illam deſpicit, vt alienam acquirat. Diu. Ambroſ. lib. de Nab. cap. 2. *Dines, quod ſuum eſt, quaſi vile faſtidit; quod alienũ eſt, quaſi pretioſiſsimum concupiſcit.* Hæc ille. Nunquam ſtultus non faſtidit ſua. Ioſeph dum ſomniat, quòd adoraretur à Sole, & Luna, Gen. 37. *Increpauit eum pater ſuus, & dixit. Num ego, et mater tua, et fratres tui adorabimus te?* Cur increpat pater filium, ex eo quòd inſinuet ſe adorandum? Ait Diu. Ambroſ. lib. de Ioſeph, cap. 2. *Obiurgatio patris ſignificat duritiem populi Iſrael, ex quibus Chriſtus ſecundùm carnem, quem hodiè Deum eſſe non credunt, nec volunt adorare, quia ex ſe natum eſſe cognoſcunt.* Quia illum ſuum noſcunt filium, ideò contemnunt, quid ſtultius?

§. IIII.

Vbi cælum clauditur, ne gratiæ rorem mittat, nil citiùs in terra apparet, quàm orbitates, & mortes.

ECce veriſsimum Dei teſtimoniũ, nimirùm: *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ, in Iſrael, quando clauſum eſt cælum, &c.* Et quidem quando clauſum erat cœlum Iſraelitis, cur non eſſent multæ viduæ? Cęlo enim clauſo in terra nil priùs appareret, quàm orbitates, quàm mortes, quàm omnis ſolatij vacuitas. Exemplum eſto facinus illud in Iordane à Deo peractũ, vt populus tranſiret: ait enim Ioſue. 3. *Steterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Edon, vſque ad locum Sarthan. Quæ autem inferiores erant, in mare ſolitudinis (quod nunc vocatur mortuum) deſcenderunt vſquequò ominò deficerent.* Itaq; ſuperiores aquæ Iordanis ſteterunt, quaſi concluſæ intra diuini præcepti carceres, ne vllum influxum deorſum verſùs darent. Inferiores autem aquæ deſcenderunt, vſquequò deficerent in mare ſolitudinis, quod nunc vocatur mortuum. Quibus illud venit notandum, quod priùs notauit Richardus Victorinus. 1. part. de exterminatione mali, tractat. 1. cap. 18. nimirùm, quòd tunc temporis, quando accidit miraculum, mare illud, in quod defluebant Iordanis aquæ non vocabatur mare mortuum, ſed mare ſolitudinis vocabatur: ex quo autem illud miraculum accidit, & influxus Iordanis deſiuit per aliquod ſpatium, in mare ingredi, mare mortuum eſt vocatum; quippè ait ille: *Poſtquam cæpit influens inundatio deficere, & commotionis cauſa perire, cæpit & ipſum mare quaſi mortuum quieſcere, & nomen mutare.* Et quidem dum dulciſsimæ Iordanis aquæ influebant in mare, ſic agitabantur omnes vicinæ aquæ maris, vt viderentur in vitam ſaltare. Verùm vbi ipſe Iordanis fluxus hæſit, ſteteruntque eius

eius vndæ quasi clausæ, ne præterirent diuini præcepti carceres, statim nihil in mari potuit apparere vitale, sed omnia illius quasi mortua apparent, vndè incepit mare mortuum vocari. Quid mirum, si fontibus cœlestium influxuum clausis, in terra appareant mortes, appareant orbitates? Potuit vnius influxus Iordanis detentus reddere mortuum mare; cur totum cœlũ clausum nõ faciat, vt terrena omnia mortua appareant? Infœlix terra, cui cœlum clauditur, cui cœlestis gratiæ influxus suspenditur; mirũ erit, si in hac terra maneat aliquid vitale, si non passim & tristes vi-
Gen. 1. duæ, & miseræ orbitates videãtur. Gen. 1. ait Moyses: *In principio creauit Deus cœlum, et terram.* Præponit creationem cœli creationi terræ, quasi cœlum terram præcederet in aliqua prioritate: quod quæstionem fecit multis huius quasi apparentis absurditatis causam indagantibus, in-
Chrysost. ter quos Chrysostom. serm. de Genes. & ieiunijs, ait: *Cur autem primùm cœlum fecit, deinde terram, antè tectum, quàm solũ?* Et quidem diuinissimus artifex geometricam artem callens probè sciebat, cẽtrum præponi debere sphæræ, & solum tecto; & respectu aliarum generationum præclarè rerum naturas obseruauit, vt terrã præponeret herbis, & plantis, & has animantibus. Cur ergo illam non etiam præposuit cœlo, quando & natura rerum, & ars ædificandi non minùs requirebant, quòd centrum, & solum antecederet sphæram, & tectum, quàm cæteras generationes animalium? Cur solius cœli respectu debita prioritas terræ negatur? Sanè iam tũc in terra creabatur omnium viuẽtium matrix, quæ si absque cœlo gigneretur, ab eiusque conspectu esset separata, iam non viuida, sed mortua perseueraret, & nihil in se ostenderet præter orbitates. Huc re-
Anast. fero D. Anastas. Sinait. lib. 3. Exam. vbi fatur: *Quando cum cœlo Deus fecit terram, non appellabatur arida; frugiferum enim, ac fertilem Deus fecit hominem, et non aridum. Quando autẽ fuit suffocata à tenebris, quæ super eam erant, et aquis, tunc facta est arida, et mortua.* Vbi terra humanã cœlestibus influxibus patet, cœlumq; sibi amicum, & socium, & quasi vterinum fratrem habet, tota vitam halat, nihil ostendit in se non vitale. Sapiẽtissimè enim prouidit Deus homini suo, vt liberum cœlum, & amicum potiretur, vt inde totus abiret in partus vitales. Verùm vbi cœlum obducitur, & obtenebratur, & terra quasi sine cœlo apparet, tunc fit arida, tunc fit mortua, tunc in se solas ostendit mortes, & viduitates. Quis mortem fugiat, sibi cœlum habens clausum? De Iesu omnium Saluatore dicitur, Matth. 4. *Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua; & ecce aperti sunt ei cœli: et vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cœlis, dicens: Hic est Filius meus dilectus, &c.* Sed & Matt. 17. dum transfiguratur: *Ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, &c.* Vtrobique intonat vox Patris, vtrobiq; Iesus Dei Filius prædicatur, sed in Iordane præter hoc additur, quòd cœli aperti sunt ei. Cur in Thabor tantùm Pater, & vox intonat, in Iordane & Pater, & vox sonat, & cœli aperiuntur? Quid necessum fuit magis in Iordane aperiri cœlos? Magnum ibi venit mysterium notandum: in Thabor Filius Dei prædicatur, quando ipse loquebatur de excessu; hoc est, quando imminens mors præ oculis erat: vbi autem Iesus in Iordane baptizatur, simul aquæ viuificatricem virtutem accipiebant, qua ex illis non mortui in peccato, sed viuidi homines possent regenerari. Vbi autẽ aduersus mortem culpæ fontes parabantur vitales, non poterant tunc cœli non ostẽdi & amici, & patentes. Ad hæc D. Basil. Basil. Seleuc. orat. 34. *Fluuius Christum circumdedit, baptizatum verò supernè cœlũ fausta prosequebatur acclamatione, ne spectatores baptizati dignitas lateret, nevè ipsum, qui baptisma in Iordanis fluento primùm instituit, gratiæ inopiam secum detulisse, verbis vrgeas. Ideò Pater cum clamore præconiũ fecit, Spiritus volatu indicium. Et videre erat rem inopinatam, in aquis matrix parabatur, quæ cœlo ciues pareret. O inaccessa mysteria! aqua pariebat, & cœlo ciues adscribebantur: gratia erat, non natura, quæ producebat; gratia, non quæ legibus obnoxia, sed quæ cœli tenet regna.* Non potuit cœlum esse clausum, vbi vitalissimi partus gratiæ parabantur: de cœlorum apertione, & amicitia ostenduntur vitalissimi fontes gratiæ parari, à quibus viuidi homines renascantur. Dum cœlum clausum erat, non nisi mors, & orbitas vbique visebatur; vbi iam mors abolebatur, & fontes vitæ cæperant parari, necessum fuit, vt se se iam cœlos apertos manifestarent. Quomodo enim nisi de cœlestium beneficio posset mors fugari, & aptari vitæ matrix? Hinc Nazianz. orat. 28. locutus de bono, Nazian. & diligenti pastore animarum, qui in animabus viuificandis, non minùs diligẽs est, quàm fuit Iacob in ouibus, ait: *Peruftus*

sum

ſum æſtu dici, & nocturna glacie vexatus, inquit Patriarcha Iacob, cuius ſunt illæ oues ſignat, quæ in cœleſtibus canalibus concipere didicerũt. Bonus hic paſtor eſt, qui ouibus ſuis curat, vt ſuppetãt canales cœleſtes; de ijs enim vix fieri poteſt, vt in vitales partus non veniant.

§. V.

Solus Deus poteſt corda humana implere, ne fameſcant.

VIde conſequentiam verborum; ait enim: *Quando clauſum eſt cœlum annis tribus, & menſibus ſex, cùm facta eſſet fames magna.* A cœli clauſura neceſſũ eſt, quòd homines in magnam famẽ deueniant, quando ſola cœleſtia, ſolus Deus poteſt facere, ne homines fameſcant. De prima terræ cretione locutus Dominus, Gen. 1. ait: *Terra autem erat inanis, & vacua.* Vndè hæc vacuitas in terra? D. Ambr. lib. 1. Exam. cap. 7. legit: *Terra erat inuiſibilis, & incompoſita*: & ſtatim ſubdẽs rationem huius fœditatis, ait: *Sic accipimus inuiſibilem terram, quòd nondũ verbo Dei & protectione viſitabatur, quæ hominẽ non habebat, propter quem Dominus reſpiceret in eam.* Vbi nondum Deus oculos ſuos ad terram inclinabat, neceſſum eſt, quòd terra eſſet omni decore, omni pulchritudine, & ornatu, omni bono vacua. Dũ tibi cœlum claudatur, dum Deus tibi non adſit; plenus quibuſcumque alijs bonis, vacuus eris, & rabidiſsima torqueberis fame. Pſalm. 101. *Concupierunt concupiſcentiam in deſerto, & dedit eis petitionem ipſorum, & miſit ſaturitatem in animas eorum.* D. Hieron. legit: *Et miſit tenuitatem.* Chaldæus poſuit: *Miſit maciem.* Nec miror; quando enim Deus abeſt, quando cœlum eſt clauſum, quæuis bonorum abundantia tenuitas eſt, & ipſa maior ſaturitas eſt fames. Et quæ ſunt bona, præter Deũ, quæ non fameſcentes faciant? An voluptas? De prodigo illo dicitur, Luc. 15. *Diſſipauit ſubſtantiam ſuam, viuendo luxurioſè. Et poſtquam omnia cõſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa, &c.* Ecce tibi miſer adoleſcens, & ſimul immergitur voluptatibus, & rabidiſsimam experitur famem. Quod expendens D. Bernard. apud Tilmanum in allegor. ait: *Vndè huic egeſtas tanta, niſi ex eo, quòd legitur diſſipaſſe bona ſua cum meretricibus, viuendo luxurioſè? Meretrices iſtæ carnis ſunt concupiſcentiæ, cum quibus luxurioſè viuendo diſſipat bona naturæ, qui eis abutitur ad voluptatem. Huic egeſtas pernitioſa ſuccedit, eo quòd non ſatietur oculus viſu, nec auris auditu impleatur.* Nunquam non fameſcit laſciuus inter ipſos cumulos voluptatum; nec fieri poteſt, quòd harum abundantia non faciat rabidam famem in corde humano. Et quando voluptatum copia famem facit, an diuitiæ afferunt plenam ſaturitatem? Ecce tibi diues Iſraelitarũ Rex Achab inter ſuarũ diuitiarum ſegetes dicit ad Naboth. 3. Reg. 21. *Da mihi vineam tuam*: quæ verba ponderans D. Amborſ. lib. de Naboth, cap. 2. ait: *Da mihi, hoc eſt, da mihi, quia egeo. Da mihi, quia aliud viuendi ſubſidiũ habere non poſſum. Da mihi, quia non eſt mihi panis ad victum, nummus ad potum, ſumptus ad alimentum, ad indumentum ſubſtantia.* Et fallar, niſi hæ ſint voces in ore diuitum frequentiſsimæ, niſi quia hic ſolam vineam requirit, pro hac habenda incœnatus occumbit; alij mille alia requirunt, & quò plura habent, eò rabidiori fame ad alia feruntur. Nec miror, quòd ſic fameſcant, quibus cœleſtia omnia clauſa video, quæ ſola hominum fames tollere ſufficiunt.

Gen. 1. Ambr. 3. Reg. 21. Ambr.

§. VI.

Tribulationes, & preſſuræ lucem afferunt hominibus, qua ſibi neceſſaria clariùs videant.

TEmpus adeò nubilum, quando cœlum clauſum erat, quando multæ viduę, quãdo magna fames ſentiebatur, vocat Dominus dies Eliæ: quippè ait: *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ, quando cœlum clauſum eſt, &c.* Cur non magis dicuntur tempora illa tenebroſa, & obſcura velut noctes, quàm lucida, & clara ſicut dies? An tribulatio non magis pertinet ad noctem, quàm ad diem? Abſit, imò tribulatio, & preſſura lucem addunt clariſsimam, qua homines ſibi neceſſaria videant. Dan. 4. de Nabuchodonoſor dicitur: *Ex hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum eſt, donec capilli eius in ſimilitudinẽ aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi auium. Igitur poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum leuaui.*

Luc. 15. Bernar. Dan. 4.

Expende, quos vocet dies, nimirùm illos vocat dies, quibus seueriſsimum Dei iudicium ſubiuit; quibus ſub iudicij diuini ſeueritate preſſus, coactus eſt inter belluas viuere. De aduentu ſeueriſsimi iudicis, vt
Matt. 25 homines puniat locutus Matth. 25. ait: *Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit*: quaſi piguerit diuinæ claritati tempus adeò nubilum, & tenebroſum tribuere. Cur ſimiliter ſeueriſsimi iudici tẽp⁹ circa Nabuchodonoſor, non æſtimatur noctis tẽpus? Cur maluit dies vocare, niſi quia ſeueritatis iudicia in hac mortali vita, vt tenebroſa carni ſunt, ſic lucida, & clara ſunt menti, quam faciumt deuenire in ſalutis remedia. Aiebat ad hæc Richar.
Rich. Vict. Victor. lib. 2. de erud. inter hom. part. 1. cap. 45. *Iudicia Dei dies ſunt, quia in lumine veritatis, quia in luce rectitudinis fiunt. Talium dierum finis completur, quando diuinæ ſeueritatis animaduerſio in miſericordiam commutatur.* Ex quibus illud noto, quòd ad dierum numerum reuocat iudicia Dei ſeueriſsima, quia in lumine veritatis fiunt; imò ſic veritatem illuminant, vt nullus ſit adeò cæcus, qui ad eam non accedat per tribulationis viam. Vidiſti primam mulierem à Deo ædificatam de coſta viri, quæ ſimul vt facta eſt, pulcherrimũ ſibi ſocium ſpõſum videt, ditiſsimas auſpicatur nuptias cum ſæculi dote; in ſua enim poteſtate noſcit eſſe totas delicias paradiſi, & cùm tanta recipit, non dicitur indatoris memoriam deuenſſe. A tanto ſtatu miſerè ruit, excluditur à paradiſo, iubetur in doloribus parere; accedit ad partum primum, parit Cain, & vix accipit filium
Gen 4. & tota exclamat. Gen. 4. *Poſſedi hominem per Deum*: quis tibi, ò fœmina, fecit videre datorẽ præſentis munuſculi? Cùm poſſides pulcherrimum, & immortalem maritum, cùm poſſides paradiſum, non vides, nec manifeſtas, à quo iſta poſſideas: cùm autem poſſides ærũoſi partus fructum, nil citiùs vides, quàm Deum auctorem beneficij. Quæ ſic te illuminauit cauſa? An partus dolores faciunt videre, quod abſcondunt deliciæ? Aiebat Baſil. Seleuc.
Baſil. Se. orat. 4. *Poſſedi hominem per Deum, noui meam diuini mandati transgreſſionem, noui â paradiſo exciſſe me; ijs, quæ pertuli, docta ſum: agnoſco punitorem, excepi pœnam, quæ vt magiſtra, me ab errore vindicat.* Ecce tibi tribulatio quàm illuſtrat oculos, quàm claros reddit dies, quàm tenebras diſsipat, vt veritas cernatur, & ad auctorem bonorum omnium inſenſo pede curratur. Præclarè dicebat Eccleſ. c. 7.

Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorũ admonetur hominũ, & viuens cogitat, quid futurum ſit. Eccl 7. In rem præſentem Chaldæus Complutenſis, ait: *Cùm ibit vir iuſtus in domũ luctus, ſedebit, & ponet in corde ſuo verba mortis, & ſi eſt in eo aliquid mali, dimittet illud, & conuertetur ad pœnitentiam in conſpectu dominatoris ſæculi*: quaſi hoc proprium ſit luctuoſi temporis, quòd nos faciat conſpicere dominatorem ſæculi. Chald. Comp.

§. VII.

Detrimentoſum eſt apud Deũ, quòd qui potior debebat eſſe, is ſit minor in diuino obſequio.

MVltæ Iſrelitæ viduæ rejiciuntur à Deo, & permittuntur in fame perire, quãdo vna Sareptana vidua eligitur, cui Elias ſubueniat, vt quæ illis præſtantior ſit, & alacrior in miſericordi affectu. Ait enim: *Ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta, &c.* Et meritô Iſraelitæ præ illa relinquuntur, quando quę potiores eſſe deberent, minores inueniuntur à Deo. Audio apud Mat. 12. Do- Matt. 12
minum aliquantulùm ſeuerum in fratres ſuos; cùm enim ille in Synagogà concionaretur ad plures, dictum fuit illi de matre, & de fratribns, quòd foris ſtarent, quęrentes eum. Quid plura? Statim ait: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Nemo ambigit ſub ijs verbis aliquid ſeuerum latere; & cur modò manſuetiſsimus agnus ſit ſeuerus? In quo potuit prorſus inculpabilis mater, & fratres Ieſu ſeueritatem excitare? Dum alijs audientibus verbum Ieſu, mater, & fratres perhibentur foris manere, cur Ieſus nõ ſeuerus exhibeatur? Detrimentoſum enim eſſet & fratribus, & ipſi matri, ſi in obſequio diuino poſsit ipſa, quæ mater erat, minùs præſtare. quàm extranei. Ad hæc fatur Tertull. lib. 4. in Tertull.
Marc. *Tâm proximas perſonas foris ſtare extraneis intûs defixis ad ſermones eius, meritô indignatus eſt, non tâm negauit, quã abdicauit. Atque adeô cùm præmiſiſſet, quis mihi mater, & qui mihi fratres? Subiungens, niſi qui audiunt verba mea, & faciunt ea, tranſtulit ſanguinis nomina in alios, quos magis proximos pro fide iudicaret.* Nõ cenſentur à Deo propinquitates, quas

caro,

caro, & sanguis, sed quas fides, & virtus facit; imò vix tolerat non iratus, quòd qui multis obsequij titulis potiores esse tenebantur, ij tardiores sese exhibeant in diuino famulatu, quam extranei. Propinquior Deo status, arctior obligatio tunc prodest multùm, quando vt in ijs alios superas, similiter eos superas in obsequio præstando: caue tibi, ne qui propinquior es in statu, in obsequio remotior videaris; fallar, nisi inde detrimentum patiaris. Videre est apud Luc. cap. 7. peccatricem fœminam à Deo protectã, cùm repellitur Pharisæus Simon; is secum habebat Iesum recumbentem in mensa sua, eius præsentia, & colloquio fruebatur, & interim peccatrix mulier à tergo stans totum ad se rapit, & allicit Christum. Cur, Domine, sic Simonem hospitem relinquis? Cur præfers mulierem peccatricem? Nonne ille te inuitauerat ad mensam suam? Inuitauerat iste, fateor, & hospes erat Iesu, sed in obsequio exhibendo longè erat remissior, quàm fœmina illa. Sic ait Iesus ad Pharisæum: *Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lacymis rigauit pedes meos, & capillis suis terſit, &c.* Quid, quòd propinquior inueniaris corpore, quòd Iesum habeas in domo tua, si præstantior alia venit in obsequio diuino? Equidè despicieris à Deo præ illa. Pulchrè D. Paulin. epist. 4. inquit: *Quò te miser Iudæe iactabis? In domo tua, te peccatrix nostra præuenit, ingressa in labores tuos. Tu enim epulabaris, vt superbires: illa ieiunabat, vt seruiret. Et quàm de vrceis tuis effundendam negaueras aquam, illa de suis oculis ministrabat. Tu pedes Christi nõ linteo: illa crine deterſit: quos tu indignè, nec manibus cõtingere voluisti, illa oculis mulcere non destitit. At certè tu potiùs hoc ministerium in domo tua, recepto hospiti debuisses, si vel exemplo Patrum fas hospitale seruasses. Sed sufficit vobis ad superbiam iactare patrem Abrahã; & ideò te illa præuenit; quæ affectu fideli se potiùs patris tui filiam comprobauit.* Vnus apud Deum valet titulus, nimirùm præstiti officij; qui in officio exhibito excedit, ille omnes alias propinquitates reddit inutiles; imò propinquitas maior, obligatio prima potiùs detrimentũ inducunt, vbi est officij exhibitio vltima. Qui, quod postulat vel conditio, vel status, vel munus, nõ implet, nõ miretur, si reijciatur, vbi sunt alij qui præstent plùs, quàm requiri poterat ab illis. Audio etiã Moysem Deo familiarissimũ fuisse, sed etiam audio parũ abfuisse, quin ab Angelo occideretur in via, dum de mandato Dei descendebat in Ægyptum, inde Israelitas eductur us. Sic enim habes Exod. 4. *Cùmq; esset Moyses in itinere in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Cur, Domine, quẽ mittis in Aegyptũ, occidere vis in itinere? In quo te offendit, qui adeò tuis audiẽs dictis, vix mãdatum accipit, & statim proficiscitur, vt Israelem ab Aegypto educat? Offensionis causam ostendit textus verbis illis: *Tulit ergo Moyses vxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum, reuersusq; est in Aegyptũ.* Cùm totus Israel clamabat, vt exiret ex Aegypto, cùm Deus illorum votis annuens, de illorum eductione tractabat; cùm ipse Moyses iubetur, vt nullum Israelitam permittat manere in Aegypto; ipse nihilominùs illò ducit filios suos, cur inde Deum non irritet? Sanè ex Dei familiaritate, ex electione diuina magis tenebatur educere omnes de Aegypto, & cùm alij educendi essent, ipse mittit suos. Diu. August. quæst. 16. ex veteri testam. ait: *Filios ducere secum ad Aegyptum non debuit; qui cæteros ibat inde eductur us.* Meritò offendit, & penè reijcitur etiam familiarissimus, qui patitur suos ire in Aegyptum, quando vel omnes alij erant inde eruendi, & crebris suspirijs cõtendebant egressionem suam.

Luc 7.

Paulin.

Exod. 4.

August.

Luc. 4. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo Propheta: & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus

§. VIII.

Qui de Deo, & virtute facilè magna credit, magna præsumit, non indonatus abibit.

VIdes & Sareptanam fœminam, & Naaman Syrum, & prælatos Israelitis, & donis muneratos diuinis, illã perenni pabulo, hunc lepræ mundiriæ. Et vndè ij gratiam rapuere diuinam? Mulier Sareptana, vt habetur. 3. Reg. 17. simplici verbo Prophetæ audito, dicente: *Hydria farinæ non deficiet*, indubitanter credidit, magnũ id futurum ex Deo, & misericordiæ virtute; qua persuasione extremum vitæ suę, & filij

3. Re. 17.

filij sui contempsit periculum, & priùs Prophetæ fecit conuiuium, quàm sibi. Non minor in Naaman fides, is enim ex ancillulæ Hebrææ ore audiuit summi Dei Prophetam Elisæum esse in Israel, qui in nomine Domini morbos eliminabat cũctos, & statim non dubitauit fore, quòd à magno Deo Israel per Prophetas suos salus veniret. Sic habes. 4. Reg. cap. 5. Qui ergo tàm faciles fuerunt, vt de Deo, & virtute tàm magna indubitanter crederent, ad illaque festinarent despectis periculis, vel vitæ, vel longissimi itineris, quomodo non sibi prærriperẽt gratiam diuinam? Gabaonitæ illæ, Iosue cap. 9. cum dolo, & simulatione extorsere pacem ab Israelitis, ne & ipsi perirent eorum gladijs, vt cæteræ nationes peribant. Et quod maius est, quòd Deus ipse voluit, vt pax illa licẽt extorta, firma, & stabilis perseueraret. Et cur Deo placuit illa pax? Sanè ad illam extorquendam moti fuerant Gabaonitæ ex fide, qua cum primùm audierunt summi Dei potentiam ad exterminandas nationes, non dubitarunt de Deo credere quid magnum: aiunt enim: *Venerunt serui tui in nomine Domini Dei tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius, &c.* Vt audierunt, sic indubitanter de illa sibi persuaserunt, & statim festinarunt illius acquirere gratiam, quæ vix potuit illis sic credentibus negari. Ad hæc D. Augustin. lib. 6. quæst. 14. *Crediderant enim Deo, quem audierant suo populo promisisse, quòd illas gentes subuerteret, eorumque terram obtineret, & hanc eorum fidem non eos perdendo remunerauit quodammodo.* Non æquum videbatur, quòd prompta fides ad credendũ de Deo magna, maneret non remunerata: sed qui indubitanter credunt in Dei potestate omnia esse, ab illoque magnum quid suis cultoribus manare, illud in se ipsis experiãtur. Ad modum enim crescentis fidei de Deo, & crescit diuinæ beneficentiæ liberalitas. Quò se non prorripit Chananæa fides? Tantum de Iesu beneficentia credebat, vt salutem filiæ à Dæmonio vexatæ, quasi diuinæ mensæ deciduas micas putaret. Hinc meritò Dominus ait, Matth. 15. *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi, sicut vis.* Non contẽtus est illi aliquid donare, sed maluit eius implere, & superare voluntatem, ne quid maneret in fœminæ optatis, quod non esset à beneficentia diuina superatum. Et cur hoc? Iam præmisit, dicens: *O mulier, magna est fides tua*; vt ipsa magnitudine, & promptitudine fidei multos alios superabat, sic quasi necessum fuit, vt eius optata diuinis donis Dominus superaret. Pulchrè aiebat D. Basil. Seleuc. orat. 20. *Totam tibi curationis mensam explico, non vt cani micas, sed vt filiæ panem largior. Tu quidẽ Iudæos fide vicisti: ego verò dato meo tua postulata. Fiat tibi, sicut vis.* Nullum postulatum non manebit à Dei largitate superatum, vbi fides de Deo præcedat, quę & magnitudine, & facilitate alijs superior appareat. Centurio puerum paraliticum obijciebat Domino, vt salutem impetraret: & vt audiuit Iesum ad suam domum festinare, vt puerum sanaret, humi deiectus sic clamat, Matth. 8. *Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Audiens autem Iesus, miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel, &c.* Et statim in illa hora sanatus est puer, absque eo, quòd intraret Iesus domum eius. Sed cur Iesus non magis impleuit, quod promiserat? Promiserat, se iturum ad domum, cur nõ iuit? Nonne sic humillimum hominem magis honoraret? Quando Ioannes propter humilitatem non volebat Iesum baptizare; Iesus tamen fecit, vt à Ioanne baptizaretur. Cur ergo cùm Centurio propter humilitatem petebat, ne Iesus intraret sub eius tectũ, tàm facilè Iesus cessit? Cur non magis intrauit, vt sic eius honorẽ augeret? Sanè vbi fides Centurionis vniuersos Israelitas vincebat, necessum erat, vt omnia eius postulata vinceret Dominus datis muneribus; sicq; pariter fides Centurionis honorata fuit à Deo, quãdo quodcumque optauit munus, accepit, & salutem pueri, & hanc, antequam limẽ domus videretur. Ait D. Chrysost. ibi: *Dicit fortasse quispiam, & cuius rei gratia pariter Centurionem Christus non honorauit? Respondebimus pariter, & plusquam pariter, Christum ipsum habuisse honoratum. Primùm, quia benignam, & humilem mentem illius declarauit: quod inde maximè apparuit, quòd domum ipsius non adijt, & filium curauit.* Tam superioris fidei postulata inhonorata manerẽt, si in aliquo non adimplerentur: non debuit vel in minimo frustrari tanta fides, in quo maiorem honorẽ bonus Cẽturio accepit, quando quidquid optauit, accepit, ne magnitudo fidei eius in aliquo frustraretur. Huc reuoca dicta 1. tom. lib. 1. cap. 8. §. 16.

Ioſue. 9.

Augusſt.

Matt. 15

Basil. Se.

Matth. 8

Chrysost.

§. IX.

§. IX.

Dei dona frequentibus petitionibus sunt extorquenda.

MEritò Naaman Syrus præfertur leprosis Israelitis nihil ex Prophetæ petentibus, quia ipse per se venit, & humilis remedium postulauit; & quidē in Dei donis, & virtutibus præstandis, id in primis respicitur, si anxiè postulentur. Vanè enim putat ad se diuina ventura esse dona, qui nullam in illis habendis præstat diligentiam, sed nec pro illis vllam orationem attexit. Pulchrè in presenti aiebat D. Ambros. 4. in Luc. *Cur igitur non curabat fratres, non sanabat cines, non sanabat Propheta consortes, cùm sanaret alienos sanaret eos, qui obseruantiam legis, & religionis consortium non habebant; nisi quia voluntatis est medicina, non gentis, & diuinum munus votis eligitur, non naturæ iure defertur? Disce, Christiane, rogare, quod cupias impetrare: fastidiosos viros cœlestiū profectus munerum non sequuntur.* Non naturæ, non cognationis, non status, non muneris iuri multùm fidat, qui optat sibi obuenire Dei bona, sed postulet, & frequenter postulet; non enim sic ad alia attendere Dominus solet, vt ad postulationes, vt largiatur sua dona. Samaritanæ dicebat Ioan. 4. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere; tu forsitan petijsses ab eo, & daret tibi, &c.* Expende illud, *tu forsitan petijsses, &c.* quasi assignet medium necessarium ad acquirenda dona diuina, nimirùm quòd præcedat oratio, quòd præcedat petitio, sine qua nec coniunctissimi obtinent à Deo donū vllum. Origen. apud D. Thom. in Caten. ait: *Quasi dogma quoddam est, neminem accipere diuinum donum ex non quærentibus illud: ipsum autem Saluatorem iubet Pater poscere, vt det illi, secundū illud psalmi, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Quando ipse filius iubetur postulare, vt paterna dona acquirat, quis sine orationibus, & postulationibus presumet illa acquirere? Sanè qui nihil curat petere, nihil sibi speret dari, quando diuina dona magis currunt ad postulātes. Habes Luc. 18. Pharisæum, & Publicanum: ille sic ad Deum ait: *Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ possideo.* Hæc Pharisæus, & nulla alia: Publicanus autem procumbens humi, percutiēs pectus suum, clamabat: *Propitius esto mihi peccatori.* Quid plura? *Descendit hic iustificatus præ illo.* Et cur hic diuinū donum sibi rapuit? Cur ille vacuus à Deo discessit, tanta de se fatus: hic autem Publicanus plenus abijt? Ille nihil postulauit, nihil petijt: hic ex quo intrauit, non cessauit postulare, semel, & ter clamans: *Propitius esto mihi peccatori*; nec mirū quòd diuina dona minimè dentur alij, quā illi, qui enixè, & perseuerāter postulauit. Ait Gilliber. Abb. serm. 33. in Cant. *Duo quædam in oratione tua, ô Pharisæe, non tàm redolent, quàm fœtent tumor, & tepor. Tumor est in eo, quod Publicano improperas: Tepor quidē, quia omninò nihil rogas.* Cur dentur diuina dona non roganti, non petenti, præsertim cùm alius sit, qui non cessat postulare?

Luc. 4. Et repleti sunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes.

§. X.

Quòd Deus alienis, & indignis videatur fauere, in suis non tàm iram, quàm spem debet excitare.

QVòd Sareptanæ fœminæ, & Naaman Syro dicantur data diuina munera; in iram abeunt Israelitæ audientes; quid stultum magis? Imò si saperent, non tàm iram, quàm spem in se excitare debebāt; vbi audirent diuinam beneficentiam, etiā ad alienorum, & criminosorum pulsare ianuas. Quando magis debet homo sapiens suam salutem à Deo sperare, quā vbi nosci Deum, etiam criminosissimis hominibus adstare? De sapienti illa peccatrice dicitur, Luc. 7. *Vt cognouit, quòd accubuisset Iesus in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti; & stans retrò secùs pedes eius, lacrymis cæpit rigare, &c.* Expende, quando mulier prudens se totam effundit in lacrymas; quando in salutis negotio incipit nulli sumptui parcere, nimirùm vbi cognouit, quòd accubuisset Iesus in domo Pharisæi, vbi vidit misericordiæ diuinæ pedes, etiam limina fastuosi, & superbi Pharisæi ianuas intrare. Et qui nō spera-

sperare, se posse operum diligentia comparare cœlestem Regem, qui videtur etiã ad superbissimi hominis ianuam pulsare?

Chrysol. Acutè D. Chrysol. serm. 93. fatur: *Inclinem ad miserandum supernam didicit maiestatem, & ideò credidit, quòd esset ad veniam sibi promptus, qui Pharisæi venerat tàm promptus ad mensam.* O fœlix argumentatrix! Non sibi persuasit, posse contemni suas lachrymas ad veniam ab illo, qui non funditùs contemnebat impietatem Pharisaicam, sed Pharisæi mensis gratiosus aderat. Non indignè tulit, quòd sanctus Deus Pharisæo fastuoso inuitanti annuerit; sed magis inde sese ad Deũ habendum excitauit, minimè credens posse sibi laboranti, & pœnitenti deficere, qui Pharisæum recumbentem præstolabatur. Hinc Paulus cap. 11. ad Romanos, lucrum

Rom. 11 exortum de vocatione gentium ponderans fatur: *Iudæorum delicto, salus est gentibus, vt illos æmularentur.* Ibi Diu. Anselmus: *Illorum delicto salus est gentibus, vt illos æmulentur Iudæi, hoc est, imitentur.* Itaque Deus salutem præstat gentibus, vt ex hoc efficaciùs prouocentur Iudæi in virtutum sequelam. Sed quãtum est istud mediũ ad trahendos Iudæos? Quare gentium salus speratur efficacior, vt quærant Deum Iudæi, quàm vt contra Deum exacerbentur? Sanè apud eos, qui sapiunt, efficacissimũ debet esse, quòd videant Deũ inclinem esse perditis, & deploratis gentibus, ad hoc, vt ipsi spèrent similem posse Deum reddere, & ad eum similiter acquirendum operam impendant. Pulchrè

Theod. enim ad hæc dicebat Theodoretus: *Hoc autem satis est ad cõtradicentes Iudæos excitandos, & ad æmulationem prouocandos, & salutis participationem sibi conciliandã. Vident enim eos euasisse primos, qui erant vltimi.* Quantum hoc calcar in animo sapienti, vt arripiat negotiationem illam, in qua videt pauperrimos, & despectos homines subitò ditatos, & exaltatos esse? Quis non magis operam impendat seruiendo illi Deo, apud quem nec vilissimus fastiditur, nec sceleratissimus salutem desperat, si illam negotietur? Sic peccatorum, & scelestissimorum hominum salus calcar debet esse prudentibus hominibus, vt post Deum currant; qui inde exacerbatur, magis insanus est, & omnium stultissimus. Ex Deut. 32. adducit

Rom. 10. Paul. ad Rom. 10. testimonium illud: *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam.* Quippè augendo gentes vsque modò cæcas, & abiectas, & pro nihilo habitas ea præstat Dominus, ex quibus Iudæi iris exardent, & rabidissimè flagrant. Facit hoc Deus? Faciunt hoc diuina dona gentibus data? Absit; hoc namque facit deplorata Iudæorum insania, & stultissima pertinacia. Id quod insinuat D. Hieronym. Hieron. lect. ad Deuther. cap. in vltima mansione ad Fabiolam, aiens: *Generatio pessima filij inerudit: ipsi ad æmulationem me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus: irritauerũt me in sculptilibus suis, & ego zelare hos faciam nationes, & contra gentem stultam incitabo eos.* Inuidia, & rabida æmulatione feruntur contra saluatas nationes, cur nõ magis bona æmulatione: Insinuant illa verba: *Generatio pessima, filij inerudit:* quia enim Dei sapientiam amiserũt, ideò in iram abeunt ex eo, ex quo sapientes viri maiorem hauriunt spem veniæ.

Luc. 4. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.

§. XI.

In Christi Domini morte non deiectio, sed exaltatio exprimenda.

COmponite modò Nazarenos ciues, & Hierosolymitanos, vt rabie sua diuinæ sapientiæ seruiunt; vtriq; in Iesum inuidia exardescunt, vtrique eum extra ciuitatem educunt, vtrique ad montis verticem Iesum impellunt, Nazareni vt inde deijciant, Hierosolymitani vt in cruce exaltent eum. Illos deludit Iesus, horum furoribus cedit, vt qui sapientiùs insanirent, quando in Iesu morte nihil meditantur deiectum, nec deiectionem, sed exaltationem cogitant, moriente Deo. Ad hæc clamabat Isaias, cap. 13. *Super mõ* Isai. 13. *tem caliginosum leuate signum.* Quasi ciues Nazareos corrodat, & laudet Hierosolymitanos, vel in ipsa insania sapientes. Dũ super montem mortis caligine opertum curri-

curritis; dū Deum vſque ad verticē montis perſequimini, nihil ibi deiectum, nihil demiſſum cogitetis; non deijcite, non præcipitate, ſed leuate ſignū. Præſtantiùs Dei ſapientiæ deſeruiunt, qui morientis Dei ſignum ſuper montem eleuant, nō dimittunt, quando in morte Domini triumphalis exaltatio venit exprimenda. Pro quo Ælred. Diu. Ælredus in allegorijs Tilmanni, ait: *Super mōtem igitur caliginoſum vexillum crucis extollitur, vt ſua virtute mundi huius potentiam premat; ſuperbis redemptionis noſtræ myſteria concludat, apud mites verò, & humiles omni mundanæ gloriæ ſupereminеat.* Hoc meditabatur diuina ſapientia, cùm Dei Filium & morti, & cruci permittebat, nō quo Dei Filius deijceretur, ſed quo exaltaretur, quo vniuerſam mundi potentiam conculcaret, & premeret, & omni mundanæ gloriæ ſuperemineret. Huc ſpectabat ipſe Dominus, Cant. 7. Cant. 7. locutus de morte ſua: *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Nihil non ſublime, & victorioſum in morte ſua ſuſpiciens: vt dicat D. Cyprian. ſerm. de Cypr. paſſ. *Aſcendiſti, Domine, palmam, quia illud crucis tuæ lignum protendebat triumphum de diabolo, vel de principatibus, et poteſtatibus, et nequitijs ſpiritualibus victoriam.* Nihil deiectum in morte Chriſti, ſed omnia ibi ſublimia victorias halantia, & triumphos; quidquid Ieſu morti deſeruire debebat, eā ſimul debebat habere naturam, quæ ingentem exaltationem eius, & gloriam exprimeret. Vndè D. Ambroſ. Ambr. in cap. 23. Luc. ſic Ieſum vocat ad mortē crucis: *Nunc currum ſuum triumphator aſcendat, non arborum truncis manubias de mortali hoſte quæſitas, ſed patibulo triumphali captiua de ſæculo ſpolia ſuſpendat. Non hìc reuinctis poſt tergum brachijs gentes, nec exciſarum vrbium imagines cernimus, ſed ouantes populos nationum, quæſitos non ad ſupplicium, ſed ad præmium, Reges liberis affectibus adorantes, in melius reformatas imagines oppidorum, quas non fucus expreſſerit, ſed deuotio colorauerit, fidei arma, victoriarumq; iura toto orbe currentia, variarum virtutum ſpecies non ſericis, ſed moribus emicantes. Fulget caſtitas, fides ſplendet, & induta mortis exuuijs deuotio fortitudinis, iam reſurgit. Vnius Dei triumphus fecit omnes homines triumphatores crux Domini.* Quidquid ſublime eſt, & victorioſum in cruce Dominica pulchrè delineauit, in qua velut in nouo, & diuino triumphali curru eliminantur omnia, quæ deiectionem, & euerſionem ſonant, & ſolùm illa proferuntur, quæ ad exaltationem, & gloriam, & victoriam faciunt. Videri ſolent in aliorum triumphis dirutarum vrbium imagines; in cruce Dominica vniuerſus orbis apparet inſtauratus: in alijs captiui populi præcedunt currum; in Chriſti morte nationes anteà captiuæ, iam cernūtur ouantes. Cogita magnum, & glorioſum, & exaltatum, id omne protēdit crucis palma ſuper verticem montis exaltata; quidquid deiectum eſt, & imum, vt à Deo alienum, ſic nō poteſt à cruce demonſtrari; nec decuit Deum aliud mortis genus, niſi illud, quod à terra oſtēderet Deum eleuatum, & exaltatum. Quippè ſapienter ait Lactantius, lib. 2. ca- Lactan. pit. 29. *Quicumque ſacramentum hominis tueri, rationemque naturæ ſuæ nititur obtinere, ipſe ſe ab humo ſuſcitet, & erecta mente oculos ſuos tendat in cælum; non ſub pedibus quærat Deū, neq; à veſtigijs ſuis eruat, quod adoret: quia quidquid homini ſubiacet, infra hominē ſit, neceſſum eſt; ſed quærat in ſublimi, quærat in ſummo.* Iam ex ijs vides, quàm tibi oſtendat arbor crucis Deum, non in imis, non ſub pedibus, ſed in ſublimi, ſed in ſummo, ne quid appareat in morte Dei, quod non eius exaltationi referri poſſet.

CAPVT III.

De Dauid manducante propoſitionis panes.

PROXIMORVM Animabus parantes pabulū Ieſu diſcipuli, adeò proprij corporalis cibi parādi obliuiſcuntur, vt cogerētur etiam Sabbathis ſpicas vellere, quarum rudibus granis poſſent ſuſtentari. Quid ſanctius? Sed tamen patitur accuſationem phariſaicam; quam vt refellat Dominus, ob oculos proponit Dauidem fameſcētem. 1. Reg. cap. 21. & propoſitionis veſcentem panibus, quod non minùs erat lege cautum hominibus laicis, quàm Sabbathi obſeruatio. Liceat ergo diſcipulis Ieſu vel propter inediam facere, quod ob eandem cauſam licuit ſanctiſimo, & legis obſeruantiſsimo Patriarchæ.

Matth. 12. Abijt Iesus per sata Sabbatho: discipuli autem eius esurientes cæperunt vellere spicas, & manducare.

§. I.

Lauta conuiuia aptiora persequendo, quàm sequendo Christo.

EXpende, qualia sint conuiuia sectatorum Iesu; ait enim: *Cæperunt vellere spicas, & mãducare*; & quidem tenues spicarum mensæ, pauper, & vilis cibus Christi generat sectatores, & discipulos. De lautis conuiuijs, splendidisq; mensis non Christi sequela, sed immanis oritur persecutio. Quis neget, rabidissimã fuisse persecutionem Iesu illã, qua comprehẽsus à militibus, & traditus Principibus Sacerdotum, tandem ad mortem fuit ductus? Quòd si huius immanis persecutionis tẽpus obserues, illud fuit, quando nulla erat domus in Israel, quæ non vacaret paschali conuiuio. Matt. 26. habes ipsum Dominum cum suis manducantem pascha; & sanè quando ab omnibus Iudæis manducatur, & vix cœna peracta, & hymno dicto, egreditur Dñs, & ecce persecutorum cohors, ecce militum manus missa in Iesum ab Scribis, & Principibus populi tunc temporis conuiuantibus, quasi lautæ, & splendidæ mensæ nihil priùs emittere potuerint, quàm in Deum, & Christum eius armatas manus. Aiebat Rupert. in Naum, cap. 1. *In conuiuio, & inter potandum Iudæorum Pontifices iam temulenti, vtpotè nocte paschali, cohortem, et ministros ad comprehendendum Dominum nostrũ miserunt; vndè & præscius spiritus eius in Ps. 68. cõquerens inter cætera, & in me, ait, psallebant, qui bibebant vinum.* Non abstemij, non sobrij, sed largi cœnatores, sed epulones, sed temulenti cohortẽ armarunt, quæ Iesum persequeretur; & fallar, si aliud in Deum suauius conuiuia parturierint. Naũ cap. 1. *Sicut spinæ se inuicem complectuntur: sic cõuiuium eorum pariter potantium.* Abstemiæ, & sobriæ fœminæ mẽsam dum extollit Psaltes, ait: *Filij tui, sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Componite modò conuiuium cum conuiuio, mẽsam cum mensa; hæc mensa oliuas generat, illa spinas; ab hac mensa psalmi non nisi amplexus fraternæ charitatis, ab illa Naum mensa sanguinolẽti, & ferales amplexus parturiũtur, quales sunt amplexus spinarum, sanguinem, vulneraq; semper tractantes. Nec aliud à largis conuiuijs, & splendidis posset spectari, quàm mortis sanctorum, virtutisq; tractatio. Quod notans ibi Rupert. ait: *Non dixit sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic ipsi sunt; sed dixit, quod amplius est, sic cõuiuium eorum pariter potantium. Nam in conuiuijs, et inter potationes abundantiori loquacitate sese inuicem armare, & incitare cõsueuerunt ad necem sanctorum.* Parùm dixit, ad necem sanctorũ, nisi ibi magis armarentur ad necem Sancti sanctorum, ad necẽ Filij Dei, ad necem Christi. In conuiuio natalitio Regis Herodis quid tractatur? Habes Mat. 14. *Volo, vt des mihi in disco caput Ioannis.* Non linguam petit Ioannis, sed notanter caput. Et cur non contenta est pessima cõuiua, si solùm peteret, quòd occideretur Ioannes? Si solùm sibi infensam linguam postularet? Cur magis petiuit caput? Non erat petitio solius fœminæ, sed magis diaboli, qui conuiuij occasionem nactus, iam armabatur in caput omnium creaturarũ. Ad hæc D. Chrysol. ser. 174. *Ecce quid pariunt totis noctibus protracta conuiuia, ecce quid generat, quod cum mensura emitur, & sine mensura bibitur vinum: Volo, vt des mihi in disco caput Ioannis: iam tunc auidus draco in serui capite, Domini degustabat sitiens passionem.* Nec miror, quòd inter epularũ satietates inciperet sitiri Christi sanguis, & immanissimus illius interitus tractari. Quid aliud splendida conuiuia germinarent? Notissima sunt, & pietate plena conuiuia filiorum Iob, de illis sic cap. 1. *Cumque in orbem transissent dies cõuiuij, mittebat ad eos Iob, et sanctificabat illos: consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* Ex Græco dicit: *Ne fortè filij mei in corde suo mala cogitarint contra Deum.* Nõ minùs nefas timet in filijs suis vir sanctissimus, quã quòd contra Deum insurrexerint, quã quòd ipsi Deo mala inferre voluerint. Et cur in sanctissimis filijs tantam in Deum timet malitiam? Pulchrè Polychron. in Cat. ait: *Verebatur intelligẽtiæ perturbationem, quæ cœnas, atq; conuiuia comitari solet.* Vbi filios videbat largis vacare conuiuijs, totus erat sollicitus, ne perturbata mente dapibus in Deum insurgerent, quando nil aliud citiùs parturiunt longa conuiuia.

Rupert. Naum. 1 Rupert. Matt. 14 Chrysol. Iob. 1. Polyc.

§. II.

§. II.

Euangelicis veritatis miniſtris ſuſpectæ ſint mundialium deliciæ, & epulæ.

FAmeſcētes diſcipulos Ieſus ad ſata ducit, & rudes ſpicarum cibos illis permittit, iam tūc oſtendens, quales parari debent cibi veritatis miniſtris: à delicatioribus enim, lautioribuſque cōuiuijs annuntiatio veritatis nunquam non ſibi timer. Hinc de præcurſore Domini dicit Matth. 3. *Venit Ioannes Baptiſta prædicās in deſerto Iudææ, & dicens, Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. Hic eſt enim, qui dictus eſt per Iſaiam Prophetam dicētem: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonā pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem eius erant locuſtæ, & mel ſilueſtre.* Quid vilius ad victum, veſtitumque parari potuit præcurſori ſanctiſsimo? Sanè Ioannes nobilibus, & diuitibus parentibus natus erat cur nec in cibo, nec in veſtitu, nec in habitatione aliquid de nobilium, diuitumque cōſuetudine habere permittitur? Ordinabatur iam Euāgelicę veritatis præco, qui tàm à mendacio oſtenditur alienus, quàm à diuitum cibo, atque veſtitu. Hieron. Aiebat D. Hieron. ad Algaſiam, quæſt. 1. *Quia omnis prædicatio falſa ſectatur lucra, & gloriam quærit humanam: aſſerit eum camelorum veſtitum pilis nulli poſſe adulationi ſuccumbere: & qui locuſtis veſcitur, ac melle ſilueſtri, nec opes, nec alias delicias quærere, rigidaque, & auſtera vita aulas vitare palatij.* Itaque vt falſæ prædicationi ſeſe opponat prædicator euangelicus in victu, & in veſtitu talem ſe debet oſtendere, qualis nullus vnquam ex Palatinis, Aulicisque viris erit. Quantùm enim horum mendacia ſunt fugienda ei, qui veritatem cupit aſſerere, tātùm, & eorumdem ſunt cibi, & veſtitus cauendi: ille ſolus poteſt credi prorſus alienus â mendacio, qui in agreſti cibo, & in veſtitu, auſteraque, ac rigida vita alieniſsimum ſeſe oſtendit ab aulis. Inter miſeros Iſraelitas Babylone captiuos, ſelecti fuere nobiliſsimi quidam viri, nimirùm Daniel, Azarias, Ananias, Miſael, qui Regi placuerūt. Dan. 1. *Et conſtituit Rex annonam per ſingulos dies de cibis ſuis, & de vino vndè bibebat ipſe.* Dan. 1. Quis non æſtimet magnam fœlicitatem horum virorum, quòd ſic grati Regi accedant? An non fœlicitas eſt, quòd apud illum Regem, apud quem cæteri Iſraelitæ non niſi catenas inueniebāt, & carceres, Daniel, & Ananias inuenirent menſas dapibus fartas regalibus? Fœlicitas hæc eſſet alijs; at veritatis præconibus, & ſectatoribus non fuit niſi magna tentatio. Accipite D. Ephrem ibi fantem: *Honeſtatis inimicus conſpiciens, nihil in obſidione ſanctæ ciuitatis eos valuiſſe abſtrahere â Domino: neque in via, vt eſcis ſe contamiuarēt, illos inducere potuit. Quare in cor impij Regis ſeſe immittit, ſuadetque, vt per ſingulos dies conſtituat eis annonam de cibis ſuis, & de vino, vndè bibebat ipſe.* Ecce tibi, non fauor erat, quòd ſanctis Dei prę conibus cibi Regis darentur, ſed dæmonis aſtus, qui, quos tormentis militaribus non potuit, cibis regijs expugnare volebat. Quid tunc? Ait Daniel ad Regis præpoſitum. *Dentur nobis legumina ad veſcendū, & aqua ad bibendum, & contemplare vultus noſtros, &c.* Agreſtia legumina, & aquam præponit Daniel cibis regijs; hos vehementer cauet; illa enixè contendit, An quia auidior erat leguminum? Abſit; regia proles erat, & eius ſocij regali etiam proſapia gaudebant, & regalibus cibis innutriti erant, ſed illos meritò nunc cauēt, & agreſtia legumina petūt, quia apud idololatras exiſtentes ſciebant ſe frequenter pro veritate tuenda, & annuntianda deſcenſuros in arenam. Et caueat, mihi credat, lautos diuitum cibos, qui diuitibus contrariam veritatem annuntiare debet. Sapienter D. Ephrē, ibi: *Neq; enim, quòd tantopere eſcam leguminū appeterent, hanc ſibi delegerunt diætam; ſed quòd pro veritate certamen ſubirent. Tu igitur diſcerne mihi gloriam eorū, qui regio cibo, ac pretioſo vino ſatiati ſunt, & pro veritate laborare noluerunt, ab ijs, qui delicias vitæ huius â ſe propulſarunt, & labores pro veritate ſubierunt.* Vbi veritas ſtabilienda erat, & annuntianda, fugiuntur cibi regij, & ruſtica, & ſimplicia legumina petūtur ab ijs, qui pro veritate ſtare decreuerant. Nec vanus fuit iſte ciborum metus, quādo ē multis Iſraelitis, qui morabantur in aula Babylonis Regis, ſoli ij inueniuntur ſtetiſſe pro veritate, qui cibos regios abieceranr, & ruſticis leguminibus contenti fuerant. Et quidem delicatorum ciborum cōpoſitio, non mirum eſt, ſi mendacijs ſuffragās veritati aduerſetur, quæ ſimpliciſsima eſt, & nullam compoſitionem, aut ſimula-

tionem exhibet. Vndè Prouerb.30. saturitatem timebat, vt quæ mater mendacij esset. Ait enim: *Ne fortè satiatus eliciar ad negandum.* Ibi ex Hebræo: *Ne fortè satier, & mentiar.* Septuag. legunt, *Ne saturatus, mẽdax fiam.* Nihil equidem prius quàm mendacia pretiosi cibi germinant.

§. III.

Virtutũ propugnatores fortissimi sunt, qui necessitati, non voluptati indulgent in temporalibus.

QVos virtutũ Christianarum propugnatores elegerat Dominus, eos per fata ducit, vt de fricatarum spicarũ granis pauperem cibum, sed necessitati sufficiẽtem illis apponat. Quid aptius virtutum propugnatoribus? Fortissimus erit, & inuictissimus, quisquis vni necessitati seruire nouerit. Hæc habes lege cauta apud Leuit. cap.11. *Omne de volucribus, quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis. Quod ambulat super manus ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit.* Cùm hęc legis, reuoca in memoriam cantatissimum Ionathæ facinus, quando solus cum armigero suo ascendit altissimam stationem Philistinorum, eosque & fugauit, & prostrauit. Dicit enim 1.Reg.14. *Ascendit autem Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius post eum. Itaque alij cadebant ante Ionatham, &c.* Quando diuina lege immundũ erat, & abominabile volucribus, & animãtibus super quatuor pedes incedere, vel super manus ambulare, Ionathæ virtuti datur, quòd pedibus, manibusque reptaret. Sic quod in animantibus immundum est super terram manibus, pedibusque incumbere, id in homine potuit esse præstantissimum, & clarissimum virtutis specimen? Sanè erit in homine præstantissimum terrenis aliquando inhærere, non prout cupiditas, sed prout necessitas postulabit. Id quod notabat in Ionatha D. Nilus in Ascetico fatus: *Non simpliciter immunda dicuntur, quæ super quatuor pedes gradiuntur, sed quæ semper itu gradiuntur. Ijs enim, qui in corpore sunt, tempus conceßum est, quo seruiant corporis necessitati. Itaque Ionathas cum Naas Ammonita pugnans, super quatuor incedens illum vicit, quoniam soli naturæ necessitati paruit.* Non statim vt terrenis, temporalibusque bonis quis incumbit, censendus est imperfectus, & infirmus, quia cùm ex terra simus, necessariò cogimur aliqualem terrenis rebus impendere curam. Illud autem spectandum, an cupiditati, an necessitati seruiamus; qui enim soli necessitati seruit, nec in terrenis plùs amat, quã quæ necessaria sunt ad vitam; is ipse inexpugnabilis acerrimus erit expugnator hostium, & propugnator virtutum. Quò spectans D. Paul. dicebat 1. ad Timoth.6. *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia: nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quin nec auferre quid possumus. Habẽtes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Hortatur Paulus, vt sufficientibus necessitati naturali contenti simus, ne de cibis, aut vestibus plus velimus, quàm id, quod necessitati sufficit. Et cur non plus cupiamus, quàm sufficientia? Ait ipse: *Est quæstus magnus pietas cum sufficientia:* vbi pietas, vbi virtus eò deuenit, vt sola sufficientia necessitati requirat, quis eius quæstus, quis eius victorias, & triumphos enumeret? Huc reuocari possunt dicta suprà, lib. 16. cap. 6. §. 6.

§. IIII.

Iesus solus est, qui potest nos eò deducere, vbi efficacia æternæ salutis media in promptu habeamus.

NOta & tacitam, & potentissimam Iesu prouidentiã circa suos; nouit, illos famescere, nouit, illos cibis egere, vt possint viuere, & tacitùs ducit illos per fata, vbi occurrentes hinc inde spicæ cibos famescentibus præsentabant. Hęc miratus Ps.22. ait: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocabit.* Nemo alius, nisi solus Iesus sic nos posset dirigere, vt quidquid efficaciter conducit ad vitam æternã, in promptu habeamus. Dũ vitalem annonam Elias viduæ Sareptanæ promitteret, ait 3. Reg.17. *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vsque ad diem, in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ.* Non tantummodò promittit, non defecturam farinam, sed ad promissionis firmitatem præmisit illud: *Hæc dicit Dominus.* Et cur præmisit illud, nisi vt ostenderet

rem

rem adeò magnam à ſolo Dei Filio, diuinaque virtute poſſe ſperari? Ex quo Diu. Ambroſ. lib. de viduis, ait: *Licèt mos ſit ita*
Am. t. *præfari Prophetis, tamẽ hìc vera Dei vox eſt, ideò præmiſſum eſt; Quia hæc dicit Dominus: Domini enim eſt perpetuitatem ſacramentorum ſpondere cœleſtium, & non defuturam ſpiritalis exultationis gratiam pollceri. Largiri monimenta vitæ, fidei ſignacula, dona virtutum.* Indefectibiles paſcuæ ſalutis, efficacia dona, quibus perpetuò alamur in vitam æternam, à ſolo Deo venire poſſunt per Ieſum. Solus Ieſus verus Deus Iſraelitas ſic poteſt ſubdeducere, vt nunquam non ſibi parata media efficacia ad vitam æternam inueniant. Quò
Ioan. 10. aſpiciebat ipſe, Ioan. 10. inquiẽs: *Ego ſum oſtium, per me ſiquis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.* Nota phraſim in illis verbis, &
2. Reg. 3. *ingredietur, & egredietur*: ſic. 2. Reg. 3. *Sciret exitum tuum, & introitum tuum*: ſic
3 Reg. 3. etiam. 3. Reg. 3. *Ignoras ingreſſum, & exitum meum*: quibus vel fœlicitas, vel infœlicitas in omnibus negotijs agendis explicatur. Qui ergo à Ieſu ductus in vitã fuerit, fœlix erit, & adeò fœlix, vt ſiuè ingrediatur, paſcua inueniat: hoc eſt, in omnibus negotijs, etiam in illis, in quibus videatur magis à Deo alienus, & à curriculis vitæ egreſſus, in ijs etiam halantia vitã
Cant. 5. auxiliorum paſcua inueniat. Cantic. 5. ait Dominus: *Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa.* Mirabar ego, quò ſponſa duceretur ad hortum, in quo ad ſummũ poma ſunt, & olera, pabula vel propria infirmorum, vel quæ infirmitates gignere ſolent. Sanè dilectum populum *adipe frumenti* ſatiabat, & ſponſa pane egebat, quo confortari poſſit, & quo viuere poſſit: cur non magis vocatur ad ſata, quàm ad hortum? An arbores frumentum dare poterunt? Equidem vbi Ieſus ducit, & vocat, vel de arboribus, de quibus infirmitas oriri ſolet, faciet parari panem, qui confir-
Niſſen. met, & roboret in vitam ſponſam. Niſſen. homil. 10. in Cant. *Poma autem ſunt ad eſum imbecillioris virtutis, quàm ſit panis, quod attinet ad bonam illorum, qui aluntur, habitudinem. Ille verò cùm in ſuũ hortum deſcendiſſet, & in id, quod eſt maius, & pretioſius fructuum mutaſſet naturam; pro pomis efficit, vt arbores panes ferant.* Tantus eſt dux noſter Ieſus, tàm potens ad parandatibi paſcua, quibus roboreris, & in æternum viuas; vt vel ab ipſis arboribus faciat, non iam infirma poma, ſed ſaluti-feros panes parturiri.

Matth. 12. Phariſæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce diſcipuli tui faciunt, quod non licet eis facere Sabbathis.

§. V.

Peſſimi, & pernitioſiſſimi accuſatores illi ſunt, qui quod reprehenſibile in fratribus apparet, prõptiſſimè attendentes; quod factum excuſat, vel commendat, prorſus prætereunt.

FOrſan diſcipuli Ieſu dum ſtergerent ſpicas, opera faciebant, quæ Sabbathis fieri lex Moſaica cauebat; ſed vix ſpicas illi fricant, & ecce accuſatores peſſimi inſurgunt in eos. Phariſæe, vt vides ſpicarum opus Sabbathis fieri, cur non vides extremam hominum famem, qua coacti ad tàm vile currunt alimentum? Sanè flagitioſiſſimi accuſatores ſolùm attẽdunt, quod reprehenſibile videtur; prætereuntes cætera, quæ ſi aduertantur, vel prorſùs factum excuſant: vt in præſenti, vel aliquando maximè commendant. Dixerat Ieſus apud Caypham, ſe Filium Dei eſſe, audiuit dictum Pontifex nefariſsimus, audierunt Phariſæi, & blaſphemiæ illũ accuſantes ad Pilatum ducunt, cui clamantes dicunt, Ioan. 10. *Nos legem habemus,* Ioan. 10.
& ſecundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit. Et quidem ſi homo nudus ab omni alia circumſtantia ſumatur, dignè habetur blaſphemus, quia ſeſe Filium Dei, Deumq; dixit. Quid audacius? Quid temerarius? Quid blaſphemius, quã quòd homo terrenus ex limo factus dicat ſe Deum eſſe? At quod homo multarũ virtutum opifex, dum mortuos in vitam vocat, dum cæcos illuminat, dum abigit omnes morbos, dũ propheticis oraculis correſpondet, dicat ſe Deũ eſſe, hoc minimè temerarium eſt, ſed verum, ſed certo certius. Cur ergo nefariè cùm Ieſum accuſas, non omnia illius opera profers in medium? Cur non dicis, quòd Filium Dei ſe dixerit, mortuos exſuſcitans, & innumeras alias virtutes præſtans? Nefariſsimi accuſatores, atque pernitioſiſsimi nudè proferunt, quæ reprehenſioni ſecundùm ſe poſſent ſubiacere; cætera, quæ reprehenſionem tollerent, non curant,

Cyrill. sed prætereunt. Ad hæc Cyrill. Alexand. 12. in Ioan. cap. 19. *Oportebat sanè, quando Pilato dixistis, quia filium Dei se ipsum fecit: nunc opera etiam ipsius in medium afferre. Oportebat quatriduò iam mortuum voce sola in vitam restitutum narrare. Oportebat vnigenitum filium viduæ non relinquere. Oportebat Synagogæ Principis puellam nequaquam omittere. Oportebat modum miraculorum etiam non præterire; in altero quidem, adolescens tibi dico, surge, in altero verò, puella surge. Hæc cæteraque eiusmodi, quibus verè Deus monstrari poterat, malitiosè prætereuntes, cauillationibus vtuntur.* Qui sincerè, & bono animo accusat fratrem, huc conueniat, & notet, quàm nihil debeat præterire eorum, quæ excusent fratrem, imò simul cũ opere, aut dicto suspecto, simul debet omnes circumstantias, quæ in bonum faciunt, explicare. Non sincerus est, sed nefarius accusator, qui sola, quæ reprehensibilia apparent, profert, ad alia vel cecutiens, vel si illa videat, prorsùs tacens. Quod nefarissimum vitium in hæreticis Christum Dominum puram creaturam asserentibus carpit Nazianzen. orat. 42. fatus: *At tu ea quidem, quæ minuunt, atque extenuant, profers; quæ autem efferunt, præteris: atque id quidem expendis, quod passus sit; quòd autem sponte, non adiungis.* Sic pessimi fratrũ accusatores, quæ fratris virtutem minuũt, quæ extenuant, proferunt; quę subleuant, prætereunt; quod apparet erratum, expendunt; quodpossit tollere erroris notam, non adiungunt. Id quod intendebat Iacob 3. Diu. Iacobus in canonica sua, cap. 3. inquiens: *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus; & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata â gehenna.* Expende illa verba, *inflammata â gehenna*: cur nociuæ linguæ soli attribuit, quòd gehennali incendio ardeat ipsa, & alios adurat? Proprijssimũ id esse puto in maleuola lingua; vt enim gehenna ad sola peccata fertur, sic maleuoli hominis lingua omnia alia præterit, & dissimulat: peccata autem quæcumque apparent, in medium profert inexcusabiliter. Hinc euidentissimè cognoscetur, quali moueatur accusator igne, gehenna li, an diuino? Si ad reprehensibilia in fratre circũstantias adiungit, quæ subleuent, & Argos fiat in prospiciendis, & euulgandis ijs, quę fratris factum excusent, aut cõmendent; tunc sanè lingua accusantis diuino inflammatur charitatis igne. Verùm si in circumstantijs, siuè adiunctis operibus excusantibus fratrem oscitet, & & cecutiat, reprehensibilia sola expendens, & proferens, is proculdubio gehennalibus flammis corroditur, aduritur.

Matth. 12. At ille dixit eis: Non legistis, quid fecerit Dauid, quã do esurijt, & qui cum eo erant? Quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque ijs, qui cum eo erant.

§. VI.

Etiam qui videntur errores, diuersissimè colorantur in amicis, & præstantibus viris, ac in alijs.

SApientissimè Dominus Pharisæis accusantibus discipulos parantes sibi pabulũ ex spicis contusis Sabbatho, obiecit Dauidem vescentem propositionis panibus: vt quam famis excusationem in discipulis non videbant, in Dauide & amantissimo, & cultissimo omnibus Iudęis viro eam dicto citiùs notarent. Quis Iudęus accusaret Dauidem vescentem propositionis panibus? Aut cui Iudæo occultaretur Dauidis fames extrema, quæ permisit illi edere vetitos alioquin panes? Sanè in amico capite non tot capilli, quot excusationes prosiliunt, ob oculosque ponuntur, quibus diuersissimè amicorum facta, ac aliorum colorantur. Audis non amati hominis lapsum, & nihil inuenis, quod non dãnes in illo, nulla tibi venit in mentem excusatio: eumdem aut fortè grauiorem lapsum audis amici tui, & statim hinc inde innumeræ erumpunt excusationes, quòd homines sumus, quòd infirmi, quòd nequit vita hominis sine næuo inueniri; quôd & dormitant prudentes virgines; quòd necessitati, imô & coactioni cedendum est, torque ab affectũ fuci apponuntur, vt etiam errores appareant virtutes, vel saltem innocentiæ testimonijs locus amplissimus pateat. Potuit aliquando homo innocens ob obscuritatem causæ damnari à iudice; at homo innocens etiam in causa obscurissima nunquam potuit damnari

nari ab amico. Sic lincei ſumus ad videndas excuſationes in amicorum facinore. Proponite vobis ob oculos Dauidem iudicantem inter duorum filiorum facino-
2 Reg. 13. ra. 2. Reg. 13. Ammon enim ſororem Abſalonis Thamar ſtuprauit, & poſt ſtuprũ, à ſe ſummo dedecore abiecit, vt nobiliſsimæ fœminæ infamia vulgaretur. Quod facinus vt audiuit eorũ pater Dauid: *Noluit contriſtare ſpiritum Ammon filij ſui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat eius.* Sed & Abſalon ſororis ſuæ dedecore affectus & ſtupratorem, & infamatorem fratrem occidit. Quid tunc Dauid? Vehemẽter iratus fugitiuum fecit homicidam, & perſecutus eſt eum tribus annis: *Abſalon autem cũm fugiſſet, & veniſſet in Geſſur, fuit ibi tribus annis, ceſſauitque Rex Dauid perſequi Abſalon, &c.* Non anteà ceſſauit Dauid à perſequendo Abſalone, quã tres integri anni fluxiſſent. Sanè Abſalon ſi quis alius magnam excuſationem habebat ſui facinoris, in ſtupro, & dedecoroſa eiectione ſororis ſuæ: & tamẽ Dauid hunc perſequitur, hũc damnat; Ammoni autem ſtupratori, & infamatori ſororis ſuæ nullum verbum aſperum dixit. Cur tantum Ammonis facinus nulla perſecutione apparuit dignum, & Abſalonis facinus tot colligit Regis iras? Vterq; erat Regis filius, vterque in iuuentutis flore; & Abſalon nefariſsimo prouocatus facinore, quod nullus nobilis paſſus eſt in ſorore ſua: & tamen in Abſalone nihil datur imprudentiæ ætatis, nihil iniuſtæ iniuriæ, nihil regio ſanguini; quorum vel aliqua Ammonem liberauerant à ſupplicio. Vndè hoc? Textus innuit, quia Dauid *diligebat Ammon, quia primogenitus erat*: diligebatur Ammõ, & in dilecti facinore innumera inuenĩtur, quæ facinus minuãt, & faciant illud apparere nullo ſupplicio dignum. Ad hæc ponderanda ſunt Theo-
Theod. doreti verba, quæſt. 29. dicentis: *Dauid Ammoni ne exprobrauit quidem, quòd cum ſorore habuiſſet conſuetudinem, etiam ſi factum illud eum magno dolore affecerit. Abſalonem autem, qui propter hoc ipſum eum interfecerat, et expulit, et fugitiuum reddidit. Nam ille quidem erat primogenitus, etiamſi laborauerit morbo libidinis: hic autem per multam crudelitatem, & inhumanitatem fratrem occidit.* Expende quæſo, illud de Ammone, quòd *laborauerit morbo libidinis*; de Abſalone, quòd *per multã crudelitatem, & inhumanitatem fratrem occidit.* Illius facinus morbus, & infirmitas vocatur: huius autem ira vehementiſ-

ſimẽ prouocata, inhumanitas multa, & crudelitas vocatur. Sed ille amabatur, hic nõ amabatur, & in amati etiam turpiſsimo, & inhumaniſsimo facinore, inuenitur infirmitas, & morbus laſciuientis ætatis, quæ excuſent. Quid turpius, & facinoroſius, quàm regiam puellam, & ſororẽ per vim ſtuprare? Quid inhumanius, & crudelius, quàm ſtupratam domo eijcere, mẽdia in platea publicis conſpectibus obiectam relinquere? Forſan minus offenderet, ſi occidiſſet domi, quando ingenuis perſonis plus decus, quã vita æſtimatur. Et nilominus inter hæc turpiſsima, & crudeliſsima, morbus ætatis, & infirmitas apparet, & prævalet ad excuſandum, quia amabatur Ammon; in Abſalone autẽ, qui non amabatur, etiam euidentiſsimæ excuſationes nullum locum habent, ſed ſine vllo reſpectu ætatis infirmæ, aut iniuriæ illatæ, crudelis habetur, & inhumanus. Sic ſanè nunquam erit facinus adeò inexcuſabile, quod ab amico extorqueat damnationis rigorem, nec ſeueritatem. Quod facinus adeò inexcuſabile apparuit, quàm facinus impoſitum Suſannæ? Oſtenditur à iudicibus populi deprehenſa in facinore, ipſi tenent ream, ipſi grauiſsimi, & ſummæ authoritatis viri teſtantur. Ad teſtatorũ voces accurrunt famuli; deprehenſam vidẽr: teſtificationem grauiſsimorum iudicum audiunt: quid tunc iraſcuntur in ream, vt domini ſui infamatricem? Accipite Dan. *Dan. 13* cap. 13. fantem: *Poſtquã ſenes locuti ſunt, erubuerunt ſerui vehementer.* Ecce erubeſcũt ſerui ad vxoris domini ſui facinus inexcuſabile; cur non potiùs iraſcuntur in eam? Cur pudibundos magis, quàm iracũdos, & ſeueritate plenos vultus illi obijcere malunt? Ait Lyra: *Erubuerunt, quia di-* *Lyra* *ligebant Suſannam*: potuit dilectæ fœminę facinus etiam inexcuſabile ruborem famulis imprimere, ſed non potuit in illis iracũdiam excitare, nec ſeueritatem. Vndè euidenti prorſùs ratione cõuincit Arnul- *Arnul.* phus Legionenſ. Epiſc. nullam fuiſſe vel ſcintillulam charitatis in iudice, qui omnimoda ſeueritate damnauit fratrem. Ait enim epiſt. ad Pap. Alexand. pro Londonienſ. Epiſc. *Videtur de motu magis animi, quàm de charitate proceſſiſſe, quod factum eſt, quia totam ſe protinus ad pœnam irrogãdam potentia Præſidentis effundit, nihil reſeruans in poſterũ, in quo vel diſpenſare prudẽtia poſſet, vel miſericordia ſubuenire.* Vanè ſe iactat de charitate in fratrem, qui totum ſe ad pœnam irrogandam effundit, nihil attendens miſericordia dignum.

Matth. 12. Aut non legistis in lege, quia Sabbathis Sacerdotes, in templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia templo maior est hic. Si autem sciretis, quid est, misericordiam volo, & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes.

§. VII.

In misericordia proximis præstita consistunt Christianorum præstantia sacrificia.

QVæ Sabbathorum obseruantia, quæ pecudũ sacrificia Deo sic placent, vt placet misericordia proximis exhibita? Sanè non in innocentum agnorum iugulatione, sed in subleuandis proximis Christianorum consistunt sacrificia Domino placitura. Non sic Deum colis, si festum obserues, quàm si proximum à fame, seu periculo liberes; hæc enim proximi liberatio placidissima est Deo victima, & quam Deus vult magis quàm sacrificia. Aiebat Minutius Fœlix in Octauio: *Igitur qui innocentiam colit, Domino supplicat; qui iustitiam, Deo libat: qui fraudibus abstinent, propitiant Deum: qui hominẽ periculo surripit, opimam victimam cædit.* Ecce qualem cultum inuexit Dominus in populum suum, non qui constet tàm ex obseruatione festorum, quàm ex acquisitione, & exhibitione virtutum. Tota hostiarum multitudo in innocentiæ, & iustitiæ cultu sita est; pro opimis victimis proximorum subleuatio sufficit, vt qui fratrem à periculo surripit, censeatur præstantissimam reddere victimam, quæ apud Deum omnem legalem obseruationem superet. Ad hęc Michæas, cap. 6. *Quid dignum offeram Domino? Nunquid offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, quid Dominus requirat â te. Vtique facere iudicium, diligere misericordiam.* Ibi Glossa in rem nostram fatur: *O humanum genus, tu quæris, & non inuenis in te, quid dignè possit offerri Deo pro abolitione peccatorum. Ego inueniam sufficientem hostiam, & docebo te, quid boni postea debeas agere. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam.* Ecce tibi vnam hostiam, & Deo placentem, & pro omnibus legis hostijs sufficientem, nempè misericordiam in proximos. Vbi egentem proximũ alacriter subleuas, vel dolentem curas, vel iniurianti parcis, victimam cædis, hostiam offers, quæ omnium hostiarum pristinarum cultus vincit, & obseruationes. Quò tendebat illa Pauli vox, ad Hebr. 13. *Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus.* Et quidem vt misericordia in proximos nobis acquirit Deum; sic & durities in proximos, disponit Dei abnegationem. Compone modò Petrum cum Petro; Petrum in horto, cum Petro in Cayphæ domo. In horto Petrus quam alacer defensor Iesu, stricto gladio totus fertur in Iesu comprehensores, & percutiens serui auriculã amputat, vt defendat Dominum, Ioann. 18. *Percussit Pontificis seruum, et abscidit auriculam eius.* In Cayphæ domo vel de ancillulæ voce totus trepidus negat, se vnquam Iesum nouisse, nec vidisse oculis. Vndè ad tàm cęcam Dei negationem peruenit ille Petrus, qui pro Deo tutando armatos percutit, & auriculam Malchi amputat? Inde quia Malchi auriculam amputat, peruenit ad negatiationem; de vulnere namque proximi, quid citiùs nasceretur, quàm abnegatio Domini? Cæsar. Nazianzeni frater, dialog. 4. *Permisit Petrũ cadere Dominus propter percussum Pontificis seruum, & amputatam eius aurem.* Hoc solet durities in proximos parere, quòd permittaris in Dei negationem cadere: vt misericordia te Dei cultorem prę clarissimis hostijs facit.

Minut. Fœlix.

Mich. 6.

Gloss.

Heb. 13.

Ioan. 18.

Cæsar.

§. VIII.

In præstantibus viris non plebeiorum, sed clarissimorum hominum exempla spectanda sunt.

VT discipulorum suorum factum minimè reprehensibile ostendat Dominus,

minus, similia proponit, & Dauidis circa panes propositionis, & Sacerdotum circa quotidiana in templo sacrificia; nec voluit nisi de præstantissimorum virorum exemplis suorum discipulorum commendare, & opera, & vitam. In ijs enim, qui Christiani orbis erant columnæ, & fundamenta prima, nihil plebeium voluit ostendere, sed vel minimas actiones eorum, non esse aut Dauidis, aut sacrorum Sacerdotum absimiles. De Isaac dicitur Genes.
Gen. 35. 35. iuxta lectionem D. Ambros. lib. 1. de Abel, cap. 2. *Cõsumptus ætate mortuus est, & appositus est ad genus suum.* Quibus illud ponderat Ambros. quòd cùm alij, & Reges, & Patriarchæ dicti sint appositi ad populum suum, solus Isaac dicatur appositus nõ ad populum, sed ad genus suum. Et cur Isaac non dicitur appositus ad populum, sed ad genus suum? Ea erat Isaac vitæ præstantia, vt in se nihil posset ostendere, nec referre populare, sed præstantissimis, & singularissimis viris deberet assi-
Ambr. milari. Ait quippè D. Ambros. vbi suprà: *Qui ergo Dei erat generatus promissione, qui ad sacrificium probãdæ pietatis electus, qui vnius vxoris, hoc est, solius sapientiæ societate contẽtus, supernii illius generis, quod vnũ est, sibique semper conueniens, non plebeiæ vilitatis imitator, adstruendus fuit scripturæ diuinæ testimonio.* Cauet semper Spiritus diuinus, cauet scriptura sacra, ne electi ad magna, appareant in aliquo plebeiæ vilitatis imitatores, & curat, vt vel in minimis videantur referre præstantissimos quosque. Hinc illa, quæ se electam sentiebat in Dei sponsam, efficaci-
Cant. 1. ter vrgebat amatorem suum. Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiã post greges sodalium tuorum.* Nõ equidem decens erat, quòd Dei sponsa ad gregalium hominum viueret conditionem; sed quidquid egregium est, & præstantissimum, id haberet præ oculis. Vbi Dominus mandabat diuini tabernaculi ædifica-
Exo. 25. tionem, statim cauet, Exod. 25. *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* De montis cacumine voluit prælucere exemplar diuini tabernaculi, non de populorum domibus, vt innueret, vndè diuini ædificij præstantia in te surgere posset; nimirum si nihil in te gregale, nihil vile, & plebeium appareat, sed ad præstantissimum, & egregium, & à vulgo remotum aspicias in omnibus. Aie bat D. Bernard. apud Lyppom. *Quid respondsum est Moysi, cùm fabricaturus esset tabernaculum? Vide, inquit, omnia facito secundùm exemplar, quod ostensum est tibi in monte. Non â sæculi hominibus decet fieri tabernaculum Dei cum hominibus. Ipsi, quibus in altitudine mentis ostenditur exẽplar domus Dei, ipsi ædificent sibi. Ipsi, quibus sollicitudo interiorum suorum contemptum, & negligentiam indicit omnium exteriorum, ipsi ædificent sibi formam paupertatis, sanctæ simplicitatis speciem, et paternæ frugalitatis lineamenta.* Qui sese accingit ad cœlestem fabricam, non ad deiectorum hominum mores, non ad plebeias cõsuetudines aspiciat, sublimia spectet, & egregia virtutum cacumina speculetur, de quorum exemplari diuini tabernaculi fabrica & commendari, & exurgere potest. Ex quo monebat D. Ambros. epist. 6. ad Irinæum, Sacerdotes: *Nihil in Sacerdotibus plebeium requiritur, nihil populare, nihil commune cum studio, atque vsu & moribus inconditæ multitudinis. Quomodo enim obseruari debet â populo, qui nihil habet secretum â populo? Dispar â multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat, si nihil in te aspiciat, quod vltra se inueniat, si quæ in se erubescit, in te, quem reuerendum arbitratur, offendat? Supergrediamur igitur strata quædam gregalis conuersationis, ac detritæ viæ orbitas declinemus, ac vulgaris semitæ solum, quod currit ille, cuius vita leuior cursore, de quo dicitur Iob. 9. Transiuit, & non vidit.* Hæc ille, vt ostendat, quam alieni à plebeis moribus debeant esse viri egregij.

Bernard.

Ambr.

(··)

LIBER DECIMVS OCTAVVS.

DE IESV FAMILIARIBVS COLLOQVIIS, ET DISPVTATIONIBVS.

TENEMVS, Deo dante, euangelicæ nauigationis portum; dum post Iesu vitam, post miracula, post prophetias, post sermones datos populis, post similitudines, & parabolas in ijs adductas, & hisrias: nos iam vocant familiaria eiusdem colloquia, & disputationes. Hæ vt portum referunt, quia vltimæ tractatus nostri, sic quia difficiliores, & siccis prominentes scopulis.

CAPVT I.

Iesus cum Nicodemo disputat de regeneratione.

IAM Erant Christi Domini signa, quæ non solùm plebeios homines, sed & de Principibus, & Pharisæis non paucos traherent. Ex his vnus Nicodemus nomine, miratus Christi miracula, etsi nihil diuinum in Iesu suspicabatur, tamen illum insignem aliquem Prophetam à Deo missum absque dubio putabat, è cuius gremio sic esse posse confidebat, vt nihil mundialis dignitatis perderet, nihil adijceret super veteris legis obseruantiam. Hanc illi persuasionẽ adimit Dominus, ostendens neminem posse venire ad Dei regnum, qui intimiùs non renouetur, & renascatur alter, nõ quidem carnali natiuitate, sed spirituali, qualis Spiritu sancto operante fit in baptismi sacramento. Ibi homo terrenus exuitur, & induitur cœlestis, sic operatoris Spiritus factus æmulus, vt eius in omnibus operationibus gaudeat & libertate, & secreto. Quis liberior, quàm diuinus Spiritus, qui vbi vult, spirat? Quis manifestior, quàm ipse ipse, cuius opera, & voces halantes vitam præ oculis sunt? Quis item secretior, quàm cuius fines nemo nouit? His nititur virtutibus renatus homo, Spiritui sancto genitori respondens, & veteris legis, & humanæ infirmitatis seruitutem exuens, insignia virtutum opera proferens, & tamen fines operum soli Deo abscondens. Quis homo hæc in se humanis oculis vidit? Et quando hæc, quæ apud nos sunt, & terrenis vicina non hauriuntur oculis; quæ remotiora sunt, & diuiniora, & Deo propria, nullus etiam videbit humanus ocu-

oculus. Quare in his noſcendis, non oculis nitẽdum, ſed auribus; non ſcientia, ſed fide habita ei, qui ſolus videre potuit. Is eſt vnigenitus Dei homo factus, poſitus in ſignum, quò reſpiciamus, qui ſaluari volumus: vt ſerpentis ſignum reſpiciebãt Iudæi ob ſalutem corporis. Fœlices homines, quibus tantus filius datus eſt, vt ex illo nihil aſperum, & durum, ſed ſuauia omnia, & ſalutaria haurire poſsint.

Ioan. 1. Erat autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, Princeps Iudæorum. Hic venit ad Ieſum nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus, quia à Deo veniſti Magiſter. Nemo enim poteſt hęc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.

§. I.

Principatus amor rabidiſsimus animarum carnifex eſt.

QVàm multi ad Ieſum in conſpectu Solis accedebant! ingens illum turba per vicos, per plateas, per vias comitabatur; vnus hic Nicodemus non audet in die accedere, ſed nocte venit ad Ieſum, quem non dubitat Prophetam à Deo Iudæis fuiſſe datum. Et cur tot audentibus accedere ad Ieſum in cõſpectu Solis, hic ſolus accedere non audet? Princeps erat, & amans principatũ; amor autem principatus & hominem à Deo detinet, & facilè ei perſuadet, etiam animæ ruinam vorare. Ait in præſenti D. Cyrill. Alexandrin. *Conſcientia quidem ſtimulis ſuis miraculorum magnitudine ad fidem eum pellebat; principatus autem gentis ſuæ, ne palã Christo adhæreret, facilè illi perſuadebat, qui principatus detrimentum, calamitatem non paruam exiſtimabat. Vtrumque igitur, & fidem ſcilicet, & gloriam hominum retinere cupiens, tenebris ſe commiſit.* Vnus principatus amor contra conſcientiæ ſtimulos valet calcitrare; imò valet conſcientiam contemnere; tenebris, & tenebrarũ Principibus ſe dare, dummodo fulgeat in ſublimi dignitatis. Quid non fecit Pilatus, vt Iudæis perſuaderet Ieſu abſolutionẽ? Quid Iudæi non faciunt, vt Ieſum damnarent? Ieſum examinat Pilatus, & innocentem fatetur; ſed vt à Iudæis miſericordiam extorqueat, Ieſum flagris macerat, ſpinis confodit, & inter tot tormenta videns eius inconcuſſam magnanimitatem in illo regium quemdam animum auſpicatus, dicit Iudæis, Ioan. 19. *Ecce Rex veſter. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.* Dicente, & pronuntiante iudice Ieſum eſſe Regem Iudæorum, Iudæi magis clamant, vt tollatur, & crucifigatur! Cur miſeri à ſententia iudicis nõ magis ſtatis? Cur vel iudicis Ethnici teſtimonium non facit vos venire in veritatem, vt Ieſum dimittatis, ſed inde magis eius ſitiatis ſanguinem? Sapienter D. Thom. in Caten. ex Chryſoſt. fatur: *Quæ dicta ſunt, erant ſufficientia; vt facerent eos de cætero abira ceſſare; ſed trepidabant, ne dimiſſus turbam ducat. Amor enim principatus verſutum quid eſt, & animam ſufficiens perdere.* Conuincebantur quidem Iudæi vel Pilati teſtimonijs, vt crederẽt, imò vt vellent Ieſum liberandum; ſed nihilominùs inſiſtebant contra conſcientiam ſuam, vt perderetur. Et vndè inſiſtebant? Quia amabant principatum ſuum, cui à Ieſu timebant; amor autem principatus verſutũ quid eſt, & animam ſufficiens perdere: nũquam non nouit amor principatus parere aliud, quàm ruinas, quàm animarum mortes. Vndè Eccleſiaſt. cap. 10. *Si Spiritus Poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris, quia curatio facit ceſſare peccata maxima.* Quæ verba ſic in rem noſtram elucidat Campenſis lectio: *Si dominãdi cupiditas animum tuum inuaſerit, locum priorẽ ne facilè deſerueris; qui enim compeſcit in huiuſmodi cupiditatibus animum ſuum, multa vitabit, & grauia peccata.* Vbi dominandi cupiditas, vbi amor principatus abeſt, multa, & grauiſsima abſunt peccata; quę omnia ſequũtur ferè ineuitabiliter dominandi cupiditatem. Sapiẽter enim ait D. Ambroſ. lib. 4. in Luc. *Sæpè quos vitia nulla deflectunt, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos.* Non valent fortè luxuria, nec auaritia, nec vitia alia expugnare animum illum, qui nondum amore principatus tenetur: at vbi dominandi cupiditas animum intrauit, VIX VLLUM eſt adeò graue, & fœdum peccatum, quod ſimiliter non intret. Do locum ex 2. Machab. cap. 4. vbi dicitur: *Ambierat Iaſon frater Oniæ ſummum ſacerdotium: qdito*

Cyr. Alex.

Ioan. 19.

D. Thom.

Eccl. 10.

Ambr.

2. Mach. 4.

adito Rege, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, & ex reditibus alijs talenta octoginta, super hoc promittebat & alia centum quinquaginta, si potestati eius concederetur gymnasium, & ephebiam sibi constituere, & eos, qui in Hierosolymis erant, Antiochenos scribere. Mirarer in sanctissimi Oniæ fratre tàm insolita crimina, & audacia notari; in primis homo Iudæus vocatur Iason, quod nomen vt Ethnicis erat familiarissimum, sic Iudæis prorsùs ignotum; quare homo hic à parentibus vocatus fuerat Iesus, quod nomẽ ipse fastidiens abiecit, & vocatus est Iason. Testis est Iosephus, lib. 12. antiq. cap. 6. aiens: *Cæterùm Iesus Iasonem se vocari maluit.* Deinde gymnasij, ephebiæque ædificãdæ facultatem coemit, vt in gymnasijs meretricum prælia, & in ephebijs masculinæ Veneres exercitarentur, quæ vitia colebantur à gentibus. Rursus Hierosolymæ ciues, non Hierosolymitanos, sed & scribi, & vocari curauit Antiochenos. Quis in Iudæo, & fideli homine, & sanctissimi Oniæ fratre tàm nefaria, & abominanda vitia crederet? Vndè sanctissimæ stirpis homo sic Iesu nomen, sic Hierosolymæ vocabulum abominatus est, & omnium turpissimas, & impudentissimas voluptates coemit? Causam non obscurè insinuat textus, vbi ait: *Ambiebat Iason summum sacerdotium*: homo enim ambitiosissimus vt Regis gratiam, & sacerdotalem principatum ambiebat, sic vel Iesu vmbram, vel nomen expuit salutis, & impudentissima omnium amplexatur facinora. Quæ vitia non admittat, qui amore principatus incenditur? In hoc, fallar, si nomen Iesu luceat.

Ioseph.

§. II.

Vanissima aulicorum Principum ambitio, quòd se secreta omnia regalia, abstrusaque Senatus consulta scire fingant.

ADhuc de Principum ambitione in hoc Principe Nicodemo video; accedit ad Iesum nocte, sed non prorsùs relinquit aulicorum mores ambitionem redolentes. Et in quo non relinquit aulæ malitiam? Non humilis interrogat; non discendi curam ostendit, ne aliquid videatur ignorasse, sed quasi omnia percalleat, omnia etiam secretissima teneat, sic ait: *Scimus, quia à Deo venisti, &c.* Expende verbum, scimus; timet aulicus homo alicuius videri secreti ignarus, & hoc studet, vt appareat omnium sciolus. Quis ab aulico Principe extorsit verbum, quo ostẽdat se regalium secretorum non esse participẽ? Propone aulico homini abstrusissimum quodq; Senatus consultum: in promptu est illi responsum; scimus, scimus, iã mihi hoc suboluerat, iam callueram, iam sciueram. Heu falsa ambitionis insania! Sanè in aulicos Principes deuenit hæc vanissima omnia sciendi secreta ambitio à tenebrarũ Principibus. Apud Matt. cap. 8. clamant dæmoniaci: *Quid nobis, & tibi, Iesu Fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos.* Aduentus Filij Dei ad iudicium, ad torturam dæmonum secretissimus est; sic in diuinis arcanis manet repositus, vt nulla creatura sciat de die illo, an sit propè, vel distet. Quomodo ergo dæmones tàm audent asserere tempus iudicij præoccupatum, & Deum ante tẽpus venisse? An sciebant ipsi secretissima Dei decreta de tempore iudicij, vt querantur de immaturitate supplicij? Absit, de die enim illo non Angeli, non Sancti, non ipse Filius hominis scit; sed ea est Principum tenebrarum ambitio, vt nolint videri ignorare secreta diuina, & ideò sic loquuntur, vt appareãt omnia etiam occultissima, etiam quæ non dedignatur Angelorum Princeps quoad nos ignorare, ipsi scire. Ait Diu. Paschas. lib. 5. in Matth. *Venisti, inquiunt, ante tempus, & præscribunt illud, quasi nouerint tẽpus iudicij: præsumũt enim plùs scire, quàm sciant, non curantes de mendacio.* Dũmodo sese ostentent arcanorũ sciolos, parui æstimant mendacia mille compingere: hoc vanissimè studunt, vt videantur à secretis diuinis. Quam ambitionem à tenebrarum Principibus ebibere audiui Principes, qui regalium arcanorũ scientiam passim mentiuntur.

Matth. 8

Paschas.

§. III.

Malorum abolitio vnius Dei signum est. Vbi de crucis signo.

EX tot Iesu signis ad hominum mala depellenda peractis, sapienter colligit Nicodemus, Iesu adesse diuinã potestatem. *Nemo*, inquit, *potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum illo.* Proprium enim est Dei signum illud, quo morbi, & vulnera, & mortes, & vitia, & vniuersa mala pellantur. Vbi videris funditùs malum perdi, & eradicari, puta ibi

præ-

præsentissimum esse signum assistentis diuinitatis. Apud Luc. cap. 13. dum agricola orat ad Dominum pro sterili, & infirma ficulnea, fatur: *Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam.* Expende, quod non ait agricola, *in futurum succidam eam*; sed succisionem domino permittit, dicens, *in futurum succides eam.* Cur non magis ipse promittit, se succisurum, sed Deo succisionē reseruat? Ostendebatur in ficulnea illa infirmitas, & malitia prolapsi generis humani; hæc autem de medio si tollatur, non hominis, non Angeli, sed Dei opus, & signum est soli Deo reseruatum. Ait D. Ambros. lib. 1. de Iacob, cap. 1. *Meritò ad Dominum retulit, quia excidendæ temporalis prolapsionis potestatem sibi ipse vendicare non poterat, sed domino reseruabat.* Non sunt eæ humanæ infirmitates, humana mala, quæ funditùs perdi possent ab homine, nisi potestas diuina adsit; Deo soli reseruata est nostrorum malorum & abolitio, & curatio. Malorum retrænatio, & abolitio signum euidentissimum est assistentis diuinitatis. Iam iam tradendus Dominus veniebat Hierosolymam, & non inuenies fructum in ficulnea, fecit, quod agricola postularat, maledixit ei, *& arefacta est cōtinuò ficulnea.* Matth. 21. Cur sic perdit arborem, & arboris perditione damnat dominum arboris, cùm ipse vadat ascensurus crucis arborem, vt pro ditandis hominibus moriatur? Ficulneæ arboris ariditatē agricolam percutit, & statim ipse scandit crucis arborem, vt ostendatur, quòd si ab arbore crucis non prosiliant mala, & perditiones in homines, sed potiùs ibi omnis absorbeatur malitia, id euidentissimum signum est non solius hominis, sed & Dei assistentis in illa. Accipite Cæsarium Nazianzeni fratrem dialog. 4. fantem: *Hierosolymam veniens, haud ita longo tempore post, pro nobis crucem sponte sua subit, si mul nudo verbo confestim arborem arefacit ostendens quòd ille ipse sit, qui præcipere posßit ligno crucis, vt fulmine feriat se affligentes, quodque patiatur affixus, vt Deus.* Propone tibi ob oculos in ficulnea arescente damnū agricolæ, in cruce exaltata nullum hominum malum, nullum damnum carnificum, sed potiùs omnium abolitionem malorum nascentem inde. Et cur, vt ficulnea arefacta agricolæ damnum intulit, sic crux non fulmina iacit, non calamitates immittit in vicinos carnifices? Posset equidem, sed patiens in illa, patiebatur, vt Deus, & omnia mala abolenda erant à cruce, quando crux euidentissimum proponebatur Dei patientis signum. Aliæ arbores damna inferant; damnorum autem, malorumque abolitio vni reseruatur cruci, vt quæ sit Dei signū clarissimum. Qui ergo voluerit à malis liberari sub Dei signis fugiat, confugiat ad signum crucis, quæ vel inde inse Deum patientem ostendit, quòd aduersus mala potestatem induat. Vndè clamabat Isaias ad Angelos humana mala curaturos, dicens cap. 13. *Super montem caliginosum leuate signum.* Mirabar, quòd vt montem caliginosum illuminaret, vt omnes caligines expelleret, hoc solū iubeat Angelis, quòd signum leuēt. Et quale hoc signum, quod datur pro malorum remedio? Hoc signū crucis est, quod vt est Dei signum, sic nullam caliginem, nullum malum patitur nō aboleri. Ad hæc D. Aelredus apud Tilmānum in allegor. *Ad Angelos, credo, vox ista dirigitur, quos Dominus animarum nostrarum iußit esse custodes, vt cordibus eorum, quos adhuc mundus delectat, vel tentat, recordationem crucis imponant, & singulis vitijs, quæ animam vel vastant, vel impugnant, singulas crucis virtutes opponāt. Hi sunt administratorij spiritus, hi se spiritibus immundis opponunt, illecebras mundi suadentibus exemplum Dominicæ passionis obijciunt; mentem ira inflammare volentibus Dominicæ patientiæ bonitatem opponunt; elationem illis immittentibus, humilitatem humillis Iesu nobis suggerunt imitandam.* Sic de crucis mysterijs medelam sumunt aduersus vniuersa vitia, in quorū expulsione manifestat Pater salutiferum hoc Dei signum.

Luc. 13

Zmir.

Isai. 13.

Aelred.

Cæsar.

Ioan. 3 Respondit Iesus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.

§. IIII.

Ille fælix qui non semel sed & bis, & ter sciuit renasci.

EXpende, quos regnum expectet cœleste, nimirùm eos, qui semel nati

sciunt denuò nasci; hoc est sciunt sic denuò intrinsecùs reformari, quasi tunc denuò nascantur. Ad iustorum fœlicitatem
Psoa 91. respiciens Psalm. 91. ait: *Iustus vt palma florebit*; vel vt alij legunt: *Iustus vt phœnix florebit.* Cur vt phœnix? Sola hæc auis non contenta est semel nasci, sed frequentibus natiuitatibus curat suam æternare fœlicitatem; sic iusti hominis fœlicitas inde æternatur, quòd non semel, sed & bis, & ter sciuit nasci. Similitudinem agno
Alcim uit D. Alcimus, lib. de peccato originali. 1. vbi canit de phœnice:

Non contenta suo tantùm semel ordine nasci,
Longa veternosi renouatur corporis ætas,
Incensaque leuant incendia crebra senectam.

Proh fœlicem iusti hominis cõditionem, qui non contentus suo tantùm semel nasci ordine, veteri exuto homine, sic sæpè renouatur, quasi totidem denuò natus videatur. Ex quo enim peccati mors intrauit, non sufficit vna natiuitas, sed multoties nasci debet homo, qui cupit apud Deum regnare. Hinc Matt. 19. aiebat Dominus:
Matt 19 *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos, &c.* Expende, vbi sedes gloriæ promittitur discipulis Christi, nimirũ *in regeneratione*; non in generatione; sed in regeneratione, cùm quis generationi primæ alteram adiecerit. Nullus equidem homo est, qui pluribus generationibus, natiuitatibus non egeat, vt possit seruari cœlesti
Bernar. regno. Proquo aiebat D. Bernard. in declamatione ad hæc verba: *Quid est, quòd dicit in regeneratione? Aut quæ est hæc noua generatio? Fortè & altera regeneratione opus esse videtur; nec solùm denuò, sed & tertiò hominem nasci, necesse est. Infœlix ego homo, & miserabilis casus mens, cui nõ vna sufficit, cui necessaria est duplex regeneratio.* Non contentus sit homo, quòd semel se natum videat; miser erit, si in vna tantùm natiuitate hæreat; non ea est hominis fœlicitas, quæ vnico parturiatur enixu; bis, & ter, & sæpiùs ad partum veniat, quisquis Dei regnum amat potiri.
Psal. 101 Huc respiciens Psalm. 101. ait: *Scribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.* Notanter dixit, in generatione altera, vt innueret, duplici debere gaudere generatione, qui pertinet ad Dominum. Id quod notabat D. Chrysolog. serm. 126. aiens: *Scribantur hæc, inquit, in generatione altera. Altera hæc est generatio quærentium Dominum.* Chrysol. Non simplex est, sed duplex, imò multiplex generatio illius, qui Deum, eiusque beatitudinem quærit. Pulchrè ad hæc aiebat D. Zeno, lib. 3. serm. 24. *Beatus esse nõ* Zeno. *potest in prima natiuitate persistens: quem æstuantium delictorum fax incensa omnibus momẽtis exurit: qui pedorem suis secum carceris portat: qui carnificem sentit, antequam videat: qui nomen iudicis pertimescit: qui secundè susurras ingruerit, se quæri, se existimat inueniri.* Hæc sunt primæ natiuitatis propria signa, quæ vsque dum per aliam, & aliam natiuitatem exuantur, non potest homini beatitudo obtingere. Fœlix ille, qui non prima in natiuitate hæret, sed denuò nascens renouatur de die in diẽ. De hoc dicitur Cant. 4. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.* Cant 4. Circa quæ verba ait Richard. Vict. part. 2. cap. 30. *Fons est* Rich. *anima deuota, quæ manat, & fluit, semperque noua oritur, quia semper in Deo renouatur. Fons iste non cessat ebullire, & erumpere ad Dei amorem: non enim per torporẽ veterascit, sed perfectissimè, et ad plenum semper excrescit.* Hæc ibi.

Ioan. 3. Dicit ei Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in vẽtrem matris suæ iterùm introire, & nasci? Respondit Iesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu, non potest introire in regnum Dei.

§. V.

Præclaris initijs similes solent fines respondere, & è contra.

REgnaturo homini meritò paratur noua natiuitas, qua denuò quasi incipiat esse; solent enim initijs fines respondere, adeò vt vix aliud reperiatur in fine, quàm id, quod fuit in initio inuentum. Vndè eleganter Diu. Bernardus, de gradibus humilitatis, loquens, ex initio trahit omnem infœlicitatem humani inte-

ritus:

ritus: quippè ait: *nascimur, morimur, ideôque nascimur morituri, quia priùs morimur nascituri.* Vbi vitæ primas mors tenet, quasi necessum est, vt vitæ fines etiam teneat: sub mortis falce nasceris, proculdubio ab illa ipsa falce meteris. Is est progressus, & finis hominis, quod fuit initiũ eius. De Ioanne Baptista ait Dominus: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Matth. 11. sic Ioannes Matt. 11 sese extollit, vt nullus illo videatur maior; vt quicumque magni sunt in regno Christiano, nequeant vnũ excedere Ioãnem. Et vndè tàm singularis virtutum cumulus accreuit Ioanni? D. Prosper. id refert ad citissimã eius regenerationẽ in gratia; ait enim lib. 2. de vocation. Gent. cap. 11. *Ioannes intra matris viscera Spiritu sancto repletus exultat, & vt nullus inter natos mulierum maior sit, priùs sentit initia gratiæ, quàm naturæ.* Sic initijs viuendi refert totum progredientis Ioannis virtutum culmen; qui enim vix habuit, sed, vt melius loquar, vix sensit initia naturæ, initia terrenæ fragilitatis, ab Spiritu sancto renatus in vtero, similes tanto initio obtinuit virtutum fines. Huc veniant, quicumque ad cœlestia culmina adspirant, & discant, vndè possint altissimos fines cõparare, nimirùm si non ab infimo luto, sed ab alto cœli ducant natales, si incipiãt non cadendo, non moriendo, sed viuendo; initium enim in lapsu, & morte, quid nisi labile, & mortale pariat, vt de vitali initio viuidissimi fines exaltantur. Exuenda nobis est terrena natiuitas plena morte, plena lapsibus, & quasi in nouam matricem reducendi sumus, vt quasi denuò vitalissimi nascamur, & ad æternam vitã ascendamus. Hoc terra dare non potest, sed dabunt id aquæ confotæ ab Spiritu sancto; necesse enim est, quòd qui nati sumus à limo terræ in mortem, ab aquis in vitam renascamur. Si illud inuestigandum, cur magis natura aquæ assumpta est, vt homines denuò ad vitam pariat? Cur non ex terræ puluere, & ex Spiritu sancto fecit Dominus matricem ad homines regenerandos, vt illam fecit ex aquis? Si attendas originem elementorum omnium aqua est, quæ priùs iubetur producere ani- Gen. 1. mas. Gen. 1. dicitur terræ: *Germinet terra herbam virentem*: deinde fiunt luminaria, luminare maius, & luminare minus: rursus dixit etiam Deus: *Producant aquæ reptile animæ viuentis.* Non terra, non elementum aliud, sed solæ ab initio iubentur in primis poduci animæ, ex quo ostensa fuit natura aquarum aptior, vt assumeretur postmodum ad efficiendam regenerationem animarum. Ait Tertul. lib. de baptism. *Primus liquor, quod viueret, edidit, ne mirum sit, si in baptismo aquæ animare nouerunt.* Vbi primordia tenuit aqua in generatione animarum, non miremur, quòd vbicumque post aliquid magnum ad animarum salutem efficiatur, ad id inueniãtur aptiores aquæ. Semper enim initia fœlicia, & præclara fœlicissimi, & præclarissimi progressus solent comitari. Hinc assumptis ad regenerationem aquis additur Spiritus sanctus; ait enim: *Nisi qui renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto.* Neque inficior, supernaturales omnes effectus ab Spiritu sancto causari; sed tamẽ mihi dubium facit, cur præcipuè in baptismo aquæ exprimatur Spiritus sanctus. Cùm sacramentum Eucharistiæ condidit, licèt totum illud fiat operante Spiritu sancto, cuius virtute ibi Christus fit, & creatur, vt cum Suario nostro sentit non parua Doctorum pars, tamen non dicitur, neque exprimitur ibi Spiritus sanctus, sed solum ait Dominus: *Accipite, & comedite: Hoc est enim corpus meum.* Cur de solo baptismo agens maluit ibi exprimere Spiritum sanctum? Ordinabatur in aquis noua quædam hominum natiuitas, nouum quoddam initium viuendi: vbi autem viuendi initium ordinabatur, debuit exprimi in illo Spiritus sanctus, vt expressius doceremur, qualia debeant esse primordia vitæ, quæ ad vltimam perfectionem conducere valent. Quô respiciens D. Chrysol. serm. 17. fatur: *Hinc est, fratres, quòd virgineum fontis vterum cœlestis Spiritus arcana luminis sui admixtione fœcũdat; vt quos origo limosæ stirpis profuderat sub misera conditione terrenos, cœlestes pariat, & ad similitudinem sui perducat Auctoris.* Facit hoc viuendi initium sub Spiritu sancto, quòd possis ad vltimã perduci perfectionem, in qua Deum videns, Deo perfectissimè sis similis, sicut est ipse.

Tertull.

Chrysol.

§. VI.

A terrenis abscedat, qui vitalissimi Dei Spiritus vult in se sentire virtutem.

NOn terris, sed aquis additur Spiritus diuinus; nõ enim dicit, nisi quis renatus fuerit ex terra, & Spiritu sancto,

ſed ex aqua, & Spiritu ſancto; terra enim non diuinum, ſed mundialem, & caducũ
1. Co. 15 alit ſpiritum. Ad Corinth. 1. cap. 15. ait: *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni.* Nullos alios ſpiritus alit terra, niſi ſibi ſimiles: dum terrenus ſis ortus, dum terrenis ſis præoccupatus, nihil inde ſublime, nihil ad vitam conducens hauries. Quò ſpectabat Tertul. lib. 2. in Marc.
Tertull fatus: *Quid mirum, ſi homo redhibitus materiæ ſuæ, & in ergaſtulum terræ laborandæ relegatus, ipſo opere prono, et deuexo ad terram, vſurpatum ex illa ſpiritum mundi vniuerſo generi ſuo tradidit?* A terra vnus mundialis ſpiritus hauritur, quo totũ genus terrenorum hominum inficitur; quod diuinum eſt, quod ſublime, quod ad vitam ſpectat, id non cum terra, ſed cum altiori elemento coniungitur. Hinc aquæ, vt ſuper terram feruntur, vt cœleſtia diuidũt, ſic diuinum ſibi adſciſcũt ſpiritum, & hominum genus faciunt æternam aſpirare ad vitam. De diluuio, quo terrenorũ hominum nationes deletæ ſunt, dicitur Geneſ. 7.
Gen. 7. *Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime â terra.* Ecce tibi, quò magis terra abſconditur, quò aquæ magis augentur, eò viuentium arca tollitur in ſublimius; vt innuatur, quàm ſeruiat terræ deſolatio, & aquarum accretio ad hoc, vt homo ſublimiori agatur ſpiritu, & æternùm viuat. Rem pulchris verbis
Chryſol. tractat D. Chryſolog. ſerm. 166. inquiens: *Cùm mundus intra generis humani primordia perdeſlenda nefando vitiorum ſqualore ſordeſceret, & totus criminũ fœteret horrore, ac penè ipſo iniquitatis ſuæ fumo fuſcare cœli tantam contenderet claritatem: quadraginta diebus, ac noctibus expiaturus terram cœleſtis imber effunditur; vt, quia perire ſibi mundus, quòd factus fuerat, iam deberet, gauderet tali baptiſmate ſe renatum; ſciretque, quod eſt, non ſe naturæ, ſed auctoris ſui gratiæ iam debere, ipſamq; noſtri baptiſmatis formam terrena noſtri corporis origo prælibaret; vt quæ anteâ natos homines producebat ad mortem, hos ad vitam produceret iam renatos.* Ecce tibi, quid terrena ariditas, quid cœleſtis aqua pariat, vbi terræ laborandæ deditur homo, nil inde non ſordidum, non ſquallidum, non tenebris dignum dimanat; vbi autem cœleſtis imber diffunditur, & aquæ multiplicantur, ruinam ſuam cæpit mundus videre, & Dei gratiæ referre, quòd maneat. Iam inde patuit, quid poſſent aquæ ex virtute Spiritus ſancti; qualiter poſſent in ſpem vitæ homines ad cœleſtia vſque ſubleuare. Vbi enim Dei Spiritus operatur vitam, eã oſtendit operatam de ſocijs aquis. Cantatiſſimi illi tres pueri Hebræi vbi miſſi fuerunt à Babylonio Rege in fornacem flammantem, cùm in cineres redigendi erant, inuenti ſunt viuidiores, & hymnos cantantes. De illis ait Daniel, cap. 3. *Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſocijs eius in fornacem, & excuſſit flammã ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem.* Non ſolũ viui tres pueri in fornace conſeruantur, ſed & miracula multiplicantur, dum intervrentes fornacis flammas etiam ros introducitur aquæ. Ad quid hæc multiplicatio miraculorum? Cùm poſſint pueri ſaluari ſine illo rore aquæ, cur maluit Deus eorum ſaluti rorem addere, niſi vt oſtenderet, diuinam virtutem ſic proficuam eſſe ſaluti humanæ, vt ad eam cauſandam ſibi ſocias aſſumat baptiſmi aquas? Ad hæc ait Diu. Zeno, lib. 2. ſerm. 30. *Credo diuina prouidentia ſacramento Trinitatis, ſpiritualem quoque numerum illis conuenire. Denique neque irrorati camini eis baptiſmatis defuit gratia.* Vt illis Deus affuit, qui eos in vitam animabat, ſic in rore introducto, baptiſmatis illis non defuit gratia, quę diuini Spiritus virtutem, & operationem comitatur.
Dan. 3.
Zeno.

§. VII.

Baptiſmi gratia ſingulariter opponitur laſciuiæ flammis

EX aquarum gremio per Spiritũ ſanctum regeneramur, vt oſtẽdatur, quàm parùm poſſint in Chriſtiana religione laſciuæ flammæ. Quid aquæ, & flammis? Quid luxuriæ, & baptizatis? Sanè vt aquæ aduerſus ignem, ſic baptiſmi gratia militat, & triumphat libidinum flammas, De euerſione Sodomæ dicitur Geneſ. 19.
Gen. 19. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem â Domino ẽ cælo.* Notanter vſus eſt verbo, *pluit*, vt innueret vnà cum fulminibus igneis iaculatis ſimul cecidiſſe copioſam pluuiam aquę, vt lacus manentes in illarum ciuitatũ locis teſtantur. Sed cur cũ libidinum vltoribus ignibus mittit Deus aquas, niſi vt prænotaret libidinum remedia tandem in baptiſmi aquis eſſe paranda? Accinit Claudius Marius, lib. 3. in Gen. fatus:

Nec

Claud. Mar.

Nec tamen hîc occulta vacant mysteria; nam quôd
Vndæ hîc sunt, vbi flâma fuit; quôd flammea mißis
Desuper extinxit lymphis: fortaſſe notabat
Luxuriæ calidos ignes, fomentaque primi
Peccato contracta patris, cœleſtibus vndis
Extinctum quandoque iri.

Iam ex tunc aquæ notabantur, quæ aduerſus libidnum flammas militent, illaſque penitùs detriumphêt. Quæ libido non fugiat, vbi ſonêt ſacrati baptiſmi fontis gurgites? Vbi baptiſmi gratia adeſt, vix inuenitur, quod ſeruiat libidini. Notiſsima eſt Thamar Iudæ Patriarchæ nurus, quæ vſque ad ſoceri concubitum facta eſt meretrix; dum autem concubitus pretium, nimirùm hœdus ad illam mittitur, non inuenitur. Sic habes Gen. 38. *Miſit autê Iudas hœdum per paſtorem ſuum Odollamitem, vt reciperet pignus, quod dederat mulieri: qui, cûm non inueniſſet eam, interrogauit homines loci illius: Vbi eſt mulier, quæ ſedebat in viuio? Reſpondentibus cunctis: Non fuit in loco iſto meretrix.* Non ſolùm non apparet meretrix, ſed & omnes clamant, nunquam ibi fuiſſe meretricê. Quî fieri potuit, vt quæ venerat meretrix Thamar, ſic â memoria hominum lapſa ſit, vt prorsùs negetur eius meretricîũ? Vbi poſt meretricium exercitum accepit Thamar à ſocero annuli pignus pro hædo mittendo, figura fuit Eccleſiæ Gentium oppignorata à Deo baptiſmi ſigno, quod vbi extitit, non potuit ibi inueniri aliquid meretricium. Ait enim D. Zeno, lib. 2. ſer. 9. *Denique fornicaria requiſita, non eſt inuenta, quia renatus per aquam, & Spiritum ſanctum, deſinit eſſe, quod fuerat.* Non potuit non diſparere ignis luxuriæ, vbi aqua apparuit ſacri baptiſmatis. Et meritò in baptiſmi aquis poſuit Deus aduerſarium luxuriæ; quando enim de aquarum ſpuma Venus fingitur ab Ethnicis nata fuiſſe; decuit in aquis eſſe clariorem caſtitatis triumphum, in quibus fuerat anteà voluptatum venerearum officina. Iacob moribundus, Geneſ. 48. ait ad Ioſeph: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Expreſsiùs legit D. Ambroſ. *Do tibi Sichimam præcipuam ſuper omnes fratres tuos:* In Sichimis violata fuit Dina Iacobi filia, ibi dominata fuit carnalis voluptas; cur ergo Iacob terram ſtupris infamem Ioſepho omnium fratrum caſtiſsimo attribuit, niſi quia curabat, vt vbi luxuria fluerat, vigeret magis caſtitatis triũphus? Ad hæc ait D. Ambroſ. lib. de benedict. Patriarc. cap. 3. *Tûm prætereà immaculatus, & caſtus, de hoc terreno diuerſorio, & impuritatis auctoribus manubias reportauit: locum ſtupris, & flagitijs vacantem ad incolatum ſanctorum verbis cœleſtibus, & gladio capiens ſpiritali: vt vbi inhabitatores antê laſciuiæ, & Principes luxuriæ verſabantur, vbi fuerant incentiua libidinis, & fomenta nequitiæ, ibi nunc ſancti Sacerdotes magiſteria doceant caſtitatis, & plurima virginalis integritatis exempla velut quodam ſupernæ lucis fulgore reſplendeant.* Sic Sichima luxuriæ officina ad Ioſephum transfertur exemplar caſtitatis; ſic aquæ venereæ voluptatis matrices aſſumuntur à diuino Spiritu aſſertore caſtitatis, vt vbi floruit libido, magis vigeat pudicitia virginalis.

Gen. 38.

Zeno.

Gen. 48.

Ambr.

Ambr.

§. VIII.

Baptiſmi fons non foris manet, ſed quaſi intimis inſeritur præcordijs, ibique conſeruatur, vt fluant inde & pœnitentiæ, & cæterarum virtutum riui.

NOto philoſophicê verba illa textus dicentis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu, &c.* particula enim illa, *ex*, non dicit extrinſecam cauſalitatê, ſed intrinſecam, vt quando dicitur homo ex materia, & forma cõſtare; tunc materia quid intrinſecùs penetrans, & cõſtituês hominem eſt; ſic vbi dicitur quis renaſci ex aqua, particula, *ex*, denotat baptiſmi fontem intrinſecùs imbibitum eſſe, & manere ſemper ipſo in animo, ſaltê ſecundùm aliquam congruitatê alliciendi diuini auxilij, quo videantur illius fontis intrinſecê manentis riuuli pœnitentiæ, lacrymę, cæteræq; virtutes. De quo D. Laurê. Nouar. hom. de pœnit. *Poſt baptiſmum remedium tuum in te ipſo eſt. Itaq; deſinat duritia, ceſſet deſperatio: fons nunquam deficit, aqua intûs eſt; ablutio in arbitrio eſt, remiſſio in rore lacrymarum. Fons eſt in homine conſeruatus perpetua plenitudo.* Non deficit fontis baptiſmi ſcaturigo, etiam ſi finitus videatur extrinſecùs actus baptiſmi: intûs in nobis ipſis ſemper manet fons in-

Laur. Nou.

deficiens, quatenus baptiſmi virtus facit pœnitentiæ lacrymas ſcaturire. Fons eſt in nobis conſeruatus perpetua pœnitudo, vt videantur lacrymæ riuuli orti ab aliquo fonte intimo, nempè à baptiſmi aliquali virtute manente intrinſecùs. Hinc forſan locutus Dominus de regeneratione ex aqua, & Spiritu ſancto, ait Ioan. 4. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Aqua enim, in qua Spiritus ſanctus venit, non extrinſecùs fluit, ſed in intimis animorum receſsibus manens, & penetrans, ibi ſit fons, qui exũ dans pœnitentiæ lacrymas, nos in vitam æternam agit. Ad hæc aiebat Rupertus, lib. 4. in Ioannem: *Quæ eſt enim hæc aqua viua, niſi illa, quæ in baptiſmo Chriſti percipitur gratia Spiritus ſancti? Aqua hæc Spiritus ſanctus eſt, aqua hæc Deus eſt. Aqua hæc in corde Dei Patris fons vitæ eſt; in ore Dei Filij, gratiæ, & pacis flumen eſt; in beatis Angelis torrens gloriæ eſt; in electis hominibus inũdatio vitæ eſt. Quæ â quocumque bibita fuerit, ad matrem ſuam æternæ diuinitatis abyſſum reſilit. Illuc, inquam, reſilit, vndè venit, pariterque bibentis animam, etiam ſi in infernum deſcenderit, ſaliendo in vitam æternam ſuſtollit. Et antequam illuc ſaliat, fons in bibente fit, & per ſignum cordis riuos ſapientiæ, & ſcientiæ diffundit, &c.* Ex aqua Spiritus ſancti renatus, ſic à fonte egreditur externa, vt in intimis præcordijs ferat totum ſalientis in vitam æternam aquæ fontem; nunquam enim baptiſmi vena prorſùs ſiccatur, vel limo vitiorum ſic obducitur, quin aliqua trahat deſuper auxilia, quibus & pœnitentiæ, & aliarum virtutum riuulos emittat. Vndè Niſſenus, lib. de orat. Dominica, ait: *Aquam ad aſpergendũ, non ex alienis riuis, ſed in nobis ipſis ſcaturientem Deus largitur, ſinè oculorum quis fontes dicat, ſinè puram cordis conſcientiam, nullum â vitioſitate, atque malitia bonum inuehentem.* Sunt nobis per Spiritus ſancti gratiam fontes intrinſecùs inditi, in pura conſcientia, vndè virtutum riui ſcaturiunt; & licèt aliquando hi fontes vitiorum limo obducantur, ex baptiſmi vena, & merito habere poſſunt, vndè iterùm fluant.

Ioan. 4.

Rupert.

Niſſen.

Ioan. 13. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.

§. IX.

Vbi luxuriæ abſunt opera, percaſtitatis virtutem, ſit totus homo ſpiritus.

INter carnis illecebras, nõ miror, quòd homo totus fiat caro; carnis enim voluptas in carnes trãsfert ipſos ſpiritũ. At vbi nihil voluptatis, nihil luxuriæ adeſt; ſed omnia puritate virginea clarẽt, nec ipſa conceptio, nec partus ipſe aliud quàm puritatẽ ſapit, inter hæc tota ſpiritus fiet ipſa caro. Meritò ait: *Quod natũ eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*, quod non â carnis illecebris, ſed à diuini ſpiritus hauſtu vitam trahit, nihil in ſe oſtendit carnale, ſed totum in ſpiritum abit. Apud Iſaiam, cap. 26. aiunt iuſti: *Concepimus, & quaſi partu riuimus, & peperimus ſpiritum.* Ecce inter conceptus, & partus inuenitur naſcens ſpiritus: ſed quid ſpiritui, & natiuitati, & partui? Et conceptio, & partus ad ſolam carnem ſpectant; quare dicitur parturiri ſpiritus? Loquitur de conceptione ab omni luxuria libera, qualis mentis conceptio fit, operante diuino Spiritu; per hanc autem conceptionem, quæ fugat libidinem ipſa caro fit ſpiritus. Pulchrè ad hæc ait Chryſoſtom. ſerm. de Spiritu ſancto: *Stupendus ſermo, at non meus ille ſermo. Propter timorem tuum, Domine, vterum geſſimus, & parturiuimus, & peperimus verbum ſalutis. Nos qui ſumus carnes infirmitatis, peperimus ſpirtum ſalutis: quia concepimus hodiè ab excelſo ſpiritum adoptionis filiorum.* Vbi non carnis voluptates concepimus, ſed ijs prorſùs abiuratis de Spiritus ſancti halitu cæpimus viuere, puri, & caſti; etiam cùm carne ſimus, concipimus ſpiritum ſalutis, & tori ſimus, & videmur ſpiritus. Mater illa Samuelis. 1. Reg. 1. ait de ſe: *Vinum, & omne, quod inebriare poteſt, non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini.* Corpus ſuum coram Deo proſtrauerat, & non meminit corpus proſtratum, ſed effuſam animam ſuam proclamat, quaſi ſolam haberet animam: cui ſimiliter aiebat Pſalm. 41. *Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam.* Super ſe animam effudiſſe fatetur;

Iſai. 26.

Chryſoſt.

1. Reg. 1.

Pſal. 41.

tetur; dum enim corporis fugit voluptates, sic apparet, quasi totus sit spiritus, & anima. Id quod eleganter ponderat Diu. Ambr. Ambros.lib.de fuga sæculi, cap.9. *Effundit super se animam suam, vt nihil passioni carnis relinquat, sed vbique anima superefluat. Pulchrè eam effudit Susanna, vt euaporare in eam posset incendia corporis, mortis formidines, vitæ cupiditates. Effusa super ipsam anima, omne restrinxit carnale desiderium, sæculare studium, non mortem plorans, sed castitatis calumniam. Religionis iniuriam plorauit, & effudit super se non corpus, sed animam. Effudisset enim corpus, si carnalibus acquieuisset.* Vt à carnalibus operibus abstinuit, sic quasi tota esset anima apparuit; quemadmodũ enim qui super se vnguentum effudit, totus vndique apparet vnctus, & opertus vnguento, sic qui carnales abiurat voluptates, super se effundit animam, vt nihil sui ostendat, quod spiritus non sit, & anima. Hinc 4.Reg.2 est, quòd Elias.4.Reg.2.dũ adhuc in corpore esset, raptus est in cœlum; ait enim textus: *Ecce currus igneus, et equi ignei diuiserunt vtrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Mirabar, quòd cũ corpore ascenderet Elias in cœlum; ad cœlum enim modo sanctorum euolant animæ, corpora in terra manent: cur Elias etiam in corpore in cœlum rapitur? Qui virginea puritate vigebat, ab omni carnis illecebra extraneus, sic censetur quasi totus anima, totus spiritus, æmulus virtutũ angelicarum. Ambr. Non multùm abest Diu. Ambros.lib.de Elia, cap.2. fatus: *Meritò illum dignum cœlo diuina indicauit sententia, vt cum ipso raperetur corpore, quòniam cœlestem vitam viuebat in corpore, ac supernæ vsum conuersationis exhibebat in terris.* Sic viuebat in corpore, quasi expers corporis, cœlestesque ciues æmulabatur, totus spiritus factus, & vndè meritò debuit in loco cœlestium spirituum collocari. Nec non veniens in mundum Deus lasciuiæ osorem sibi parauit præcursorem Ioannẽ, qui vt castitate eminebat, sic spirituũ ministerium posset Deo præstare. Ait enim Chrysol. Chrysolog. serm.89. *Cùm Christus Deus nasceretur in carne, Ioannes Angelus est generatus in terris, vt in terra Deo Angelus, Domino cœlestis ordo obsequij non deesset.*

Sic qui à carnalibus illecebris abstinent, quasi incorporei censentur, & toti spiritus facti.

Ioan. 3. Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuò. Spiritus vbi vult, spirat, vocem eius audis, sed nescis, vndè veniat, aut quò vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu.

§. X.

Vbi in cordis occulto vitia mundialia expugnantur, externi actus facili negotio fiunt conspicui, & præclari: non è contra.

QVisquis notat vel materialis venti, vel Spiritus sancti penè easdẽ proprietates, non mirum erit, si persuadeatur posse in homine abolita veteri ostendi nouam natiuitatẽ. Ventus enim occultissimus oculis humanis est; occultissimus, & prorsùs ignotus eius curriculus, si currentis substantia esset spectanda; sed tamen ex eius sibilo, & voce, eius præsentiã minimè potes ignorare. Similiter Spiritus sanctus in se occultissimus est, menti hominis immittitur, & eripitur, prorsùs homine ignorante; at verò vbi adest, licèt occultissimus in se; in externo aliquo signo, in voce, seu virtutis externę operatione nequit ignorari; non possunt ab occultissima etiam diuini Spiritus præsentia, aliqua externa virtutum signa non declarari. Quid plura? Sic interioris hominis interna renouatio, & quasi natiuitas occultissima est, & prorsùs à sensibus remota: quòd sęcularia desideria omnia in corde abscindantur, nemo videt, nemo scit: at ijs prorsùs abscissis, & expulsis à corde, nequit id non exteriùs in operationibus manifestari. Vbi enim sæcularia desideria in corde occiduntur ab anima, facili negotio externi actus ad similem diriguntur palmam. Moyses puer à filia Pharaonis receptus, & educatus fuit in palatio, & quasi Regis filius ibi habitus; de illo tamen dicitur Exod. 2. *Postquam creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos; viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis. Cùmq; circumspexisset huc, atq; illuc, & nul-* Exod 2

& nullum adesse vidisset, percussum Ægyptum absconditsabulo. Ecce tibi, qui Ægyptio palatio nutritus fuerat, qui Ægyptij Regis filius habebatur, vbi vidit Ægyptiũ aduersarium Hebræis, non dubitat, non cunctatur, imò non se continet, quin Ægyptiũ neci tradat. Vnde Moyses sic fertur in Ægyptij manifestã mortem, & Hebræi liberationem? Pulchrè ad hæc respiciens Diu. Paulus ad Hebræos, cap. 11. fatur: *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem.* Iam corde abnegauerat sanctus vir regalem filiationem; totam illam suam apud Ægyptium Regẽ adscriptam natiuitatem, etsi plenam temporalibus bonis, etsi delicijs sæcularibus redundantem mente expuerat, eligés præ illa pauperem Israelitarum cognationẽ, de quibus mentis conceptibus nõ potuit nõ exire exterior actus, qui & Ægyptium interficeret, & Israelitam liberaret. Ad hæc Diu. Ambros. lib. de Abel, cap. 4. ait: *Interfecit nempè Moyses Ægyptium, et fugax factus est de terra Ægypti, vt declinaret eius terræ tyrannum. Sed non ante illum interfeciſſet Ægyptium, niſi priùs in ſe æquitiæ ſpiritalis Ægyptium interfeciſſet, et abdicaſſet regalium luxum honorum, maius patrimonium æſtimans theſauris Ægypti, opprobrium Chriſti.* Priùs fuit, quòd Moyses in animo suo, in mẽte sua Ægyptias generationes, sæculares glorias, & iucunditates abnegaret, eligens præ illis Christi improperia; nisi hęc priùs in corde feciſſet, minimè ad Ægyptij mortem externam exiret; sed vbi priùs illa mẽte perfecit, iam statim ad externã Ægyptij mortem, & Israelitæ liberationem prosiliit. Nequit equidem vetus, & sæcularis abiurata in corde natiuitas non præmonstrari in actibus extrinsecis: vbi in corde suo homo sæcularia desideria abiecit, veteris hominis natiuitatem abnegauit; nihil vetustum, nihil sæculare ibi permittẽs, sed omnia noua eligens: facili negotio actus eius externi præclari existent, & conspicui. Verùm si in oculo cordis nihil nouũ est, sed omnia vetera; non Deus adest, sed idolum; fallitur, quisquis nititur externa perditionis opera non efficere. Vbi de Iacob loquitur Dominus, Gen. 35. dicit: *Dederuntque ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum; at ille infodit eas ſuper therebinthum.* D. Nilus in Ascetico legit: *Abſcondit eas, &c.* Itaque Iacob sanctissimus omnia suę familiæ idola abstulit, & defossa terra, ibi sepeliuit, & abscondit. Sed Deuther. 27. ait Dominus: *Maledictus homo, qui facit ſculptile, & conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponitque illud in abſcondito.* Itaque non solùm est maledictioni obnoxius, qui facit idolum, sed & qui ipsum in abscõdito ponit. Quã do ergo maledictus est, qui ponit idolum in abscondito, quomodo Iacob laudatur, qui in Sichimis abscondit familię suæ idola? Iacob in abscondito ponit idola, & laudatur, & benedicitur à Deo; cur ergo manet obnoxius maledictioni, qui ponit idola in abscondito? Aliud est, ponere idola in abscondito, sepeliendo ea, & perdendo ea, vt fecit Iacob idola terræ mandans, & terrenis molibus obruens; aliud est, ponere idola in abscondito, seruando ea integra, vt faciunt multi, qui idola ab aliorum oculis abscondunt, sed ea sibi seruãt in secreto cordis. Sanè qui in abscondito perdit idola, ipse vt Iacob mille ex Deo reportabit victorias; at qui in abscondito cordis sibi integra seruat idola, is nihil efficiet, quo eripiatur maledictioni. Rem sic conficit D. Nilus in Ascet. fatus: *Contraria videntur abſcondere Deos in Sichimis, & ponere idola in abſcondito. Illud enim laudabile eſt, hoc vitioſum, & execrandum. Neque enim idem eſt in terra defodere in perpetuum, & in abſcondito ponere. Nam quod in terra defoſſum eſt, & à ſenſu remotum, tempore ipſo deletur etiam ex memoria. At quod in abſcõdito poſitum eſt, eos fortaſſe, qui foris ſunt, latet; ſed cùm ab eo, qui poſuit, aſſiduè cernatur, memoriam ſui renouat, & circumfert. Periculoſum igitur eſt, ponere ſimulachrum in abſcondito. Cogitatio enim facilè expulſa vitia repetit, & voluptatis lancem ad terram vſque deprimit.* Væ, cui in mentis secreto sæcularium voluptatum adsunt idola; vix fieri quibit, quòd is eripiatur maledictioni. Cui autẽ ita erepta sunt idola ab animo, vt quasi prorsùs eliminata sint, & perdita funditùs; is facili negotio in facinora exurget præstantiora. Hinc Christi sponsæ victorias externas ab hostibus reportatas tribuit D. Fulgent. internę integritati cordis; nãque ait epist. ad Probam. 3. cap. 5. *Eccleſia, quæ virgo in fide, & charitate perſiſtens & ſapientiam poſſidet, et virtutem. Et ideò nec ſeductione decipitur, nec violentia vincitur, quia internæ virginitatis integritate fulcitur.* Vbi intrinsecè in cordis secreto omnia sunt integra, nihil deuiat extrinsecùs.

Deb. 11.

Ambr.

Deut. 27

Nilus.

Fulgen.

Gen. 35.

Nilus.

Ioan.

Ioan. 3. Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Amen, amen dico vobis, quia quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur, & testimonium nostrum non accipitur. Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis?

§. XI.

Nihil sæculare sic debet ab homine æstimari, quàm scientia de mysterijs, & vijs salutis.

MVlta de Spiritus sancti donis à Iesu dicta audit Nicodemus; nimirùm, quòd ponat in hominis arbitrio, quòd se excutiat à legis, & peccati seruitute, quòd exuat carnales infirmitates, & spirituũ virtutes quasi denuò natus induat. Et tamen nullum horum donum petit, sed solùm paulò capacior factus, ignorando interrogat, quasi discere cupiens. Ait enim: *Quomodo possunt hæc fieri?* Cũ muliere Samaritana habuit etiã Iesus sermonem de aqua Spiritus sancti, quam qui biberit, non sitiet, sed in se habebit fontem aquæ salientis in vitam æternam. Hęc audiens fœmina, Ioann. 4. statim clamat: *Domine, da mihi hanc aquam, vt nõ sitiam, neque veniam huc haurire.* Id procurat fœmina, vt accipiat aquam, qua à molestijs præsentibus possit manere libera, & ideò enixè petit aquam illam. Cur similiter Nicodemus audiens homines ex Spiritu sancto, & aqua nascituros, legis, & peccati molestijs liberos, & exutis carnalibus infirmitatibus, recepturos spirituum virtutes, non amat bona sua, & commoditatem suam, & petit aquam illam tantorum bonorum effectricem; sed nihil petens, hoc scire cupit, quomodo omnia illa fieri possent? Bonus homo etsi imperfectus in Ioan. 4.

Christi doctrina, tamẽ de eius schola hoc habet, vt nihil carnali cupiditati permittens, id super omnia temporalia commoda æstimet, si scientiam, & notitiam certam recipiat de mysterijs, & vijs salutis. Hoc enim solum studium, & homini vtilissimum est, & Christianissimum. Deuteron. 33. sic pingebatur Dominus: *Apparuit de monte Pharam, & cum eo sanctorum millia, in dextera eius ignea lex.* Ecce tibi, in dextera Dei apparentis liber legis visitur, in sinistra autem quid? Nihil ibi dicitur de sinistra; at Prouerb. 3. ait: *In sinistra eius diuitiæ, & gloriæ.* Itaque in dextera Dei vnus liber legis est, in sinistra autem sunt diuitiæ omnigenę, sunt gloriæ innumerę; quid ergo de ijs sumat homo, qui sibi amat consulere? Ad quam Dei manum ibit, ad dexteram, an ad sinistram, an ad vtramque, vt sumat & de libro legis, & de glorijs, & diuitijs? Sanè de vtraque manu gloriabatur illa sponsa, Cant. 2. inquiens: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Vtriusque manus, & sinistræ, & dextræ bonis gaudebat hæc; at qui Deo parenti magis assimilatur, nempè eius filius Iesus, longè aliter gaudet, & solùm ad dexteram currit, vt accipiat librum. Sic Apocal. 5. *Et vidi, & ecce in medio throni, et quatuor animalium, & seniorum agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem. Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum.* Non de sinistræ glorijs, & diuitijs accipiendis curat Agnus diuinus, sed totus ad dexterã currit, vt librum accipiat, quo & mysteria aperiat, & salutis vias, quarum scientia à Christi affectis æstimari debet supra omnes mundi glorias, & diuitias. Ad hæc Rupert. lib. 4. in Apocal. inquit: *Cùm in dextera sedentis ignea sit lex, quæ est iste liber, in sinistra verò illius diuitiæ, & gloriæ, valdè notandum, quia veniens Christus in hunc mundum, nihil diuitiarum, aut gloriæ de sinistra; sed tantummodo librum, sinè igneam legem accepit de dextera. Bonum exemplum cunctis præbens discipulis, & credentibus in se, nihil diuitiarum, aut gloriæ voluit, aut quæsiuit in hoc mundo, tantummodo meditari in lege Domini die, ac nocte, tantummodo librum de dextera dignatus est accipere, intẽdens aperire illum, & soluere signacula eius.* Non ad gloriam, non ad diuitias, sed ad legis diuinæ librum inclinat Spiritus Christi, vt præ omnibus bonis hoc æstimemus vnum, quòd mysteria, & vias possimus scire, & penetrare salutis. Felix, qui Deut. 33. Prou. 3. Cant. 2. Apoc. 5. Rupert.

hac

hac salutis scientia impleri curat, is & Dei addetur triumphis, & singularem prouidentiam in se experietur diuinam. Nemo ignorat triumphalem currum ostensum Ezechieli, cuius auriga erat ipse Deus triumphans de mundo; sed si quæras, qualia erant animalia triumphali in curru posita, quæ & diuinos triumphos exaltarent, & ipsa regerentur à Deo. Ait Ezech. cap. 10. *Et vidi, et ecce quatuor rotæ iuxta Cherubin; rota vna iuxta Cherub vnum, &c.* Pro animalibus Cherubin apponuntur diuinis triumphis; vt enim Cherub significat scientiæ plenitudinem, sic illi, qui salutis implentur scientia, & diuino addun tur triumpho, & Deum peculiarem Rectorem nanciscuntur. Ait Origen. homil. 1. in Ezech. *Vides, qualia sint, quæ regantur â Deo, vt ibi: Qui sedes super Cherubin, appare. Cherubin interpretatur plenitudo scientiæ, et quicumque scientia plenus est, efficitur Cherubin, quem regit Deus.* Rectorem habet Deum, qui salutis scientia implet ur, vt possit cum Dauid clamare: *Dominus regit me, nihil mihi deerit*; nihil deesse potest illi, qui à Deo regitur, vt studiosus diuinorum mysteriorum, & diuinæ legis: quin potiùs Salomoni nihil aliud de manu Dei petenti, quàm scientiam, vt ab erroribus abstineret, dicit Dominus. 3. Regum. 3. *Quia postulasti verbum hoc, & non petijsti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum; sed postulasti tibi sapientiam ad discernēdum iudicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos. Et dedi tibi cor sapiens, et intelligens in tantum, vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias scilicet, et gloriā.* Et meritò crescit in donis acceptis, qui præ omnibus diuitijs hoc solùm quæsiuit, & æstimauit, quòd sciret viam salutis. Ait Tertull. lib. 4. in Mar. cap. 15. *Quia permissa sibi optione, maluit ea postulare, quæ sciebat Deo grata, sapientiam; meruit etiam diuitias consequi, quas non magis voluit.* Sanè vbi non ad diuitias, & glorias siniſtræ attendit, sed solum librum de dextera Dei accepit, omnia meritò consecutus est, & gloriam, & sapiētiam. Pro quo aiebat Ecclesiasticus, cap. 2. *Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplacita sunt ei; & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.* Expende illud, *replebuntur lege*: non aliud requirent, quàm legis notitiam, in hac sola quiescent, & plenos se dicent. Et cur non pleni sint, qui solùm amant scire legem vitæ? Ait Psalm. 83. *Etenim benedictionem dabit Legislator, &c.* Caldhæus legit: *Benedictione amicientur, qui insudant, vt discant legem.* Sic ibi.

Ezec 10.

Origen.

3 Reg. 3.

Tertull.

Eccl 2.

Psal. 83.

§. XII.

Fides mundiales homines in cœlestes, & diuinos commutat.

SCisitanti Nicodemo regenerationis modum, quo posset terrenus homo cœlestis inueniri, & regno cœlorum dignus, sic respondit Dominus, vt illi suggeraret necessariam fidem. Ait enim: *Amen dico vobis, quia, quod scimus, loquimur; quod vidimus, testamur, &c.* quasi postulet sibi haberi fidem ab eo, qui in se effectum tantæ regenerationis desiderat: quippè aiebat Ioan. epist. 1. cap. 5. *Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum: et hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra.* Cum regeneratione diuina semper intelligitur mūdialium, carnaliumque desideriorum abolitio; nemo enim nasci ex Deo incipit, qui non incipiat aduersari mūdo, qui non incipiat expugnare, & detriumphare mundialia vitia. Et qualia sunt illi arma pro tanto triumpho? *Fides nostra*, indetriumphato mundo apparet iam ex Deo noua natiuitas, sed quæ nullum agit triūphum nisi ex fide; fides enim est, quæ homines à mundo separat, & afferit cœlesti vitæ. Pulchrè rem notabat Diu. Bernard. serm. in octaua Pass. inquiens: *Benè ergo quod natum est ex Deo, vincit mundum, vt sit testimonium cœlestis generationis victoria tentationis. Et sicut is, qui filius est per naturam, mundum cum suo Principe triumphauit; sic & nos victores inueniamur, quot quot sumus filij adoptionis. Victores sanè, sed in ipso, qui confortat nos, in quo & possumus omnia, quia hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* O fidei virtutem cantatissimam! Crede, homo, Deo, & senties te incipere regenerari in Dei filiū, & nihil mundiale appetere, sed mūdialibus calcatis, aspirare in cœlorum sublimia. Cū fidem habes, habes iam regenerationem diuinam, & habes, in quo mundiales insultus detriumphes, & tibi asseras cœlum ipsum. Matth. 15. dicebat Dominus Chananææ fœminæ: *Magna est fides tua, fiat tibi, sicut vis.* Expende illud, *fiat tibi, sicut vis*: ad quæ verba sapienter Diu. Chrysostom. ait: *Fides quidem tua, maiora, quàm petis,*

1. Ioan. 5.

Bernar.

Matt 15.

petis, posset impetrare; verumtamen fiat, vt vis. Hæc vox illi affinis est, qua dictum est: Fiat cœlum, et factum est cœlum. Nec vacat mysterio in arbitrio mulieris magnæ fidei positam esse à Deo vocem illam, qua cœlestes condidit pulchritudines; sed vt ostendatur, quid posset facere voluntas humana informata præstanti fide, potest dicere, fiat lux, & fiant luminaria, & fiat cœlum, & omnia cœlestia ita fient; tanta enim fides nihil terrenum, sed Soles, & cœlos spirat. Vide infrà. §. 18.

§. XIII.

Quæ in terris à Deo dantur dona, parua sunt, & vilia, si comparentur cum ijs, quæ sunt in cœlestibus.

STo à sententia D. Cyril. & Chrysost. putantium, quæ de regeneratione ex Spiritu sancto dicta sunt, vocari à Iesu terrena, cùm dicit: *Si terrena dixi vobis, &c.* Nec miror, nam respectu eorum, quæ in cœlestibus manent, quæcũque in terris dona à Deo dantur, parua, & vilia
Matth. 25 possunt nũcupari. Aiebat ille, Matth. 25. *Domine, quinque talẽta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.* Cui statim Dominus respondit: *Euge, serue bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Et sanè nullus magis à Deo acceperat, quàm quinque talenta; hoc erat donorum diuinorum summum, & nihilominùs hæc dicuntur pauca à Deo ipso? Cur pauca dicantur, quæ sic dantur à Deo beneficentissimo, vt nulli dederit plura? Comparabat illa cum ijs, quæ in cœlestibus manebant; cum ijs autem comparata maxima quæque Dei dona data in terris, non mirum est, si videan
Chrysost tur parua, & minima. Ad hæc Chrysost. inquit: *Pauca sunt admodũ. Si quis de magna massa tritici modicam dederit drachmã, aut de magno vase vini modicum dederit gustum; sic de magno thesauro regni cœlestis modica nobis per Spiritum sanctum arrha præstatur.* Vbi quæ in cœlis thesaurizantur, conspiciuntur, parua videntur, quæcumque ab Spiritu sancto in terris dona præstantur. Solent equidem disparere, & quasi anihilari maxima quæque bona ad comparationem maiorum. De Moyse di
Exod. 34 citur Exod. 34. *Tenebat duas tabulas testimonij, et ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Dei.* Septuaginta legunt: *Et ignorabat, quia glorificatus est aspectus, &c.* Itaque sic radiabat Moysis facies, quasi in gloria esset, vt glorificatus videretur. Huc spectãs D. Paul. 2. ad Corinth. 3. ait: *Nec glorificatum est,* 2. Cor 3. *quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam.* In Exodo dicitur glorificatus fuisse Moyses, & Paulus negat fuisse glorificatum; quomodo, quod Exodus affirmat, negat Paulus? Non negat absolutè, sed comparatiuè ad Christi gloriam, respectu cuius tota illa Moysis gloria, quasi non fuisset, apparuit. Cui fauet Syriaca versio, aiens: *Quandoquidem ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum est, in comparatione huius excellentis gloriæ.* Vbi Theodoretus ait: *Tanta est ad ministros* Theod. *gratiæ reditura gloria, vt meritò neque gloriam quispiam dicat eam, quæ Moysem secuta est, si ad hoc respiciat: siquidem lucernæ lux in nocte videtur esse splendidissima; at in meridie occultatur, vt ne lux quidem esse existimetur.* Sic in comparatione maiorum etiam maxima bona disparent, & videtur proxima nihilo; ne mireris, quòd iustorum regeneratio, quæ fit in terris ab Spiritu sancto, habeatur quasi terræ puluis, respectu eorum, quæ in cœlestibus inueniuntur. De Iesu aiebat Psalm. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum.* Sed Isai. Psal. 44. cap. 53. ait: *Non est species ei, neque decor, &c.* Quem decorè asserebat in Iesu Psalmus, Isaias dicit, nullum prorsùs fuisse. Quomodo id dicere potuit? Pulchrè D. Chrysost. homil. 28. in Matt. *Dicit Isaias:* Chrysol. *Non habebat speciem, neque pulchritudinem; quoniam ad Deitatis suæ ineffabilem gloriam respexit.* Et quidem in comparatione Deitatis, omnis Christi decor, & pulchritudo alia disparebat.

Ioan. 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

§. XIIII.

§. XIIII.

Crucis Christi opprobrium sublimiorem, & glorioſiorem thronum ſuper omnes creaturas ſtatuit.

NOn te moueat, quòd infamiſsimum crucis ſupplicium vocetur Filij Dei exaltatio; ea enim ſunt opprobria pro Deo, & virtute ſublata, quæ ſublimiorem, & glorioſiorem thronum ſuper omnes creaturas faciant. De Moyſe dicebat Hebr. 11. Paul. ad Hebræos, cap. 11. *Fide Moyſes grãdis factus, negauit, ſe eſſe filium filiæ Pharaonis: magis eligẽs affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem; maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.* Sanè improperium Chriſti erat crucis aridum lignum, omni decore viduatum: ſic Moyſi ex vna parte obiectum eſt Ægyptiorum ſceptrum auro, gemmiſque diues; ex altera parte nuda ligni virgula, qua pauperes captiuos Iſraelitas in deſertum ageret. In ſceptro vniuerſa Pharaonis erat gloria; in ligni nuda virgula totum Chriſti crucis improperium viſebatur. Contempſit ille glorias Ægyptiorum; arripuit ignobilem virgam: quid inde? Ignobilior ne ideò factus? Abſit; quin potiùs vide Exod. 14. Moyſem extendentem manum virga ſola armatam ſuper maria, & ecce virgæ ignobili cedunt maria, & iter Iſraelitis parant. Quando talia præſtaret Pharaonis ſceptrum? Quando plenæ theſauris manui ſubijcerentur maria, quæ ſubijciuntur Moyſis manui ignobili virga armatæ? Equidem non mundiales theſauri, ſed ignobile crucis lignum, ſed Chriſti improperium nouit ſuper omnes creaturas ſolium exaltare. Ait Ambroſ. lib. 2. de Iacob Ambr. cap. 9. *Opprobrium Chriſti theſauris Ægypti pretioſius æſtimatum eſt; & ideò Moyſes Pharaonis Regis aulam reliquit, & fidei elegit opprobria, cui ſe opprobrio maria diuidebant.* Non regali chlamidi, non aureo, & potentiſsimo ſceptro; ſed nudo, & ignobili ligno, ſed Chriſti opprobrio ſeſe ſubdunt maria; ſeſe ſubijciunt potentiſsimi orbis Monarchæ. Hinc aiebat Iſaias, cap. Iſai. 9. 9. *Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humeros eius.* Super huius diuiniſsimi Filij hominis humeros lignum crucis inuenio, ideò ibi poſitum, vt à memoria hominum Ieſus exterminaretur: quî fieri poteſt, vt dicatur factus principatus ſuper humeros eius? Dixiſſẽs, facta eſt ignominia, factum eſt opprobrium, & improperium ſuper humeros eius; quid improperio, & principatui? Quid arido ligno, & aureo ſceptro? Sapienter equidem in ipſo crucis improperio dixit principatum fieri, quando crucis opprobria Ieſum ſuper omnes principatus mundiales euexerunt. Ait Nazianz. orat. 37. *Paruulus na-* Naz. *tus eſt nobis, filius datus eſt nobis, cuius principatus ſuper humerum eius. Cum cruce etenim extollitur.* Crux pro virtute ſublata nõ facit depreſsionem, ſed exaltationem; non deſpectum, ſed glorioſam æmulationem extorquet à Principibus ſæculi. Ad viros illos Hebræos in fornacẽ coniectos, & ibi illæſos magnus inter ſæculi Monarchas Nabuchodonoſor totus mirabundus acceſsit, & eorum virtutum æmulus ait, Dan. 3. *A me ergo poſitum eſt hoc decre-* Dan. 3. *tum, vt omnis populus, tribus, & lingua quæcumque locuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſsach, & Abdenago, diſpereat.* Puerorum virtutes, & fidem in Deum æmulabatur Rex, qui talia cauebat: & qua poteſtate pueri ſibi Regem æmulũ reddiderũt? An per ſapientiam, in qua erant nutriti? An per regiam proſapiã, per ornamenta regia? Abſit; omnia hæc infirma ſunt ad ſubijciendos Reges. Per hoc, quòd vnà cum aridis lignis in fornacem miſsi ſunt, vt in cineres redigerentur, infamis hæc pœna pro virtute ſublata valuit tantæ gloriæ inuidioſum reddere mundialem Regem. Diu. Zeno, lib. 2. ſerm. 36. Zeno. *Melioratur vita ſupplicio; non inuideret pueris, ſi non eos præcepiſſet ardere.* Quos deſpexit ſublimes, & cum lignis in fornacem coniecit, ibi inter fumantia, & ardentia ligna conſpectos ſuſpexit, & ſeſe eorũ religioni ſubiecit, inuidens illis, quòd ſic ſuper omnia elemẽta ſublati eſſent. Huc trahi poſſunt multa. 1. tom. dicta, lib. 4. cap. 4. §. 5. & §. 18. cap. 5. §. 21. & §. 36. & tom. 3. lib. 15. cap. 12. & alibi.

§. XV.

Humilitas, & abiectio crucis Dei filios ſignat.

MIrabile dictu, quòd oportet exaltari Filium hominis; hoc eſt, quòd opor-

oportet suffigi cruci Filium hominis; sic enim in illa abiectione, & depressione Filius hominis exaltatur, vt inde euidentissimè signetur Filius Dei. Malè sani Iudæi clamabant ad crucifixum Iesum, Matth. 26. *Si Filius Dei es, descende de cruce.* Quibus D. Athan. orat. de pass. ait: *Neque descendêdo de cruce voluit Filius Dei agnosci, sed ex eo, quòd in cruce permaneret.* Non fuga crucis Filium Dei ostenderet, sed dignatio illa, qua nihil supplicij merens, vsq; ad abiectionem crucis aliorum causa spõte peruenit, manifestissimè diuinam generationẽ ostendebat. Apoc. 21. ait Ioan. *Ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei.* Non mirarer, quòd ciuitas hæc videretur à terra in cœlum ascendẽs, tunc ostenderetur habere claritatem Dei, & esse simillima Deo. Quid enim magis diuinum, quàm super cœlos ascendere? Ait Psalm. 67. *Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo: qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem.* Inde cantatur Deus, quia ascendit super cœlum: quomodo ergo non ascendens, sed descẽdens à cœlo ciuitas sub radijs diuinitatis splendet? Sanè pulcherrimus est hic voluntariæ deiectionis effectus, qui reddit homines filios Dei, suoque simillimos parenti. Aiebat Rupert. lib. 12. in Apocal. *Pulchrè nimirùm descendit; quæ in ipso descensu, in ipsa humilitate descensus sui claritatem habet Dei; id est, similis est claritati Dei.* Quis abiectionis descensum contemnat, quando in ipsa abiectione, in ipso voluntario descensu splendet, vt Deus? Nulla est abiectio, & humiliatio voluntariè, & sponte pro Deo, & virtute sumpta, quæ hominem non faciat splendescere sub radijs diuinis. Vndè aiebat Ioan. cap. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Et quidem Moyses, & Elias visi sunt in gloria, Matth. 17. & Angeli, & Cherubin, Ezech. 10. in magna gloria etiam visebãtur: sed de nullius gloria dicitur, quòd visa esset gloria, quasi vnigeniti à Patre, nisi de Iesu gloria. In quo ergo Iesu gloria magis apparuit esse vnigenti à Patre? D. Chrysost. homil. 11. in Ioan. fatur: *Nec enim miraculorum gratia Christum dumtaxat admirantur, sed & passionis, vt cùm affixus est cruci, flagellis, & alapis cæsus ab ijs, de quibus tàm benè merebatur. Siquidem in ijs ipsis, quæ probri, & ignominiæ plena esse videbantur, ipsum rursùs Verbum clarissimum apparuit, hoc Ioannes gloriam appellauit.* Sic in crucifixo vnigeniti gloria ostendebatur. Claritatem Dei ostendit, qui pro Deo, & virtute vsque ad infame sese humiliat supplicium: at qui in hoc supplicio meretur in cruce finire vitam, is aut Filius Dei est, aut Filio Dei simillimus, quatenus in eadem sede, in eodẽ Dei Filij curru de mundo triumphat. Cùm rapiendus à Deo esset Elias. 4. Reg. 2. *Ecce currus igneus, & equi ignei, &c.* Strenuo enim Dei militi, non miror, quòd splendidissimus pararẽtur currus, vt in cœlum iret. At vbi Iesus in cœlum ascenderet. dicit, Actor. 1. *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Fulgentissimus currus mittitur ascensuro Eliæ, & ascensuro Iesu mittitur nubes; cur huic nubes, & illi currus? Nonne gloriosior erat splendidus currus, quàm nubes? Absit; nubes enim erat propria sedes diuinissimi Patris, & ideò mittenda Filio: hinc enim ostenditur, qui tractabatur vt alienus, & qui tractabatur vt filius; quando alieno currus mittitur, Filio autem non alia, quàm Patris sedes ipsissima. Ait Diu. Chrysostom. ibi: *Quando seruus vocabatur, currus mittebatur, vt veniret; & quando filius ascendebat, Dominica sedes occurrebat nec tantùm Dominica, sed & paterna. Nam de Patre eius ait Isaias: Ecce Dominus sedet in nube leui.* Non æquandus erat in triumphi apparatu seruus filio; aceedat seruus ad cœlum in triumphali curru, inter flammantes axes coruscus; at filius inde claret, quòd non in alio, quàm in paterna sede ad cœlum ibit. Conueniant huc, qui Petri, & aliorum amant comparare triumphos, comparare martyria; huic enim vt filio non alia, nisi ipsissima Dei sedes præmittitur.

Matt. 26
Athan.
Apoc. 21
Psal. 67.
Rupert.
Ioan. 1.
Chrysost.
4. Reg. 2.
Act. 1.
Chrysost.

§. XVI.

In Iesu conspectu maxima sunt posita augmenta salutis.

SIcut serpens exaltatus in deserto sanabat visus; sic exaltatur Iesus, & proponitur omnibus conspicuus; nescit enim non magna præstare augmenta, si visitur. De Zachæo dicitur, Luc. cap. 19. *Quærebat videre Iesum, quis esset; & non poterat præturba, quia statura pusillus erat.* Me-

Luc. 19.

ritò notatur pusillus, cùm dicitur non vidisse Iesum; qui enim Iesum videt, in bonis omnibus solent crescere. Ad hæc aiebat D. Ambros. ibi: *Vide, ne fortè malitia sit pusillus, aut adhuc in fide pusillus. Nondum enim promiserat, cùm ascenderet: nondum viderat Christum, meritò adhuc pusillus. Deniq; Ioānes magnus, quia & Christum vidit, & spiritum sicut columbam super Christum manentem, sicut ipse ait: Vidi spiritum descendentem sicut columbam, & manentem super eum.* Ecce vndè censeatur & Zachæi pusillitas, & Ioannis magnitudo, qua natos mulierum superet; hic viderat Christum, ille non viderat. Qui autem frequenti Saluatoris sui Iesu conspectu gaudet, quale incrementum salutis nō recipiat? Fallar, si vel viuat, vel sit alius, quàm is, qui præ oculis charum sibi meruit habere Christum. Ecclesiast. cap. 1. *Non est priorum memoria, sed neq; eorum quidem, quæ posteâ futura sunt, erit recordatio apud eos qui futuri sunt in nouissimo.* Itaque de omnium sæculorū hominibus nulla erit memoria, nullus erit, qui illorū meminerit; sic erunt, quasi nunquam fuerint. De illis solis erit recordatio, qui in nouissimo tempore sunt; & quare ij nouissimi in memoria sunt, nisi quia ij cōspectu Christi fruuntur? Chaldæus Costi ait: *Ac profectò præteritarum nationū memoria non exstat, neque earum, quæ pòst futuræ sunt, recordatio erit ijs, qui temporibus Regis Messiæ victuri sunt.* Fœlices illi, qui temporibus Messiæ nati sunt, quibus datum est, Iesum præ oculis habere, vel ad eius vmbram aspicere; ij profectò in memoria æterna erunt, & à tanto dilecti Regis conspectu hoc ebibent, vt censeantur ad vitam. Accipite iam verba illius senis Simeonis, qui responsum acceperat, non visurum se mortem, nisi videret Christum Dominum. Tandem vidit, & videns clamat, Luc. 2. *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Ex pende illud. *Nunc dimittis*, vbi prōmissio facta est, mors exprimitur manifestè: dicit enim textus, quòd responsum acceperat, *non visurum se mortem*: ecce ibi mors non filetur, at vbi promissio adimpletur, & Iesus præ oculis ponitur, vel mortis nomen cauetur, solùm dicit, *nunc dimittis*, non ait, nunc moriar, nunc trade morti, sed mortis vocabulo reiecto, dicit, nunc dimittis seruum tuum, Domine. Et quidem vbi Iesus præ oculis est, mors non apparet, sed salus, sed vita augetur. D. Ambros. ibi: *Qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Hierusalē; expectet Christum Domini; accipiat in manibus verbum Dei; complectatur operibus, velut quibusdā suæ fidei brachijs. Tunc dimittetur, vt non videat mortem quia viderit vitam.* Nec in ipsa morte mortem videbit, qui Iesu speciosissimum potitur conspectum. Hoc dū expendo, incido in membranam, in qua S. Martini Canonici regularis vita apud Cœnobium Legionense sub Diu. Isidori titulo continetur. Ibi ait S. Martinus, se ex cuiusdam Sacerdotis defuncti animæ relatu didicisse, hoc concedi animabus in purgatorio igne existentibus, quòd diebus Dominicis, & alijs Christi Domini festis à carcere exeant, & proprij cadaueris sepulchrum conueniant: quòd si in tēplo fuerit, in quo mysterium Eucharistiæ celebretur, Christi Domini humanitatem sub speciebus Eucharistiæ existētem possint videre. Quantum hoc solatium animabus sanctis erit? Fallar, si tormenta, si carcerem vix meminerint, dum possunt tantum Dominum præ oculis habere. Ex quo hæc legi, mihi aucta est sollicitudo, ne peccatis meis merear sepeliri extra tēplum, vbi non possim tantum bonum tenere.

Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suū vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eū, non pereat, sed habeat vitam æternam.

§. XVII.

Amor, qui ad creaturas extenditur, nunquam non carò stetit amanti.

QVis creaturas sine ingenti sui dispendio amauit? Ipse diuinus amor, qui intra diuinarum personarū septa æternùm quiescebat, vbi ad creaturas se extēdit, vbi mundū dilexit, statim dilectionis experitur impensas, Filium suum vnigenitū morti dando. Ad hæc pulchrè D. Bern. serm. 64. in Cant. fatur: *O suauitatē, ô gratiam, ô vim amoris! Quid violētius? Amor. Quid tamen tàm non violentum? Amor est. Quæ est ista vis, quæso, tàm violenta ad victoriam, tàm victa ad violentiam? Denique semetipsum exinaniuit, vt scias amoris fuisse, quòd plenitudo effusa est, quòd altitudo adæquata est, quòd singularitas associata est.* Expende, quot sustinet Deus quasi

quasi dispendia, vbi cæpit homines amare & sese exinanit, & quasi euacuat plenitudinem suam, & altitudinem solo exæquat, & à singularitate discedit, vnus è nobis factus. Et vix quiuit amor ad creaturas extensus minori constare, quàm vt se exinaniat, & perdat amans. De ipso Filio Dei
Galat. 2. dicebat Paul. ad Galatas. 2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum prome.* Idē in Dei Filio fuit dare habenas amori, vt se vsque ad homines funderet, & sese traderet morti, & cui omnia integra apud Patrē constabant, ex quo amare me cæpit, ipsam suā pretiosissimam vitam perdidit. Ait Diu.
Cyr. Ale. Cyril. Alexand. lib. 9. in Ioan. cap. 23. *Vides nouum, atque inauditum dilectionis modum. Lex enim fratrem diligēdum esse ait, sicut se ipsum. Christus autem magis nos, quàm se ipsum amauit. Nam aliter nequaquam ad nostram humilitatem descendisset, nequaquam tàm acerbum pro nobis crucis patibulum sustulisset.* Huc peruenit erga nos Iesu amor, vt se minùs quàm nos diligeret, vt se perderet, vt nos viuamus, quasi non posset sine sui dispendio creaturas amare. Et simul vt in Deo cæpit ostendi creaturarum amor, & cæperunt ostendi ærumnæ, abiectiones, & flagella posse ad Dei tabernacula appropinquare. In quo ergo erit amor hic sine dispendio amantis? Iacob nobilissimi patris filius, vbi incepit amare, cæpit & durissimæ seruitutis iugum portare. Ait. Gen. 29. *Erat*
Gen. 29. *Rachel decora facie, & venusto aspectu. Quam diligens Iacob ait: Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis.* Expende, qui dixit, *seruiam tibi*, nimirū ille, qui paulò antè audierat ex patre benedi-
Gen. 27. ctionem suam, in qua dicebatur, Gen. 27. *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus: esto Dominus fratrum tuorum, &c.* Cui populorum seruitus, & tribuum adoratio, & principatus in fratres promissus est; se modò seruum profitebatur, & septennij seruitutem durissimā amplectebatur. Vndè tibi in mentem venit tàm nouum, & inusitatum seruitium, ò adolescens? Non miror, diligebat sanctissimè, & honestissimè Rachelem: & vbi in illo cæpit creaturæ licèt honestissimus amor, non potuit non incipere & seruitus dura, & durissimus seruitutis labor. Huc crediderim respexisse
Ose. 10. Oseam, cap. 10. vbi loquens de tribu Ephraim ait: *Ephraim vitula docta diligere triturare.* Septuag. legunt, *diligere contentionem*: Alius ponit, *diligere victoriam.* Et quidem nullius triūphi sæcularis dari potest amor, qui contentionibus, & laboribus, & ærumnis amantem non conterat. Vt simul in Deo hominum amor, & crux apparuit; sic in quolibet homine, in quo creaturarum amor fuerit, simul & crucem subire cogetur. Marc. 15. *Et angariauerūt* Marc. 15.
prætereuntem quemdam Simonem venientem de villa, vt tolleret crucem eius. Quid Simon sub cruce? Sanè in Iesu, & in Simone ostenditur, quid afferat amor sæculi; in Iesu amor ordinatissimus, diuinissimus; in Simone amor inordinatus, qui nusquam est sine cruciatuum expēsis. Ait
Hieron. D. Hier. ibi: *Simon, qui portat crucem in angaria, ipse est, qui laborat pro laude humana. Cogunt eum homines huic labori, quem non cogit dilectio Dei.* Hæc enim parit quietem, à dilectione mundi numquam non cruces veniunt. De hoc vide etiam pulchra in præsenti, cap. vltimo. §. vlt.

§. XVIII.

Dei magna cognitio, & confessio, hominem reformat, & infirmam, & stabilem salutem. euehit.

EXpende, quale pharmacum humanæ infirmitati diuinus amor dederit, nimirùm Filium Dei vnigenitum, vt Deum agnoscamus, & cum fide suscipiamus, & confiteamur, quo solo & reformamur, & in statū salutis æternæ euehimur: sic enim ait: *Vt omnis, qui credit in eum, nō pereat, sed habeat vitam æternam.* Miraris? Sed propone tibi ob oculos Nabuchodonosorem à regno, & ab hominibus eiectū, cum feris habitantem per septennium, & ferè nihil distantē à feris. Tunc sic Dan. 4.
Dan. 4. *Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi: In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei, decoremque perueni, & figura mea reuersa est ad me, &c.* Qui feris minimè absimilis viuebat, qui à regno eiectus, & ab hominis figura erat, aperuit oculos, suspexit in cœlum, Deum agnoscit, & confitetur, & benedicit: quid tunc? Totus statim reformatur in hominem, & in splendorem regium. Ad hæc Diu. Paulin. epist. 4. inquit:
Paulin. *Regi Assyrio insolitudinem, feritatēq; dam nato luctuosa concretio capitis intōnsi, in imbam leonis horruit, vt etiam corporis specie transiret in bellnam, qui non solùm à*

regnis suis, sed etiam à sensibus exulabat humanis. Intellecto tamen, tandem Deo, & sensui reformatur, & regno: factus & ipse nobis est exemplar fidei, &c. Vt Deum mente suspexit, & ore confessus est, statim sensui, & regno reformatur: non potuit vitam ferarum non exuere, & reformari in hominem, & restitui in thronum regalē, qui oculos ad cœlum leuauit, nobis exemplar fidei factus. Quando enim fides magna non in fidem viuam abijt? Et quidem qui Deum fide magna, & attenta suscipit, qui fide Filium Dei confitetur, veneratur, in illam reformabitur vitam, quæ æternū posit in gloria, & honore durare. Apud Matth. 16. ponitur confessio Petri, de Christo, & præmium pro confessione reportatur; quippè ait: *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei viui. Respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es, Simon Barjona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meā, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Petrus fidei oculis Filium Dei vidit, Filium Dei confessus est, & statim firmatur in virtutibus, adeò vt marmoreus appareat, & permansurus in æternum. Ait enim: *& super hanc petram*: quæ ibi petra erat? Petrus caro erat, non petra; vndè petra apparuit? Ex quo Filio Dei crediderit, ex quo fidem tantam habuit Filij Dei, illumque confessus, euacuauit quæ erant carnis, quæ erant infirmitatis, & in petræ firmitatem abiens, eam salutis spem consecutus est, quæ in vitam abeat æternam. Vndè aiebat Chrysost. serm. de Pentec. 1. *Super hanc petram, non dixit super Petrū; non enim super hominem, sed super fidem ædificauit Ecclesiā suam. Quid autem erat fides? Tu es Christus Filius Dei viui. Quid est, super petram? Hoc est, super confessionem, super sermones pietatis; confessionem autem pietatis, neque dæmones, neque vlla creatura vincere potest.* Fides Filij Dei, & confessio, sufficiēs est infirmos homines, & labiles, in eam virtutum firmitatē conuertere, vt instar marmorum annos æternos æmulentur, nec vlli contrariæ potestati cedant. Hinc Matt. 24. monebat Dominus: *Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, tunc, qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.* Mirabar, quòd solùm consulat fugam in montes ijs, qui in Iudæa sunt: & cur, Domine, de ijs solùm tibi cura est qui sunt in Iudæa? Cur de ijs, qui sunt alibi, non curas? Iudæa significat confessionem, & meritò soli, qui in confessione Filij Dei sunt, premonentur montem ascendere, vt qui de tali cōfessionis merito habeant, ab omni incursu malo posse defendi. Quippè ait Cæsarius Nazianzeni frater, dialog. 3. *Qui in Iudæa sunt, ad montes confugiant; qui in pietate sunt, ad sublime refugium, nempè Christum, respiciant, sub eius confessione custodiri.* Vbi Filium Dei fide respicimus, & confitemur, habemus, quo à malis liberemur, & bonis abundemus. Aiebat Eccle siastes, cap. 4. *Considerans reperi aliam vanitatem sub Sole. Vnus est, & secundum nō habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs: nec recogitat dicens, cur laboro, & fraudo animam meam bonis?* Hæc vltima verba sic expendit Catena Græca, dicens: *Priuat animam suam cognitione Dei*: quasi idem sit priuare animam suam Dei cognitione, & illam fraudare infinitis bonis, quibus abundat, qui Deum cognoscit, & fide colit. Vide suprà. §. 12.

§. XIX.

Spiritus diuinus eò tendit, vt facili, leuique diligentia posſimus comparare salutem, quam Iesus ingenti sui sanguinis pretio comparauit.

ECce tibi charitas Dei pro mundo effusa, tradens vnicum Filium diuinū morti, quid spectet, nimirùm, *vt omnis, qui credit in eū, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Cur non saltem par ratio fuit, vt omnis, qui credens in eum, crucifigeretur? Nemo equidem admiratus nōn commendaret Dei amorē, quòd exaltationem, & mortem à seruo posceret pro Filij Dei morte, & exaltatione: & tamen non hoc fecit, sed Filium exaltari fecit in cruce; à nobis autem rem facillimam petijt, nimirùm vt credamus in illum. Ipse quidem moritur in cruce, nos commorimur in baptismo; ipse pendet, nos fide viua in eum respicimus, & sic de fidei viuæ signō æternam requirimus vitam. Aiebat Paulus ad Roman. 6. *Si enim complantati, facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Quibus verbis, vt sapienter notat Tertul. de resurrect. carnis, cap. 47. nō petitur à nobis omnibus mors, vt necessaria ad salutē cōsequendā, sed vel

Christi

Christi mortis simulachrum, aut signum: dum enim fide viua sub Crucifixi signo viuamus, vitam nostram in gloria poterimus æternare. Sed vndè hoc nobis accidit, quòd vel solo signo crucis in viua fide susceptо possimus habere, quam vitam vera crucifixione, vera morte Filius Dei comparauit, & non aliter? Sanè id de Dei charitate in nos effusa venit, de Spiritu amoris diuini manauit, quòd carò à Christo comparatam salutem illam nos per rē facilem habeamus. Rupert. lib. 2. de sapient. cap. 9. fatur: *Tunc stigmata passionis Christi, signaculum crucis in fronte sua suscipit homo; et quia patronum habet Spiritum sanctum, quia humilem loquitur veritatem, secundùm spiritum, tantùm est illi videlicet signatū esse signaculo crucis, passionis, & mortis Christi, ac si ipse crucifixus, passus, et mortuus sit.* Vide, homo, quanta debeas dilectori tuo Deo; vide, quanta debeas amori diuini Spiritus, quia pro te stat Dei charitas, diuinissimus Spiritus sanctitatis; non ad mortem, & carnificinam crucis necessariò subeundam vocaris, sed solùm ad mortis simulachrum; susscipe fide viua crucem, & habebis vitā, quam obtinuit Filius Dei crucifixus, & Psal. 4. passus. Huc respiciebat Psalm. 4. *Multi dicunt, quis ostendet nobis bona? Signatum est lumen vultus tui super nos; dedisti lætitiam in corde meo.* Quippè multis fuit hęc sollicitudo de veris bonis quærendis, & acquirendis; multi inter mundialia mala clamabant, quis ostendet nobis bona? Quis deducet nos in vitam vndequaque beatam? Sed fœlices illi, quos Deus bonus amauit, in quos suam effudit Dominus charitatem, qui Spiritu diuini amoris sunt præoccupati, ij non per multa vulnera, non per multas mortes, sed signum Crucifixi fide viua susscipientes, & in se habentes, in bonorum cumulum euolarunt. Qui enim Spiritus charitatis diuinæ nobis æterna bona per Iesum Filium Dei procurauit, is ipse Spiritus fecit, quôd illa habere possimus, non vera crucis perpessione, sed signo tantùm. Id quod Cassio- Cassiod. dorus in hunc Psalmum notabat, aiens: *In crucis impressione lumē est vultus Dei, quia in eis semper noscitur radiare, qui se non aliqua eligunt prauitate polluere; sicut dicit Apostolus: Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis, in die redemptionis.* Expende, quis, & quo pretio nobis ostendit bona, nimirùm Spiritus sanctus Dei, Spiritus diuinissimæ charitatis, nobis per fidem signum crucis impressit; signum, inquam, crucis, quod esset nobis lumen vultus Dei ad videnda bona, ad extirpāda mala; vbi hic Spiritus amoris sic ad nos peruenit, in eo signati sumus; hoc est, non in vera crucis perpessione, sed vel in signo eius fide viua susscepto habemus posse ad vitam peruenire. Eò semper spectat diuinus amoris Spiritus, vt per rem facilem nobis ostendat obtinendam vitam: quòd autem hęc carò cōparari debeat, vt plurimùm nō à Dei Spiritu procedit, sed ab spiritu nequam, & maligno. Propone tibi ob oculos vnguentum illud super Dominum effusum à muliere, in quo totum sepulturæ suæ mysterium ipse Dominus ostendebat, Matth. Matt. 26 26. De illo Iudas fatur: *Potuit vnguentum istud venundari multo, & dari pauperibus.* Apertius in rem nostram Marcus, cap. 14. Mar. 14 *Poterat vnguentum istud venundari plùs quàm trecentis denarijs.* Cur Iudas tàm carò æstimat vnguentum effusum, in quo adumbrabatur salus orbis per Iesu mortē? Non minori, ait, venundari, & emi posset, quàm trecentis denarijs vnguentum illud; non enim nisi carissimo pretio passionis Christi medelam haberi posse putabat, & prædicabat miser, vt in quo non loquebatur Spiritus diuini amoris, sed spiritus diabolicus, excessiuo vnguenti pretio auertens homines à medicina languorum. Pulchrè aiebat ad hæc D. Ambrosius, lib. 3. de Spiritu sancto, capit. 18. Ambr. *Cur igitur Iudas hoc cariùs æstimauit? Aut quia in maleuolam animam non intrat sapiētia, etiam hoc loquebatur proditoris affectus: cariùs æstimabat Dominici corporis passionem, vt omnes â fide pretij enormitate reuocaret. Ideoque Dominus gratis se obtulit, ne quem reuocaret â Christo paupertatis necessitas. Isaias dixit: Quicumque non habetis argentum, venite, emite, &c.* Non se Iudæ infuderat Spiritus sapientiæ, Spiritus diuini amoris; solùm loquebatur de hausto spiritus diabolici, & ideò passionis Dominicæ fructum comparandum prædicabat pretio enormi, vt infirmi deterrerentur. Proh Deum immortalem, quàm alius est tuus Spiritus, qui salutem exhibet penè gratis, ac sine vllo pretio, & commutatione, vt Isaiæ clamant quotidiè voces.

Ioan. 3. Non enim misit Deus Filium suum, vt iudicet mundũ, sed vt saluetur mundus per ipsum.

§. XX.

Supplicium de reis sumptum nunquam penitùs malitiam exterminat.

DE aduentu Dñi locutus, dicit ipse, nõ venisse, vt iudicet mundũ; hoc est, vt damnet, vt puniat sontes, *sed vt saluetur mundus*; & quidem si iudicaturus veniret, si punturus reos esset, non saluaretur mundus. Nunquam enim supplicium de reis sumptum sic exterminat malitiam, vt obicem nullum relinquat saluti. Pulchrè rem tractat Diu. Ambros. de fuga sæculi, cap. 7. inquiens: *Itaq; malitia, quoniam in cœlis locum non habet, hîc circuit, hîc sæuit, seseque infundit, non mundano illo mersa diluuio, non Sodomitano exusta incendio. Denique grauiùs posteâ in seminarijs pullulauit.* Et quidem duo meminit vir sanctissimus supplicia de mundo sumpta, quę viderentur sufficientia, vt explosis de medio reis, maneret sanus mundus. Alterum fuit per aquas diluuij; alterum per ignem super Sodomitas compluitum. Quis non crederet omnem mundi malitiam submersam, vbi mundus omnis apparuit sub inundanti flagello diluuij? Quis præsumeret, posse ampliùs voluptates excrescere in terris, vbi illas tàm horribiliter vidit ardere in Sodomitis, iaculatis cœli fulminibus? Sed post tàm ingentia supplicia grauiùs inde in seminarijs malitia pullulauit; non equidem supplicia valent ad exterminandam malitiam, & expiandum mundum. Scimus sæpè exerceri à multis latrocinia, eo ipso tempore, quo fures aguntur in crucem. Nec est adhuc populus notus, in quo funditùs extirpata sint vitia, reorũ supplicijs. Vndê post diluuium aiebat Dominus ad Noe, Gen. 8. *Nequaquam maledicam terræ propter homines: sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Ecce tibi, cur caueat Dominus à supplicijs inferendis vniuerso orbi, nimirùm, qui & post tantũ flagellum videt in hominibus malitiæ seminarium manere, ex quo noua vitia prodeant. Ait D. Chrysostom, ibi: *Quia, inquit, incumbit mens hominis in mala opera ab adolescentia sua; propter hoc, inquit, non vltra adijciam, vt maledicam terræ: Ego, inquit, quod ad me pertinet, semel, atq; iterûm exhibui: quia autem video malitiam ita increscere, promitto me non vltra maledicturum terræ.* A maledictis, & flagellis inferendis abstinet Dominus, videns inter flagella excrescere hominum malitiã. Iesu item præsentata fuit mulier in adulterio deprehensa à Pharisæis, qui à Iesu intendebant seuerissimam in illam extorquere sententiam. Quid tunc Iesus? Ait Ioan. cap. 8. *Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra, &c.* Inclinat se deorsum, vt se inclinẽ ad misericordiam ostendat. Sed cur Dominus castitatis virgineæ seminator, non magis irascitur in adulteria? Cur non tradit legali supplicio fœminam tantæ turpitudinis ream? In adultera illa recognoscebat Dominus totum Synagogæ statum, quæ inter flagella peior in sceleribus apparebat; sæpiùs flagellata fuit à Deo misera Synagoga, sed in illa supplicium licèt tremẽdum potiùs videbatur peccata augere. Ideò Iesus maluit à supplicijs abstinere, vt peccatorum fomitem faciliùs depelleret. Rem pulchrè depingit Chrysolog. serm. 115. fatus de Synagoga sceleribus plena. *Quam cũ vir tantus* (nempê Deus) *visam iusta indignatione despiceret, & eam procul â sua societate propelleret, atque tota execraretur indicio grauitatis: illa nec despecta erubuit, nec contempta se correxit, nec resipuit sic repulsa, sed tota præceps ad idolorum lupanaria conuolauit, & maluit subire fornicationis infamiam, atque adulterij crimen incurrere, quâm maleplaciti habitus turpitudinem non habere. Vndê & meritô eam Isaias, cap. 1. deplorat, dicens: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis Sion? Hinc est, fratres, quôd cûm in Euangelio â Scribis, & Doctoribus legis apud Dominũ ista accusaretur adultera, auertit faciem suam Dominus, & declinauit in terram, ne crimen cerneret, quod puniret; & maluit in puluere scribere veniam, quâm dare in carne sententiam.* Quid pulchrius? Puniuit Deus sæpè Synagogam veterem spõsam suam; puniuit eam, quando vitulum adorauit; quando initiata fuit Beelphegor; quando carnes concupiuit Aegyptias; & vix permissa est ire post amatores alienos, quin sub durissimo flagello fieret. Nec ideò melior facta fuit, nec ideò ab adulterijs abhorruit, quin potiùs inter supplicia

Ambr.

Gen. 8.

Chrysost.

Ioann. 8.

Chrysol.

plicia audacior in adulteria ibat. Quod notans Dominus, vbi accusatam videt adulteram, ad terrā sese inclinat, quasi metuens videre, quod puniat, sciens, supplicia magis perditioni, quām meliorationi
Nazian seruire. Hinc aiebat Nazianzen. epist. 81. data Theodoro Tyamensi: *Magnum esse censemus de ijs, â quibus læsi sumus, pœnas sumere; magnum, inquam, nam & hoc ad aliorum vitia corrigenda vtile est: at multô maius, & diuinius est, acceptam iniuriam tolerare. Illud enim impietatem coercet, hoc autem ad probitatem adducit, quod quidem longê præstantius est, & perfectius, quām â vitio abstinere.* Huc trahi possunt dicta tom. 2. lib. 6. cap. 7. & §. 7. alibi.

Ioan. 3. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem nō credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.

§. XXI.

Sententia in vnum peccatorem lata, omnes similes comprehendit, & ferit.

MIraris, quòd eo ipso, quòd quis non credit in Filiū Dei, & non suscipit Saluatorem, dicatur iam iudicatus, iā damnatus. Quando iam damnatus fuit? Vbi primus peccator dānatus fuit à Deo, ibi omnes similes peccatores apparuerunt damnati; quod enim iudicium facit Dominus de vno peccatore, sub eodem intelliguntur iam comprehensi similes alij. Id
Tertull. quod notabat Tertul. lib. de spectac. fatus: *Specialiter quædam pronuntiata generaliter sapiunt. Cùm Deus Israelitas admonet disciplinæ, vel obiurgat, vtique ad omnes habet; cùm Aegypto, & Aethiopiæ exitium comminatur, in omnem gentem peccatricem præiudicat.* Non is est Deus, qui pondus, & pondus habeat; qui vni graue, alij aut leue, aut nullum suppliciū paret, sed omnes æqualiter peccantes æquali sententia percutit, æqualē immittit plagam. Quod fut Adami, Caini, Pharaonis, & aliorum iudicium, simul erat ad vniuersos peccatores futuros præiudicium: iudicabat illos tunc damnans Dominus, sed & cæteros omnes venturos præiudicabat, vt nemo videre posset peccatum, qui iudiciū suum, sententiam suam, condemnationem suam non videat in peccatoribus primis. Aiebat D. Petrus. 2. epist. cap. 2. *Ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit; exemplū eorum, qui impiè acturi sunt, ponens.* Expende illud, nimirum, *exemplum eorum, &c.* Primæ enim illæ damnationes, prima illa iudicia erant exemplaria omnium damnatorum; in illis, tanquam in sententiarum latarum exemplis, legebantur supplicia, quæ in futuris recepturi erant singuli peccatores particulares pœnitentiam non agentes. Quod non obscurè insinuabat Sal-
Salu. uianus, lib. 1. de prouidentia, fatus: *In præsenti autem illud, quod futurum est, Deus voluit declarare iudicium, quando super impium populum gehennam misit ê cœlo. Sicut enim Petrus dicit, quòd Deus ciuitates Sodomam, & Gomorrham euersione damnauit, exemplum ponens impiè acturis.* Non aliud iudicium expectent lasciui, & immisericordes, quām id, quod sustinuerunt Sodomitæ; in horum damnatione exemplaria sunt sententiarum, & damnationis, quæ ferit omnes futuros. Hic Dominus locutus de extremo iudicio, Luc. 17. ait: *Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus Filij hominis. Edebant, & bibebant, & dabantur ad nuptias, vsque in diem, qua intrauit Noe in arcam; & venit diluuium, & perdidit omnes. Similiter sicut factū est in diebus Loth: Edebant, & bibebant: emebant, & vendebant; plantabant, & ædificabant; qua die autem exijt Loth â Sodomis, pluit ignem, & sulphur de cœlo, & omnes perdidit: secundùm hæc erit, qua die Filius hominis reuelabitur.* Expende illud, *secundùm hæc erit. &c.* quasi hoc intendat Dominus ostendere, quòd iudicium vltimū sit transumptum ex Sodomorum, & aliorum veterum peccatorum iudicio. Etenim in re iudiciali, vbi exprototypis, & exemplaribus decretis regalibus aliquod particulare decretum transcribitur, simul & testimoniū Notarij additur, illud transcriptum prorsùs esse secundum id, quod positum est in exemplari. Ita Dominus memorans iudicium vltimum, sapienter addit illud futurum, secundùm quod in damnatione Sodomitarum fuit iudicatū, vt hinc discamus nouissimorum damnationes, & sententias originarias, & prototypas esse in primis peccatoribus castigatis; per quarum transumpta nunc etiā supplicia in alijs executioni mandantur. Hoc præ oculis habebat Paul. ad Colossens. 2.
Luc. 17.
2. Petr. 2.

Coloſ. 2. fatus de Ieſu: *Donans nobis omnia delicta, delens, quod aduerſus nos erat chirographũ decreti, &c.* Quale chirographum, & quale decretum erat aduerſus nos? D. Anſelmus. Anſelm. ait: *Chirographum erat perpetratio præuaricationis Adæ. Decretum verò, quod erat contrarium nobis, ipſa fuit ſententia damnationis noſtræ, quæ erat cunctis hominibus aduerſa.* Itaque ex quo primus peccator apparuit paradiſi exilio mulctatus, laborandę terræ addictus, morti ſubiectus, perditioni obnoxius; huius damnationis decretum, & chirographum aduerſus omnes homines manebat in ſcrinijs diuinæ ſapientiæ repoſitum. Dum Filius Dei acceptum nõ tollit illud chirographum, neceſſum eſt, vt maneat, & oſtendat damnatos vniuerſos peccatores. Nec putes, vnum ſolùm eſſe decretum damnationis humanę; ſed quot primitùs damnationes exercebantur in peccatores, tot decreta, tot ſententiæ latæ manebant aduerſus eos, qui ſimilibus imbuerentur erroribus. Quod for Chryſol. ſan attendens Chryſoſt. hom. 6. in præſenti, ſic legit hunc locum: *Condonans nobis omnia delicta, deleto, quod aduerſus nos erat, chirographo in decretis.* Nõ vnum decretum damnationis habebant homines, ſed tot decreta aduerſus nos erant, quot damnationes exercebãtur in primos peccatores. Vndè Dominus recentes peccatores ad antiquos remittebat, vt in illis le 3. Eſd. 2. gerent ſuas damnationes. Sic. 4. Eſdr. 2. *Væ tibi, Aſſur, qui abſcondis iniquos penes te. Gens mala, memorare, quid fecerim Sodomæ, & Gomorrhæ, quorum terra iacet in piceis glebis, & aggeribus cinerum. Sic dabo eos, qui me non audierunt, dicit Dominus Omnipotens.* Ecce tibi, ad antiqua ſuppliciorum ſcrinia remittit Dominus peccatores, vt in eis legant decreta damnationis ſuæ; quæ enim fuit antiquis damnatio, eadem feriet, quoſcumque inuenerit ſimiles. Fulgent. Huc ſpectabat D. Fulgent. ſerm. in decollat. S. Ioan. Bapt. vbi ſic de Herode, & Herodiade loquitur: *Dicite mihi, quid habetis cum Ioanne Baptiſta Herodes, & Herodias, quos ad conſortium adduxit nominũ impuritas criminum? An hoc timetis, ne qui vobis vocabulis coniungimini, in luxuria forſitan ſeparemini? Eſtote certiſſimi, quia ſicut vno conſenſu caditis in luxuriam, ita vno nomine ſuſcipietis ſententiam.* Expende ab illis, *ita vno nomine*, &c. quicumq; enim alteri aſsimilantur in crimine, in illius nomine ſe putent damnationis ſententiam ſuſcipere.

Ioan. 3. Hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erãt enim eorũ mala opera. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & nõ venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta.

§. XXII.

Non poteſt humana malitia abeſſe à pœnis, & debitis ſupplicijs.

DIuinæ legis refugæ tenebras ſibi amplectuntur; & ſanè hoc ſolet eſſe non paruum impiorum, Deo iudice, ſupplicium, quòd iubeantur in tenebras exteriores mitti. Cur ergo miſer, quæ pro ingenti ſupplicio ſunt tenebræ, eas diligis? Pulchrè cauſam inſinuat textus aiens: *Erant eorum mala opera.* Qui malis operibus abundabant, non miror, quòd amplecterentur tenebras ſibi; malitia enim nequit longè abeſſe à pœna ſua, & ſupplicio ſuo. Sic de primis hominibus dicitur Gen. 3. *Abſcondit ſe Adam, & vxor eius à facie Domini, in medio ligni paradiſi.* Expende, quò tendant homines primi; ad arborum vmbras, & latibula confugiunt, putantes ibi Dei faciem poſſe caueri. Quid ſtultius? Dei faciem fugiunt, in qua eſt æterna hominum fœlicitas; ad latebras, ad vmbras, ad tenebras lignorum confugiũt, quæ ſolùm parantur improbis pro ſupplicio; ſed nequit hominis malitia aliud facere, quàm illum ſupplicio reddere conterminum, & vicinum. Rem pulchrè, vt aſſolet, concinit Claud. Mar. lib. 1. in Gen. Claud. Mar. inquiens:

---- *Cuperent, ſi fortè pateret,*
Condere ſe barathro; vſque adeò conterminа pœnæ
Culpa ſuæ eſt, vt iam miſeros mortale pauentes,
Mortis imago iuuet, ſyluas, vmbroſaque luſtra

Obten-

Obtendunt, vanis solatia falsa tenebris.

Non miror, quòd peccator latebras, tenebrasque amet, ipsos etiam inferni hiatus peteret, quando malitia eum semper impellit ad vicinium suæ pœnæ. Expendenda enim maximè sunt illa verba: *Vsque adeò contermina pœnæ culpa sua est.* nunquã culpa, & vitium nõ nititur supplicio suo appropinquare, & vel in confinio suæ pœnæ esse. Cùm potestas tenebrarum exercebatur in Iesum, & tota serpentis antiqui malitia effundebatur, dicit Matth.27. *Plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinẽ in dextera eius, &c.* Ecce tibi serpens antiquus vt Dei Patris splendorem Iesum eliminet, ad arundinem confugit, quam illius manibus infert. Et cur in Iesu ludibrio maluit arundine vti, nisi quia virulenta malitia non potuit in suis actionibus non esse in confinio exitij sui, quando serpens in arundineti vmbris perimitur? Sapienter ait D. Athanas. lib. de pass. & cruce Domini, inquiens: *Arundinem Christus accepit, cùm illi â diabolo porrigeretur ignauo, quòd contra se ipsum gladium acueret. Dicitur enim arundo serpentibus lethalis esse, atque inde potissimùm interfici.* Virulenta serpentis malitia pro Iesu ludibrio inclinabat ad arundinem, sub cuius vmbris ipsa periret; nequit enim esse nisi vinicinio pœnæ suę. Pro quo tibi ob oculos pone miserum illum hominem, quem Lucas cap.8. depingit; quippè ait: *Occurrit Iesu vir quidam, qui habebat dæmonium iam tẽporibus multis, et vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.* Cũius in visceribus dæmon erat, & simul illi erat cordi diabolus, & nuditas, & vmbra mortis; nec aliud diuersorium erit diabolicæ malitiæ, quàm iuxta mortuos, vt ipsa sibi adiungat iudicij sui pœnam. Quod notabat D. Basil. Seleuc. orat. 23. *Cùm ipse dæmonum esset domicilium, pro domicilio habebat monumenta, vt & habitans, et vnâ habitatus, mortuos inter habitare cogeretur.* Suos semper alumnos diabolica malitia in mortis vicinium cogit, circa supplicia facit considere. Hinc aleatores in bonorum perditione sunt; luxuriosi vitam dissipant, nullumque videbitur vitium, quod ruinæ, & morti non sese ostendat vicinum. Pro quo Sapient. cap.1. *Iniustitia autem mortis est acquisitio. Impij autem manibus, et verbis accersierunt illam, et æstimantes illam amicam, defluxerũt, &c.* Sic omnis iniustitia contendit sibi appropinquare supplicium, vt meritò dicat Isai. cap.64. *Allisisti nos in manu iniquitatis nostræ, & peccata nostra absstulerunt nos.* Quasi aduersus peccatores non alij requirantur carnifices, quàm vitia sua; horum manibus conteruntur, perimuntur. Huc referri possunt dicta tom.3. lib.14. cap.9. §.15. & tom.4. lib.16. cap.10. §.5.

Matt.27

Athan.

Luc.8.

Basil. Se.

Sap.1.

Isai. 64.

§. XXIII.

Deploratus est homo, cui in delitijs sunt sæculares duritiæ.

ECce iudicium, ecce damnationem hominum certissimam, quòd homines magis *dilexerũt tenebras*: quid durius, quàm in tenebris esse? Sanè multum esset ad humanam naturam, si homo sustineret esse in tenebrosa caligine; at non solũ sustinere, sed & tenebras diligere, & habere illas in delicijs, id non crediderim pertinere posse nisi ad hominem deploratæ salutis. Notissima est Ægyptiorum extrema perditio, & Israelitarum salus, & libertas; & quidem vterque populus dabat operam construendis ædificijs; vterq; occupabatur operibus luti, & lateris, vt Pharaoni seruiret; inter ea tamen opera Israel obtinuit salutem, Ægyptus extremum incurrit exitium. Vndè ab eisdem luti operibus exitium huic, salus fuit illi? Exod. cap.2. dicit de Israelitis: *Ingemiscentes filij Israel, propter opera vociferati sunt, ascẽditque clamor eorum ad Deum de operibus. Et audiuit gemitum eorum, &c.* Sub eodẽ labore, & opere lateritio erant Israelitæ, sub quo erant Ægyptij; sed Israelitæ cum gemitu, & tristitia obscuram illam, & vilem nauabant operam Pharaoni; Ægyptij autem non cum gemitu, sed cum lætitia operi incumbebant vilissimo, obscurissimo, indeque meruerunt extremũ exitium. Accipite D. Ambros. lib. de paradiso, cap. vlt. fantem: *Denique Hebræi, qui ingemiscebant in laboribus Ægypti, iustorum gratiam consecuti sunt. Et quia panem in tristitia manducabant, esca donati sunt spirituali. Ægyptij verò, qui talia opera cum exultatione celebrabant, Regi detestabili seruientes, nullam veniam sunt adepti.* Et iusti, & impij multas sustinent vitæ asperitates, multa vitæ incommoda: cogitur iustus pernoctare, simul & aleator, & adulter; cogitur iustus mũdi operibus incumbe-

Exod.2.

Ambr.

cumbere propter familiæ honestam sustentationem: similiter cogitur & auarus; sed iusti in tristitia seruiunt mundialibus operibus, gementes sæpè sub aquis; at prophani aleatores summo cum gaudio pernigiles noctes agunt; adulteri lætissimi pericula arripiunt, & dissipant substantiam; auari alacriter sese macerant fame, & in tenebris iacent. Cur hi non pereant? Fallar, nisi perditioni reseruentur, qui sic amant, & in delicijs habent res adeò rationi contrarias, & ipsi naturæ humanæ aduersarias. Hanc maculã Ephraimitis inurebat Oseas, cap. 10. dicens: *Ephraim vitula docta diligere triturам.* Quid turpius, quid sceleratius, quàm ipsam contritionem, & dissipationem virium haberi in amore, & delicijs? D. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 16. *Amant peruersi homines mundi glorias, etiam tribulationes, cunctisque pro ea sudoribus libenter seruiunt, et grauium laborum iugo deuotissimè colla submittunt. Quod benè sub Ephraim specie describitur: Vitula Ephraim docta diligere triturам. Vitula enim trituræ laboribus assueta, relaxata plerumque ad eumdem laboris vsum reuertitur. Ita prauorum mens, huius mundi seruitijs dedita, et rerum temporalium fatigationibus assueta, subesse terrenis sudoribus festinat, vt à iugo mundanæ seruitutis cessare non libeat, etiam si liceat.* Hæc est misera reproborum hominũ conditio, qua lætantes arripiunt ea, quæ luctu, & gemitu essent prosecuturi. De reproborum ciuitate locutus Isaias. 34. ait: *Erit cubile draconum, & pascua struthionum, et occurrent dæmonia, onocentauris, & pilosus, & clamabit alter ad alterum.* Onocentaurus est animal asino, & boui simile, & in oneribus, & iugis ferendis ostendit asininam, & bouinam stultitiam. Huic in reproborum ciuitate assimilantur stultissimi peccatores, qui sub oneribus vitiorum, & sub mundi iugo gradiuntur lætissimi. De his ait Ansbertus, lib. 8. in Apocal. *Onocentauri ergo sunt, qui subiecti luxuriæ vitijs, inde ceruicem erigunt, vndè humiliari debuerunt. Qui carnis suæ voluptatibus seruientes, expulsa longè verecundia, non solùm se amisisse rectitudinem non dolent, sed adhuc etiam de opere confusionis gaudent. Onocentauris autem dæmonia occurrunt, quia maligni spiritus valdè eis ad votum deseruiunt, quos de ijs gaudere conspiciunt, quæ flere debuerũt.* Illos pro culdubio diabolus habet charissimos, & securissimos, qui iuga fletu, & tristitia digna arripiunt libentissimi.

Ose. 10.

Gregor.

Isai. 34.

Ansbert.

CAPVT II.

Cum discipulis agit Dominus de salute abscondita mundi sapientibus.

POST Reditum discipulorum Iesu à prædicatione, prosperum prædicationis successum narrantibus ipsis; in summi Parentis laudes Christus exurgit, quòd videat legis sapientes ob propria peccata lumine priuatos, quo Filij Dei aduentum, viamque salutis agnoscerent; in quorum cognitionem rudes, & insipientes homines, nimirùm Apostoli & discipuli ex gratia Dei intrabant. Rursus Parentem laudat Dei Filius, quòd ipse sit hominum Saluator, in propriaque habeat manu omnia illa, quæ pertinent ad dispensationem, & gubernationem salutis humanæ. Quapropter ad se vocat vniuersos, qui salute indigeant, qui si Christo accedant, sub eiusque disciplinæ iugo viuant, præterquàm quòd suauissimam vitam agent, ad sempiternam requiem euolabunt.

Matth. 11. In illo tempore, respondens Iesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.

§. I.

Prima, & præstantior virtus in principe misericordia, & suauitas.

VBi pro iusta superborum sapientum reprobatione, & humilium electione gratias Dominus agit iustissimo rerũ Moderatori; nihil in illo prius miratur, quàm paternam misericordiam, & charitatem; vndè antequam Dominum cœli, & ter-

& terræ, prædicat Patrem. Ait enim: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, &c.* Priùs Pater, quàm Dominus prædicatur, quia misericordia, & suauitas paterna in Principe prior virtus est, & præstantior. Cui sic Theodoricus Rex applaudebat apud Cassiodor. 2. variar. 9. inquiens: *Inclinari precibus nostra nouit humanitas, nec pro affectu pietatis fines potest iustitiæ custodire. Benigni quippè Principis est, ad clementiæ commodum transilire terminos æquitatis, quando sola est misericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant.* Quin potiùs omnes virtutes morales tunc triumphant, quando misericordiæ cedunt primas, vt quæ primũ in omnibus locum natura ipsa obtineat. Vndè D. Paul. 2. ad Corinth. 3. comparans Iesu suauitatem eum Mosayco rigore, inquit: *Quòd si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur. Quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* Et quidem laudabile est, & glorioſum Principi, quòd leges seuerasferat aduersus rebelles, imò quòd rebelles feriat, & morti aliquando tradat. Hoc quippè glorioſum est Principi, quòd si hoc glorioſum est, vt argumentatur Paulus, glorioſum magis debet esse Principi, quòd spiritum lenitatis habeat, quando lenitas, & misericordia primas inter omnes virtutes capit. Sapienter hîc D. Ambros. fatur: *Maior est gloria in salute, quàm in morte: & quamuis iustè damnet, tamen ad laudem magis proficit, si indulgeat, vt possit reus corrigere se.* Semper indulgentia, & paterna charitas pertinet in Principe ad maiorem eius gloriam, & laudem. Habes notissimum Phinees zelum, qui Num. 25. arrepto pugione sceleratos scortatores in ipso actu transuerberauit; sed de illo ait Psalm. 105. *Et stetit Phinees, & placauit, et cessauit quassatio. Et reputatum est ei in iustitiam in generatione, et generationem.* Non ait, *percussit Phinees*, sed *stetit*, quasi stetisset coram Deo orans, vt populo parceret; vtrumq; enim fecit vir diuinus, & duos scortatores interemit, & pro reliqua multitudine similiter peccante intercessit apud Deũ, vt parceret. Psalmista autem non tàm cantu celebrat interfectionem, quàm misericordem stationem, quãdo quod misericordiæ est, id primùm debet esse in Principis laudibus. Nazianzen. epist. 81. data Theodoro Tyanensi, ait: *Zelatoris cognomentum hinc obtinuit Phinees, quòd Madianitidem vnà cum eo, qui stuprum ipsi inferebat, gladio transfixit, atque ex Israelitica natione probrum exemit. At maiorem hoc nomine laudem tulit, quòd pro populo in scelus collapso preces fudit. Stemus igitur nos quoque, ac placemus, et cesset quassatio, nobisque istud ad iustitiam reputetur. Laudibus item affectus est Moyses, quòd ex illata Israelitæ iniuria commotus Ægyptum obtruncarit; verùm maiorem hinc sui admirationem concitauit, quòd Mariam sororẽ lepra propter quod murmurauerat, laborantem, precibus suis in sanitatem vindicauit.* Sic in omnium virtutum laude misericordia, & benignitas tulit primas. Hinc Ioann. 3. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: Non enim misit Deus Filium suum, vt iudicet mũdum, sed vt saluetur mundus.* Quomodo non misit Filium suum, vt iudicet mundum? Numquid Filius Dei non iudicaturus est mundum? Equidem iudicaturus est Filius Dei mundum, sed in nouissimo tempore, in primis enim hoc solùm curat, vt saluetur mundus. Id quod notans Euthymius in præsenti ait: *Neque solùm dedit Filium suum vnigenitum, sed & iudicium reiecit, atque in secundum eius distulit aduentum.* Hoc fecit, vt & iustitia, cæteræque virtutes misericordiæ cederent primas.

Theod. 2. Cor. 3. Ambr. Psa. 105. Nazian. Ioan. 3. Euth.

§. II.

Apud Deum latiores sunt fines benignitatis, quàm dominij.

DVo in Deo præstãtissima voluit Dominus decantare, & dominij potestatem, qua potest subiectos plectere; & benignitatem, qua potest gratias donare. Pro dominij potestate vocat Dominum cœli, & terræ; & quale dominium potest cogitari latius, quàm quod includit cœli, & terræ ambitum? Pro benignitate vocat Patrem, nec addit ampliùs; vbi enim paterna Dei vis ostenditur, eius termini, & fines supra terram, & cœlum sunt, infinita pertingũt, & increata. O nostri Dei incõprehensibilis præstantia, apud quem, cùm dominium omnipotentiæ nitatur, adhuc benignitatis paternæ longè latiores termini dantur. Reginam Italiæ sic extollebat Cassiodorus. 11. var. 1. *Ecce, præstante Deo, fœlix domina, quod habet eximium, vter-*

Cassiod.

vterque sexus, implenit. Nam & glorioſum Regem nobis edidit, & latiſsimum imperium animi fortitudine vindicauit. Quòd ſi pietatis eius velimus atria intrare, vix nobis poterunt centum linguæ, centumque ora ſufficere: cui par eſt quidem æquitas, & voluntas, ſed maior benignitas, quàm poteſtas. Hæc de Rege terreno ſumma, & incredibilis eſt commendatio; de ſummo omnium, & diuino Rege Deo noſtro ſatis verè dici poteſt, quòd licèt imperium latiſsimum habeat, & ſub dominio ſuo ponat, quidquid omnipotens eius voluntas velit facere, adhuc maior in illo elucet benignitas, quàm poteſtas, & maiora præſtat Pater, quàm Dominus poteſt præſtare. Dominantis opera ſic Gen. 1. claudit: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*; nec Dei omnipotentia poteſt excedere fines creaturarum. At de paterna benignitate ait Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mũdum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Vbi D. Chryſoſt. homil. 26. ponderat: *Vt Filium ſuum vnigenitum daret: Non ſeruum, non Angelum, non Archangelum.* Nõ enim Dei Patris eſt illa mirabilis benignitas, & charitas, quæ non ſe extendit ad quid omni creatura maius. Accipite Diu. Cyril. Alexand. lib. 2. in Ioan. cap. 51. fantem: *Vt ergo mirabilis ſit hæc Dei Patris charitas, Filius datus non creatura eſſe credatur. Filium autem eum dico, qui cũm ex ſubſtantia Patris ſit, Genitori eſt conſubſtantialis, et verus profectò Deus. Nam ſi vt vos dicitis, ex ſubſtantia Dei Patris nõ eſt, non poterit ſecundũm naturam Filius Dei eſſe. Ita mirabilis illa charitas Patris nulla eſſe videbitur. Creaturam enim pro creaturis, non verum Filium dedit.* Expende illud, nimirum, *Charitas Patris nulla eſſe videbitur*, &c. quaſi nequeat mirabilis Dei Patris charitas æſtimari, quæ non ſupra omnes creaturas ſe extendit, & increata Dei bona præſtat. Et quidem dominij diuini latitudo, etſi maxima, etſi aſſecla omnipotentiæ, tamẽ ſupra creaturas omnes non peruenit; at diuinæ, & paternæ charitatis fines nõ in creaturis ſiſtunt, ſed vſque ad increata peruenium. Hunc ſpectabat argumentum D. Ambroſ. quo probat, ab Spiritu ſancto vniuerſas creaturas fuiſſe procreatas; quãdo enim ab illo proditum fuit ſummum illud opus benignitatis, nempè Filij Dei incarnatio; neceſſum eſt, vt ipſe omnes creaturas poſſet operari. Et cur, qui altiſsimos, latiſsimoſque benignitatis terminos omnes attigit, incarnationem Verbi operatus, terminos omnes diuinæ potentiæ non attingeret, qui anguſtiores ſunt, vtpotè concluſi intra creaturarum carceres? Ait Ambroſ. lib. 2. de Spir. ſanct. cap. 5. *Accipiant documentum euidens, nihil poſſe eſſe, quod Spiritus ſanctus negetur operatus, nec de Angelis, nec de Archangelis, nec de Thronis, nec de Dominationibus poſſe dubitari, quòd eius operatione ſubſiſtant. Quandoquidem ipſe ſecundũm carnem Dominus, Spiritu in Virgine ſuperueniente, generatus ſit.* Hæc ille. Qui dedit benigniſsimè, Dei Filium gigni hominibus, quid merè creabile non faceret?

Ambr.

Gen. 1.

Ioann. 3.

Chryſoſt.

Cyr. Alex.

§. III.

Hoc Patri diuino proprium eſt, quòd de viliori materia facinora ſua educat.

SApientes erant, & prudẽtes viri in Iudæorum populo, ſimul & paruuli, & cõtemptibiles; & ij, & illi peccatores erant, & merebantur peccatis ſuis priuari lumine efficaci in ſalutis viam. Sed ecce vobis ſapientes priuantur lumine illo, paruuli illo abundant; & cur Deus ſic ſapientes mulctat, ſic paruulos ditat, quando ij, & illi merebantur vindictam? Cauſam inſinuat Dominus, dum opus Patri diuino tribuit, inquiens; *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terræ, qui abſcondiſti hæc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis.* Vbi enim Pater operabatur, non miror, quòd deſpectis ſapientibus, & prudentibus, magis velit, in paruulis ſua elucere munera, quãdo hoc propriſsimum eſt Dei Patris, quòd de viliori materia gloriam ſuam educat: cum enim illi creatio, & productio ex nihilo per appropriationem tribuantur, & operationes ex vili materia, quæ ſunt quaſi ex nihilo, illi rectè per appropriationẽ tribuuntur. Propone tibi ob oculos Deum Patrem ſe accingentem ad opus; ſimiliter & Spiritum ſanctũ, cui recreatio, & eleuatio ad gratiam appropriãtur, volentem producere opus ſuum; Pater primum Adamum meditabatur, Spiritus ſanctus ſecundum, nempè Chriſtum. De illo dicitur Gen. 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*: de hoc ait Angelus ad Mariam, Luc. 2. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi: ideò & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Pater

Gen 2.

Luc. 2.

limum

limum terræ assumit, vt ex illo hominem suum perficiat; Spiritus sanctus non limũ terræ, sed immaculatum, purissimumque sanguinem Mariæ Virginis apponit operi suo; vt meritò dicat Paulus: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Et cur primus homo non etiam de cœlo factus est; vel secundus de limo terræ? Seruant diuinæ personæ proprietates suas, vt Pater de abiectiori, & viliori materia opus educens, mirabiliora opera sua ostendat super opera Spiritus sancti, quæ de præstantiori materia fiunt. Pro quo aiebat Rupert. lib. 1. de operibus Spiritus sancti, cap. 14. *Ambos istos homines formauit Dominus Deus de limo terræ, sed illum quidem Dominus de limo terræ insensibilis, & inanimatæ, istum autem Spiritus sanctus de limo terræ, sed animatæ, id est, de humore carnis virgineæ sua formauit operatione. Vtraque formatio mirabilis. Verũtamen istam quidem mirabilem, sed illam dicere non dubitamus mirabiliorem. Ista quidem formatio venerabilior est, sed illa mirabilior.* Hoc est Patri diuino appropriatum, quòd viliori instrumento, aut materia vtens apparet in operibus suis mirabilior, quando vel Spiritus sanctus non procedat ad opus, nisi præstantiorem materiam sibi sumens. Notissima fuit visio illa exhibita Moysi, Exod. 3. vbi sic: *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Vide, quam arborem assumit Dominus, vt omnipotentiæ suæ ostendat miracula, nimirùm vile, & abiectum rubi virgultum. Verùm Apocal. 3. vbi tepido Episcopo remedium salutis datur, ait Dominus: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Illic ignis in rubo ostenditur, hìc exhibetur ignis in auro: & quæ differentiæ ratio? In rubo ignescente paternæ omnipotentię diuina virtus exhibebatur, cuius est proprium per vilia, & abiecta media ingentes salutes præstare. In auro ignito opus est Spiritus sancti, qui non circa vilia, sed circa pretiosa solet operari. Pro quo aiebat Diu. Ambros. lib. 1. de Spiritu Sanct. cap. 16. *Quis est igitur iste ignis Spiritus Sancti? Non vtique virgultis vilibus concretus, aut stipula syluarum fragosus incendijs, sed ignis ille, qui vt aurum bona facta meliorat, & vt stipula peccata consumit.* Ignita omnipotentis Patris virtus & humiles myricas assumit, vt inde præstet facinora; Spiritus sancti ignis non sic in humilibus virgultis, vt in auro pretioso solet elucere, & sua ostendere insignia. Cantatissima est illa apud concionatores Ioannis Baptistæ commẽdatio, quòd fuerit Apostolus æterni Patris; & simul Paulus, & Barnabas dicuntur Apostoli Spiritus sancti. Sed Ioannes adhuc in vtero existens, quasi vilis virgula à summo Patre assumitur, vt nuntiet Christum: at Paulus, & Barnabas non nisi post longa legis studia, cùm pleni essent doctrina, ad pedes Gamalielis instituti, tunc assumuntur à diuino Spiritu. Cui vt videtur proprium pretiosis semper instrumentis vti; sic Patri proprium est, vti vilibus, vt inde eius opera appareant mirabilia.

Rupert.

Exod 3.

Ambr.

§. IIII.

Præstantissima iudicis æquitas primos in fauoribus, etiam facit primos in seueritate.

MEritò Iesus extollit Deũ Patris nomine, in electione paruulorum; sed & nomine Domini extollit ipsum in reprobatione sapientum, & prudẽtum, inquiens: *Confiteor, tibi, Pater, Domine, cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Meritò, inquam, laudatur Deus, vt æquissimus, iustissimusque Dominus, penes quem sit gubernatio vtriusque mundi, quando eius seueritas priùs attingit primates sapientiæ, & prudentiæ, fidelis reipublicæ. Ecce tibi, qui primi erant in honoribus legis, in plausu doctrinæ, in religionis præmijs, nempè Magistri, & Principes Pharisæorum, ij primi ostenduntur mulctati priuatione diuini luminis. Quã aliter fieri consueuit apud sæculares iudices; vbi fauor præstandus est, vbi gratiæ exhibendæ, primates reipublicæ quæruntur, in quibus omnia stagnantur honoris, & vtilitatis munera. Vbi autem seueritas exhibenda est, & iustitiæ rigor, tunc primates prorsùs prætermittuntur, & res defertur ad pauperculos, & miseros. Id facit corruptissima mundialis dominatio; at vbi integra æquitas manet, eumdem ordinem & in gratijs, & in seueritate seruat; vt quos primò donis implet, ab ijs primò seueritas incipiat. Maximus ille Ioseph vbi inscios fratres conuiuio excepit, primos honores detulit ætate primis: ait Genes. cap. 43. *Sederunt coram eo primogeniti iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam.* Primates in

Gen. 43.

conuiuio fuerunt primi; & poſtremi, qui erant minimi; idque in omni fauore ſit apud mundiales iudices. Sed ecce tibi, res ſubitò commutantur, & accuſantur omnes de furto, imò vas furto ablatum requiritur: ſed ſcire cupis, apud quem inquiſitio fiat, cuius ſaccũ priùs examinet lictor miſſus? Ait Gen. 44. *Quos ſcrutatus, incipiens â maiori vſque ad minimum, &c.* A maiori etiam incipit ſeuerum ſcrutinium. O penè ignota æquitas iudicibus! Quos primates habuit in conuiuio, hos & primos habuit in ſeueritate ſcrutinij. Ait D. Ambroſ. lib. de Ioſeph, cap. 11. *Per ordinem ſingulorum priûs inſpiciuntur ſacculi: docet te moralitatem diuina ſcriptura. Per ordinem antè diſcubuerunt in conuiuio coram eo, primitûs ſecundûm ætatem, Per ordinem iterûm requiruntur ſacculi ſingulorum, vt ſcias electum cœleſti iudicio.* Non equidem mundialis, ſed cœleſtis iudicij res erat, quando in furti inquiſitione, in ſeueritate ſcrutinij non itur ad paruulos, & minimos; non curritur ad abiectos, ſed in primis itur ad ipſos magnates, & primarios. Res eſt non mundialis, ſed diuinæ æquitatis, quòd ſeueritas ſeruet ordinem, quem ſeruat fauor; & vt primarij homines primi ſunt in accipiendis fauoribus, ſic primi ſint in ſuſtinenda ſeueritate.

Gen. 44.

Ambr.

§. V.

Terrenis etiam Monarchis illi ſint cordi miniſtri, qui ſpiritu paruuli, & paruis contenti ſunt.

VBi deſpectis ſuperbis ſapientibus paruuli eliguntur in miniſterium, non otiosè vocatur diuinus Electror, *Dominus cœli, & terræ*; ſed vt videant etiã terrarum Monarchæ, quales ſibi miniſtri debeant cordi eſſe. Quippè non ſolùm ad cœleſtem politiam regni æterni, ſed & ad temporalem terreni imperij politiam, multùm intereſt, quòd miniſtri ſpiritu paruuli ſint; hoc eſt, paucis, & paruis inueniri ſoleant contenti. Argumentum hoc nullus præterijt, qui ſcripſit de mundiali regno. Accipite Saluianum, lib. 1. de gubernatione Dei, ſic fantem de columnis Romani imperij: *Minimè antiquis illis priſcæ virtutis viris, Fabijs, Fabricijs, Cincinnatis, graue fuiſſe exiſtimamus, quòd pauperes erant, qui diuites eſſe nolebant, cùm omnia ſcilicet ſtudia ſua, omnes conatus ſuos ad communia emolumenta conferrent, & creſcentes reipublicæ vires priuata paupertate ditarent. Non deſpiciebant tunc pauperes cultus, cùm ab aratro arceſſerentur ad faſces, & illis fortaſſe ipſis, quas aſſumpturi erant, imperialibus togis madidum ſudore puluerem detergerent. Itaque tunc illi pauperes magiſtratus opulentam rempublicam habebant: nunc autem diues poteſtas pauperem facit eſſe rempublicam. Et quæ, rogo inſania eſt, aut quæ cæcitas, vt egeſtuoſa, ac mendicante republica, diuitias poſſe credant ſtare priuatas?* Piaculum duxi aliqua horum verborum debere, vt quæ demonſtrent reipublicæ fulcra eſſe illos magiſtratus, qui paucis, & paruis erant contenti, nec volebant ipſi diuites fieri. Hoc enim euidentiſsimum eſt, quòd vt cum mendicante republica non poſſunt durare, & conſeruari diu diuitiæ priuatæ; ſic cum magiſtratibus priuatas abiurantibus diuitias, non poteſt reſpublica non creſcere, & penè in immenſum dilatari. Hæc ſunt duo fœliciſsimi iudicis Gedeonis ſigna, Iudic. cap. 6. Pro altero ſic ait: *Ponam hoc vellus lanæ in area: ſiros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, &c.* Hoc videns Gedeon expreſſum ſignum, nondum quietus manſit, ſed ad alterum feſtinat petendum; ait enim iterùm: *Oro, vt ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens. Fecitque Dominus nocte illa, vt poſtulauerat, & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra.* Hìc quieuit Gedeon, nec aliud ſignum expectauit, vt crederet, per manus ſuas poſſe reipublicæ proſtratæ ſtatum reparari. Cur ergo in hoc ſecundo ſigno magis quieuit, quàm in primo? An hoc ſecundum exprimebat magis modum aliquem particularem reipublicæ reparandæ? Equidem præter myſteria ibi explicata à Patribus, ego duo clariſsima exempla contemplor euentuum, qui reipulicæ accidunt per magiſtratus. Vbi enim magiſtratus inſtar velleris, ſic rorem cœleſtem ſitit; ſic bona, quæ cœlo auctore proueniunt, ſibi, ſuiſque ſolis accipere amant in omni terra; in omni republica ſiccitas eſt, & campi, & areæ vniuerſæ flaceſcunt, & prorsùs arent. Vbi autem magiſtratus non ſitit rorem, non diuitias ſibi, & ſuis amat, ſed paucis contentus vitam agit, ros in omni terra eſt, reſpublica rigata bonis

Salu.

Iud. 6.

nis reuirescit; campi, & areæ replentur vbertate. Cùm videris agricolas rarescere, regni agriculturam deficere, oppida, ciuitates ruinas minari, cur tantæ siccitatis, & ruinæ non vides causas? Vide magistratuum vellera rore plena; vide magistratus, in hoc solùm intentos, vt sibi, & suis bona trahant. Vtinam magistratus ficci vellent esse, & aridi: vtinam paucis contenti ingens diuitiarum augmentum recusarent. O quàm areæ diuites essent cœlesti rore! O quàm vigeret respublica inter aridos magistratus! Ioannes Baptista militaribus Principibus hoc mandabat, Luc. cap. 3. *Contenti estote stipendijs vestris*: quasi non velit ab ijs concupisci bona alia, quæ super taxata ab Imperatore stipendia haberi possunt. Sed quando negotiatoribus omnibus licet, non esse contentos mediocri aliquo lucro; sed possunt licitè maiora expetere alia: cur vult Ioannes, vt qui rempublicã defendunt, & muniunt, sint adeò pauperes spiritu, vt recipientes taxata stipendia, contenti sint, & nihil velint accipere aliud? Rem pulchrè attigit Ferrandus Diaconus in Parænetico ad Reginum Comitem, regul. 2. fatus: *Hinc autem plerumque maximis ciuitatibus afflictio nascitur, hinc grauissimæ crudelitates, hinc mille artibus lucri exquisita compendia. Hinc venalitas in iudicijs, hinc remissio in prælijs, hinc totius reipublicæ diminutio. Si Dux cœperit non esse contentus stipendijs suis, & super emolumenta publica, priuatis amplificari commodis cupiens, vtilitati tantùm suæ curam gerat, salutem verò negligat subditorum, talis Dux non est circa æquales modestus pariter, & suauis, sed litigiosus, & auarus. Non est circa inferiores mansuetus, sed crudelis, personarum acceptor, et difficilis.* Sanè magistratus, qui non est liber ab omni siti diuitiarum, nunquam non multa mala infert ciuitati. Hæc sit reipublicæ conseruatoris vox: solum vellus sit siccum, & omnis terra rore madeat; solus magistratus excludat à se habendi cupiditatem, & fallar, nisi arua afferant fructus, & campi repleantur vbertate.

Matth. 11. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium nisi Pater, nec Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.

§. VI.

Seueritas in malos non potest diuini Spiritus non esse. Nec enim Spiritu Dei agitur, cui non militat & timor, & amor.

REprobationem sapientũ à Patre Deo peractam approbans Iesus, admirationem nobis faceret, dum in eo seuerus & ipse videretur, qui omnis suauitatis, & misericordię fons aduenit. Quid ais, Domine, *Ita Pater*, vt videaris approbare seueritatis sententiam latam aduersus sapientes? Nonne tu Deus omnis consolationis, & omnis bonitatis? Quid tibi cũ repulsa sapientũ? Iam ad hæc respondent illa verba, scilicet, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, &c.* Debuit Iesus, vt Patris diuinitate gaudebat, sic omnia pro stabiliendo bono fieri. Omnia, & quæ ad benignitatem, & quæ ad seueritatem spectant, debent in promptu esse illi, qui diuinum Spiritum ebibit. Quod argumentum conficiens Tertull. lib. 2. in Mar. tandẽ ait de Deo, vt debeat seuerus esse. *Qui boni auctor, nisi qui & exactor? Quis expugnator, nisi qui & punitor? Sic denique omnipotens, quia iuuandi, et lædẽdi potens. Sic totus Deus bonus est, dum pro bono omnia est.* Omnia debent esse in promptu bono Deo, quæ possunt ad exterminationẽ mali, & boni promotionem prodesse. Quid equiti interest, quòd habeat habenas, quibus equum retrahat à præcipitio, nisi & habeat calcar, quo ad cursum excitet? Tunc solus bonus, & perfectus eques est, cùm pro equi præstantia omnia est. Tunc te totum bonum, & Deo plenum æstima, cùm pro Deo, & virtutũ bono omnia scieueris esse. Quid, quòd scieueris esse amori, nisi scieueris esse timori? Quid, quòd benignus sis, nisi scias esse seuer? Equidẽ si Deo impleris, si Deo es, omnia in prõptu debes habe-

habere, vt te facias amari, sed & timeri.
Deut. 10 Deuth. 10. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit â te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, et diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua?* Deus est, qui petit, vt timeatur, & qui petit, vt ametur; quasi nesciat Spiritus Dei esse, nisi qui omnia pro virtute est. Tertull. lib. 2.
Tertull. in Marc. *Lex vtrũq; definit, diliges Deũ, & timebis eum. Aliud obsecutori proposuit, aliud exorbitatori. Ad omnia tibi occurrit Deus, idem percutiens, sed & sanans; mortificans, sed & viuificans; humilians, sed & sublenans; condens mala, sed & pacem faciens.* Non est Deus, qui pro bono non est omnia; non est Dei Spiritus, qui altera gaudet parte solùm benignus, vel seuerus solùm; ad omnia occurrat, necessum est, ad seueritatem, vel ad benignitatem, prout fuerit opus. Hinc Iesus in præsenti aiebat: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terræ.* Vbi Patrem vocat, quid necessum fuit vocare Dominum? In Patre benignitatis aperiebat fontes; in Domino seueritatis ostendebat rigorem; nec satis diuinitatem eius explicasset, si benignitati paternæ non admisceret rigorem. Tertull.
Tertull. lib. 2. in Mar. *Vsque adeò iustitiæ etiam plenitudo est diuinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum, et Patrem, et Dominum: Patrem clementia, Dominum disciplina: Patrem potestate blanda, Dominum seuera: Patrem diligendum piè, Dominum timendum necessariè. Diligendum, quia malit misericordiam, quàm sacrificium: & timendum, quia nolit peccatum. Diligendum, quia malit pœnitentiam peccatoris, quàm mortem; timendum, quia nolit peccatores sui iam non pœnitentes.* Nunquam planè Deum statuis, si separes ab illo seueritatem; & seueritas, & benignitas perfectum Deum ostendit, qui pro bono, & virtute omnia est, tàm in ijs, quæ spectant ad amorem, quàm in ijs, quæ spectant ad seueritatem. Ne tu aliter velis te habere, cum Dei Spiritu ageris; sed nec aliter credas, Deum appariturum tibi, nisi sub vtraque virtute seueritatis, & benignitatis. Vndè monebat
Chrysost. Chrysost. homil. de proditione Iudæ: *Nõ ergo videndo meretricem, de tua liberatione desperes; sed & Iudam cogitando, non debes esse securus: vtrumque enim periculosum est, & confidentia, et desperatio; nam & confidentia stantem euertit, & desperatio post lapsum non admittit exurgere.* Vt enim periculosum est, nimis hærere aut benignitati, vndè oritur confidentia, aut seueritati, vndè oritur desperatio; sic salutare est, vtrumque spectare; & in amore, & timore nostram salutem operari.

§. VII.

Per Iesu manus omnia nobis salutaria redduntur.

NOn otiosè clamat Iesus, dicens: *Omnia tradita sunt mihi â Patre meo*: sed vt videntes nos omnia in Iesu manibus esse, nihil inde nõ salutare expectemus: quippè ait D. Athan. homil. in hæc
Athan. verba: *Postquam illi tradita sunt omnia, et factus est homo, correcta sunt omnia, et perfecta terra pro maledictione benedictionem obtinuit; paradisus reseratus est: infernus sæmetu contraxit: monumenta aperta sunt, resurgentibus mortuis: portæ cœli elenatæ sunt, vt intraret ille ex Edon.* Ecce tibi, vt creaturæ omnes in manu Iesu positæ, vbi per Iesum ad nos transeunt, quàm salutarem conditionem nanciscantur. Homini dicebat Dominus, Genes. 3. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea.* Septuag. posuere: *In tristitijs comedes, &c.* Sic omnis terra plena fuit maledictione, vt vix succus elici ab ea possit, nisi mille laboribus, mille tristitijs plenus. Isaias autem cap. 12. ait: *Hauritis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Ibi cibus datur in tristitijs, hìc potus in gaudio; quando omnis terra tristitijs manat, vndè exire possunt aquæ in gaudio? Iam ipse dicebat, nimirùm, *de fontibus Saluatoris.* Sanè aquæ recipiunt qualitates venarum, per quas transeunt; quæ per ferri venas veniunt, ipsæ ferreæ, & graues sunt; quæ per sulphuris venas currũt, & nociuæ sunt, & pestilentes. At, quæ per auri fodinas transeunt, hæ suauitatem, & salutem halant. Sic vniuersa mundi bona, vbi de maledicta terra exibant, nihil nisi nociuum referebant, & malum: at in Iesum, benedictam, & auream terram, tanquam in fontem translata, & per Iesum nobis data nõ possunt non generare & salutẽ, & gaudia. Ad hæc pulchrè Imperf. hom. 28. in
Imperf. Mat. *Omnia Iesu tradita sunt, cœlestia, terrestria, et infernalia. Cœlestia quidem, vt iam nunquam sint rebellantia: nec dicat aliquis eorum: Ponam sedem meam in nube, similis ero Altissimo. Terrestria, vt relinquentes idola, et peccata, credant in eum, et obe-*

obediant eius mandatis. Infernalia, vt vocentur ad vitam, vt in nomine Iesu omne genu flectatur. Cœlestia, vt sint in aditorio terrestribus. Terrestria autem, vt fiant imitatores cœlestium. Infernalia, vt iam non expugnatione hominum proficiant, sed ad probationem Sanctorum. Sic omnia per Iesum ad nos profecta nobis fiunt proficua, & salutaria, etiam illa, quæ erant nociua, & pernitiosa anteà, nisi nos ipsi nostra culpa velimus ea noxia reddere. Nihil enim, quod per Iesu salutiferas transit manus, non salutem, & vitam halat. Hinc erat ille propheticus clamor ad diuinum
Psal. 71. Patrem, Psalm. 71. *Deus, iudicium tuum Regi da.* Fecerat enim diuinus Pater iudicium de homine peccatore; sententiā tulerat, qua nos omni bono spoliabat: manebatque hoc iudicium conscriptū in diuinis scrinijs apud Patrem. Contendit ergo Dauid, vt hoc iudicium detur Regi Messiæ, detur Iesu filio suo. Quid tunc? Quid, quòd iudicium nobis aduersarium detur Regi Iesu? Petendum erat magis, quòd deleretur, quòd rescinderetur, cur non petit Dauid, quòd rescindatur, sed quòd detur Regi? Equidem sciebat, quòd si semel Iesu manibus traderetur sententia illa, fieri non posset, quòd suam vim non frangeret, & inde ad nos perueniret
Athan. nō lethalis. Ait D. Athan. hom. in hęc verba, *Omnia tradita sunt, &c.* in qua fatur: *Ideò in septuagesimo primo psalmo ad istū modum inducuntur loqui, qui super humano genere preces fundunt: Deus, iudicium tuum Regi da, vt et iudicium mortis contra nos, quod hactenus constituerat, traderetur filio, ac iam deinde ipse in se ipso illud aboleret.* Nec dubium, quin à Iesu manibus nihil ad nos lethale perueniret; imò quæcumque mala, quæcumque nocumenta per Iesum ad nos transirent, ibi omnem vim nocendi amitterent, & nobis salutaria existerent. Quò spectans ipse Do
Ioan. 17. minus, Ioan. 17. ait: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Ecce ad quid data sunt Iesu omnia in manibus, nempè vt omnibus faciat halare salutem, & vitam. Ad hæc dicebat
Imperf. Imperfectus, hom. 28. in Matth. *Iesu tradita est vita, & mors, vt nec vita ad peccatum sit homini, nec mors ad pœnam: sed vt qui viuunt, lucrum iustitiæ benè viuentes faciant, et qui mortui fuerint, melius viuant, regnantes in cœlo. Iesu traditæ sunt diuitiæ, et paupertas. Vsq; nunc enim paupertas blasphemare cogebat, furtum committere suadebat: diuitiæ autem inflabant, nocendi virtutem præstabant. Nunc autem Iesu traditæ sunt, vt paupertas, dum magnanimiter sustinetur, ad gloriam Dei proficiat; et diuitiæ, dum misericorditer dispēsantur, ad gloriam Dei proficiant, &c.* Et quidem per Iesu manus omnia transeunt in melius. Fœlices nos, quibus contingit, nihil nisi de Iesu manibus habere; de Iesu autem manibus, quid non floridum? Quid non mille suauitatibus plenum? Iesu meo aptare libet epigramma datum à Venantio, lib. 6. Chlideberto Regi, qui ma- Venant.
nu propria plantauerat hortum.

De cultore trahit mellitum planta saporem
Forsan & hîc tacitus miscuit ille fauos.
Regis honore nouis duplicata est gratia pomis,
Suauis odor nari, dulcis in ore sapor.
Qualiter ille hominum potuit prodesse saluti,
Cuius & in pomis tactus odore placet?

Omnia Iesu meo veraciter dixisset, de cuius manibus creata omnia habēt plùs proficere, plùs placere; & quando Iesu manus sic vel creaturas insensibiles perficit, qualiter perficiet hominum mentes?

Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugū meū super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meū suaue est, & onus meum leue.

§. VIII.

Vix est liberalitas, nisi quæ bona sua egentibus tribuit.

COnueniant huc, quicumque liberalitate insigni amant cognosci, & discant

cant ab omnium virtutum Magistro Domino Iesu, quales quærendi sint receptores suorum munerum. Quos vocat liberalissimus Dominus, & liberalitatis exéplar, vt sua communicet? Sanè ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Nunquam enim ad liberalem pertinet, alijs, quàm egẽtibus sua bona largiri. Præclara est in hanc rem illa sententia Cassiodori. 12. var. 27. *Egentibus visum est, nõ diuitibus subuenire, fundit potiùs, qui mittit in plenum.* Quid pulchrius? Et quidẽ circa diuites omni substantia plenos munerabundos non liberalis erogatio versatur, sed prodigalitas effusa. Aiebat Paulus. 1. ad Timoth. vlt. *Diuitibus huius sæculi præcipe: facilè tribuere, communicare.* Quibus verbis sese iactare possent prodigi homines, quòd & ipsi iuxta Apostoli sententiam viuant, dum facilè tribuunt, & bona sua libenter communicant. At explorandum illis erat, quibus tribuant; dum enim non pauperibus, sed diuitibus, & plenis tribuunt, non liberaliter tribuunt, sed prodigunt, & effundunt. Sic D. Thom. 2. 2. quæst. 119. art. 2. ad. 2. inquit: *Apostolus monet diuites, vt facilè tribuant, & communicent sua, sicut oportet: quod non faciunt prodigi; quia, vt Philosophus dicit in 4. Ethicorum, dationes eorum non sunt bonæ, neque boni gratia, nequè secundùm quod oportet; sed quandoque dant multa illis, quos oportet pauperes esse.* Ecce tibi iuxta Angelicum Doctorẽ, donationes, quæ offeruntur minimè egentibus, non tàm liberalitatis, quàm prodigalitatis sapiunt effusionem. Vndè monebat Dominus, Luc. 14. *Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neq; vicinos diuites.* Qui erunt igitur vocandi; làfatur: *Voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi.* Vix permittit liberali homini buccellam panis dare diuitibus. Quod ponderãs D. Chrysost. in epist. ad Cellos. homil. 2. ait: *Dic, quæso, si inter seminandum, alia quidem super petram, alia in terram bonam proieceris, an & satis tibi fuerit hoc, vt dicas, quid damni est; si alia quidem temerè, & inaniter, alia verò in terram bonam proiecerimus? Nam qua ratione non omnia in terram bonam? Et si fœnerandum sit, non dices: quare hæc quidem egentibus, ista verò diuitibus dabimus? Quin demus illis omnia. Hic verò, vbi tantum est lucri, non reputabis istud, & cessabis aliquando vanè sumptum facere, & frustrà bona tua perdere*

Cassiod.

1. Timo. vlt.

Chrysost.

D. Tho.

Luc. 14.

Chrysost.

Pulchrè vir diuinus duobus exemplis ponderat absurditatem eorum, qui diuites vocant ad prandium, & communionem rerum suarum. Alterum est seminatoris, qui cùm posit semen suum in terram bonam iacere; absurdè facit, si vel minimũ iaciat in petras, inter quas fructus perdatur. Sic perditè facit, qui diuitibus præstat aliquid. Alterum exemplum est fœneratoris, qui vbi maius lucrum appetit, diligenter cauet cum diuitibus inire pactum; sed potiùs ad pauperes abijt, de quorum paupertate fœnus mirum in modũ adauget. Sic homo liberalis, qui bona sua perdere nequit, caueat diuites, adeat pauperes, de quorum subleuatione, quis numeret, quãta lucra capiet? Ad hæc ipse Chrysostom. homil. 28 in Matth. addit: *Si verò non credis, tẽta tu, qui dines es, qui Duces, & Principes vocas, voca pauperes, & ex his imple conuiuium, nisi ab omnibus tibi plaudatur, nisi ab omnibus ameris, nisi omnes vt patrẽ habeant.* Et quis ex dono diuitibus dato aliud acquisiuit, quàm doni amissionem? Quis ex conuiuio Principibus parato, & diuitibus recepit aliud, quàm sumptum, & bonorũ perditionem? At ex his, quæ pauperi dantur, hoc consequuntur omnes, vt ab omnibus celebrentur eorum dona, vt maneant in æterna memoria. Vbi enim ad veras laudes hominis cuiusuis vẽtum est, hoc maximè student laudatores, ne sciantur Principis sui sumptus facti cum alijs Principibus, & diuitibus; illa sola publicant, quæ profuerunt egenis, ex quibus penè incredibilem nituntur elicere hominis commendationem.

Chrysost.

§. IX.

Nequit fieri, vt quæ per multorum manus tribuuntur, non defluant cum magna accepturi iniuria.

REfectionem promittit Deus suis militibus, quam ipsemet per se præstet, non quam præstet per alios, & alios ministros. Ait enim: *Ego reficiam vos:* non mandabo alijs, non ministrorum seriem statuam, per quorum manus mea dona currant. Proh Imperatoris mundi sapientissimum consilium! Vtinam sic possent facere mundiales Principes; verum quia multis ministris vtuntur, quorum alij maiores

iores sunt, alij minores, alij infimi, per tot manus sic regales donationes corrumpuntur, vt nihil veniat à Rege sine accipientis iniuria. Mundialis monarchiæ exemplum esto statua illa Regi Babylonio ostensa, Dan. 3. Huic erat caput aureũ. Quid pretiosius? Quid pulchrius? Sed capiti aureo brachia, & pectus argenteum hæret: his venter æneus: huic crura ferrea, quæ tandem excipiunt puluerei, testaceiq; digiti. Aurum in se & purissimum, & pretiosissimum est; ast si descendere incipiat, & pectoris argento immisceatur, iam aliquid eius pretiositatis minuitur; si amplius descendere pergat, & per æris, ferrique, & pulueris mixturas decurrat, quis neget plurimùm à puritate, & pretiositate degenerasse prima? Sanè quod aurum erat in capite, in infimis aut æs redditur, aut puluis. Est equidem Princeps caput aureum, nihil non pretiosum, & purum, & lucens cogitans suis subditis. Sed sunt Principi affixi argentei ministri, nempè viri à Rege secundi, hi post se habent alios inferioris pretij, videlicet instar æris, quibus vtuntur. Et post hos inueniuntur alij prorsùs valoris infimi, quasi ferrei, vel nati ex puluere. Regia ergo munera licèt in capite sint pretiosa, vbi per tot diuersi valoris ministros, etiam per infimos, & testaceos distribuuntur, quis speret minimè corrũpenda? Mirum erit, si non reddantur vicina nihilo. Huc penè spectabat Cassiod. lib. 12. var. 11. *Aurum ipsum cùm soluitur in liquorem, nisi mundissimo caliculo suscipiatur, inficitur: quando puritatem sui illa sola custodiunt, quæ nulla sordium admixtione fuscantur. Quàm gratum per niueos caliculos riuulos videre currentes? Et ipsam quodammodo naturæ liberã ridere puritatẽ, quando in nullis maculis iniuriata turpatur? Sic dona Regum nulla debent pollutione fuscari; sed sicut ab ipso exeunt copiosa, ita debent ad cines peruenire purissima: mutant enim quamlibet largitatem rapientium manus. Et sicut fontis puritas per limosa corrumpitur; sic affluentia boni Regis auaris distributionibus immutatur.* Deberent auri riuuli per purissimos caliculos currere; deberent aurea Regis munera per manus tradi purissimas; ast vbi præstò sunt ministrorum turbæ, alię alijs inferiorens, vsque ad infimos; vt per limosa curres aureus liquor corrumpitur, sic vbi per tot officia ministrorum, mediocrium, & infimorum decurrunt regia munera, non possunt non mutari, & minui cum accipientium inopia. Ex hoc lucem capit illud Ecclesiast. cap. 5. *Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij.* Expende rationem, ob quam non mirãdum sit, quòd iniuriæ, & calũniæ, & iniustitiæ fiant, nimirum, *quia excelso excelsior est alius, &c.* Non administrantur res per vnum Regem, aut Principem immediatè; sed est ministrorum gubernantium quasi scala, in qua alij sunt superiores, inferiores, & infimi alij; vt sic iustitia per multorum manus, à supremo Rege deriuata vsque ad infimum, & vilissimum ministrũ, multum de integritate amittat, & vel diminuta, vel corrupta perueniat ad egenos tradita per tot manus.

Eccl 5.

Cassiod.

§. X.

Peccatum maximè deprimit, & grauat.

AD laborãtes, & oneratos clamat Dominus: *Venite ad me, qui laborati, & onerati estis*; onerati, inquam, non alio onere, quàm peccati, quod est maximum onus, & maximè nos deprimens, & grauans. Nautæ illi, qui secum ferebant Ionam, vbi viderunt nauim sæuissima tẽpestate agitari, nihil prius curarunt, quàm nauim alleuiare, immissis omnibus oneribus in mare. Ait enim, Ion. cap. 1. *Miserunt vasa, quæ erant in naui, in mare, vt alleuiaretur ab eis, &c.* Sed non alleuiatur nauis, missis oneribus; seruabatur enim adhuc in naui Ionas, qui vt peccatũ inobedientiæ habebat, sic deprimebat, & grauabat nauim super omnia onera alia. Pulchrè Diu. Chrysost. homil. de Iona, fatur: *Nautæ nondum agnita causa naufragij nauim aliquantarum rerum iactatione subleuari arbitrabantur: & nihilominus nauigium turbabatur. Apud se enim peccati sarcinam retinebant, et magis, magisque Prophetæ corpore grauabantur, nõ corporis magnitudine, sed peccati.* Vanè nitebantur onera nauis tollere, dum non tollebant Ionam, in quo erat onus peccati longè omnibus alijs oneribus grauius, & valès submergere nauem. Vndè Tertullian. carm. de Iona, sic nautis consulit:

Ion. 1.

Chrysost.

Quin date præcipitem causam, nauemq; leuantes

Vnum onus hoc magnum pelago iactare volentem.

Expende verba illa, *Vnum onus hoc magnum*; quæuis enim alia onera, etsi importabilia videantur, onera non sunt, si cum peccati onere comparentur, quod solum onus magnum est. De fœmina quadam dicitur, Luc. 13. *Habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: et erat inclinata, nec omninò poterat sursum respicere.* Inclinabatur ad terram fœmina hæc, quasi qui sub aliquo ingenti pondere pressus vergit ad infima. Sed quod pondus sic illam grauabat, quando solùm dicitur, spiritum infirmitatis habuisse? An spiritus grauare potest, aut deprimere. Non spiritus, sed spiritualis nequitia latens intùs illam sic deprimit, & ad terram inclinat. Ait D. Chrysolog. serm. 105. *Habebat spiritum infirmitatis, et erat inclinata: patebat vulnus, sed auctor vulneris non patebat: languorem videbant cuncti, sed languoris materiam non videbant; erat in aperto pœna, sed in ipsa pœna carnifex latebat indutus: corpus aspiciebatur incuruum, sed non aspiciebatur incurui corporis pondus. Ars nequissimi spiritus corporis necessitas credebatur.* Vbi nequitia spiritualis in fœmina latebat, ibi erat pondus inclusum potens inclinare fœminam ad terram, imò illam penitùs opprimere.

Luc. 13.

Chrysol.

CAPVT III.

Disputatio cum Martha, de optima parte.

EXCEPTVS Iesus in castellum, non paruam Marthæ quæstionem absoluit: querebatur illa, quòd sola relinqueretur parando tanti hospitis conuiuio, cùm interim Maria soror quieta sederet ad pedes Christi. Nihil tamen profuit Marthæ querela sua, quin potiùs eius sollicitudini prælata fuit à vero iudice Mariæ quies.

Luc. 10. Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam: huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secùs pedes Domini, audiebat verbum illius.

§. I.

Misericordi, hospitalique viro nunquam deficiunt clarissimi fratres, & propinqui.

VIx Iesu hospitatrix Martha ob oculos ponitur, & statim subijcitur illud: *Huic erat soror, &c.* quasi iam inde pateat benefici, & hospitalis animi nõ vulgare commodum, quòd nusquam sit solus, sed clarissimam vbiq; potiatur manum fratrum, & propinquorum. Zachar. 4. ait: *Isti sunt duo filij olei, splendoris, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ.* Et quidem notanter dixit, duo filij olei, splendoris; qui enim misericordiæ oleo inungitur, nequit esse vnus, & solus, sed splendidissimis gaudet fratribus, propinquis, & socijs. Solus fugerat Moyses ab Ægypto in Madiam; vbi Iethro filias inuenit, earum greges adaquauit; quod à Iethro cognitum cùm esset, Exod. 2. ait: *Quare dimisistis hominem? Vocate eum, vt comedat panem. Iurauit ergo Moyses, quòd habitaret cum eo. Accepitque Sephoram filiã eius vxorem.* Hìc licet admirari & Moysis, & Iethri fœlicitatem: Moyses solus, peregrinus, à suis remotus, inter barbaros Madianitas agens, ibi per potum præstitum ouibus Iethri, regios, & clarissimos sibi fratres, & cognatos facit. Iethro item barbarissimi populi Princeps, & ipse barbarus virili semine orbus, per peregrini hospitium, & exhibitionem panis, filium nanciscitur, cui obediant maria. Quid de beneficentia, & hospitalitate dici potest in præsenti clarius, quàm quòd exsufflet solitudinem, & orbitatem, & vel in populo barbaro clarissimos, & splendidissimos fratres, & cognatos nanciscatur? Ad hæc D. Chrysost. hom. 30. in cap. 16. ad Rom.

Zach. 4.

Exod. 2.

Mag-

Chrysost. *Magnus est fructus hospitalitatis, & vehementer magnus: sic & Iethro, tametsi barbarus esset, generum adeptus est, tanta potestate mari imperantem.* Orbitatem, & solitudinem ignorat hospitalitas, cuius propriū est, vndiq; colligere fratres, cū quibus floreat, & gaudeat. De immisericordi homine asserebat Ecclesiast. cap. 4. *Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat, dicens: cui laboro, & fraudo animam meam bonis?* Compone modò hæc verba cum ijs, quæ in principio dicebamus ex Zacharia; ibi de misericordiæ filijs ait: *Sunt duo filij olei, splendoris*, in præsenti de auaritiæ filijs dicitur: *Vnus est, & secundum non habet, neque filium, neq; fratrem.* Ille emolumentis splēdidissimæ societatis, & cognationis vbique gaudet; hic nunquam nō sentit sordidissimam orbitatem, vnus agens absque fratre, absque propinquo, absque familiari. Sed illud valdè Ecclesiastes miratur, quòd in tàm sordida orbitate positus auarus, non recogitat eam; ait enim: *Non recogitat, dicens: cui laboro?* Et quid, si recogitaret? An posset inuenire modum, quo illam orbitatem exueret, & se cognatis amplificaret? Sanè per facilem inueniret modum, nimirùm, si solum sese ad misericordiam excitaret, nullam sentiret orbitatem. Quò spectans Chaldæus Complutensis ait: *Est vir solus, & non est ei secundus: filium quoque, & fratrem non habet, vt sit hæres substantiæ suæ, & non est finis vniuerso labori suo; oculus quoque eius non potest satiari diuitijs, & non dicit in corde suo: cui ego laboro, et fraudo animam meam bonis? Surgam, et faciam ex eo eleemosinam, et lætabor in hoc sæculo cum filijs hominum, et in sæculo venturo cum iustis.* Ideò vnus est, & solitarius, & omni propinquo orbus, quia nunquam recogitans dicit, surgam, & faciam eleemosinam; si enim hanc faceret, non solitarius esset, neque orbus, sed medijs viueret in filijs hominum, vbique inueniens & propinquos, & fratres, & sorores. Quō spectans Olympiodorus ait: *Vnum hoc loco accipit, qui seipsum tantummodo fouet, ac diligit: qui nec habere quidem velit filios, aut fratres. Nam qui desiderio illorum tenetur, quamuis natura nullos affines, et consanguineos habeat, quia tamen charitatem scrutatur, omnes homines, quamuis externos, esse sibi filiorum loco putat, et fratrum.* Non potest non abundare fratribus, atque propinquis, qui sub signis charitatis, & misericordiæ viuit.

Eccl. 4.

Chald.

Comp.

Olymp.

§. II.

Misericordia in pauperes facit domos, & æternat.

TRes erant fratres Lazarus, Martha, & Maria; & è tribus Marthæ domus appropiatur, de qua dicitur, *excepit illum in domum suam.* Nec miror, quòd vni Marthæ domus attribuatur, quando de illa singulariter prædicatur virtus hospitalitatis: hospitalitas enim, & misericordia & domos hominibus facit, & eas sola valet æternare. De obstetricibus Ægyptijs, quæ fecerunt misericordiam Israeli, ait Exod. cap. 1. *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos.* Quid est, ædificauit eis domos? Crediderim cum Caietano, id & materiale ædificium, & simul metaphoricum, quale fit ex progenici, & posteritatis perennitate, importare. Sic vulgò domorum erectores vocantur, à quibus familiarum splendor in ædificijs, & in longa progenie ortum habuit. Huc ergo conueniant mundiales homines, qui operam nauant domibus illustribus erigendis, æternandis, & videant, quibus copijs id præstare valeant, nimirùm misericordia, & charitate. Vna misericordia est, quæ domos facit, in quibus æternùm firmetur generis humani claritas. Ad hæc dicebat D. Chrysostom. in epist. ad Heb. hom. 15. *In hæc igitur ædificia studeamus nostras euacuare pecunias, nec fabris, nec structoribus, nec operarijs opus habebimus. Manus namq; pauperum, tales domos ædificant claudi, cæci, vel debiles isti, qui domos illas ædificant, et non mireris; eleemosina quippè artifex magna confixit, et auxiliatrix eorum, qui illam faciunt.* Aeternùm duraturas domus, qui sibi erigere meditatur, non curet alios artifices perquirere; eleemosina, & misericordia artifex est, de cuius munere venit, quòd domus stabiliantur, & nouis in dies augmentis irradient. Vbi noster dicit Prouerb. 14. *Misericordia, & veritas præparant bonum*: Legunt Septuag. apud Salazarem nostrum: *Eleemosina autem, et fides apud fabricatores bonos*: vt iam non inueniantur boni fabricatores domorum, apud quos non sit eleemosina, & misericordia in pauperes. Pro quo dicebat. Ecclesiasticus, cap. 44. *Illi viri misericordiæ sunt,*

Ex d. 1.

Chrysost.

Bron. 1.

sunt, quorum pietates non defuerunt; cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum, & filij eorum propter illos in æternum manent: semen eorum de gloria eorum non derelinquetur. Ex. ende, qualia ponat virorum misericordium signa, nimirùm diuturnitatē domus in splendore familiæ, filiorum, & nepotum. Non potest misericordiæ domus deficere; semē enim misericordum, & gloria eorum non derelinquetur, & filij eorum propter illos in æternum manent. Hinc illa Sunamitis, 4. Reg. 4. cùm absque liberis esset, in penè ruitura domo hospitium Elisæo parat, & eius precibus filium impetrat à Domino. Sed iam duodenis puer in matris gremio moritur. Quid tunc? Peribit domus patens pauperi hospiti? Quid faciet bona mater filio mortuo: vnico fulcro suæ domus? 4. Reg. 4. Ait textus: *Ascendit autem, & collocauit eum super lectum hominis Dei, & clausit ostium.* Magnum quid cogitabat de cubiculo, & lecto parato hospiti, vt notat Chrysost. & ideò cùm illi præstò esset lectulum filij, ab hoc abstinuit, & sumens cadauer pueri, non in alio lecto collocat, quàm in eo, quod parauerat hospiti, iam tunc sperans non posse non in hospitio exhibito pauperi reparari, imò reædificari lapsam domum cum filio mortuo. Pro quo aiebat Diu. Ambros. epist. 12. ad Irinæum, citatus à Glossa in præsenti: *Sunamitis illa magna mulier in superioribus hospitium parauit, & ibi concipiendæ sobolis meruit prærogatiuam. Ibidemque resuscitati pignoris vidit miracula.* Ecce tibi, vbi incepit ædificatio, & reædificatio domus in filijs, & nepotibus; dum parat hospitium pauperi Prophetæ, per hunc affectum misericordiæ accipit, posse sperare diuturnitatem suæ domus. Ambr.

§. III.

Maria Virgo omnes suæ gentis virtutes in se habet.

GRunniunt hæretici, cùm audiunt Mariæ Virginis ascendentis in cælū triumphum sub harum duarum sororum euangelio decantari. Quid Marthæ, & Mariæ œconomia cum triumpho ascendentis in cœlum Dei Matris? Pulchrè Ecclesia Romana apposuit triumpho Reginæ cœli, quod Roma Ethnica apponebat suis Imperatoribus triumphantibus. Hæc triumphatori iuueni maiorum etiam addebat tumosas imagines, vt ostenderet in vno omnia prosapiæ veteris facinora renouari. Sic Ecclesia Romana Israelitarū virtutum imagines, nempè Martham, & Mariam, in quibus hospitalitates, & propheticæ contemplationes veteris testamenti exprimebantur, apposuit triūpho Mariano, vt in vna Dei Matre, quidquid fuit in veteri populo, glorioſè ostenderetur renouatum. Propone tibi ob oculos in Martha Patriarchas veteres hospitantes, & Deum, & Angelos, in Maria Prophetas diuinitatis arcana rimantes, contemplantes, nullam in ijs inuenies virtutem, quæ in nostra triumphatrice non appareat. In immensum extollit Reginæ suæ virtutes Cassiodor. 11. variar. 1. inquiens: *Hanc si parentum cohors illa regalis aspiceret, tanquam in speculo purissimo sua præconia mox videret. Enituit enim Amalus fœlicitate, Ostrogotha patientia, Athala māsuetudine, Miniaurius æquitate, Vnimundus forma, Thorismus castitate. Cognoscerent hic profectò vniuersi sigillatim propria, fœliciter fatērentur esse superata, quando vnius præconium cum turba se potest æquare virtutum.* Hęc de Regina Italiæ dicebat Cassiodorus, longè veracius dicenda de cœli Regina, quam si totius suę gentis regalis illa, & prophetalis cohors vellet aspicere, tanquam in speculo sua præconia mox videret. Enituit Abraham Dei hospitio, Isaac incruento holocausto, Iacob obsequio, Ioseph castitate, Dauid victorijs, Salomon pace, Isaias contēplatione Seraphica, Rachel forma. Cognoscerent in Maria vniuersi veterum virtutum exercitus propria, & fœliciter fatērentur superata, quando vnius Reginæ gloria cum turba potest se virtutū æquare. Hinc ascendentem adstupent Angeli, Cāt. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Vna fœmina ascendere cernitur, & in vna castrorum apparent acies; quid mirabilius? Quî fieri potest, vt vna cùm sit, admirationem visarum acierum faciat? Equidem vna erat, sed sic vniuersas virtutum veterum formas referebat, vt singuli, qui pro Deo antiquitùs militauerant, apud illam viderentur stare. Dum Deum ventris suscipit hospitio, & inde abijt in montana, vt propinquum suum Ioannem à Cassiod. Cant. 6.

pecca-

peccato liberet, & faciat exultare, ostenditur alter Abraham de Dei hospitio clarus, dum cum trecentis seruis abijt consobrinũ Loth de captiuitate liberare. Cùm ad Ægyptum diuertit, fugiens Herodis rabiem, Dauidem à Saule fugitiuum, & ad vicinos Reges confugientem cum militũ suorum manu facit. Cùm apud filiũ queritur, quòd maneret quasi absconditus Hierosolymis, est quasi Iacob queribundus apud Labanem, quòd non Rachelem, sed sibi Liam daret. Cum filij cruci adstat, Isaac est lignis inhærens holocausti. Sic vna cùm sit, in illa vna exhibentur vniuersæ Sanctorum veterum phalanges.

Hieron. Ad quod aiebat D. Hieron. homil. de Assumpt. *Admiratur autem Spiritus sanctus, quia omnes de ascensu huius Virginis admirantes facit, quòd quasi noui diluculi aurora rutilans ascensu suo resplendeat, multis freta, et vallata Sanctorum agminibus. Vndè dicitur terribilis vt castrorum acies ordinata. Siquidem terribilis suis facta virtutibus, vt castrorum acies admodum ordinata.* Expende, qui dicitur admirationem sui facere, quòd ascendat, *multis freta, & vallata Sanctorum agminibus.* Et quanta hæc admiratio? Sanè omnes Sancti notissimi erant Spiritui sancto, notissimi erant Angelis; cur ergo admirarẽtur Angeli, quòd circa Mariam Reginam viderent Sanctorum omnium phalanges? Non equidem erat magna admiratio, quòd in se Sancti Reginam comitarẽtur; sed quod omnem admirationem superat, id erat, quòd non in se ipsis, sed in vna Maria vniuersæ Sanctorum ostenderentur phalanges, ita vt vna cùm fuerit, repræsentaretur in suis virtutibus, quasi haberet in se, vel quasi ipsa esset ordinatissima Sanctorum acies. Circumspice vniuersas phalanges virtutum, & nullam requires in Maria, ita vt vna cùm sit, plurium in se speciem exhibeat.

Epiph. Vndè de illa Epiphan. serm. de Assumpt. dicebat: *Dico enim, illum esse cœlum, thronum simul, & crucem; extendens enim sanctas vlnas Dominũ portauit. Thronus Cherubicus, cruci formis, & cœlestis.* Expende illa, *thronus Cherubicus*; & qui dẽ vt aliàs ex nostro Alcaçare in Apoc. dedi, *Cherub*, iuxta nominis ethimologiã, idem est, ac *plures*, vel *pugnans multitudo*. Vocatur ergo Maria thronus Cherubicus, vt in qua ostenduntur non solùm plures, sed vniuersæ omnium Sanctorum virtutes, & fortitudines. Quò etiam spectat illud

Cant. 3. Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, tanquam virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Expende illa, *& vniuersi pulueris, &c.* Vna enim cùm esset, vniuersas Sanctorum virtutes repræsentabat. Ait Ildeph. serm. de Assumpt. *Odoramẽta virtutum spargebat, non qualiacumque, sed vniuersi pulueris pigmentarij: ita vt in ea esset forma non solùm Virginum, verùm etiã omnium Ecclesiarum Dei.* Quascumque veneratur Ecclesia virtutes in alijs, eas potest in Maria venerari.

Ildeph.

§. IIII.

Perfectionis studiosus nihil aliud æstimet, nec noscat, quàm Deum solum. Vbi de Beatæ Virginis vita morti simili.

FOelix Maria, quæ *sedens iuxta pedes Domini, audiebat verbum illius*, nihil aliud curans, nec reputãs nisi Deum ipsum; in tota hospitij sollicitudine, inter ipsam ferculorum præparationem, nihil ipsa videbat, nihil curabat nisi Deum vnum. Fœlix, qui sic componit vitam suã, vt in medijs mũdi sollicitudinibus nihil mundiale videat, sed Deum solum spectet in illis. Vbi Raab periculum exploratorum Israelitarum animaduertit, dicitur de illa, Iosuę cap. 2. *Tollensque mulier viros abscondit, et ait, &c.* Quæ verba sic ex Hebræo redduntur: *Tollensque mulier viros, abscondit eum.* De quo multam facit quæstionẽ Abul. quæst. 27. in Iosue, quomodo si tulit viros, vt absconderet, dicitur, quòd abscondit eum? Cur non magis dicitur, quòd abscondit eos? Sed quæstionem facilè absoluit D. Paul. ad Hebr. 11. *Fide Raab meretrix non perijt cum incredulis, excipiens exploratores in pace.* Erat equidem opus huius fœminæ, non opus humanæ sapientiæ, sed opus fidei, vnum solum Deum, quem potentissimum nouerat, agnoscentis. Audierat mulier magnalia Dei Israelis, erga quem solum rapiebatur, illumque solum aspiciebat, adeò vt in exploratoribus, non exploratores curaret, nec exploratores attenderet, sed Deum; & sic illos absconderet, quasi nõ illos, sed Deum absconderet. Ita ad vnum Deum erat attenta, quasi ad alia videnda vel cæca, vel prorsùs mortua esset. Hæc erat Maria sedens ad pedes Iesu, nihil

Iosue. 2.

Heb. 11.

nihil aliud cernens, nihil aliud æstimans, nisi Deum, mortua prorsùs omnibus reliquis. Accipe ex 4.Reg.4. de filio Sunamitidis dictum: *Posuit eum illa super genua sua vsque ad meridiem, et mortuus est.* Feruore æstus correptus puer matri adducitur, super genua eius positus, mortuus est. Quid accommodatius Mariæ? Amoris flammis ipsa correpta ad pedes Iesu adducitur, & iuxta tanti Parentis pedes, statim mortua apparuit mundialibus curis. Sed hoc longè præstantius erat, videre in Maria Deipara, quę de se ait Cant.5. *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Sic Deo adhæresceb̃at intrinsecùs, vt ad externa omnia videretur defuncta; adeò vt non facilè posset discerni inter eius mortem, & vitam. Vndè aiebat Damasc.orat.1.de eius dormitione: *Sacram tuam migrationem, mortem haud quaquam appellabimus, sed somnum, vel peregrinationem, vel (vt aptiori verbo loquar) cum Deo præsentiã.* Considerat sanctus Pater Deiparam Deo præsentem, iuxtà pedes assidentem diuinos, & considerat eam mortuam; & non distinguit inter hanc mortem, & illam vitam. Sic prorsùs apparebat mortua, vt apparebat, cùm Deo præsentabatur in vita: vbi erat Deo præsens, non alia erat, quàm vbi mortua apparebat proxima sepulchro. Mirabatur aliquando Diu. Bernard. sanctum Malachiam viuentem adhuc in mundo, & simul eumdem defunctum, & ait in eius vita: *Hæc erat gratia corporis eius, et hæc gloria vultus eius, quæ non euanescebat, neque in morte quidem. Talis quoad vixit, talis & mortuus apparebat viuenti similior.* Sanè nullus similior Malachiæ viuenti, quàm mortuus ipse. Mortui anima cum Deo erat, Deum vnicè aspiciebat, vnicè amplectebatur; corpus autem ab omni mundiali bono iacebat exutum. Quid aliud erat in Malachia viuo? Et tũc mens Deo inhærebat, & corporei sensus nihil mundiale amabant, & æstimabant. Id excellentiori modo videndum erat in Deipara Deo prorsùs affixa: *Talis quoad vixit, talis & mortua apparebat viuenti similior.* Dum mortua erat, nulli rei similior, quàm viuenti sibi: vt non facilè distingueret mens humana inter Dei matrem mortuam, & viuam.

Luc. 10. Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet.

§. V.

Maria Deipara vnica, & sola est post Christum in hominibus regenerandis.

GAudet animus in hac Marthæ querela Deiparæ excellentiã notare: quòd ipsa sola, & vnica relicta sit post Iesum in ministerio salutis humanæ. Cui debes, homo, post Christum salutẽ tuam, vt Deiparæ debes? Sanè inter vniuersas creaturas, Deipara vnica est, & sola, quæ nouit optimè humanæ saluti ministrare. Ait enim Andreas Cretensis, homil.2. de dormitione Mariæ: *O nouas remunerationes! O diuinas permutationes! Produxit natura liberum arbitrium spinis obseptum. Maria contrà produxit eum, qui impleret paternam voluntatem. Peperit natura exinobedientia mortem voluntariam. Ipsa contrà peperit eum, qui mortem sustulit per obedientiam. Sola enim sola præter naturam fuit electa ad naturam renouandam. Sola seruijt opifici vniuersæ naturæ.* Non est improbabilis illorum sententia, quæ asserit, Deum in formatione primi hominis vsum fuisse Angelorum ministerio, ita vt Angeli seruierint summo Opifici, adducentes puluerem de limo, & corporis simulachrum efformantes. Id quod meminit noster Pereyra, lib. 4. in Gen. cap. 2. quæst.2. At in reparatione generis humani, in regeneratione hominis, non Angeli, non Archangeli, non vlla creatura, sed, vt ait Andreas Cretẽsis, sola, sola Maria fuit electa, vt ministraret; sola seruijt Opifici vniuersæ naturæ, quæ sola generans Iesum, sola nos in Christo, & cum Christo regenerauit. De se aiebat Paul.1. ad Corint.4. *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo; sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Et quidem decẽ millia habemus pædagogorũ in Christo; habemus

mus padagogiam Angelorum, & Sanctorum omnium, & magistrorum; sed non multas matres, imò vna nobis, & sola relicta est Mater Maria, cui altiori modo, quã Paulo debemus, quòd simus in Christo regenerati. Ad hæc aiebat Guarricus Abb. serm. 1. de Assumpt. *Si seruus Christi filios suos iterùm, atque iterùm parturit, cura, atque desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus, quãtò magis ipsa Mater Christi? Et Paulus quidem genuit eos, verbo veritatis, quo generati sunt, prædicando: Maria autem longè diuiniùs, atque sanctiùs Verbum ipsum generando. Laudo quidem in Paulo prædicationis ministerium, sed plùs miror, ac veneror in Maria generationis mysterium.* Non vt Maria, Paulus regenerationi nostræ ministrauit; in ministerio verbi forsan multi apparebunt Pauli, sed non multæ matres; sed vna, & sola Dei Mater nos cum Christo, & in Christo parit. Accinit Dominus Cant. 6. aiens: *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea perfecta mea; vna est matri suæ, electa genitrici suæ.* In ministerio verbi prædicandi, quid nisi turbas, & multitudines inuenias; at in ministerio salutis à Iesu causatæ, vna, & sola, & vnica inuenietur Mariæ ministratio. Ait enim Guillel. apud Delrium nostrum: *Est enim Maria vnicè electa genitrici suæ; singulariter electa ad ministerium redemptionis, & regenerationis gratiæ. Insigne quippè, & singulare ministerium gratiæ redemptrici exhibuit in eo, quòd ipsum Redemptorem sibi nobisque genuit, sibi, nobisque pio lacte aluit, atque ad annos maturitatis perduxit. Quia ergo sola erat, ad hoc diuinitùs præordinata, & præparata, meritò dicitur, vna matri suæ, & electa genitrici suæ.* Vt inde pateat, quam vnico, & singulari ministerio Maria sola auctori humanæ salutis seruiuit.

Guar.

Cant. 6.

Guillel.

§. VI.

Maria Deipara sic præ omnibus alijs creaturis simul iunctis Deo placuit, vt non mirum esset, si Deus habens Mariam, reliquas omnes derelinqueret.

ALicui audax illud Marthæ videbitur verbũ, quo omnium rerũ conditori, & prouisori Iesu dicit: *Domine, non est tibi curæ, &c.* Quid ais, Martha, incuriæ accusas oculatissimum prouisorẽ mundi? Vndè tibi potuit in mentem venire, quòd qui curam filiorum coruorum suscipit, non habeat tui laboris, tuæ derelictionis curam? Absit à Martha, quòd putet Deum incurium prouisorem suarum creaturarum; sed ex quo Mariam apud Iesum videt illi prorsus affixam, non miraretur, si Deus habens tantæ virtutis fœminam, alias longè inferiores derelinquat. Et quantum hoc ad Mariam, respectu Marthæ? Non parua sanè gloria erat illius Mariæ, quòd Deus habens illam, putaretur posse sororem eius derelinquere. Sed id vmbra erat Mariæ Deiparæ, cuius gratia præ omnibus alijs creaturis sic Deũ capiebat, vt posset fieri, quòd habens Deus secum Mariam, non multùm curaret habere cæteras creaturas, sed potiùs illas derelinqueret. Aiebat Dominus proculdubio Matri suæ, Cant. 6. *Auerte à me oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerũt.* Quid est, me auolare fecerunt? Ad impiorũ mentem loquitur, qui vt Deum non prouidere rebus assererent, dicebant, Iob. 22. *Nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.* Affinis sententia illi Ezec. 8. *Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.* Petit ergo Deus à Matre sua, vt abscondat oculorum suorum pulchritudinem, quæ tanta est, vt sibi illam Deus acquirens, posset auolare à cæteris alijs, omnesq; derelictas facere. Non grauabor aurea D. Ambr. verba dare, fantis de Isaac, cap. 7. *Auerte oculos tuos à me, et si tu perfecta es, aliæ mihi adhuc retinendæ sunt animæ, aliæ fulciendæ. Eleuas enim me videndo; ego autem ideo descendi, vt omnes eleuem. Et si surrexi, et habeo Patris sedem, tamen orphanos non derelinquam vos, paterno studio quasi destitutos, sed præsentia mea vos confirmabo. Vult ergo auertere illam oculos, ne eam considerans, quòd iam ad superiora sequi possit, eleuetur, et cæteras animas derelinquat.* Quid pulchrius? quasi caueret ipse Dominus in ascendente ad cœlum Matre, immensam eius pulchritudinem contemplari, ne videns illã in cœlum ascendere, illa contentus sit, & cæteras contemnat animas. Quid non posset relinqui à Deo secum Mariam tenente? Cyril. Alex. orat. cont. Nest. sic Mariã Deiparã Matrẽ alloquitur: *Tu enim pretiosa es margarita orbis terrarum.* Quod cũ audio, statim recolo illud Mat. 13. *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærẽti bonas margaritas, & inuenta vna pretiosa margari-*

Cant. 6.

Iob. 22.

Ezech. 8.

Ambr.

Cyr. Al.

garita, vendit omnia, quæ habet, & emit eam. Hęc Dei optimi maximi proprietas, quòd vnam pretiosam margaritam inueniens, sic maneat illa contentus, vt pro illa omnia sua dimittat, & vendat. Vt hinc pateat, quantum miraculum sit diuinæ benignitatis, quòd habens Matiam pretiosam margaritam, illa contentus, cætera omnia non derelinquat, & diuendat. Ea enim est perfectio Mariæ, quæ posit præ se vna cæteros omnes facere derelinqui à Deo. In cruce erat Iesu, omnium hominum salutem procurans; tunc ait Ioan. cap. 19. *Cùm vidisset ergo Iesus Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat dicit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus.* Quanta hæc cura Iesu de Matre? Omniũ hominum salutis negotium agit, & inter hæc, quasi omnium obliuiscitur, & vnius curam agit Matris. Ambros. lib. de instit. ad Virg. cap. 7. ait: *Paulisper publicam salutem differt, ne Matrem inhonoram relinquat.* Ea erat Mariæ perfectio, Mariæ virtus, cui vt Deus prospiceret, cæterorũ omnium salutem differre non grauatur, imò miraculum fuit suæ bonitatis, quòd non prorsus deseret præ illa cæteras animas. Et quid, quòd præ illa cæteras animas derelinqueret; quãdo pro illa derelinquit humanitatem suam vsque ad mortem in manus carnificum? Vix Ioan. 19. prouiderat Matri filium, dicens: *Mulir, ecce filius tuus*: & statim eleuata voce cum Patre loquens, Matt. 27. inquit: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Cur à Matris prouidentia, ad ostendendam suæ humanitatis derelictionem in manus hostiles recurrit? An hęc derelictio non fuit pro vniuersis animabus saluandis; cur illam maluit coniungere, cùm Matris cura quasi particularius pro illa fuisset? Equidem vt mundus saluaretur, non fuit simpliciter necessaria tãta humanitatis Christi derelictio, vt mortem obiret: magis ea necessaria videbatur, vt Iesus ostenderetur Mariæ Filius, vtpotè in passibilitate, & mortalitate similis. Quò spectans D. Ildephons. serm. 8. de Assumpt. ait ad Mariam: *Vt te veram Matrem ostenderet, verum se Hominem tormenta patiendo monstrauit.* Non equidem necessarium erat simpliciter, quòd Iesus relinqueretur occidendus à carnificibus, vt saluaretur mundus; verùm sic Deus afficiebatur ad Matrem suam, vt pro eius maternitatis euidentiori ostensione non dubitaret relinquere humanitatem suam in manus carnificum, vt morte obiret. Et quidem temporalis Iesu vita longè pluris valoris erat, quàm totius mundi æterna vita; & nihilominus illam derelinquit Deus pro gloria Mariæ: cur præ eadem cæteras animas non derelinqueret, nisi miraculum esset bonitatis vtriusque, nimirùm Matris, & Filij?

Ioan. 19

Ambr.

Ioan. 19.

Ildeph.

§. VII.

Mariæ Virginis splendidissimus, & glorioſissimus comitatus.

POtuit Martha queri, se solam in ministerio relictam; vox enim est hæc nõ prorsùs fœliciter laborantium, quo deflent suam solitudinem, & orbitatem. Non sic quereretur Deipara, cuius comitatus & splendidior, & glorioſior, qui constat non ex sorore, sed ex progenie filiorum innumera. Non enim exterorum, aut fratrum comitatum requirit, quando ipsa sibi comites fecit, & parturiuit. Quid hoc splendidius? De duobus soceris Ruth dicitur cap. 1. *Ipse vocabatur Elimelech, & vxor eius Noemi, & duo filij, alter Mahalon, alter Chelion.* Hæc dicuntur, quando abscedebant de Israele; vbi autem redit Elimelech vxor, ipsa clamat: *Ne vocetis me Noemi, id est, pulcram, quia amaritudine valdè repleuit me Omnipotens. Egreßa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus.* Ecce pulchritudinis, & venustatis nomen à se depellit Noemi; sed quando non vult vocari pulchra? Quando vacua, & orba filijs redibat. Vbi patriam ingrediebatur vidua, filijs orbata, nihil in se, aut de se amat audire, quod ad querelas, & planctus non pertineat. At vbi à patria excedebat comitata viro, comita, & coronata filijs, tunc pleno ore vocatur pulchra; quid enim pulchrius, & glorioſius fœminæ, quàm quòd illam filiorum agmina vndique cingant? Non pro parua gloria aiebat Isaias, cap. 6. *Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur ampliùs desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur. Habitabit enim iuuenis cum virgine, et habitabunt in te filij tui.* Nomen derelictę, nomen desolatæ prorsùs deletur; solùm auditur nomen glotiæ, nomen diadematis, nomen regni. Sed qui comites, qui ciues, sic derelictionem, & orbitatem

Ruth. 1.

Isai. 6.

exclu-

excludunt, vt splendorem coronę, & regni efficiant? Explicat, dicens: *Habitabunt in te filij tui*. Proh splendidus comitatus, qui constat ex filijs! O glorioſa Regina, quã vt innumeri comitantur exercitus, ſic omnes eius comites ſunt filij. Ad hæc exclamat Guarric. Abb. ſerm. 1. de Aſſumpt. *O Maria, non vocaberis, ait Dominus, vltra derelicta, & terra tua non vocabitur vltra deſolata, vt quia virgo, ideò ſis infœcunda. Sed vocaberis voluntas mea; id eſt, dilectus meus Filius in ea. Habitabit enim iuuenis in virgine, & habitabit in te filius tus, imò habitabunt in te filij tui. Ipſa enim vnica Virgo, & Mater, quæ ſe Patris vnicum genuiſſe gloriatur; eũdem vnicũ ſuum in omnibus eius membris amplectitur, omniumque, in quibus Chriſtum ſuum formari agnoſcit, Matrem ſe vocari non confunditur.* Verè hodiè Maria pulcherrima fœminarum, imò creaturarum debet dici; vera ipſa Noemi in toto pulchritudinis flore eſt, quãdo è mundo egrediens, plena egreditur filijs, vndique ſtipata ſanctorum agminibus, qui in regeneratione gloriantur habita per ipſam. Ad hæc Cant. 6. *Viderũt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt Reginæ, & concubinæ, & laudauerunt eam. Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna?* Ecce quot quot in Mariæ triumpho laudatores aſſumuntur, filiæ dicuntur; vt enim innumeros Principes ſtipatores habet, ſic nullũ in eis videt, cuius mater non ſit. Hinc triumphalis eius pulchritudo commendatur, quòd ſit, vt eſt Lunæ pulchritudo, hoc eſt, in omni ſua plenitudine, quam procul dubio habet, dum aſcendit ſtipata filijs. Ait enim Ailgrinus apud Delrium: *Maria vt concepit, facta eſt Luna plena.* De conceptu habet Maria immenſam gloriæ plenitudinem, quando nullus eſt in numeroſiſſimo comitatu, qui non ſit eius filius. Vndè ſic eius gloriam exaltabat Diu. Ildephonſ. ſerm. 1. de Aſſumpt. *In qua nimirũm cœleſti domo hodiè læta introiuit, & ſequũtur illam omnium electorum animæ, quæ ſunt ex parte illius.* Quantum hoc ad Mariæ gloriam, quòd in copioſiſſimo comitatu nullum videat, qui à ſe fœlicitatis æternæ non ducat originem? Non aliter Eccleſiã extollit Iſaias, cap. 60. quàm hodiè extollitur Maria: *Surge, illuminare Hieruſalẽ, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: filij tui de lõgè venient; & filiæ tuæ de latere ſurgent.* Hæc eſt profectò ſummi Dei gloria, & vnici Creatoris, quòd inter miniſtrantium exercitus & regios, & innumeros, nullum videat, qui ab alio ſit, ſed vniuerſes à ſe ortos videat. In quo poteſt hæc Dei gloria inueniri? Sanè inuenitur in aſcendenti in cœlum Maria: Surge, ò noua Hieruſalem, ſurge, ò vera mater viuentiũ, & gloria Domini in te videbitur. Dum tu ſurgis in cœlum, & tenebræ, & caligo terram operiunt, ſed tibi aſsiſtunt vniuerſa cœli lumina. Aſsiſtunt omnes Angelorum exercitus, aſsiſtunt vniuerſi iuſti, Reges innumeri; ſed in tanto aſsiſtentiũ comitatu leua oculos tuos in circuitu, & vide: nullum videbis, qui non ſit tuus filius; qui de longè, hoc eſt, de cœlo veniũt Angeli, filij tui ſunt; qui de latere ſurgũt, hoc eſt, ſancti homines, filij tui ſunt; & ipſe Deus eſt tuus Filius. Quanta gloria eſt, in tanta gloria nullum videre, qui à te ortum non ducat?

Luc. 10. Et reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partẽ elegit, quæ non auferetur ab ea.

§. VIII.

Maria Deipara in cœlis gloriam habet, quam Deus non poteſt dare alteri, quæ mater Dei non ſit.

COncors eſt Patrũ ſententia, eſſentialem gloriã Mariæ eſſe ſuper omnes cœleſtes Virtutes, vniq; inferiorẽ eſſe Deĩ Filio; ideoq; Mariæ pars in cœlis abſolutè optima eſt omnium de facto creatorum: imò quando non reſpectiuè, nec cõparatiuè, ſed abſolutè optima dicitur pars Mariæ, crediderim in parte Mariæ aliquã eſſe gloriã, quę ſic omnes creaturas antecedat, vt nulli alteri communicari à Deo poſsit, niſi illi, quę fuerit mater ſua. Poterit viſionẽ Dei tantam, quantã habet Maria, Deus alteri communicare; ſed quòd videat Deũ aliqua

aliqua creatura à se orta carne condecoratum, vestitum; nemo dubitabit id gloriosissimum esse creaturæ, & nulli posse communicari, nisi Dei genittici. Ad hæc Cãt. 3. *Egredimini filiæ Hierusalem, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.* Hæc magna pars omnium cœlitum est, quòd possint Deum videre; imò quòd videant Deum sub carnis splendore desumpto à Maria. Hucusque peruenire possunt omnes spiritus possibiles; at in hoc Dei genitrix supergressa est vniuersos, quæ Deum videt in diademate, quo coronauit eum ipsa; Deumque videt nitescere sub splendenti carne, quã ipsa parturiuit. Pulchrè Guarricus Abb. serm. 4. de Assmpt. *Vacate, & videte, quoniam Iesus est Deus Visio prorsûs ineffabilis gaudij, summæque delectationis omnibus, qui diligunt Iesum, sed præ omnibus illi, quæ genuit Iesum. Cui sicut singulariter excepta gratia Deum generãdi sic & prærogatiua gloriandi in eo, quem genuit. Omninô singularis, atque incomparabilis gloria Virginis Matris, videre Deum Regem omnium, in diademate carnis, qua coronauit eum, vt & Deum agnoscat, & adoret corpore proprio, & corpus proprium glorificatum videat in Deo.* Expende ab illis, *Omninô singularis, & incomparabilis*: nulla equidem cieatura possibilis, nisi quæ sit Dei Mater, huic gloriæ potest comparari, quòd Deum videat, in diademate assumptæ à se carnis, & adoret Deum corpore proprio, & corpus proprium videat in Deo glorificatum. Hęc est optima pars Dei Matris, hæc est optima pars Mariana. Vt meritò dicat ipsa, Cant. 2. *Dilectus meus mihi*; vbi explicationis gratiæ addit Beda: *Dilectus meus mihi, non alteri cuilibet*; non equidem alteri, quæ mater Dei non sit, Mariæ gloriæ possunt communicari, vt quæ sunt illi singulares. Pro quo ait Guillelm. apud Delrium, Cant. 6. ex Mariæ voce; *Nulli tantum contulit, quantum mihi. Ego dilecto meo ex carne mea dedi carnis substantiam, & dilectus meus mihi refudit singularem inter homines gloriam. Quid enim insignius, præclariusque conferre mihi potuit, quàm vt Mater Verbi fierem, & hoc tàm excellenter, vt non tantûm de me, sed & â me in vsum redemptionis humanæ carnem sumere dignaretur. Et hoc ipsum ad quantam gloriam mihi suo tempore reuelandam?* Sanê quasi incõmunicabilis alteri apparet gloria, quam Mater habet, videns carnem suam in Filio vnitam Verbo diuino.

Cant 3. Guarr. Cant. 2. Guillel. Cant. 6.

§. IX.

Mariæ pars optima in resurrectione, si resurrexit in cœlis,

DVm Mariæ Deiparæ partem contemplor, vndè optima dicatur, eiuique ad hæc excellentias examino, incidi in eius gloriosam resurrectionem, quam iam penè fidei dogma testatur. Et ecce tibi de hac aliqualis quæstio in mentem venit, vbi fuerit Mariæ resurrectio celebrata. An in sepulchro, descendente à cœlis anima ad corpus, vel in cœlis sublato corpore ad animam? Hæc mente voluenti adest Lausanensis Episcopus, tùm pius, tùm eruditus Amadeus, homil. 7. de virginea Matre, citatus à nostro Canisio, lib. 5. de Maria Deipara, cap. 5. quippè ait: *Maria prima post Deum super omnes cœligenas in sede gloriæ collocatur: ibi resumpta carnis substantia, & duplici stola induta Deum, & hominem in vtraque natura, quã tô cæteris clariûs, tantô ardentiûs vniuersis mentis, & carnis oculis contemplatur.* Expende à verbis illis: *Ibi resumpta carne*; dixerat enim, quòd Deiparæ anima super omnes cœligenas in gloriosa sede fuerat collocata; & statim addit: *Ibi resumpta carne, &c.* Et quidem cœlorum Reginam in throno gloriæ sedentem magis videtur decusse, quòd non inde descenderet, vt carnem à sepulchro resumeret; sed quôd in sede maiestatis suæ expectaret adducendam, & ibi resumendam carnem suam. Non mutauit Regina cœli sedem, vt Deo suam carnem tribueret; quod ponderans Diu. Epiph. orat. in Assumpt. ait: *Lætebantur Angeli, tanquã ipsi dumtaxat Deum haberent, quibus sanctissima Virgo superior nata, Deum habitãtem in cœlis, concepit in terra.* In hoc superior Angelis apparuit, quòd non iuit in cœlos, vt Filium suum faceret Deum, suisq; clauderet visceribus; sed in terra manens, in propria sede morata, tãtum peregit mysterium. Cur non magis deceret Reginam cœli à cœlesti sede, & throno non descendere, vt carnis suæ indueret vestimẽtum? Aiebat Psal. 44. *Adstitit Regina â dextris tuis in vestitu deaurato*: quem vestitum rectè D. Athanas. putat, carnẽ virgineã esse in gloria refulgentẽ. Nec otiosè virginea caro gloriosa vocatur vestis Reginę cœli, sed vt innuatur, vbi resumpta fuit, nempè in cœlis, quando Reges non in apothecas

Amad. Epiph. Psal. 44.

cas descendunt, vt sibi sumant vestes, sed in cubiculo regio expectant, vt sibi adductis induant, & splendeant. Huc videntur respicere, qui dicunt, Mariæ corpus à sepulchro in cœlum translatum esse. Sic Metaphrastes in oratione de vita, & dor-
Metaph. mitione Mariæ, ait: *Hinc ad sacratißimum abducitur Gethsemani, & illic sanctißimum corpus mandatur sepulturæ. Quidni enim, cùm etiam qui erat Deus, eius Filius more hominum sepelitur? Per ipsum autem ad cœlestia, et diuina transmittitur taber-*
Cretens. *nacula.* Adest etiam Andreas Cretensis, homil. 2. in Assumpt. *Mota sunt castra Dei â tabernaculis Cedar, ad materiæ expertia, et rediuiua tabernacula. Hanc excipite candidis vestibus induti Angeli. Laudate cœli, glorificate terrigenæ. Attollite ciuitatem Dei Regis magni. Plaude terra, prosequere laudibus: narra, quæ sunt gloriosa Virginis, partus, fascias, sepulchri miracula, quomodo sit sepulta, quomodo translata.* Et rursus infra: *Hi sunt hymni, & laudationes, quæ celebrantur in decessu. Hæc, quæ ante, & post sepulturam fiunt, monimenta, ad prosequendam eam, quæ planè ignoratur, translationem.* His
Damasc. addo Damascenum etiam sic fantem, sermone de dormitione Deiparæ; vbi introducit sepulchrum eius, aiens: *Corpus sacrum, et sanctum, relictis sindonibus, cùm me impertisset sanctificatione, et vnguento, bonoque odore repleuisset, et templum diuinum effecisset, abit raptum sublime, comitantibus Angelis, et cœlestibus omnibus.* Tunc in eodem sermone: *Postquam ê viuis excessit, intemeratum eius, et impolutum corpus honorauit Deus translatione, ante communem, et vniuersam resurrectionem.* Illud expende in omnibus sententijs datis horum Patrum, quòd vbi loquuntur de virgineo corpore in sepulchro existente, & inde educto, cauent ibi resurrectionem nominare, qua ipsum corpus surgeret, & in cœlum euolaret; sed potiùs vt fuit ad sepulchrum adductum, sic videntur existimare, inde fuisse translatum, & transmissum in cœlum, imò & raptum. Quæ locutiones minimè possunt conuenire corpori glorioso animato, sed prorsùs exanimi. Nec aliò videtur respexisse Ecclesia, cùm distinguit inter Ascensionis, & Assumptionis festa; vt in Christo Domino dicatur Ascensio, in Maria dicatur Assumptio. Quam distinctionem non otiosam notans Petrus Damia-
Dam. nus, hìc ait: *Intuere mentalibus oculis Filium ascendentem, et Matrem assumptam, & videbis aliquid excellentius in Ascensione Filij exhiberi, et aliquid glorioßus in Assumptione Virginis demonstrari.* Sanè in Christi Ascensione monstratur glorioßi corporis animati excellentia, quod potest sua virtute vniuersos cœlos penetrare; & super omnes ascendere. Hæc excellentia non monstratur in Mariæ Assumptione; & cur non monstratur, nisi quia ibi non respicitur corpus glorioßum animatum, sed corpus exanime, quod eget alieno auxilio, vt possit subleuari? Verum etsi hæc excellentia deficit in Assumptione, affuit in illa quid glorioßius, quod nec Iesus rediuiuus habuit, cuius resurrectio fuit in terra; at Maria in cœlorum regia induit decorem suæ carnis. Accipe huius Deiparæ gloriæ exemplum in prima hominũ matre. Factus est homo primus ex limo terræ extra paradisum; quem iam perfectum tulit Deus, & posuit in paradiso voluptatis. Quid tunc? Adamus est in paradiso, inter vitam halantia ligna, ibi formatur Eua, quæ socia primo homini datur. Sic secundus homo Iesus in regeneratione sua, quando eius diuinißima anima apud inferos degere fuit dignata; inde egrediens ad sepulchrum contendit, ibique resumit suam carnem, vt sic resurrectionis exemplar hominibus præstaret, & apud illos aliquando ageret. Paucis trã factis diebus, hic cœlestis Adamus à terra, in cœlum, tanquam in paradisum se contulit. Ibi erat nouissimus Adamus, & ecce tibi anima Mariæ illi adstat, quæ similiter resumptura erat suam carnem, vt noua, & fœlicior viuentium mater in corpore, & anima suam gloriam æternaret. Sed vbi regeneranda erat noua viuẽtium mater? Quòd extra paradisum regeneraretur, non id permittebat Euæ figura, quæ fuit in paradiso generata: vndè apparet, quòd eius corpus in paradisum sublatum fuerit, vt ibi fœlicior Eua regenerationem suam consummaret. Id quod forsan insinuabat Diu. Damascenus in præ- Damasc.
senti fatus: *Portatur autem corpus Mariæ manibus Apostolorum, Rege Regum id tegente splendore suæ, quæ sub aspectum non cadit, diuinitatis, et emittente, & sacrificante sacrificium laudis, donec in sepulchro, tanquam in thalamo, & per ipsum in delicijs Edem, et in cœlestibus repositum fuit tabernaculis.* Expende ab illis verbis, *in delicijs Edem:* quibus perfectißimè manet regeneratio Beatæ Mariæ Euæ generationi assimilata: quemadmodum enim hæc in Edem

orta fuit, sic Maria in cœlis fuit regenerata. Et dices mihi, at quid necessum fuisset, quòd anima Mariæ descenderet à regalibus sedibus, vt resumeret carnem? Negat maior Theologorum pars, Christum, & Mariam aliquando à cœlestibus thronis descendisse, vt apparerent mortalibus; sed illas apparitiones putant fieri ab Angelis Mariam, & Iesum repræsentantibus; quanto ergo magis negandum videtur, quòd cœlorum Regina thronum cœleste relinqueret, vt è sepulchro sibi corpus copularet? Iesu anima non descendit à throno, in quo nondum erat, imò ascendit ab inferis, & venit ad corpus sepultum; quòd quidem vnitum erat diuinitati, & ex hac parte æqualis erat perfectionis cum ipsa anima, æqualiterque per se æstimabatur. Rursus, resurgens in terra Christus mirum in modum terram augebat, innumerasque præstitit hominibus vtilitates, tamdiu cum illis conuersatus. Mariæ anima in throno erat regali, longèque præstantior erat, quàm corpus in sepulchro iacens: nec decorum videretur, quòd præstantior pars relinqueret sedem gloriæ, vt descenderet ad inferiorem partem, quando hæc faciliùs ad illam posset transportari. Sic pro Iesu nato, & renato in terra, aliqualis datur cœlestibus compensatio, quòd Mariam habeant suis in sedibus regenerantem. Cui sententiæ subscribit manifestè noster Costerus in Assumpt. Beatæ Virginis, meditatione. 34. vbi sic ait: *Considera igitur secundò, post elapsum triduum, sacrum corpus Mariæ Matris, iussu Filij ab Angelis magna celeritate, ac reuerentia ex sepulchro in cœlos transferri, in quod anima beatissima virtute diuina ingressa, nouo splendore & corpus, et vniuersum cœlum illustrauit.* Quid clarius? Hæc forsan persuadere possent, hunc fuisse honorem cœlicolis, quòd ibi Mariam resurgentem viderint; nisi aliqui Patres contrarium expressè supposuissent; quibus ego subscribo, ne videar de meo aliquid noui moliri, etiam in laudem Mariæ, cui credo & noua, & vetera reseruari à Filio.

Coster.

CAPVT IIII.

Disputatio de manibus Discipulorum illotis.

PHARISÆI Rabidissimi exploratores Christianæ scholæ, Discipulos deprehendunt, aliquo modo oscitantes circa nimias illas purificationes, & lotiones traditas à Senioribus: mandarant enim Seniores Iudæi vltra legem Moysis alia non pauca, quæ licèt sine peccato omitti possent, tamen tunc temporis implebantur religiosè, vt quæ ordinabantur ad accuratiorem obseruationem mandatorum: quod nunc etiam fit in multis regulis Religiosorum. Inter hæc erant frequentissimæ manuum lotiones, vt ferè post singula fercula instaret lauacrũ. Discipuli autem Iesu maioribus assueti, & diuinioribus, nihil interesse putabant, si semel loti, aliquas inutiles dissimularent lotiones, quarum dissimulatio non peccati, sed inurbanitatis maculã inurere posset. De hoc tamen vehementer accusantur à Pharisæis; quorum accusationem refellit diuinissimus Iudex duplici ratione: altera ostendente malitiam accusatorum; altera manifestante inutilitatem frequentioris illius externæ lotionis. Accusatorum malitia ea erat, quæ in obseruatione traditionum non respiciebat vllum bonum, quando diuina præcepta contemnebat circa parentum curam, vt suis inhæreret traditionibus. Vbi enim parentes petebant à filijs subsidium lege naturali, & diuina mandatum; iuxta traditiones negabatur tale subsidium, prætextu offerendi illud Domino. Quid magis impium, & sceleſtum? Sapientissimè ergo refelluntur à Deo isti pessimi accusatores, vt qui camelum in se glutientes, culicem fratrũ colant. Præterquam quòd defectus lotionis manuum nullam maculam afferebat in moribus; maculæ namque quæ inquinant mores, à concupiscentijs sunt, quæ militant in membris, & exeunt à corde. Hæc apud Matth. 15. & Marc. 8.

Luc. 15.

Matth. 15. Accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ, & Pharisæi dicentes: Quare Discipuli tui transgrediuntur traditiones Seniorum? Non lauant manus suas, cum panem manducant.

§. I.

Rabidissimi dæmonis est spiritus, qui relicta, & dissimulata mundialium nequitia, iustorum suscipit impugnationes.

VIde Hierosymitanorum Principum spicula quos petant ad mortem; quos pungant, & vehementissimè mordeant, nimirùm Discipulos Domini. Erat equidem Hierosolymis innumeri facinorosi; erant adulteri, prædones, homicidæ, & pacis turbatores; nullus tamen horum accusatur, nullus impugnatur à legis sapientibus, & Doctoribus. Ij namq; eò tendunt, vt illis relictis, solos Iesu Discipulos impugnent, qui soli apparebant virtutum studiosi. Hinc iam manifestatur spiritus diabolicus habitans in animis Pharisæorum, de cuius æstu venit, quòd despecta euidenti mundialium nequitia; auidè suscipiantur iustorum impugnationes. Malus ille nũtius dicebat ad Iob, cap. 1. *Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio.* E tot mundialiũ gregibus, vnus Iobi grex petitur, vnus inuaditur, & percutitur à Chaldæis istis, nonne & alij erant innumeri greges, cur vnũ Iobi gregem inuaditis, ô Chaldæi? Non Chaldæi ij erant, sed dæmones, quorum rabies vt alios facinorosos dissimulat, sic præ omnibus nõ cessat percutere sanctos. Iob. 1.

Origen. Ad hæc Origen. fatur, lib. 1. in Iob: *Vniuersa potentia, atque exercitus, & omnes dæmonum cateruæ simul illic conuenerunt, & pariter se aduersùm beatum Iob in prælio armauerunt; vniuersum mundum despexerunt, tantùm vt Iob superarent.* Despiciuntur mundani facinorosi, dissimulantur adulteri, raptores, athei; vnus iustus vehementissimè impugnatur ab omni spiritu diabolico. Vt vel hinc signum euidentissimum habeas impugnantis diabolj, si despectis alijs, vnus Dei assecla impugnationem patitur. Quis vel hinc ignoret prima diaboli spicula in Adamum contorta? Vnus erat Adamus inter mundiales creaturas, qui Dei imaginem referebat, Deiq; parebat voluntarius imperio. Hunc adoritur serpens, veternosus; aduersus hunc solum armatur astutia sua coluber; cur coluber, relictis alijs tibi similioribus, vni insidiaris homini? Non coluber, sed diabolus erat in colubro, qui instrumenta sua semper armat in meliores. De quo pulchrè aiebat Philip. Ab. epist. 1. *Nec mirum, si homo diaboli fraudibus præuenitur, quorum ille in principio, iste verò sexto die conditus inuenitur; ille feruens malitia iam consueuerat melioribus inuidere.* Quò melior, & sanctior apparuit homo in terra, eò citiùs in se excitauit dæmonem inter bruta agentem; cuius feritas est, vt despectis alijs, semper melioribus insidietur, meliores feriat. Philippi Abb.

Nunquam conspicui iusti fœlicitas durare potest in infelici hoc mundo, in quo Principes tenebrarum triumphant, sed necessum est, vt impugnationes sustineat. Hinc sapiens ille senex habens Iesum sanctitatum culmen, statim clamat, Luc. cap. 2. *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Quia videbat salutare Dei, petebat absolui à vita: cur non magis optat tunc viuere, vt tanto bono possit diutiùs frui? Nonne sibi vtilissimum esset tanti Saluatoris conspectu gaudere? Cur sic mori festinat? Videbat quidẽ tunc sanctum Dei in terra celebrari cantibus: & quò puerum & sanctiorem, & fœliciorem videt, eò certiùs præsagit impugnationes in illum vicinas, quas videre maximè formidabat. Aiebat Timotheus Hierosol. in præsenti: *Perspexi vniuersam creaturam præ gaudio exultantem: animaduerti cœlestia, & terrestria inter se transcurrere, pariterque coire. Absolue nunc, quæso, Domine, ne diutiùs hìc hærens, quæ nolim, intueri compellar.* Putabat vir diuinus, quòd si diutiùs in terra moraretur, necessum esset, videre recès natum Iesum impugnari à Iudæis; non enim fieri poterat, vt crescens Iesus ætate, & sapientia apud homines fœliciter diutiùs ageret; quò enim est maior quis, & sanctior, eò festinatiores in se trahit impugnationes. E mundo abeat, qui nolit sanctiorem ab impijs impeti videre. Huc traho dicta tom. 3. lib. 14. cap. 9. §. 28. & alibi. Luc. 2. Timoth. Hierosol.

§. II.

Religiſioris inſtituti homines, vbi paſſione aliqua inficiuntur, peiores ſunt in iudicando, quàm ipſi exleges homines.

NOn otioſè dicũtur accuſatores iſti ab Hieroſolymis eſſe, ſed vt oſtendatur, quã rabidiores ſint in iudicando illi, qui maiori vinculo perfectionis tenentur, vbi aliqua inficiuntur paſsione. Sanè Hieroſolymitæ Phariſæi, & doctrinæ, & ſanctitatis opinione apud omnes Iudæos erant celebriores; ij tamen, quod cæteri non audent, Chriſtianæ ſcholæ fiunt manifeſti accuſatores. Et quam non inferant iniuriam homines perfectioris ſtatus, vbi ducuntur paſsione? Prudens eſt, qui hos fugiens, mauult ſubire iudicium tyranno-
Act. 25. rum. Actor. 25. vehementiſsimè accuſaba tur Paulus apud Præſidem Cæſareæ; cui ait Preſes: *Vis Hieroſolymam aſcendere, & ibi de his iudicari apud me.* Quid aliud cuperet ex iudice homo Iudæus, quàm quòd remitteretur in ſanctiſsimam omnium ciuitatem Hieroſolymam, inqua & religio, & ſapientia, & vniuerſæ legis virtutes maximè florebant? At Paulus ſapientiori cõſilio clamat: *Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet iudicari.* Deus bone, Paulus fugit Hieroſolymitanum iudicium, & Romanum amplectitur? Nonne Roma Ethnica erat? nonne Cæſares omnes tyranni, ſine lege, & ſine Deo? Cur Paulus mauult ſubire iudicium tyrannorum, quàm Hieroſolmitarum, qui & pietatis, & doctrinę fama pollebãt? Sciebat Apoſtolus apud Hieroſolymam, non legem, ſed æmulationem vigere, & prudentiſsimè mauult ſubire iudicium tyrannorum, quàm iudicium eorum, qui cũ perfectioris inſtituti eſſent, tamen æmulationis paſsione corrupti erant. Pro quo
Philipp. eleganter ait Philipp. Abb. epiſt. 9. fatus: *Vis*, inquit, *ad ciuitatem regiam Hieroſolymam proficiſci, vt ibi merearis, quod iuſtum æſtimas, pleniùs adipiſci; vbi lex tua viget; vbi gentis tuæ Principes conuerſantur, qui pondus, et pondus abhorrentes, examen ſubdolum auerſantur: vbi fons miſericordiæ, vbi ſedes iuſtitiæ reperitur? At ille ſciens in Hieruſalem tale quid non haberi, eamque legis vinculo, miſericordiæ affectu, iuſtitiæ perpendiculo non teneri: exhorret, & recuſat illius iudicio præſentari, prudẽti conſilio magis eligens apud exteros iudicari. Ad tribunal, inquiens, Cæſaris ſto.* Prudentiſsimè Apoſtolus, ex quo nouit Hieroſolymis non iuſtitiam, ſed æmulationem regnare; eò magis exhorruit eius iudicium ſubire, quàm iudicium Romanæ tyrannidis, quò ſciebat homines perfectioris vitæ, vbi maligno feruntur affectu, immaniores eſſe quolibet tyrãno. De omnium nequiſsimo tyranno ait Lucas,
cap. 18. *Iudex quidam erat in quadam ciui* Luc. 18.
tate, qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur. Quid peruerſius? Quale eſſet huius iudicium aduerſus piſillos, aduerſus viduas? Ipſe ait ibi: *Etſi Deum non timeo, nec hominem reuereor; tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouiſsimo veniens ſugillet me.* Non potuit non apud illum audire benè viduæ cauſa. Ex quo attende modò Iſaiam mirabundum. 1. cap. *Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Iuſtitia habitauit in ea.* Septuag. apud Adamum: *Iuſtitia dormiuit in ea, & nunc homicidæ. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: vinum tuum mixtum eſt aqua. Principes tui infideles, ſocij furum; omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos.* Compone modò fidelem hanc, & plenam iudicij ciuitatem cum iudicè illo iniquo. In ciuitate plenitudo erat iuſtitiæ, veritas, & fidelitas erat in ea; in iudice verò nihil erat virtutis, quin potiùs ille nec Deum, nec homines reuerebatur; & nihilominùs apud ciuitatem cauſa pupilli, & viduæ funditùs cadit, quę apud iudicem benè audit. Vnde ergo vidua peius audit apud ciuitatem, quàm apud iudicem prorsùs exlegem, niſi quia iudices perfectioris vitæ, ſi ſemel paſsione aliqua inficiantur, truculentiores ſunt, & inexorabiliores crudeliſsimis, & exlegibus tyrannis?

§. III.

§. III.

In negotijs sæcularibus illæ semper contrahuntur maculæ, quæ debeant mundari.

DE crebris lotionibus, & purificationibus traditio erat Seniorum, superstitiosè forsan à recentioribus obseruata, sed sanctè, & vtiliter à maioribus tradita; vt innuerent, quàm difficilè homo posset adire negotia sæcularia, imò nec creaturam affectu tangere, quin maculam contraheret, quæ egeret lauacro. Id quod
Le. adstruebat Diu. Leo, serm. 4. de Quadrag. aiens: *Dum per varias actiones vitæ huius sollicitudo distenditur, necesse est de mundano puluere, etiam religiosa corda sordescere.* Quis tangit picem, & non inquinabitur ab illa? Quis inter puluerulentas graditur semitas, & non sordescit? Sic omnis, qui ad creaturas respicit, vix fieri potest, quòd non ita sordescat, vt lauacro nõ
Gen 1. egeat. Habes Genes. cap. 1. *In principio creauit Deus cœlum, et terram; terra autem erat inanis, et vacua, et tenebræ erant super faciem abyßi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Vix terra creatur, & Dei Spiritus iam insidet aquis; cur immediatè ad terræ creationem Dei Spiritus adiungitur aquis? Sanè vbi creaturæ apparebant homini dandæ, hoc in primis fuit cordi, diuino Spiritui, nimirùm lauacra parare; nequit enim hominis affectus ire ad creaturas, quin inde contrahat necessitatem
Ambr. lauacri. Pulchrè D. Ambros. in Exor. lib. 2. de Spiritu sancto, ait: *In principio fecit Deus cœlum, et terram. De Spiritu dictum est: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et benè in exordio creaturæ baptismi figura signatur, per quod habuit creatura mundari.* Simul incipiunt & creatura, & lauacra; vbi enim creatura est, & ibi est necessitas lauacri; nequeunt namque creaturarum negotia fieri, quin sordes contrahantur, quas necessum est, vt laues. Huc spe-
Iob. 10. ctans Iob, cap. 10. sic ad Deum fatur: *Pelle, et carnibus vestisti me; ossibus, et neruis compegisti me. Vitam, et misericordiam tribuisti mihi.* Non anteà dedit vitam, quàm & misericordiam apponeret; nequit enim vita hominis vel gradum facere, quin statim egeat lauacro misericordiæ. Sic Diu.
Gregor. Greg. lib. 9. Moral. cap. 29. ait: *Nisi enim misericordiam subroget, seruari non valet vita, quam præbet.* Hinc de magnis animarum negotiatoribus dicitur Cant. 5. *Oculi*
Cant. 5. *eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ late sunt lotæ, et residentiuxta fluenta plenissima.* Vocat Ecclesiæ oculos, Prælatos, quorum est pro animarum salute, etiam sæcularia administrare: ij autem oculi non contenti sunt esse loti, sed insuper residentiuxta fluenta plenissima; nec patiuntur abesse à lauacris, qui coguntur temporalia administrare. Pro quo dicebat
Guillelmus apud Delrium nostrum: *Etiã*
Guillel. *magnis Ecclesiæ Prælatis, de consuetudine vitæ huius, quædam veniales sordes quotidiè, quasi furtim solent obrepere, quæ negligendæ non sunt, cùm dicat sapiens, qui modica spernit, paulatim decidet: propterea quantalibet quis sinceritate hìc viuat, opus habet, quotidianæ compunctionis lachrymis expiari. Ideò additur, super riuulos aquarum.* Nulla vita adeò pura est, dum inter creaturas agitur, quæ non egeat frequentibus lauacris; etiam maximi viri, etiam sanctissimi, qui sicut oculi in Ecclesia refulgent, in eo sese ostendunt sanctissimos, quòd nec gradũ faciunt, nisi iuxta fluenta plenissima, in quibus frequenter sese lauant, & nitidant. Quò respiciebãt illa Domini ad Petrum verba, Ioan. 13. *Qui lotus*
Ioan. 13. *est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Quem lotum, & mundum totum fatetur, adhuc non eximit à necessitate se lauandi, sed illum ait indigere, vt pedes lauet. Quid est, pedes lauet? Nullũ gradum faciat ad negotia quotidiana, pro quo non sumat lauacrum. Ait Rupert. lib.
Rupert. 2. in Ioa. *Pedes lauet, id est, quotidiana, vel communia, sine quibus humana vita transigi non potest, commissa quotidianis remedijs expurget.* Vbi pedes habes, quibus ad negotia temporalia eas, cura etiam in proximo habere lauacrum; nequit enim non esse necessitas lauandi, vbi sunt commercia creaturarũ. Hinc Psalm. 90. *Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno. A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano.* Ecce tibi, & sagitta, & dæmon ipse tanquã in die splendescit; negotium solum in tenebris est, potest enim quis cum dæmonis spiculis confligere aliquandiu, quin ab splendore vitæ discedat; at non potest esse in negotijs creaturarum, quin aliquo modo obscuretur, & sordidas culparum tenebras trahat. Chrysostomus in præsenti fa-
Chrysost. tur: *Audi negotia, quæ rationabilia videntur esse Christianis, & sunt tenebrosa: nam*

Omne

omne negotium inter ementes, & vendentes conficit mendacium. Nam quid dicebat ille? Quia non cognoui negotiationem, introibo in potentias Domini. A negotijs creaturarum fugiat, qui nolit in aliqua culpæ sorde non nigricare.

§. IIII.

In re virtutis, illa in primis curanda, & animo infigenda, quæ solidiora, & necessariora sunt, etiam si præillis alia minoris momenti dissimulanda sint.

NOn culpa Discipulorum erat, quòd non multùm curarent lotiones manuum traditas à Senioribus, eo præcipuè tempore, quo sollicitè curabant se adstringere Dei Filio. Imò hæc erat Christianæ scholæ, & perfectionis præstantissima disciplina, quòd etiam dissimulatis minoribus, totis contenderent viribus, vt præstantiora, & necessariora virtutum sibi in animis infigerent. Adspiranti ad perfectionem iuueni, regressum ad patris sepulturam vetat Dominus, inquiens: *Sine, mortuos sepelire mortuos suos; tu autem vade, et annuntia regnum Dei.* Posset equidē & patri opus sepulturæ præstare, & regno Dei acquirendo, & annuntiando incumbere: non enim sibi cōtrariantur virtutes, sed potiùs connexæ sunt. Quare ergo non permittitur hic iuuenis patri sepeliendo adesse, sed totus rapitur ad ministerium diuinum? Quando pluribus intentus, minor est ad singula sensus; sapientissimè prouidet Dominus in suis Discipulis, vt in primis ea animo infigant, quæ necessariora sunt, nec multùm æstimat, quòd minora alia relinquant, dum illa intimis visceribus infigant. D. Ambros. lib. 7. in Lucam, cap. 42. *Cùm religiosum humandi caperimus officium; quemadmodū hic paterni quoque funeris sepultura probibetur: nisi vt intelligas humana posthabenda diuinis? Bonum studium, sed maius impedimentum. Nam qui partitur studium, deriuat affectū. Qui diuidit curam, differt profectum. Ergo priùs obeunda, quæ maxima sunt. Nam & Apostoli ne occuparent studium disputādi, ministros pauperibus ordinarunt.* Hanc ebibant curam omnes Christi asseclæ, vt toto animi conatu, & attentione primùm arripiant illa, quæ diuiniora, & necessariora sunt, etiam si præ illis relinquenda sint alia minima. Tales enim complures hominum sunt, vt ad leuidensia, & minima auidè currāt, pro illisque alacriter decertent, cùm interea maxima, & necessarissima nec tàm anxiè curent, imò illa habeant suspecta, & inuisa. His iam Dominus respondet, Luc. 10. *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium.* Esi equidē leuidensium, & paruorum operum bonorum ingens multitudo, quæ ratione materiæ, incomposibilitatē habent inter se; at præstantissimorum, & necessariorum raritas est, & summa vnitas. Et vix fieri potest, quòd qui nimis hęret leuidensibus, & minimis operibus, non turbationem incurrat, & malè afficiatur erga maxima, vt Martha erga Mariam. Hinc Nazianz. turbationum suarum causam deflet, quòd nimis paternæ pietati indulgens, à præstantioribus sese remouerit: quippè ait orat. 20. *Me, & pietas erga parentes, et senilis ætatis curatio, & incursantes calamitates, ab illius, nempè sanctissimi Basilij, consortio abstractum tenuerunt, haud rectè id quidem, aut iustè fortasse, sed tamen tenuerūt. Atque haud scio, an mihi hinc quoque omnis vitæ difficultas, asperitasq; orta sit.* Sic Nazianzenus vitæ difficultatem suæ tribuit indulgentiæ, qua pro parentum pietate, à perfectiorum abstinuerat consortio: est enim virtutum minimarum proprium, tribulationes, & difficultates vitæ inducere. Hinc illa Iesu in Discipulos seueritas, qua cauebat, Luc. 10. *Neminem per viam salutaueritis*: non à malis solùm, sed etiam à bonis, & pijs salutationibus illos auertens; vt doceat, quantò sit curandum studium circa maiora, & præstantiora: in quo etiam dimissis alijs, sibi complacet Deus. Ait D. Ambrosius, lib. 7. in Lucam, cap. 42. *Neminem in via salutare, Apostolis præscriptum est; non quòd benevolentiæ displiceret officium, sed quòd prosequendæ deuotionis intentio plùs placeret.* Et illa semper sunt attendenda, quæ plùs placent Deo, etiam si præ illis alia minora sint posthabenda.

Ambr.

Luc. 10.

Naz.

Luc. 10.

Ambr.

Matth. 15. Ipse autem respondens, ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?

§. V.

Pacem, & mansuetudinem, etiam inter iniurias cogitantibus, paratum est diuinum, & cœleste præsidium.

CHristi Discipuli carpuntur à Pharisæis, acerbèque accusantur; qui dum inter accusantium calumnias mansueti, & mites tacent, nec quid durum aduersus accusatores cogitant; hæc obtinet, vt pro se Dominus descendat in scama. Et quando qui non vindictam, sed mansuetudinem cogitant, & pacem, Deum, cœlestiaq; omnia in protectionem suam nō habent? De Filio Dei aiebat Isaias, cap. 11. *Iudicabit in iustitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Ecce quorum suscipit Dominus patrocinium; nimirùm pro mansuetis terræ stat, illosque propugnat, qui etiam lacessiti, nesciunt à mansuetudine deflectere; & inter ipsa spicula iniuriantium, numquam non cogitant pacem. Ij pro se & Deum, & omnes cœlites protectores habēt. De Iacob proficiscente ad fratrem Esau, à cuius ira fugerat, ait, Gen. 32. *Iacob quoque abijt itinere, quo cœperat, fuerunt q; ei obuiam Angeli Dei. Quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc, & appellauit nomē loci illius, Mahanachim, id est, castra. Misit autem & nuntios ante se ad Esau fratrē suū in terra Seir, in regionem Edom; præcepitque eis dicens: Sic loquimini domino meo Esau: Hæc dicit frater tuus Iacob, &c.* Ibat vir mitissimus Iacob ad infensissimum hostem suum Esau; non vt factus potens, illud debellaret, sed vt cum illo iniret pacem. Quid tunc? Proficiscenti Dei castra, Angelorū exercitus obuiam fuerunt; & vndè meruisset Iacob pro se habere omnia cœlitum castra, nisi quia inter iniurias acceptas, nihil aliud cogitabat, quàm habere pacē cum fratre? Aiebat D. Ambrosius, lib. 2. de Iacob, cap. 6. *Castra Dei hæc sunt. Perfectis enim & fidelibus diuina solent adesse præsidia. Perfectus autem, qui cogitabat de reconciliatione fraterna, ita vt humilitate etiū inuitaret: officijs acquireret, muneribus quoque emendam putauerit. Occurrit itaque fratri cum vxoribus, et pignoribus suis, vt etiam si ipse indignaretur, necessitudinis obsequijs inflecteret.* Cùm iam plures iniurias suscepisset à fratre, & modò alias maiores suspicaretur, nil aliud parat, quàm signa mansuetudinis, & pacis; nihil aliud cogitat, quàm obsequijs obstringere iniuriantem. Cur ergo tàm mansueto iniuriarum condonatori non obuient cœlestia omnia castra? Solet equidem cœleste auxilium citiùs adesse ei, qui mansuetè iniurias patitur. Quis nesciat iniurias à Labano illatas? Quis nesciat mansuetudinem Iacob in sustinendis iniurijs Labani? Ait autem Dominus ad Iacob, tunc temporis, quo maiores iniurias patiebatur, Gen. 31. *Leua oculos tuos, et vide vniuersos masculos ascendentes super fœminas, varios, maculosos, atque respersos, et diuersorum colorum. Vidi enim omnia, quæ fecit tibi Labā, &c.* Adest Dominus Iacob, eiusque oues promouet, sed eo tempore, quo à Labano malè tractaretur; ait enim: *Vidi omnia, quæ fecit tibi Laban.* Vbi namque Dominus videt suos iniurijs affici, nec iniurijs moueri, sed mansuetos esse, statim ipse aduolat, vt iniuriantes retundat, & suos defendat. Ad hæc ait Chrysost. hom. 57. in Gen. *Quando iniuria nobis fit, nosque mansueti, et mites, ac tolerantes fuerimus, maiori, et largiori auxilio diuino fruimur. Ne igitur obluctemur his, qui nos premunt, & calumniari volunt; sed feramus generosè scientes, quòd nos omnium Dominus non despiciet.* Fœlix, qui scit sibi illatas iniurias dissimulare; qui inter calumniantium voces nouit mansuetus obmutescere; is pro se habet pugnantem Deum, imò omnia cœlestium castra sibi inueniet adesse.

Isai. 11.

Gen. 32.

Ambr.

Gen. 31.

Chrysost.

§. VI.

Pernitiosum hoc vitium est hominibus, quòd sic afficiantur erga humana statuta, vt pro illis tuendis, nulli aduersus Deum parcant delicto.

VTinam soli Pharisæi propter traditionem suam transgressi fuissent man-

mandata diuina; verùm hoc Phariſæis notum vitium, ſic omnes homines peruadit, vt vix apud illos aliquod humanum ſtatutum, & traditio ſeruetur, pro quo tuendo paſsim non infringantur præcepta, & naturalia, & diuina. Exemplum ſit Labanus ille, Iacobi ſocer; is filiam Rachelem dederat in ſponſam Iacobo ſeruituro ſeptem annis pro illa; & poſt tempora finita ſeruitij, dum vxorem ſuam Iacob expectat, à Labano Lia non vxor, ſed vxoris ſoror maior introducitur. Quis Labani ſcelera in ſola hac fraude numeret? Numerat illa Saluianus noſter in Annal. anno mundi. 2283. Item Pereyra, in Geneſ. 28. diſput. 4. Peccauit quippè Labanus, quia fit leno ſuæ filiæ maioris, quam producit in ſtuprum ei, quem ſciebat non eſſe maritum: fit reus adulterij, qui filiam ſuam permittit coniugato viro: inceſtus quoque, quia Lia affinis erat in primo gradu, vtpotè ſoror veræ coniugis, nempè Rachelis. Fiebat & reus pellicatus; Lia quippè extra coniugiũ mixta cum Iacob, fiebat eius pellex. Sed fuit inſuper reus perfidiæ, pacta, & promiſſa, etiã cum graui ſeruitutis onere coniuncta violando. Fuit & iniuſtitiæ reus in Rachelem, cui eripiebat maritum, ſi ipſe deteſtaretur ſecundas nuptias; in Iacobum, quem in matrimonium ingratum quodamodo cogebat; in Liam, quam amiſſa virginitate, infamiæ periculo obiecit. Tot hæc crimina in Deum, & in naturam incurrit Labanus; & pro qua re tot crimina admiſit? Ipſe ait Gen. 29. *Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, vt minorẽ anteâ tradantur ad nuptias.* Sic vt loci tueatur conſuetudinẽ, vt gentis traditionem obſeruet, & ſtatuta; non dubitat tot criminibus, & ſceleribus aduerſus Deum ſe obſtringere. Heu hominum pernitioſum vitium! qui vel naturalis, vel diuinæ legis fractione comparant obſeruantiam minimæ ſuæ traditiunculæ. Diſcurre per nationes, per familias, apud quas ſint ſtatuta ab hominibus inuenta; & nullum horum ſtatutum, nullam humanam conſuetudinem inuenies, quæ non ſeruetur contemptu præcepti naturalis, & diuini. Meritò Iſaiæ cap. 29. ait Dominus: *Timuerunt me mandato hominum, et doctrinis. Ideò ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & ſtupendo; peribit enim ſapientia à ſapientibus eius.* Vitio plectendo vertit Deus hominibus, quòd timeant Deum mandato hominum. At Dei timor etiam ab hominibus imperatus, non eſt virtus. Cur ergo Dominus offenditur illo timore, qui de hominum mandato venit, & illi acerbum minatur iudicium? Sanè habent hoc quaſi proprium homines, qui humanis nituntur ſtatutis, vt vix illa obſeruent ſine iniuria legis naturalis, & diuinæ. Quod humanum ſtatutum obſeruatur, cuius obſeruatio non pariat mille legis diuinæ iniurias? Cauebat Dominus, Leuit. cap. 28. *Iuxta conſuetudinem terræ Ægypti, in qua habitatis, non facietis: & iuxta morem regionis Chanaam, ad quam ego introducturus ſum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis:* In Hebræo: *In ſtatutis eorum non ambulabitis. Facietis iudicia mea, & præcepta mea ſeruabitis.* Erant apud has nationes conſuetudines, & ſtatuta plurima politica, quæ ad ciuilem pertinebant ſtatum, nec vllam continebant turpitudinem; à quibus vt arcerentur Iſraelitæ, non tanta neceſsitas apparet. Suffeciſſet enim, quòd Deus iuberet, vt non facerent Iſraelitæ turpitudines, & ſcelera nationum; cur non ſolùm à turpitudine, ſed & ab omni, in genere, conſuetudine, & ſtatuto etiam non turpi, nec inhoneſto illos arcet, & vnam ſuam legem proponit ſeruandam? Sapientiſsimè hanc hominibus ſalutarem mentem volebat Dominus imprimere, quòd vnam legem diuinam auidè ſpectarent, in illamque obſeruandam toto corde, tota mente incumberent; nec ſic afficerentur erga hominum conſuetudines, & ſtatuta; quando hæc, licèt honeſta videantur, vix vehementi affectu afficiũt homines, quin naturæ, & Dei præceptorum obliuionem faciant. Ego dogmata fidei apertæ vidi ſæpè & verbo, & calamo defendi à religioſis, & ſanctis viris abſque vlla religioſæ vitæ nota; nec audiui vmquam à ſancto viro ſtante pro certa fidei veritate, iniuriam vllam in proximum iaculatam, nec naturæ, nec Dei præceptum perfractum. Vbi autem non fidei apertum dogma; ſed opinio aliqua humana alicuius vel Sancti, vel Doctoris pij ſtatuto defenditur: quis numeret ſcandala, iniurias in proximos indè natas? Quis percenſeat iras, rixas, odia inter pios alioquin viros æternata? Vidi ſæpè à principibus, & iudicibus, qui ſtudent legi Dei, & naturæ obſeruandæ, iuſtiſsima agredi iudicia in malefactores, ſine vllo reipublicæ incommodo, imò cum magna vtilitate: verùm vbi aliquid patiuntur humanum, vel minoris obſeruantiæ, vel obſequij; Deus bone, quot indè parturiun-

turiuntur mala, quot clades! Durissimum bellum inter duos dracones initum; nimirùm inter rabidissimum Amanum, & Mardochæum exprimitur, vt ait Esther capit. 10. Aman Mardochæum accusabat, totumque populum Iudæorum petebat ad lanienam; & quam ob causam; Eam ponit capit. 3. aiens: *Cuncti serui Regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: sic enim præceperat eis Imperator; solus Mardochæus non flectebat genua, &c.* Deficiebat Mardochæus in officioso cultu de gentium more, exhibito Principibus; pro cujus obseruatione tutanda, non miror, quòd pax turbaretur, & omnia iura naturalia, atque diuina frangerentur. Id quod eleganter notans Rupertus, libro. 8. de victorijs, capit. 7. sic inquit: *Hæc belli causa, hoc duelli fuit initium; hoc modo duo dracones illi pugnare contra se cæperunt. Nunquam tâm crudeliter, tâm furiosè suum quidem caput erexit draco diabolus.* Et quidem non sic perturbatur respublica, quàm vbi inter Principes, atque iudices agitatur causa violatæ iurisdictionis, vel negati obsequij per homines statuti. Eo namque modo homines afficiuntur ad traditiones suas, & statuta, vt præillis nihil curent naturalia, neque diuina.

Esth. 3.

Rupert.

Matth. 15. Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem. Et qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quod cumque est ex me, tibi proderit; & non honorificauit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram.

§. VII.

Crudelitas erga egentes cognatos, præcipuè solet esse causa perditionis: vt è contrà pietas erga illos inter præcipuas causas numeratur salutis

MVlta, & grauia erant Pharisæorum crimina; sed Dominus ostensurus illos æterno esse adiudicatos supplicio, vt notat hìc Chrysostomus, vnum hoc illis obijcit delictum, quòd crudeles erga parentes, & cognatos fiant. Nec miror, quòd in ostendenda damnatione Pharisæorum Dominus memoretur præcipuè crudelitatem in pauperes cognatos, quando hæc solet esse vel prima, vel inter primas causas æterni supplicij. Sic inquit Amos capit. 6. *Væ, qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: Optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel. Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, Qui canitis ad vocem psalterij: sicut Dauid, putauerunt se habere vasa cantici. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritionem Ioseph.* Expende, post tot scelerum, & suppliciorum causas, quam pro suprema, & maxima ponat, nimirùm, *nihil patiebantur super contritionem Ioseph*: hoc est, non miserabantur super angstiatum, & in necessitate constitutum fratrem suum. Sanè hoc supremum scelus videtur, etiam in hominibus facinorosis, quòd non afficiantur erga patres, seu fratres, seu cognatos egètes. Ad hæc Philippus Abbas epistola. 9. inquit: *Cùm Propheta iste plura enumerasset, quorum rei Principes populi tenebantur, & propter quæ illud væ, quod præmisit, iusto iudicio merebatur, ad extremum intulit: Et nihil patiebantur super contritionem Ioseph, vt planè ostenderet, quoniam in hoc summa totius nequitiæ consummatur, quòd minor*

Amos. 6

Philippi Abb.

frater maioris imperio conteratur: quòd illo passo, nulla iste misericordia moueatur: quòd illo tabescente, iste hilarescere videatur. Expende ab illis: *Quia in hoc summa totius nequitiæ, &c.* Quippè vix nisi de summa totius nequitiæ venire potest, quòd homo adeò sit ferus, & crudelis, vt cognatorum egentium non misereſcat. Hæc crudelitas summa totius nequitiæ est; hæc præcipua est causa cuiusuis maximæ pœnæ. Hinc Iacob filij dum malè à Prorege Aegypti tractarentur, ad hanc præcipuam causam malorum confugiebant; nimirùm Gen.42. aiunt: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videtes angustiam animæ illius, cùm deprecaretur nos, & non audiuimus: idcircò venit super nos ista tribulatio.* Et quidem viri isti multa, & grauissima crimina alia perpetrarant: Ruben cubile patris ascenderat; Simeon, & Leui ex Sichimorum fraude vasa iniquitatis à parente vocantur, & insuper omnes apud patrem suum fuerant accusati de crimine pessimo, per quod fœdissima, & turpissima luxurię crimina ab auctoribus explicantur. Cur ergo dum se sub supplicio vident, non ad hæc crimina recurrunt; sed ijs prætermissis, vnam meminerunt in fratrem crudelitatē, qua minimè audierant deprecantem; nec cum lacrymis misericordiam petentis fuerant miserati? Hæc vna illis visa fuit vnica, & præcipua omnium malorum causa. Philipp. Ait Philippus Abbas, vbi supra: *Cùm Patriarchæ graues in Aegypto molestias paterentur; nulla magis causa reputant, se hæc incommoda promereri, quàm quòd fratri minimo noluerint anteà misereri. Meritò, inquiunt, hæc patimur, &c.* Nec dubites tibi fore omnium malorum, æternique supplicij causam, quòd videas parentem, aut fratrem, aut cognatum afflictum, angustiatum, egentem; & eius non misereris, nec ad illius tenereſcas lacrymas. Matth.3 Vndè Matthæus, cap.3. loquens de Ioanne, ait: *Videns autem multos Phariſæorum, & Sadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum, quis docebit vos fugere â ventura ira:* quasi inter omnes à se baptizandos, hos paæcipuè notet obnoxios diuinæ iræ, à qua minimè essent liberādi. Sed quæ ob crimina sic illorum desperat salutem? Ipse ait, dum dicit, *Progenies viperarum*, quando hoc est viperis commune parentes perimere; ait enim Diu. Isid.Pel. Isidorus Peluſ. epist.105. *Viperarum progenies Ioannes Iudæos appellauit, vt improborum parentum improbiores fœtus. Aiunt enim hanc feram, maternum ventrem, cùm in lucem editur, abrodere.* Qui ergo in parentes existebant crudelissimi, mirum erit, si euadant ęternam Dei iram, æternumque supplicium: hæc enim crudelitas in parentes, vel prima, vel præcipua causa est, quæ homines exponat diuinæ iræ, vt pietas in illos est, quæ præcipuè homines primò incipit promouere in vitam. Ait enim Paulus ad Epheſ.6. *Honora patrem tuum, & matrem, quod est præceptum primum in promiſſione.* Sanè in Decalogo non primum præceptum est, quod iubet honorari parentes; quomodo ergo dicitur primum à Paulo? Chryſoſtomus putat, primum esse eorum, quæ sunt circa capeſſendam virtutem: alia enim præcepta videntur data ad fugienda vitia, vt non habebis Deos alienos; non assumes nomen Dei tui in vanum, non mœchaberis, &c. At inter illa, quæ non fugam consulunt vitiorum, sed potius petunt operationes positiuas virtutum, primum præceptum dicitur à Diu. Chryſoſtomo hoc, quod est de parentibus honorandis, quasi hæc pietas sit tanquam basis, & fundamentum virtutum. Pulchrè Diu. Chryſoſtomus, homil.21. ibi: Chryſ. *Non dixit illud ordine, ſed promiſſione primum esse. Illis quidem quæ de malis, ſeceſſuque â malis posita præcepta sunt, non est adiecta merces; illis verò, quæ de bono sunt, lucri etiam addita est promiſſio. Et vide, quàm admirabilem virtutis profectui basim posuerit, honorem scilicet, & reuerentiam erga parentes.* Est pietas erga parentes, & cognatos basis non contemnenda, quæ mirum in modum deseruit virtutum profectibus. Huc reuoca dicta tom.1. lib.3. cap.5. §.14. & alibi.

§. VIII.

A Dei Spiritu ille solus habetur honor, qui in vera munerum exhibitione consistit.

CVm iuberis à Deo honorem exhibere parētibus; ne credas, Deum sic esse de inanib⁹ verborū officijs, ac de veris mune-

munerum largitionibus sollicitum; non enim apud Deum cēsetur honor, qui per inania verba exhibetur, sed qui in vera donorum exhibitione consistit. Hinc Paulus. 1. ad Timot. 5. *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habentur, maximè qui laborant in verbo, et doctrina. Dicit enim scriptura: Non alligabis os boni triturant.* Meritò vt probet honorem deferēdum presbyteris, adducit testimonium de cibandis laborantibus; non enim agnoscit Dei Spiritus alium honorem, nisi illū, qui ostenditur in dono exhibito. Ait enim D. Hieron. in cap. Matth. 13. *Honor in scriptura non tâm in salutationibus deferendis; quâm in eleemosinis, ac munerum oblatione sentitur.* Absit honor ille à Dei Spiritu, qui nihil extra verba promit: tunc Dei dignum honorem exhibes, quando officiosis verbis addis dona, addis munera, quibus ditetur accipiens, & conspicuus fiat. Hinc Psalm. 28. clamat Dauid: *Afferte Domino filij Dei; afferte Domino filios arietum: afferte Domino gloriam, et honorem.* Expende, quando petat afferri honorem Deo, nimirum quando præmiserat, quòd illi afferrent Dei filij filios arietum. Nunquam, mihi crede, apud Dei filios censetur honor ille, qui nō cōstat muneribus. Quò respiciens D. Chrysolog. serm. 10. ait: *Videtis, quia cœlestis Pater sentit amorem donis, datis affectum, probat muneribus charitatem. Et re vera, fratres, naturam negat, ingratus est patri, qui auctorem vitæ suæ non obsequijs placat, non deuincit cultu, muneribus non honorat.* Totus honor debitus à Filio Spiritum Dei habente deficit, vbi deficiunt munera Patri exhibenda. Ille sapiens, qui nescit honorem exhibendum egenti à muneribus, & donis distinguere. Numer. 22. Rex Barach sic refertur dixisse Balaamo: *Ne cunctéris venire ad me: paratus sum honorare te.* Vbi noster posuit, *honorare*, est in Hebræo, *Chabal*, quod & onorare significat: pro quo ex Hebræo vertit Oleaster: *Onerando, onerabo te, scilicet diuitijs.* Et meritò sub eodem vocabulo & honor significatur exhibendus, & diuitiarum largitio; quando verus ille honor est apud Deum, & homines cordatos, qui non verbis solis, vel scriptis, sed rebus veris, & largitionibus subsistit.

1. Tim. 5

Hieron.

Psal 28.

Chrysol.

Num. 22.

Oleast.

Matth. 15. Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me: Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.

§. IX.

Non sic curanda, & æstimanda sunt externa, seu oris, seu operis facinora, vt animi virtutes internæ.

ET laudatores suos, & cultores suos malè accipit Dominus, & arguit velut hypocritas; quādo inter externos cultus, & voces laudatorias, omni virtute desertum erat cor eorum. Et quidem non sic, quæ extrinsecus apparent, vt quæ intrinsecùs sunt animi virtutes, æstimationem habent apud Dominum. Matth. capit. 3. de Ioanne fatur: *Venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem eius erant locustæ, & mel siluestre.* Cuius vox sonorior in laudem Dei sonuit? Cuius opera de mundi voluptatibus clariorem reportarunt victoriam? Ad hæc aiebat Diu. Lucas, cap. 3. de eodem: *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas eius, &c.* Hæc tantummodo inquit Lucas; nihil de vestitu, nihil de cibo, nec de potu locutus est Ioannis. Itaque Matthæus asperitatem vitæ Ioānis externam,

Matt. 3

Luc. 3

nam, eiusque voces pro Deo ponit: Lucas hæc præterit, & tantùm ait: *Factum est verbum Domini super Ioannem*, quod Matthæus tacuit. Et cur Lucas hoc addens, cætera prætermisit? Sapienter equidem vbi Ioannes vt vox clamantis prædicabatur, eiusque vitæ asperitas visebatur, ne tantarum virtutum splendor in solo tinnitu vocis putaretur consistere, recurrit Lucas ad verbum Dei Ioãni factum; in verbo quid internum esset in mente Ioannis designans: maiorem eius gloriam ratus, si de internis animi splendoribus illum commẽdasset. Diu. Ambrosius, lib. 2. in Lucam, ait: *Factum est verbum, vox secuta est: Verbum enim priùs intùs operatur, sequitur vocis officium. Vndè & Dauid dicit: credidi, propter quod locutus sum. Priùs credidit, vt loqui posset. Benè itaque sanctus Lucas compendio vsus est, vt Ioannem declararet Prophetam, dicens: Factum est verbũ Domini super Ioannem, et alia non adderet. Vnum dixit, & omnia declarauit.* Ad id, quod intùs erat, in primis recurrit Lucas, cætera externa prætermittens, ratus hæc sine internis nulla esse; vbi autem internæ animi virtutes ostenduntur, omnia ibi videntur, quæ ad commendationem faciũt. Ex ijs D. Isidorus Pelusin. lib. 1. epist. 162. fatur: *Ad numeros omnes religiosæ vitæ absoluendos, Ioannis cibus, ac potus, et cubile minimè sufficit: verùm ad perfectionem adipiscendam Ioannis quoque animus requiritur. Quocirca si frugalitatem nostram, ac victus tenuitatem laudas, lenitatem consequi stude, quæ improbitatem omnem vitat.* Et quidem nec Ioannis abstinentia, nec externę virtutes, nec clarissimę voces pro Dei laude æstimari adeò valuerunt, donec eius internæ fuerunt ostensæ virtutes animi: hæc Ioannem sublimarunt; has præ alijs exquirat, qui gloriosiores, & splendidiores triumphos amat reportare. Nunquam enim non laudabilior est, & gloriosior, qui internum cordis affectum Deo mactat, quàm qui cum innumeris visibilibus hostibus pugnare audet. Dum Bethlehem confertissimis hostium cuneis scateret, tres Dauidis milites, 2. Regum. 23. audent per medias hostiles phalanges ad cisternam peruenire, ex qua concupitam aquam Dauidi adducant. Quam aquam accipiens Dauid, *noluit bibere, sed libauit eam Domino*. Vter ausus gloriosior? An ausus trium militum, qui confertissimos hostium exercitus non timent, sed in illos irruunt, vt hauriant aquam Dauidi; an ipsius Dauidis, qui concupitam aquam Domino libat? Sanè illi cum externis hostibus, & periculis cõfligunt; Dauid cum sola sui cordis confligit cupiditate, cum interno appetitu; & inde laudabilior, & gloriosior, qui affectum cordis Deo litat, quàm qui mille externas difficultates superat, infinitos hostium externorum subit conflictus. Pulchrè Diu. Ambrosius, libro. 1. de Iacob, cap. 1. inquit: *Laudo viros, qui erubuerunt desiderium sui Regis, et maluerunt finem eius verecundiæ proprio periculo afferre. Sed plùs laudo eum, qui erubuit in suo desiderio alienum periculum, & aquam dubiæ sortis pretio quæsitã.* Nunquam equidem non laudabilior est, qui de internis desiderijs, quàm qui de externis hostibus triumphat. Nunquam non gloriosior est, qui interna Deo subiecta, & tranquilla exhibet, quàm qui millenos externos hostes ostendit deuictos. Ad Philippenses. 4. dicitur: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, &c.* Meritò bonum pacis, quod splendet extrinsecùs, non commendat; sed illud, quod in corde tenetur intrinsecùs; quando interna cordi; longè omnia externa superant. Ad hæc inquit Diu. Ambrosius, libro. 2. de Iacob, capit. 6. *Istius pacis fructus in nobis est, quæ est in mentibus singulorum: quæ tenetur affectibus. Istius pacis maior est fructus, quo spiritualis nequitiæ tentamenta, quam quo arma hostilia repelluntur. Ista pax sublimior, quæ corporalium passionum excludit illecebras, perturbationesque mitigat; quàm ea, quæ barbaricos sedat incursus. Plùs est enim clauso intra te hosti resistere, quàm remoto.* Tunc gloriosiorem victoriam te reportare puta, cùm interna cordis & libas, & mactas Deo.

Luc 3.

Ambr.

Isidor. Pelus.

2. Re. 23

Philip. 4.

Ambr.

Matth. 15. Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

§. X.

§. X.

Linguæ malitia potens est homines inficere,

NOn est, cur Pharisæi adeò sibi timerent à manibus illotis Discipulorum Christi; manus enim sordens cibos ori ministrans, nullam maculam homini imprimit. Vtinam magis sibi cauerent Pharisæi à lingua sua; quæ enim à lingua venit lues, non solùm inquinat, sed & totum hominem, imò & totos homines inficit. Præclarè Dominus oris fœditatem timentibus ex manuum sordibus contrahendam, ostendit certiorem causam infectionis in ore ipso, nimirùm verba malitiæ, verba proximos corrodentia, quæ & infectionem halant, & virus. Vndè ait Psalm. 1. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, in cathedra pestilentiæ non sedit.* Quæ est cathedra pestilentiæ, nisi in qua lingua erexit malitiam? Nũquam enim lingua vbi sonat, & contagiosum, & pestilens virus non instillat. Quò respiciens Tertullianus, libro de spectacul. ait: *Nunquam ergo fugies sedilia hostium Christi, illam cathedram pestilentiariam, ipsumque aerem, qui desuper incubat, scelestis vocibus constupratum.* Quis securus à maledicorum contagio, à quo nec aer vicinus manet liber? Ea est equidem maledicorum vox, vt vel aer ab illa percussus fugiendus sit tibi, nisi velis eius contagio totus infici. Hinc Diu. Basilius, in regulis fusè disputatis, regula. 51. sic monet: *Animi vitia sanet, veluti inanem gloriam, abiectioribus exercitijs: murmurationem, à reliquis separatione, vt videlicet, neque ex fratribus quisquam vnà cum ipso esse in opere velit: neque opus, quod ipse elaborauerit, cum reliquijs reliquorum misceatur.* Expende, quæso, quale contagium putet esse à murmurantis lingua, quando sic murmuratorem à reliquorum consortio ablegat, vt neque opus ab illo tactum permittat ab alijs attingi; quasi omnia illius & virus, & contagium adspirent. Hinc adolescenti petenti facultatem sepeliendi patrem suum, ait Dominus, Luc. cap. 9. *Sine, mortuos sepelire mortuos suos.* Mortuo parenti non permittit adesse, imò nec ad momentum permittit mortuorum hominum meminisse. Sed qui sunt ij mortui, qui prorsus relinquendi sunt mortuos sepelire? Si qui alij, illi sunt præcipuè, quorum os sepulchrorum instar, nihil sciuit voluere nisi morticinium. Horum vel memoria prorsus cauenda ab illo, qui nõ vult infici. Sic Diu. Ambrosius, libro. 7. in Lucam, inquit: *Quia sepulchrum patens guttur est impiorum, memoria eorum abolenda præscribitur.* Ne mireris, quòd impiorum illorum non permittaris meminisse; guttur namque eorũ velut sepulchrum est, nihil vitale admittens, sed omnium morticina, & fœtida, & corrupta semper tractat, à quibus necessum est, vt quàm lõgissimè separeris, nisi similem labem velis incurrere. Huc reuoca dicta tom. 2. lib. 6. cap. 8. §. 13.

Matth. 15. Tunc accedentes Discipuli eius, dixerunt ei: Scis, quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt. At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cęlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, &c.

§. XI.

Qui vni Deo primò nititur, ille firmus, atque penè immutabilis est.

QVæ planta Dei manum ignorat, & non eradicatur? fœlices illi, qui vnũ Deo nituntur, qui nesciunt ali primò hærere, quàm Deo; ij soli eam in bonis firmitudinem habent, qua penè immutabiles videantur. Mirabar sæpè sanctorum Angelorum in bono firmitatem, & reproborum in quouis statu inconstantiam. Illi cœlestia nacti semel, in cœlestibus vsque in æternum durabunt; ij à cœlestibus eradicati, mundi obtinuerunt principatum, in quo non diu manserunt, sed & ab illo per Iesum fuerunt deturbati: etenim Ioannes sic inquit: *Et Princeps huius mundi ejicietur foras.* Et vndè ij adeò mutabiles videntur; illi autem perpetua gaudent firmitate;

tate? Rationem pulchrè attigit Philippus Abb. epistola. 1. inquiens: *Pars Angelorum altera statim Deum voluit, quem suum Creatorem, et nouit, et amauit; pars verò altera ad volendum aliud declinauit. Et illa quidem in proposito confirmatur; & ab eo, quem voluit, accipit gratiam firmitatis; vt quæ erat mutabilis per naturam, pro eo scilicet, quòd de nihilo facta est, iam non possit mutari per gratiam, quia bono incommutabili voluntate spontanea coniuncta est. Pars autem altera ad se ipsam mox conuersa, eam perdidit, in qua facta fuerat, dignitatem: & quia sibi, non Deo peruersè voluit adhærere, nec in eo, quod erat, potuit permanere. Lapsa igitur, &c.* Itaque vbi primus angelici cordis gressus ad Deum directus est, Deumque pro primo, & vnico sui affectus scopo fuit amplexatus; qui tàm firmum suppositit fundamentum, ipsius Dei ebibit firmitatem, à qua vix potest deturbari. Miser ille, qui in primo illo conatu non Deum, sed se spectat, de infirmo fundamento, & arenoso nō poterit nisi ruinam capere, & inconstantiam. Nequit fieri, quòd non cadat, qui non Dei manibus, sed rebus nititur creatis: cuius prima germina non per Deum, sed per creaturas incipiunt pullulare. Herodes vt totam Christi fabricam
Matth 2 destrueret, Matth. 2. *occidit multos pueros*, non adulta germina naturæ, sed prima illa vix à terra surgentia puerorum agmina inuasit. Quid hæc? Sanè communis hostis tunc totam Christi fabricam casuram putat, si paruula illa, & prima virtutum conamina, quæ de Dei manu incipiunt eminere, ipse vel suffocet, vel ad se
Leo. trahat. Aiebat enim sapienter Diu. Leo, serm. 5. de Epiphan. *Herodes quoque in diabolo fremit, & auferri sibi iniquitatis regnum in ijs, qui ad Christum transeunt, ingemiscit. Vndè si paruulos interficiat, Iesum sibi videtur occidere. Quod vtique facere sine cessatione molitur, dum primordijs renatorum Spiritum sanctum tentat eripere, & quamdam teneræ fidei infantiam extinguere.* Expende illa, *Primordijs renatorum Spiritum sanctum tentat eripere*: Vbi enim prima mentis humanæ conamina de Spiritu sancto germinant, & erumpunt, mirum in modum fulcitur Christiana vita; at si hæc prima non de Spiritu sancto, sed de creatis bonis pullulant, facili impulsu, vel leui turbine totum ædificium abit in ruinam. Hinc volens Deus hominem æternare in delicijs,
Gen. 2. Genes. 2. dicit: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Non Angelis commisit, vt ponerent hominem in paradiso, sed ipse Deus per se ipsum hominem tulit, & in paradiso posuit, vt illum custodiret. A quo custodiret, quando nullus hostis erat, nec malus incursus? A proprio affectu suo, ne quid extra Deum admitteret, quo & status, & loci mutationem incurreret. Ait Diu. Au- August.
gustinus, de Genes. ad litteram: *Custodiret eumdem paradisum ipsi sibi, ne aliquid admitteret; quare inde mereretur expelli.* Tota equidè illa plantatio maneret æternata Adamo, & filijs, nisi ille aliud præter Deum in se admitteret. Dum solum Deum habuit vectorem, & plantatorem; non potuit homo non apparere firmissimus. Vtinam hoc semper haberet; hoc semper custodiret, ne aliud præter Deū admitteret; nā vbi hoc in affectu admisit protinus ruit. Hoc custodi, homo, quisquis amas ruinæ timorem omnem excludere; sic tibi Deus sit vnicus, & primus in affectu; vt nullus tuus inueniatur affectus, aut non radicatus, aut non terminatus in illo. Angelus Gabriel mittebatur ad Mariam, nuntiaturus aduentum Filij Dei in illam: ingressus autem Gabriel, Luc. 1. ait: *Aue* Luc. 1.
gratia plena, Dominus tecum. Aduentum Dei nuntiaturus, Deum videt nuntium præuenisse, & iam cùm Angelus adest, esse in Maria. Cur, Angele, Deus sic præuenit tuum ingressum, & nuntium, & ante te conuenit Mariam? Ne Maria timeret in tanta fœlicitate ruinam, in illa Deus voluit existere prior omni creatura, prior Angelo ipso. Ad hæc Philippus Abbas in Cantic. cap. 1. *Putabam, ait An-* Philip.
gelus, mittentis imperio prænuntium me venire, sed Imperator nuntium mihi visus est præuenire: fortè quia Virginem solam prior voluit inuenire, ne videret sine ipso ipsam rudem, & timidam conuenire. Itaque nisi prior omni creatura Deus esset in Virgine, non posset nō inueniri sub metu: at vbi in illa prior est Deus, de tàm inconcussibili fundamento penè omnem excludit timorem ruinæ. Huc trahe dicta tom. 1. lib. 1. cap. 9. §. 12. & alibi.

Matth.

Matth. 15. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? Nõne intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum mittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

§. XII.

Non extrinsecùs, sed ab intimis cordis erumpunt sordes, quæ homines inficiunt, & perdunt.

QVæ à corde exeunt sordes, caueat ille, qui sic infici videtur, vt possit effugere perditionẽ: à solo enim cordis intimo erumpunt sordes, quæ perdant homines. Hinc Abacuch, cap. 1. aiebat: *Ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram, et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua. Horribilis, et terribilis est: ex semetipsa iudicium, & onus eius egredietur.* Expende illud, *ex semetipsa, &c.* non aliunde trahet mala, quibus pereat; sed hæc tantùm ex intimis illius procedent. Ait Rupertus ibi: *Onus gentis huius amaræ ex semetipsa egredietur; id est, spontanea cor eius impietate grauabitur, & totus in malum erit conatus eius.* In proprio cuiusuis corde sita est omnimoda radix malitiæ, & turpitudinis, qua homo inficiatur, grauetur. Non ab extrinsecis, sed ab intimis animi sunt mala, & sordes, quę perditionem negotiantur ex Deo. Vbi splendentibus inuitatis omnes nuptiarum regalium plenæ sedes erant, ait Matth. cap. 22. *Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Vnus inter tot discumbentes inuentus est sordidus veste; & hic inuentus est, non à ministris, sed ab ipso Rege. Multi ministri cõuiuio intererãt, multi circũcursabãt; & nemo illorum dicitur vidisse illius miseri conuiuæ sordes, sed vnus Rex illas vidit. Cur Rex solus, & non ministri valuerunt videre hominis sordes, nisi quia sordes, quibus homo perditè inquinatur, nõ ab externis, sed ab intimis erumpunt animi, qui soli Deo patet? Ait Pasch. lib. 10. in Matth. *Quia malos in conscientia intùs intelligere, non omnium est; ideò hunc malum solus Deus terribilis, et Rex magnus inuenit.* Ne mireris, quòd solus Deus, & non ministri videant sordentem hominẽ, quando offensiuæ sordes ab intùs sunt, ab hominis animo, qui soli Deo manifestè claret. Et quidem animus hominis est, qui hominem, aut sordescere, aut splendescere facit. Gen. 8. ait: *Ædificauit Noe altare Domino: et tollens de cunctis pecoribus, et volucribus mundis obtulit holocausta super altare. Odoratusque est Dominus odorem suauitatis.* Ex carnibus crematis dicitur ille odor extitisse, qui Deo fragrãtissimus, & suauissimus erat. Sed Isaiæ cap. 1. ait Dominus populo suo: *Ne offeratis vltra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi.* Chrysost. legit: *Thymiama in abominatione mihi est.* Expende modò, Thymiama fit Deo abominatio, & semicremata caro fit odor suauitatis; vndè hæc diuersitas tàm notanda, nisi ex offerentium animo, qui solus vel inquinat, & deturpat hominem, vel suauiat? Ita Diu. Chrysost. homil. 27. in Gen. *Animus afferentis fumum, et nidorem, et omnẽ, quæ inde nascitur, insuauitatem multa fragrantia impleuit.* Et post pauca: *Iusti virtus fumum, et nidorem fecit odorem fragrantiæ; sic apud illos offerentium nequitia benè olens Thymiama in abominationem conuertit.* Non aliunde, quàm ab animo vel fit homo Deo placidus, vel abominabilis. Sit animus bonus, fit Deo gratus; & vel fumus, vel nidor, vel quæuis alia sordes vertuntur in floridas suauitates. Verũ vbi animus malus est, nil non sordidum, & turpe inde hauries. Hinc Isaias. 52. monebat: *Solue vincula colli tui, captiua filia Sion.* Solent in collo virginis, non vincula, sed monilia aptari, sic sponsæ suæ ait Dominus, Cant. 1. *Collum tuum sicut monilia.* In filia Sion vincula eius deturpant pulchritudinem; in Dei sponsa monilia mille addunt pulchritudini gratias. Sed vndè

Abac. 1.
Rupert.
Matt. 22.
Chrysost.
Isai. 52.
Cant. 1.

vndè, quæ ornamenta erant, sunt turpia vincula facta? Intimũ cordis sic solet omnia turpare: ait Philippus Abb. Cant. 7. *A collo tuo non iam aurum rutilat, non monile, sed illud deturpauit mens corrupta, carnis æstus, desiderium iuuenile; solue, quæso, vincula, vt quod sordet inconcessæ turpitudini prostitutum, tergatur forti manu, honestati reddatur absolutum. Illa sorde huius nostræ Virginis collum non sorduit, non cernice obstinata, non indomito corde obduruit; sed illud molli manu sponsus defricuit, defricato, læuigato onus leue, et suaue iugum imposuit.* Philipp.

Sic vbi mens corrupta, ibi vincula, ibi suppliciorum materies, ibi turpitudo, & sordes, sub quibus perit homo; vbi autem cor rectum, & animus purus; nihil apparet sordidum, sed omnia abeunt in pulchritudinem, & decorem.

CAPVT V.

De cœlesti signo.

DVM Pharisæi, & Sabducæi signum de cœlo à Iesu petunt, sapienter illos Dominus confundit, docens, serenitatem quidem, aut tempestatem ex cœlesti matutino, vel vespertino rubore dignosci posse; aduentum autem veri Saluatoris non ex cœli facie posse dignosci. Sua tamen signa habet & euidentiora, & certiora aduentus Saluatoris; quibus sine grandi piaculo non credit, qui pro serenitate, vel tempestate imminenti credit cœlesti rubori. Sic Dominus carpebat fermentum Pharisæorum; inter quæ discipuli, dũ fermentum audiunt, putant simul suam incuriam reprehendi à Domino, vt qui obliti fuerant panes sibi emere in alimoniam. At non de pane, sed de doctrina dicit Dominus se locutum, quando is erat, qui paucis panibus ingentem bis satiauerat hominum multitudinem.

Matth. 16. Accesserunt ad eum Pharisæi, & Sabducæi tentantes: & rogauerunt eum, vt signum de cœlo ostenderet eis.

§. I.

Non ab alto sublimitatis, sed ab humilitatis imo petendum signum salutis.

MIseri Pharisæi semper euanescunt in cogitationibus suis, nihil non altum, & sublime volunt sapere: vtinam humilia respicerẽt, fallar, nisi de terræ imo citius non illis germinaret signum salutis. Hierem. Threnor. 3. ait: *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua; ponet in puluere os suum, si fortè sit spes.* Legitur apud Paschasium: *Dabit in sepulturæ fossuram os suum, et tamen est spes patientiæ.* Expende, vndè adolescit sub Christi iugo sapiens vir; nimirùm inde, quòd dabit in sepulturę fossuram os suum, cineres, & fauillas sui finis contemplabitur; hoc solùm aspiciet, quod ad pulueris spectat vilitatem. Et quid de tam puluerulento conspectu? *Et tamen est spes*, quò magis oculos ad terram dimittit, eò exurgit spes maior. De quo eleganter Dion. Paschas. lib. 3. in Thren. ait: *Principium est nostræ professionis in puluere os ponere, et momentis singulis, quòd cinis, quòd puluis sumus, cogitare; ex quorursùs spes nobis germinetur, ac dilatetur charitas.* Threnor. 3. Paschas.

Numquam non crescit salutis spes, & reflorescit ex imo puluere nostræ vilitatis considerato. Non altitudo, neque affectata sublimitas; sed puluerис vilitas in nobis facit spẽ salutis crescere. Hinc Isaias, cap. 45. *Rorate cœli desuper, et nubes pluant iustum. Aperiatur terra, et germinet Saluatorem.* Isai. 45.

Expende, quid petat de cœlis splendescere, nimirùm iustum; verùm de terræ visceribus Saluatorem germinari expectat; in sublimitatibus enim vix effugitur iustitiæ rigor: à terræ autem humilitate nunquam non mille salutis signa proueniũt. Id quod videtur expressisse Pagninus lectio, inquiens: *Stillate cœli desuper, et cœli stillent iustitiam. Aperiat se terra, et frustificet salus.* Pagn.

Sed ad rem clarius Septuag. *Lætetur cœlum desuper, et nubes spargant iustitiam. Germinet terra, et proferat misericordiam.* Cœlestia omnia, vniuersæ sublimitates vix aliud protendebant homini, quàm seueritatem iustitiæ, quàm firmatum gladium, quo homo transfigeretur. At vbi non ad sublimitates spectat homo, sed ad terram, terræ humilitas mille homi-

hominis salutis signa germinat. Huc spe-
Psal 66. ctabat Psalm. 66. *Deus misereatur nostri, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Vt cognoscamus in terra viã tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.* Hoc amat magis Dauid, vt cognoscamus vias Domini in terra, non in cœlo; & cur non magis in cœlo; Amabat cognoscere Dei vias, & salutare eius; salutem autem non germinat cœlum, sed terra; nõ enim sublimitas maiestatis in cœlo exaltata, sed maiestas vsque ad terram humiliata hominibus præbet signa salutaria. Quò
Philipp. spectans Philippus Abbas, lib. 1. in Cant. cap. 9. dum expendit, quòd Dei salutare nomen dicatur oleum effusum, ait: *Oleum clausum in vase, vel conclaui cœlorum Angelos sanctos seruat, oleum verò effusum dispersos electorum hominum manipulos coaceruat; & misericordia, quæ ad protegendum sanos intra cœli sanctuarium se abscondit, inclinato vase ad sanandos ægrotos homines se effundit. Domine, ait, inclina cœlos tuos, & descende. Qui stantibus Angelis plenum misericordiæ vas propinat, ad medendum in terra ægrotis hominibus vas inclinat.* Necessum fuit, vt Dei maiestas sese inclinaret ad terram, sese exinaniret, vt hominibus salutem propinaret: dum enim de cœlis splendebat, non hominibus, sed Angelis ostendebatur salutaris; vt inde docerentur homines, non desublimitate, sed de inclinatione, & abiectione salutis suæ signa expectare.

Matth. 16. At ille respondens ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cœlum. Et manè: Hodiè tempestas, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli diiudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire?

§. II.

Ex quo Iesus in passione rubuit, ille solus nobis mansit pro totius fœlicitatis signo.

MIra cæcitas Iudæorum, quæ ex cœli rubore serenitatem, aut tempestates nouit præsagire; verùm ex Iesu rubẽti in passione nihil sibi vtile prænoscere sciuit. Et quidem ex quo Iesus in passione rubuit, non cœlum, non astra vlla manserunt in teporum signa, sed ipse solus Iesus mansit, qui omnia prospera hominibus designet. De Iesu iam crucifixo locutus Matth. cap. 27. ait: *A sexta autẽ hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonã.* Addit Luc. 23. *Et obscuratus est Sol.* Cœli luminaria magna id deliquium passa sunt, vt Dionisius Areopagita magnus Astrologus Athenis existens putaret, tunc temporis extremam imminere orbi dissolutionem. Cur ergo luminaria illa, quæ data fuerant in signa, iubentur tunc temporis abscondi, nisi vt constaret, quòd solus Iesus in cruce rubens ex tunc maneret pro signo fœlicitatis omni homini. Ad hæc enim ait Diu. Athan. homil. ad illud: Omnia mihi tra-
Athan. dita sunt, &c. *In salutifera passione nõ apparuit Sol, indicans finem prioris creaturæ adesse, & principium alterius superuenire, quæ diluculum suum, & exortum in Saluatore consecuta est.* Non à Sole, non ab astris, non à militia, & splendore cœli, sed à Iesu solo nostra debemus auspicari bona, ex quo ille in cruce rubuit pro nobis. Hoc notans Sol tunc defecit, vt inde ostenderentur iam futuri, qui non egerent astris, habentes Iesum, à quo solo sibi præsagirent omnia bona. Hinc sponsa, Cant. 2. *Dilectus meus mihi:* posuit Beda. Cant. 2
Dilectus meus mihi, & non alius. Et cur Beda.
non alius? Cur à solo dilecto bona sua præsagit? Ait Cant. 5. *Dilectus meus can-* Cant. 5
didus, & rubicundus, electus ex millibus: quasi dicat, si rubor cœli solet esse hominibus causa diuinandi serenitatem, vel tẽpestatem: melius, & gratius omni cœlo rubet Iesus in passione sua, in cruce sua, vt ab illo solo debeam meam diuinare fœlicitatem. Ad hæc Richard Victorin. part. Rich. Vi
2. in Cant. cap. 36. fatur: *Dilectus meus rubicundus, quia in passione sanguine suo perfusus, in qua non erat species, neque decor, vt decoram me faceret, & sanguis eius genas animæ meæ ornaret, & deformatã me reformaret. Idcircò dilectus meus mihi.* Vbi sic rubuit Iesus, non libet, non licet respicere ad alia, sed ab illo solo auspicium trahere omnis fœlicitatis, vt sibi quisq; homo persuadeat, nihil se alij debere posse, quàm Iesu in cruce purpurato. Actus erat Iesus in cruce inter duos alios crucifixos; & post emissum spiritũ ait Matt. 27. *Ecce* Matt. 27
velum templi scissum est in duas partes à

summo

ſummo vſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis, poſt reſurrectionẽ eius, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cũ eo erant, cuſtodientes Ieſum, viſo terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè Filius Dei erat iſte. Tres erant præ oculis Crucifixi; & tamen circumſtantes Ethnici miracula viſa, & creaturarum motiones vni Ieſu crucifixo tribuunt. Cur magis ea Ieſu, quàm alijs crucifixis ſimul tribuunt? Ea erat vis effuſi ſanguinis diuini, vt ipſe poſitus præ oculis non ſineret putari, ab alio, quàm à ſe poſſe euenire, quidquid accidit in natura. Chryſoſ. hom. 84. in Ioannem: *Crucifixi tres erãt, claruit vnus Ieſus; vt intelligas eius virtute omnia prouenijſſe, atque tribus crucifixis miracula patuerunt: nemo tamen vllum alteri latronum attribuit, ſed ſoli Ieſu.* Poſt Ieſum curucifixum, poſt eius emiſſum ſpiritum, in omni creaturarum ſiue ruina, ſiue reſurrectione vnus Ieſus claret; nulli alteri tribuendum eſt, quàm Ieſu, quidquid euenerit, de eius paſsione exanthlata diuinandæ ſunt omnes hominis fœlicitates. Dum ſcyphus Ioſephi requiritur in ſaculis fratrum, ait procurator, Gen. 44. *Scyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.* Qualis ſcyphus eſt iſte, ſiue calix, in quo & bibere, & augurari ſolet Dominus, niſi calix paſsionis eius? Equidem Dominicæ paſsionis calix vnus inuentus eſt, non ſolùm ad bibendum, ſed & ad augurandum, vt ab illo ſolo auſpicium humanæ fœlicitatis poſsimus capere. Inde ſponſa ſpeculabatur ſiue ventura incommoda, ſiue venientem pacem: ſic illi fatur Dominus, Cant. 7. *Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum:* vbi legit D. Ambroſ. ſerm. 5. Pſam. 118. *Naris tua ſicut turris Libani, reſpiciens faciem Damaſci.* Erat turris in Libano poſita, quæ Damaſcenos incurſus, & venientia incommoda tempora, ſiue pacifica ſpeculabatur: ſic Dei ſponſa quidquid venturum erat, ſubolebat; & vndè ſubolebat? Ex eo quòd erat reſpiciens Damaſcum: eſt enim Damaſcus apud Georgium Venetum in Armon. cant. 3. ton. 7. cap. 13. *Oſculum ſanguinis*, vel *bibens ſanguinem*, vel *propinans ſanguinem*. Hic eſt Ieſus, qui dum oſculum accipit, traditur effuſurus ſanguinem; dum vltimò cœnat, ſuum ſanguinem pretioſum & potat, & porrigit potandum; dum in cruce agit, nec guttam ſanguinis ſeruat, quam non propinet pro ſalute generis humani. Ad hæc reſpiciens anima, turris ſit ſpeculatrix, quę ventura omnia odoratur. Ait D. Hier. epiſt. 140. *Verè turris candoris, & Libani, quæ proſpicit faciem Damaſci, ſanguinem videlicet Saluatoris.* Ex quo enim anima ad Ieſu reſpicit ſanguinẽ, quaſi nequit fieri, quòd non ventura omnia odoretur, ſiue bona, ſiue mala. Nuntiata Thomæ fuit Domini reſurrectio. Ioan. 20. Ille autem dixit: *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, nõ credam.* Quis ad reſurrectionis, & vitæ ſignum peteret lethalia vulnera? Vbi nuntiatur vita, conſequenter cauſæ mortis renuntiantur abolitæ; cur tu de tota reſurrectionis gloria, dotibus quatuor prętermiſsis, clauorum locum ſolùm requiris? Chryſolog. ſerm. 84. *Quæ finit iſta Thomas non ſolùm cordis ſui, ſed omnium hominum curans incertum. Certè prophetia magis, quàm cunctatio fuit.* Non miror, quòd qui ſpiritu prophetico agebatur, non glorias, ſed vulnera Ieſu requireret, quando quot vulnera, tot certitudinis fulcra erant ad præſagiendum. Vndè D. Hilar. 3. de Trinit. Thomæ dictis maximè nititur, vt quæ nitantur vulneribus Ieſu miſsis; ait enim: *Credo Thomæ, non niſi contrectatis Chriſti vulneribus crediturò.* Hæc ille.

Matth. 16. Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignũ Ionę Prophetæ. Et relictis illis, abijt.

§. III.

Humanitatis Chriſti humilia, erant minifeſtiſſima ſigna diuinitatis.

NOn omninò negauit ſignum Iudæis, ſed potiùs illis ſignum illud oſtendit, quod in Iona repræſentatum, & in ſe verè apparuit exercitum, quãdo vt Ionas in ventre ceti, ſic ipſe Ieſus iacuit in corde terræ. Hoc, quod non ſupra hominem

nem erat, sed humanitati proprium signum ostendit: & meritò, quando quod humillimum erat in Christi humanitate, manifestum fuit factum signum Deitatis eius. Cupienti Moysi videre & facié Dei, & gloriam, ait Dominus, Exod. 32. *Est locus apud me, et stabis supra petram. Cùmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, &c.* Ille visionem gloriæ cupiebat, & solùm conceditur ei foramen petræ, ex quo prætereuntem Deum cernat. Quale hoc foramen ad tantam visionem? Sanè, vt ait Paulus, *Petra autem erat Christus*, cuius sacræ humanitatis vel rimulæ manifestissima signa sunt Deitatis ostentatiua. Ait enim Damascen. orat. de Transfig. *Iam Moyses Deitatis gloriam liquidò perspicit.* (Loquitur de Moyse vidente Iesum in Thabor) *sub petræ foramine coopertus; quæ quidem petra Christus est incarnatus, qui carnis suæ tanquam perexiguam quandam rimam strictim aperuit, immensoque lumine adstantium oculos perstrinxit.* Vel rimula humanitatis Christi immensum lumen iaculat, quo diuinitatis excelsa videantur. Quò respiciens senex ille apud Luc. cap. 2. de Iesu puero dicebat, quòd esset *lumen ad reuelationem gentium*; hoc est, lumẽ, quod veram Deitatem gentibus reuelaret. Et vndè reuelauit, nisi quando se ipsum humana sustinentem ostendit? Sic ait D. Cyrill. lib. 3. de recta fide ad Reginas: *Quomodo lumen ad reuelationem gentium, nisi Deus sit verè, & solus Filius, natura quidem ex Patre Verbum: ex Virgine autem idem secundùm carnem? Qualis reuelatio facta est gentibus? Nonne in ipso agnouerunt, quòd Deus sit, & seruiendo ei liberati sunt à crimine: quòd non seruiant Deo alteri, quàm vni?* Expende illa, *in ipso agnouerunt, &c.* Ipsa Christi humanitas in se ipsa considerata potens erat præferre facem, quæ diuinitatem manifestaret. Hinc accipiens recens natũ Iesum Simeon in manibus aiebat, Luc. 2. *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum, &c.* Trementem infantem videt in manibus, & nulla alia signa spectat, satis in illo infante habere sufficiens lumẽ, sub quo eius videat celsitudinem Deitatis. Ambrosius serm. 20. de tempore, ait: *Multùm iste senex fuit ad audiendum serus, sed ad videndum maturus. Nõ expectauit, vt Christum audiret loquentem, quoniam videbat infantem.* Non expectauit, non requisiit euidentiora signa, qui habebat puerum illum præ manibus; humilitas enim illa infantilis sufficit, vt ostenderet seni latentem diuinitatem. Hinc Dominus, Cant. 2. dixit: *Ascendam in palmam, et apprehendam fructus eius.* Quæ verba tractans Philippus Abbas in Cantic. cap. 24. per palmam intelligit Virginem Mariam, de cuius virginitate sublimis Iesus ad Diuinitatis suæ notionem omnes trahit: quippè inquit: *Ascendam in palmam, visibilis apparebo: ascendam in Virginem, per eam cæteris me monstrabo, per assumptam eius carnem mundi Principem triumphabo. Profundum meæ Diuinitatis erat hominibus inaccessum, quorum amore ductus ascendam in excelsum; vt cùm â profundo, et occulto inuisibili fuero visibiliter exaltatus, ad me traham omnia, trahendi efficacia non fraudatus.* Hæc ille: ex quibus constat, quàm efficax sit Christi humanitas, vt Diuinitatem latentem hominibus persuadeat.

Exod. 32. Damasc. Cyril. Luc. 2. Luc. 2. Ambr. Cant. 2. Philipp. Abb.

Matth. 16. Et cùm venissent Discipuli eius trans fretum, obliti sunt panes accipere. Qui dixit illis: Intuemini, & cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum. At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia panes non accepimus.

§. IIII.

Non nimis vetustati adhærendum.

HOc maximè amat Iesus, quòd caueãt a fermento Pharisæorum: & nõ simpliciter dixit, cauete à Pharisæis, vel cauete à doctrina Pharisæorum, sed notanter dixit, cauete à Pharisæorum fermento; hoc est, à nimia vetustatis conseruandæ sollicitudine. Fermentum enim massa vetusta est, quę nouis inditur conspersionibus; cuius similitudine rectè explicatur Pharisæorum mens; quæ nimis adhærescens vetustati maiorum, nihil vltra illud vetustum probat. Theophilact. in præsenti satis: *Quemadmodum fermentum amarum est, & vetus, ita & Pharisæorum doctrina mordet animas, veteres seniorum traditiones introducens.* Offendunt

dunt equidem plurimùm, qui nimia proteruia ita solis veteribus adhærescunt, vt nihil noui audire velint: vt offenderent, qui ablatis nouis consperſionibus cogerent homines solo fermento vesci. Sanè ij nimij vetustatis amatores vitandi sunt, & cauendi, qui dispereunt vel audito verbo nouo. Vndè monebat Dominus, Matthæi cap. 9. *Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius â vestimento, et peior scissura fit. Neque mittunt vinũ nouum in vtres veteres: alioquin rumpuntur vtres, et vinum effunditur, et vtres pereunt.* Cauendi sunt semper vtres veteres, qui nec ad modicum vini nouitatem sustinẽt, sed statim illa rumpuntur, & abeunt in mille scissuras. Sic cauendi homines nimis vetustati adhærentes, qui vbi aliquid ab illa vetustate alienum vident, non sustinent, sed inexaminatum abijciunt. De ijs pulchrè D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 57. *Eos, qui in vetustate computruerunt, nouamque gratiam reiecerunt, vtres veteres Dominus appellauit, vt qui frangerentur, ac nouum regni sermonem effunderent. Quo in genere fuisse Cayphas deprehensus est: nam cùm â Domino audisset, Filius Dei sum, fregit vestimenta. At verô Petrus, qui spiritus vitæ legem acceperat, non modô cum doceretur, non renuit, verûm etiam ad solam inierrogationem confessus est.* Compone tibi Caypham, & Petrum; ille ad nouã vocem diuini Filij incarnati expressiuã, grauiter offendit, & totus rabidus scidit vestimenta sua: hic vix tactus & Filium Dei cõfessus, & totis visceribus amplexus est. Vndè hæc differentia? Sanè vt notat Isidorus, Cayphas vter erat vetus, totus vetustati adhærescens, nec potuit percipere nouitatis factæ in terra voculam, quin statim disrumperetur. Vtinam hoc vitium in Caypha finiretur: sed sunt plures nimij vetustatis zelatores, qui rumpuntur ad solidissimæ etiam nouitatis speciem, vanè credentes, nihil nouum posse esse melius. Quò spectans Sidonius Apollinaris, lib. 3. epist. 8. inquit: *Veneror antiquos, non tamẽ ita vt coæquæuorum meorum virtutes, aut merita postponam. Neque si Romana respublica in extremã hanc miseriarum defluxit, vt studiosos sui nunquam remuneret; non idcircô Brutos, Torquatosque non pariunt sæcula mea. Quorsum ista hæc? De te, ad te mihi sermo est, vir efficacissime, cui debet respublica, quidquid de supradictis solum laudat historia. Quapropter ignari rerum temeraria iudicia suspendant, nec perseuerent satis, aut suspicere præteritos, aut despicere præsentes.* Meritò vocat temeraria iudicia ea, quæ sic vni vetustati inhærent, vt nihil putent posse esse eximium, si sit recens. Quam vanitatem sapienter repellit Arnobius, lib. 2. aduersus gentes, vbi obijcientibus Gentilibus nouitatem Christianismo, sic respõdet: *Noua res est, quam gerimus; et quandoque & ipsa vetus fiet. Vetus, quam vos agitis; sed temporibus, quibus cæpit, noua fuit, ac repentina. Religionis autem auctoritas non est tempore æstimanda, sed nomine: nec colere qua die, sed qui cæperis, conuenit intueri.* Sic ille.

Matth. 9

Isid. Pel.

Sidon. Apol.

Arnob.

Matth. 26. Sciens autem Iesus, dixit eis: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis? Neque septem panum in quatuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis. Quare non intelligitis? Quia non de pane dixi vobis: Cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum? Tunc intellexerunt, &c.

§. V.

Infœlix ingenium, quod non dulcedo excitat, sed asperitas, & pœna semper.

TVnc, inquit, intellexerunt; non quando panũ beneficio pleni, sed quando do increpati, & vehementissima acrimonia reprehensi, vt ait D. Chrysostom. ipsa panum beneficia recolunt. Infœlix sanè ingenium, quod non per beneficia mansuetudinis, sed per acrimoniã reprehensionis trahitur ad cognitionẽ, & scientiam. Huius ingenij duritiem, & rusticitatem increpat Paulus in multis Iudæorum. 2. ad Timoth. 3. aiens de illis: *Semper discentes, & nunquam ad scientiam veri-*

2. Tim. 3.

veritatis peruenientes. Discebant equidem aliquid de Deo, de Iesu Saluatore; & tamen non putabantur habere veritatis scientiam. Et quando de Saluatore Iesu, de Deo Patre discebant aliqua; quæ scientia veritatis illis deerat? Quomodo videbantur adeò infœlices, & rudes, quasi nullam scientiam veritatis haberent? Discebant quidem, sed non per beneficia suauitatis; sed discebant acrimoniæ, & flagelli vi, quo minimè videbantur ad veros sapientes pertinere. Pro quo ait Philippus Abbas, epist. 4. *Veritatis est scientia, Deum scire; sciendi beneficio illum pleniùs & sentire: non sicut dæmones, qui scientes eum, sua scientia torquebantur, sed sicut beati Angeli, qui sciendi merito Cherubim appellantur.* Expende ab illis, *sciendi beneficio, &c.* Illa enim vera censetur Dei scientia, quam pariunt exhibita beneficia, vt in Angelis euenire solet, non quam extorquet vis torturæ, vt in dæmone. Deum norunt Angeli, norunt dæmones; sed Angeli Deum norunt innumeris beneficijs tracti ad scientiam: dæmones autem torturis suppliciorum coacti, & Deum scire, & fateri solent. Vt hinc iam pateat, quàm simile sit infœlicibus illud ingenium, quod non excitant, nisi flagrorum acrimoniæ. Vide infœlicium scientiam, Matthæi capit. 8. clamabant enim dæmones: *Scimus, quis sis sanctus Dei. Veniſti ante tempus torquere nos.* Non aliter noscunt, nec fatentur Iesum Filium Dei, nisi sentientes in se eius seueritatis acrimoniam; at sapientissimi illi Cherubim, qui à plenitudine scientiæ habent & nomen, non ex pœnarum acore, sed ex beneficiorum gustu sapiunt Dominum. Vt ergo Cherubicum ingenium fœliciſsimum est, quod pulsatum beneficijs respondet; sic etiam durum, & infœlix est ingenium dæmonum, quod non nisi flagris excitatur ad Dei memoriam. Ait Philippus Abbas, epist. 4. *Sciunt ergo Deum diaboli, sciunt & Cherubim; sed illi, vt sentiant iratum punitorem, isti vt gratum protectorem.* Doleo vicem hominum, qui in agnoscendo Deo potiùs diaboli genium, quàm Angelorum repræsentant, dum sola punitionis acrimonia ducuntur ad Dei laudes, & confessionem. Fallar, si inter hos adeò Dei gloria effloreat; quippè ait Canticor. 2. *Ego flos campi.* Et cuius campi dicitur flos Dominus noster? Cur non magis dicitur flos paradisorum? Sanè in paradisis cultæ areolæ inueniuntur, nihil ibi obscurum, nihil sordidum; at verò in campo omnia sordida esse solent. Accipite Ezechielem, cap. 37. fantem: *Dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus.* Quid sordidus campo isto? Et tamen amat Deus dici campi flos; an quia plùs potuerũt placere Deo ossa sordida campi, quàm paradisi pulchritudo tota? Et vndè magis placuerunt ossa? Pulchritudo paradisi minimè exurgit, nisi post expertam acrimoniam ligonis; nihil enim floret, vel viret in paradiso, cui non præcedant mille ligonis ictus, mille terræ vulnera, & scissuræ. At ossa illa, etsi sordida ad solam Dei vocem, ad solam fœcũdissimam auram sese in vitam recipiendam componunt. Vndè aiebat Philippus Abbas, lib. 1. in Cantic. capit. 24. *Dives est campus iste, super quem videt Ezechiel ossa multa, siccaque vehementer, quæ auditu ineffabili verbum Dei perceperunt, et nervos; carnes autem iunctura mirabili receperunt, tandemque à quatuor ventis, veniente spiritu, reuixerunt.* Cur non magis floreat Dei gloria in campo isto, in quo vel ossa arida, sic benefico Deo respondent, vt vel ad leuissimum diuinæ auræ halitum, & carnes faciant, & ad vitam se componant?

Philip. Abb.

Matt. 8.

Philip. Abb.

Cant. 2.

Ezech. 37.

Philip. Abb.

CAPVT VI.

Disputatio cum fratribus, & cognatis Iesu.

DECLARATAM Iudæorum rabiem fugiens Dominus in Galilæa delitescebat, quòd minimè gratum erat cognatis eius, nec propinquis; qui licèt non omninò Iesu crederent, amabant tamen de eius facinoribus celebriores fieri. Quo animo à Iesu petunt, vt à latebris exeat, obscuramque, & humilem Galilæorum prouinciam derelinquat, Hierosolymam ascendat, ibique virtutum suarum glorias manifestet.

Propinquorum petitis minimè assentitur Iesus, vt qui apprimè callebat absconsionis suæ, vel publicationis tempus; & dum paulisper latet, occasionem præbet, quòd multitudo adstantium Hierosolymis varijs opinionibus scinderetur. Alij Iesum latentem rabidè carpebant, laudabant alij, sed magis summissè, ne à Pharisæis Iesu laudatores inuenirentur.

Ioan 7. Post hæc autem ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.

§. I.

Præclara Iesu virtus, & firmissima est, quòd scias cedere hostilibus iris.

DVm furunt Iudæi Hierosolymis in Iesum, ipse placidissimus in illos, eorum furorem declinans loco cedit, & quasi exilio se multat, si fortè hostes leniores intereà ebibant spiritus. Quanta hæc Iesu virtus? Sanè fœlicissimus est, qui sic nouit cedere hostilibus iris; fallar, nisi hic talis vel dormiens possit tenere virtutum sublimia. Notissimus est furor Esau armatus, imò strictus in fratrem suum Iacob; Iacob autem de matris consilio, nihil priùs cogitauit, quàm cedere furenti fratri; & vt cedat fratri domum paternam, maternas delicias fugit, per desertum errat, nocturnisque præpeditus tenebris, aliquantisper dormiturus solo cubat. Quid tunc? Genes. 28. *Dormiuit in eodem loco, viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ, et dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, &c.* Hæc ostensa sunt Iacobo dormienti, vt & dormiens sibi cerneret paratos cœlos, & scalas facilè ascendas, & Angelos adiutores, & Deum maiora promittentem. Vndè potuit dormiens tanta videre, nisi de animi lenitudine, qua loco cesserit, & non dubitauit in deserto delitescere, dum frater occasionem haberet iram flectendi? Ita Diu. Ambrosius, lib. 2. de Iacob, cap. 1. *Paratum itaque parricidium Iacob declinauit exilio voluntario, eoque facto, sibi salutem quæsiuit, fratri innocentiam donauit. Meritò itaque eum diuina vbique comitata est gratia, vt & cùm dormiret, beatæ vitæ munus acquireret.* Quid cœleste non acquirat ille, qui sic loco cedere nouit, vt eius conspectu non haberet occasionem magis irascendi frater? Qui talem medelam quæsiuit fraternæ iræ, vt vel proprio incommodo emeret eius lenitatem, non mirum, si glorioscè dormiat & securè, vel si etiam dormiens cœlestia potiatur, in quibus æternam possideat tranquillitatem. Audio Dauidem, vt furenti Sauli cedat, in spelunca delitescere. 1. Regum. 24. ibique latentem quiescere. Sed & Saulem ignarum audio in eamdem speluncam intrasse. Ait enim textus: *Erat ibi spelunca, quam ingressus est Saul, vt purgaret ventrem: porrò Dauid, et viri eius in interiore parte speluncæ latebant. Et dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Deus ad te. Ego tradam tibi inimicum tuum, &c.* Quid pulchrius? Dum furori cedit Dauid, dum latens quiescit cum suis: ibi in manus traditum habet & hostem, & coronam, qua potiatur. Rem hanc pulcherrimè attigit Diu. Chrysostomus, homil. 2. de Dauide, & Saule, inquiens: *Saul, qui statuerat inuadere, nudus, & inermis, omnibusque destitutus auxilijs, non aliter, quàm captiuus in manus inimici traditus iacebat: Dauid verò dum cedit, & vbique dat locum, sine machinis, sine armis, sine equitatu hostem in potestatem accepit, & quod est omnium maximum, Deum erga se benenolentiorem reddidit.* Sic vel quiescens omnia conficit, qui nouit cedere fratri irato. De Iacob dicitur, Genes. 32. quòd cùm rediret in patriam: *Fuerunt ei obuiam Angeli Dei. Quos cùm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc.* Sic Angelorum exercitibus cingitur Iacob rediens in patriam; inter quos cùm irati fratris sui recordaretur, id secum meditabatur, quomodo illum non offenderet, sed magis placeret, ne iratus exurgeret ille in turpe aliquod facinus.

Quæ

Quæ dum meditatur Iacob, somno etiam traditur; ait enim textus: *Cûmque dormisset ibi nocte illa, &c.* dum armatum fratrem, & iratum iam iam appropinquantem expectat, nihilominùs somno se tradit, quia decernit eius concordiam muneribus comparare. Qui autem sic afficitur erga iniurium sibi fratrem, nil quod timeat, habet: vel dormiens omnia propellet, & fœliciſsimam habebit tranquillitatem. Ait Diu. Ambrosius, lib. 2. de Iacob, cap. 6. *Denique petiturus â fratre concordiam, dormiit in castris. Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem, & stabilitatem.* Dormiat securus, & tranquilitatem possideat, qui hoc studet, vt concordiam comparet etiam cum fratribus sibi infensiſsimis. Sanè inter Imperatorum victorias, illa non ignobilis est, quæ auro, non sanguine ciuium comparatur. Sic ille se gloriosiùs de hoste vindicat, qui non iniurijs, sed beneficijs illum deuincit. Pulcrè etenim ait D. Valerianus, homil. 13. de pace: *Qui inimicum diligit, se diligit: sibi enim pepercit, qui latrocinantis dexteram magni muneris præda compescuit. Nam partem constat esse victoriæ prælium oblato auri pondere redemisse.* Non ignauiæ, sed sapientiæ diuinæ, sed virtuti maximè tribuendum est, quòd hostiles animos occupes, non ferro, sed auro; quòd iniuriatorem tuum muneribus vincas. Iacob disposita munera ad efferum fratrem præmisit. Genes. cap. 32. *Et mansit solus: & ecce vir luctabatur cum eo vsque manè.* Manus conserit cum Deo, & quasi parem luctatorem Deum nanciscitur, qui iniurium fratrem studet muneribus mollire. Sic ait Diu. Ambrosius, lib. 2. de Iacob, cap. 7. inquiens: *Itaque Iacob, qui cor suum ab omni simultate mundauerat, vt pacificum affectum gereret, postquam præcedunt omnia sua, solus mansit, & luctatus est cum Deo. Qui enim sæcularia negligit, ad imaginem, similitudinemque Dei propriùs accedit.* Proh fœlix, & gloriosum duellum, in quo homo victor apparet simillimus Deo; cùm non effundit sanguinem, sed aurum; non ferro, sed muneribus deuincit rebelles!

Ambr. Valer. Gen. 32. Ambr.

§. II.

Sub beneficiorum titulis, & nominibus maiora odia solent apud feraliſsimos homines excitari.

IEsus cauerat Iudæam, quia Iudæi volebant eum interficere; & quid aliud mûdi salus, mortuorum vita, Iesus ipse de feralibus hominibus compararet, quàm rabiem lethalem sibi? Sanè salutiferum, beneficentiſsimumque nomen potens vel lapides emollire, in feralium hominum cordibus duriſsimè, & odioſiſsimè accipitur. De Paulo aiebat Dominus, Actor. 9. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, &c.* Quæ verba sic legit Diu. Ambrosius, lib. de Ioseph, capit. 10. *Vade, quoniam vas electionis est mihi iste ad sufferendum nomen meum coram gentibus, &c.* Expende illud, *ad sufferendum nomen meum, &c.* Vbi enim salutiferum, beneficentiſsimumque nomen affulget, magna inde exoritur occasio sustinendi, sufferendique iniurias pro beneficijs. Nihil priùs comparat beneficiorum titulus apud feros homines, quàm acerbiora odia, quàm rabidiores iniurias. Id quod in se meditatus Philippus Abbas, epist. 9. ait: *Si denudati Noe verenda nequaquam nota feci; sed in modum Sem, & Iaphet eis pallium superieci; quare mihi maledictio Cham irrogatur? Si cûm Saul ventrem purgaret, super eum gladium non extraxi, sed in eum irruentes reuocaui milites, & retraxi: quare idem Saul grauat, & persequitur me pusillum? Vt vobis fatear, non liquet, quare factus sim odiosus, nisi quia, vt potui, factus sum fructuosus: iuxta quod, vt quasi per somnium recolo, quidam Ethnicus pulchrè dicit, qui fructiferam arborem loquentem introducit:*

Act. 9. Ambr. Philipp.

Nil ego peccaui, nisi si peccasse vocetur,
Annua cultori poma referre suo.

Hæc est potiſsima odiorum causa apud homines feros, quòd quis beneficus sit, & illis fructuosus euadat: quò fructuosior, quò beneficentior es, eò truculêtiores excitas hominum rabies. Hinc Iesus donaturus vitam defuncto Lazaro, Ioan. 11. Ioan. 11

Lacrymatus est. Amplexatus crucem, non lacrymatur; sustinens durissimos clauos, nullas fundit lacrymas; & cùm ad vitam dandam accedit, tunc lacrymatus est. Et quæ inter dilargita dona apparere potuit causa lacrymarum? Sanè præsentes aderant innumeri Pharisæi, de quorum cordibus beneficia, & dona illis facta nō aliud nouerunt extorquere, quàm maiorem duritiam, maiorem causam lacrymarū. Hinc *Augustin.* Augustin. ser. 104. de tempore, ait: *Propter Iudæorum flebat incredulitatem, quia nec resurgente Lazaro, Christo Domino fuerant credituri.* Dona Iesu de Iudæis nō fidem, non beneuolentiam, sed incredulitatem, & lachrymarum causas valuerūt *Ioan.* extrahere. Id quod notans Ioānes ibidem dicit, post excitatum Lazarum: *Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis, quæ fecit Iesus. Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, qua hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum, sic &c.* Audiunt Iesu munera; vident ciuium vitas à Iesu venire; & concilium cogunt, vt benefactorem suum citiùs morti adiudi- *Basil. Se.* cent. Rem stupet Diu. Basil. Seleuc. orat. 31. *Erant in oculis densissima miracula curationum, maria omni genere bonorum profluentia; sed ex beneficentia luctu conficiebantur: Paralyticus solidabatur; oculi cæco reficiebantur; mortuus ob illatam inferno cladem gestiebat, & medicus in crimen vocabatur. Adserebantur in libertatem â diabolica potestate, & rursum lamentantium voces inculcant. Quid facimus? Communis naturæ pernities sunt Iudæorum mores.* Et meritò vocantur illi naturæ pernities, in quorum cordibus vel beneficia maiorem excitant rabiem, & acrimoniam.

Ioan. 7. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum, Sceno-pegia. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippè in occulto quid facit, & quærit ipse in palàm esse: si hæc facis, manifesta te ip sum mundo.

§. III.

In creaturarum affectu nulla stabilitas.

AFfectum suum erga Deum ab Aegypto liberatorem ostendebāt Iudæi celebrato festo Scenopegiorum; hoc est, tabernaculorum: egressi enim à domibus suis, sub tabernaculis morabantur in agris, dum durabat celebritas tanta. Et cur non in domibus, sed in tabernaculis permittuntur morari, istius tempore celebritatis, nisi vt ostenderetur, in creaturarum affectu nihil posse esse durabile, nec stabile? Sanè vt tabernacula mobilia sunt, & iā huc, iam illuc transferūtur; sic affectus humani passim mutantur, nec diutiùs in eodem statu manent. Non creatura, sed Deus sit, cuius affectus & perpetuitatem habent, & perennitatem. Hinc aiebat Paulus ad Romanos, cap. 5. *Spes* *Rom. 5.* *autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Expende, vndè colligat firmitatem, & stabilem plenitudinem spei nostræ Apostolus, nimirùm ex eo, quòd charitas à Deo in nos veniat, non per Angelum, non per Archangelum, sed per Spiritum sanctū. Ex quo Diu. Ambros. aduersus hæreticos colligit, Spiritum sanctum non creaturam, sed Deum esse, quando facit Dei charitatem in hominibus perennare: quippè *Ambr.* ait lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 7. *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum: vt intelligamus, non esse opus Spiritum S. qui diuinæ arbiter, & fons profluus charitatis est.* Etquidem non potest esse creatura, sed Deus, cui in deficies, & perennis est charitatis fons, ne vnquam affectus siccetur vena. Ideò monebat Dominus apud Lucam, capit. 14. *Cùm* *Luc. 14.* *facies prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos diuites: sed voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos.* Cur non vocet etiam amicos, & vicinos diuites? Nonne bonum est homini, si amicos sibi conciliet? Nonne salutare est, si vicinos diuites sibi beneficijs obstringat? Cur ergo non permittitur homo alios inuitare, quàm pauperes? Cùm in pauperibus inuitetur Deus, præclarè docetur homo, vni Deo fidere, à quo

solo

ſolo poteſt venire firma, & ſtabilis beneuolentia; à creaturis enim nullus naſcitur amicitiæ affectus, qui non decidat, & areſ-
Chryſoſt. cat. Ait enim D. Chryſoſtom. homil. 1. in epiſt. ad Coloſſenſ. *Amicum ſi vocaueris, ad veſperam durabit iſta gratitudo. Propterea conſumitur iſta amicitia velocius, quàm quælibet temporum, ac momentorum exordia. Pauperem ſanè, & mutilum ſi vocaueris, nunquam peribit gratitudo. Nam debitorem habes Deum, qui perpetuò reminiſcitur, & nunquam obliuioni tradit.* Vanus eſt, qui in creaturis ſtabilitatem gratitudinis, & affectus expectat: nõ eſt creaturarum affectus tantus, qui durare, & permanere poſsit diutiùs. Id ſolùm pertinet
Ioan 13. ad affectum diuinum, vt dicat Ioan. cap. 13. de Dei Filio: *Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos.*
D. Tho. Quod ponderans D. Thom. in Cat. ait: *Hos ergo ſuos, qui erant in mundo, manſit amans continuè, & tandem perfectam amicitiam circa eos oſtendit.* Et cuius amor maneret cõtinuè, niſi Dei amor in ſuos? Deus eſt ſolus, in cuius affectu permanantiam, & ſtabilitatẽ poſſumus inuenire. In creaturarũ autem affectibus nulla eſt permanẽ
Matt. 12 tiæ ſecuritas. Matth. 12. aiebat Dominus: *Ita erit Filius hominis in corde terræ?* Ex quo educit celerem inde reſurrectionem Chryſoſtom. quia datur Ieſus non manibus, non poteſtati terræ, ſed cordi; in corde autem terreno nihil æternùm durare
Chryſoſt. poteſt. Chryſoſtom. ſerm. 5. in feria. 5. Paſsion. *Non dixit, in poteſtate, ſcilicet terræ; ſed dixit, in corde: vt terra ſuum ſentiret, agnoſceret, tremeret, ſed non teneret auctorem.* Nihil enim ſciunt ſtabiliter tenere affectus creati cordis.

§. IIII.

Carnales affectus nunquam non conijciunt hominem in grauiora, & difficiliora pericula.

AVſcultare, quid moneant Ieſum carnales eius propinqui, nimirum, *tranſi hinc, & vade in Iudæã*; in Iudæa enim erant validiſsimi Ieſu oſores; ibi hoſtiles Phariſæorum animi; ibi rabidior inuidia; ibi armata malitia, inermis iuſtitia, contempta virtus. Huc ire Ieſum monebant carnales propinqui; & quando cuſpidibus adnatare non monent hominem carnales affectus? Accipite Dauidem iuſtiſsimum, & prudenſsimum hominem; de illo ſic dicitur. 2. Reg. 23. *Et Dauid erat in præ-* 2. Re. 23.
ſidio; porrò ſtatio Philiſtinorum tunc erat in Bethlehem iuxta portam. Deſideranit ergo Dauid, & ait: O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem iuxta portam. Sanè præ manibus erant Dauidi mille fontes aquarum, mille ſtagna, imò & maria dulciſsima, ex quibus poſſet facili negotio vſque ad ſatietatem aquam capere; ſed omnes aquas præteriens, illam deſiderauit, quæ erat in porta Bethlehem. An quia illa cæteris dulcior, & ſuauior? Minimè; ſed quia carnali, & animali affectu ducebatur, qui ardẽtiùs inclinat ad ea, quæ magis ſunt plena periculis, & alea. D. Amb. lib. 1. de Iacob, cap. 1. *Cùm alijs de-* Amb.
fuiſſe aquam non inueniamus in tanto exercitus numero; cùm vtique multò minus Regi deeſſe potuerit ex cæteris fontibus aqua; irrationabilem quamdam concupiſcentiam paſſus deſiderauit eam, quæ erat hoſtium circumfuſione vallata; vndè ſine maximo periculo non facilè potuiſſet deferri. Et quidem neſcit aliò, quàm in ſummum diſcrimen impellere concupiſcentia carnalis. Væ tibi, homo, cui imperant carnales affactus, mundiales concupiſcentiæ; fallar, niſi præceps agaris, niſi ad ſumma diſcrimina feſtinatiſsimè feraris. Dum Machabæi pro patria, & religione decertant, initum erat cum ingenti multitudine hoſtiũ certamen; & tunc ſic dicitur lib. 1. cap. 6. 1. Mac. 6.
de Eleazaro: *Et vidit Elezar filius Saura vnam de beſtijs loricatam loricis Regis: & erat eminens ſuper cæteras beſtias. Et viſum eſt ei, quòd in ea eſſet Rex: & dedit ſe, vt liberaret populum ſuum, & acquireret ſibi nomen æternum. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens â dextris, & â ſiniſtris, & cadebant ab eo huc, atque illuc. Et iuit ſub pedes elephantis, & ſuppoſuit ſe ei, et occidit eum, & cecidit in terram ſuper ipſum, et mortuus eſt illic.* Non contentus eminùs pugnare, dum videt elephantem, à quo mille ſtrages ſuorum veniebat, ſub pedes elephantis ipſius iuit; quale hoc diſcrimen? Sanè euidentiſsimum erat, & ſummum periculum vel elephanti approximari; at de ſub pedibus, non tàm periculum quàm euidens, & certa videbatur ruina. Quis ergo impulit ſtrenuum Eleazarum, vt ſic feſtinaret ad ruinam, atque ſibi duelli partem eligeret, in qua prorſus occluſum erat omne effu-

gium? Ait textus: *Dedit se, vt acquireret sibi nomen æternum*: famæ amor, validissimus quidem carnis affectus, sic hominem egit, vt non contentus esset, nisi summa, & ineuitabilia amplexaretur discrimina. Sic semper feruntur, qui feruntur carnalibus affectibus, qui nesciunt nisi per grauissima pericula, & discrimina homines ferre. Magna illa Susanna, Dan. 3. dùm à lasciuis senibus circumuenitur, ait: *Angustiæ sunt mihi vndique*: dum angustias nominat, intrinsecum animi dolorem significat, non corporis pœnam vllam. Et mirabar, quòd angustiata mulier nullum in corpore incommodum inferret sibi: solent enim fœminina in angustijs facié percutere, lacerare, euellere crines, & alia efficere, quibus maximè in corpore feriuntur. At Susanna angustijs suis animā vehementer affligit; corpori autem sic parcit, vt nec capillum de capite patiatur perire. Et cur sic parcit corpori in tanta angustia? Non acquiescebat carnalibus affectibus, sed ferebatur diuinis; carnales enim affectus nulli permitterent eam parcere periculo, sed & animam, & corpus in extremo constituerent discrimine. Ad hæc Ambros. lib. de fuga sæculi, cap. 9. ait: *Susanna effudit supra se, non corpus, sed animam: effudisset enim corpus, si carnalibus acquieuisset.* Fallar, si carnales affectus illam non cogerent, nulli parcere periculo; sed potiùs impellerent in duram sui corporis carnificinam: & facerent in Susanna, quod fecerunt in castatissima illa Lucretia, quæ proprijs manibus interfecta occubuit. Hanc lanienam suggesserunt Lucretiæ carnales affectus dominati illius; quos quia repulit Susanna, omninò exiuit victrix.

Dan 3.

Ambr.

§. V.

Non adeò celsum, & remotum locum teret pes euangelizantis, quò non perueniat manus hominis temporalis.

SAnè venerat Iesus, vt faceret salutem in medio terræ; vt nimirùm Hierosolymis mysteria regni & faceret, & annuntiaret. Sed & fratres eius temporalis gloriolę cupidi, eumdem monent, vt Hierosolymam vadat. Quò non perueniat cupiditas temporalis? Nullò, mihi crede, accedet pes euangelizantis Dei regnū, euangelizantis æternam animarum salutem, & pacem; quò non perueniat vel priùs, vel simul cupidorum hominum manus. Aiebat Ioan. Apocal. 10. *Et vidi alium Angelum descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt Sol, & pedes eius tanquam columnæ ignis, & habebat in manu sua libellum apertum; & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram, &c.* Ecce tibi ministrum euangelicum velocissimum in annuntiando, & aperiendo scripturarum libro, vestitum nube, & totum roscidum, vt doctrinæ pluuia possit terram fœcundare: cuius pedes non solùm terras, sed & remotissima maria calcant. Quod mare non dextro pede calcat minister euangelicus? Sed & audio Psalm. 103. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus.* Angelici ministri pedes maria remotissima calcant; & manus inueniuntur currere per maria. Pedes, vt ferant pacem; manus, vt rapiant bona temporalia; nullò enim accedit pes nuntians salutem, quò non perueniat manus cupiditatis, peruadens etiam remotissima maria. Quippè ait Diu. Basil. Seleuc. orat. 35. *Vestigalium redemptio ad vtraque elementa maris, & terræ in explebilium publicanorum manus diuidit.* Non est terra adeò inaccessibilis, nō est mare adeò impenetrabile, quò perueniat pes euangelizātis salutem, quò nō peruenerit Publicanorum auaritissimæ manus, vt inde bona temporalia rapiant. Cā. Cant. 5. tic. 5. ait Dominus sponsæ suæ: *Oculi tui sicut columbæ super riuulos aquarum.* Sed & Esdras, lib. 4. cap. 11. ait: *Et vidi somnium, & ecce ascendebat de mari aquila, cui erant duodecim alæ pennarum, & capita tria. Et vidi, & ecce expandebat alas suas in omnem terram.* Meritò Christi sponsæ oculi, nimirùm ministri euangelici, dicuntur columbæ, cuius volatum non retardant maris aquę, imò ipsæ sunt super omnes aquas; quocumque aquæ feruntur, eò & feruntur oculi columbarum. Verùm & similiter dicitur de aquila, quòd surgit de mari, quòd sese eleuat de marinis aquis. Quid aquila cum aquis, super quas volitat columbę euangelicæ? Ait Philippus Abb. lib. 4. in Cant. cap. 19. *Aquila videt longè districtiùs & acutiùs ad rapinam; columba innocentiùs signans mitem, & simplicē disciplinam.* Et quidem non anteà columba euangelica penetrauit maria, vt salutem, & disciplinam nuntiaret animarum, quā

Basil. Se.

4. Esd. 11

Philip.

mun-

mundiales aquilæ suos eò protenderent volatus, vt inde ingentes raperent thesauros. Huc spectat illud Isaiæ, cap. 18. *Ite Angeli veloces ad gentem conulsam, et dilaceratam; ad populum terribilem, post quem non est alius.* Vbi lectio Pagnini habet; *Ad gentem tractam, et depilatam.* Iubentur ire velocissimi prædicatores ad vltimos mundi populos, vt inibi prædicetur salus. Sed licèt remotissimi populi essent, & in vltimis oris constituti; tamen non priùs senserunt pedes velocissimos euangelizantium, quàm rapacium auarorum manus, adeò vt exinde apparerent depilati. Ad vltimos iubentur ire Angeli veloces, sed iã depilatos, ne velociores prædicantium pedes ad salutem nuntiandam appareant, quàm temporalium rapacitas ad populos depilandos.

Isai 18.

§. VI.

Iesus siue in manifesto, siue in latebris, eodem modo hominibus est salutaris.

INscienter Iesum velut infructuosum carpunt fratres eius, quòd in Galilæa, quasi in occulto sit, nec sibi persuadent, posse aliquid magnum effici ab homine latente: quippè aiunt: *Nemo in occulto quid facit, manifesta te ipsum mundo.* Meritò de his dicitur, quòd non credebãt Iesum; si enim crederent, quòd Iesus esset Dei filius, non dubitarent, Deum tàm latentem, quàm manifestum esse hominibus proficuum, & salutarẽ. Isaias cap. 45. aiebat: *Verè tu es Deus absconditus.* Sponsa verò Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuũ, ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Expẽde, quàm manifestum est oleum, quod nõ intra vas tenetur, sed extra effunditur, tàm patens, tàm manifestus exponitur Deus, quò hominum animos detriũphet, & mille accẽdat in singulorum cordibus amoris pyras. Hæc Deus effusus, & manifestus facit; cur ergo magis amat abscondi, quàm effundi; magis amat occultari, quam manifestari? Cur, quem sponsa extollit manifestum, Isaias celebrat absconditum? An potest in abscondito manens esse æquè fructuosus, & proficuus? Ait Psalm. 30. *Abscõdes eos in abscondito faciei tuæ, â conturbatione hominum.* Sanè vt manifestus animas incendit, sic absconditus eadem defendit, vt tam absconditus, quã manifestus ostendatur hominibus proficuus. Aiebat Philippus Abb. lib. 1. in Cantic. cap. 11. *Quem Isaias dicit absconditum, effusum tanquam oleum iam videmus cunctis expositum: expositum quidem, vt sanatinum ægrotis oleum effundat; absconditum, vt sanato, in faciei, suæ abscondito nos abscondat.* Non minùs in abscondito, quam in manifesto facit Iesus opus humanæ salutis; non minùs est nobis fructuosus: quãdo enim homo necesse habet & sanari, & abscondi; dum manifestus est Dominus, sanat homines, quos similiter protegit, & defendit in suo absconditò. Timentem ab hostibus puerum vt consolaretur Elisæus. 4. Reg. 6. rogauit Dominum, vt se illi ostenderet defensorem: *Et apertis oculis, vidit puer currus, & equos.* Quod notans D. Hieron. Psalm. 75. ait: *Videte, quid videat; currus, & equos. Nemo hominum erat super ipsos; sed erant soli currus, & equi. Ascensor autem erat Dominus.* Itaque ascensor equorum, & curruum erat Dominus, qui tamen non videbatur, sed prorsus manebat absconditus, soli equi, & currus versabantur ob pueri oculos. Et cur, ostensis curribus, ostensis equis, non sese ostendit Dominus, sed mauult manere occultus, & absconditus? Sanè vt puerum Elisæi, imò vt salutem omnium defendat Dominus, non interest, quòd absconditus, aut manifestus sit; vel in abscondito suo est æquè proficuus nobis, & fructuosus. Norant id illi, de quibus D. Luc. cap. 4. *Cùm autem Sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum.* Non sub luce existentem, sed sub tenebris obnubilatum adeũt, vt ab illo extorqueant infirmorum sanitatem. Et cur expectant ad id Solis occasum, nisi quia sciebant, à Iesu absconditò, & occultò eadem, & fortè maiora beneficia solere causari. Ad hæc D. Hieronym. in Matth. cap. 8. *Omnes non manè, non meridiè, sed ad vesperam curantur: quando Sol occubiturus est, quando granum tritici in terra moritur, vt multos fructus afferat.* Vt granum in terra absconditur, vt fructus pariat; sic Deus dum absconditur, dum videtur magis occultari, tunc salutares nouit fructus parere. Latente Iesu in vtero matris, ait ad matrem eius Elizabet, Luc. cap. 1. *Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Ad quæ verba sic Diu. Augustin. serm. 13. de tempore: *O omnipotentia nascentis, ô magnificentia de cœlo*

Isai 45.

1. Cant. 1.

Psal. 30.

Phil. Ab.

4. Reg 6.

Hieron.

Luc. 4.

Hieron.

Luc. 1.

ad terram descendentis. Adhuc in vtero portabatur, et ex vtero matris â Ioanne salutabatur. Nec totum vteri latibulum potuit impedire Christi magnalia.

§. VII.

Fœlix ille, cuius vel occultissimà opera possunt sine formidine manifestari.

IAcentem, & sese occultantem in Galilæa Iesum sic vrgent fratres eius, vt velint, quòd eius ibi occulta, & abscondita opera manifestè mũdo pateant. Nec verentur, sed amant, quòd ignotæ, & occultæ Iesu operationes in lucem, & conspectum omnium proferantur. Sic enim clamant: *Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo.* Quid fœlicius, talem te in occulto gerere, vt nullo familiæ tuæ pudore, imò magno eius honore possis luminibus
Cant. 3. præsentari? Aiebat sponsa, Cant. 3. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quẽ diligit anima mea.* In noctium latibulis, in tenebrarũ abscondito nihil aliud agit, quàm quærere Dominum. Quid indè? Psalm. 138. *Nox illuminatio mea in deliciis meis.* Nox illi vertitur in lucem; latibulum fit repentè clarum, nec in totis tenebris aliquòd factum inuenitur, quod timeat euulgari. Id
Gillib. quod stupens Gillibert. Abb. serm. 1. in Cant. fatur: *Vtinam ego tales possim mihi noctes numerare, tam latebrosas, et tâm luminosas. Et quis nostrûm gloriabitur, omnes se tales noctes habere? Quisquis est, fœlix est, cui omnes noctes in vsum talem decurrunt, qui in occulto suo nihil agit occultatione dignum.* Hæc est maxima hominis laus, & fœlicitas, quòd eius opera, etiam in receſsibus, & absconditis facta, possint glorioſè prodire in lucem. Non sint illi latebræ ad occasionem turpitudinum, sed ad stimulum, quo magis appetantur lu-
Psa. 138. mina. Quò respiciens Dauid, ait Psalm. 138. *Nõ est occultatum os meum â te, quod feciſti in occulto, et substantia mea in inferioribus terræ.* Talia erant Dauidis opera, quæ osium nomine intelliguntur, vt etiã in occulto, & in speluncis facta, potuerint coram Deo subsistere. Sed adhuc pul
Hier. 2. chrius in rem nostram Hieron. legit: *Non est occultatum os meum â te, quod feciſti in occulto, imaginatus sum in nouissimis terræ.* Expende illud, *imaginatus sum in nouissimis terræ*; hoc est, imago pulcherrima factus sum in nouissimis terræ. Latebras quærit pictor, & secretissimos domus receſsus; & quæ pariũt latebræ pictoris? An pariunt illa dedecora hominis, quæ debeant abscondi, summisque tenebris sepeliri? Absit; imò pictor quò magis latenter, & secretè operatur, eò illas imagines perficit, quæ citiùs petãt in diem, lucemque prodire. Sic bonus, sic fœlix homo in nouissimis terræ, in absconditissimis receſsibus, vbi alij Dei imagines turpant, vel prorsus delent, ipse sic ad imaginem Dei & politur, & viuit, vt nunquam minùs occultatione dignus videatur, quam vbi operatur in occulto. Equidem Dauid in occulto erat, in tenebrosa spelunca latens; vbi nactus infensissimum hostẽ Saulem, & inermem, & solum, & insciũm periculi, maluit eius vitę parcere; & posquã cohibuit suos, ne inimicum interficerent in latebris, ait textus. 1. Reg. cap. 24. *Saul* 1. Reg. 24.
exurgens de spelunca, pergebat cæpto itinere. Surrexit autem & Dauid post eum, & egressus de spelunca, clamauit post tergum Saul, dicens: Domine, mi Rex, &c. Expende, quaso, quid fecerint latebræ in Dauide; anteà Dauid conspectum Saulis fugiebat, nec poterat eius oculis apparere: nunc ab spelunca egressus, talis egreditur, vt non dubitet seſe regijs obtutibus dedere. Vndè hæc audacia Dauidi? Sanè hæc est Dauidis fœlicitas, quòd in abditis terræ spelæis, in absconditis speluncarum, vbi alij latronum sæuitiam, & turpitudinem exercent; ille sic se gesserit, talia opera perpetrauit, quæ minimè paterentur latere, sed in lucẽ edi. Quod miratus Chry-
Chrysost. sostomus, homil. de Saule, & Dauide, inquit: *Egressus est Dauid ab spelunca gestans coronam iustitiæ. Egressus est amictus humanitate, naturam humanam superante, quod pallium est quauis stola magnificentius. Egressus est spelunca tanta cum gloria, cum quanta egressi sunt tres pueri de camino ardenti.* Quid glorioſius? Quid fœlicius? Sanè in occulto nihil egit Dauid occultatione dignum; sed de latebrarum facinoribus meruit extolli, & nobilior fieri.

(·.·)

Ioan. 7.

*Ioan.*7. Dicit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.

§. VIII.

Vni sibi taxans tempus honoris, & gloriæ Dominus, honorem sine vlla taxatione, & præscriptione temporis hominibus suis impertitur.

ASsentior D. Augustino, qui putat in præsenti sermonem esse de tempore honoris, & gloriæ; quod sibi negans aduenisse Dominus Iesus, affirmat, id semper paratum esse suis propinquis. Vbi enim sibi taxatum, & determinatum honoris tempus ostéditin mundo, propinquis suis sine vlla temporis taxatione honores definiuit. Nõdum humanum tempus cernebatur, nondum homo vel primum agebat diem, & iam Deus circa eius perfectionem ostenditur sollicitus: quippê ait Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit, &c.* Nondum primus dies hominis venerat, nondum prima hora vitæ humanæ visebatur, & honoris, & principatus eius tituli iam parabantur, ne vllum esset tempus non paratum à Deo honori hominum, vel ante hominum conditionem. Id notans D. Basil. Seleuc. orat. 1. ait: *Nondum formatus homo à conditoris considerantia, et Dei consilijs commendationem, et pretium accipit: Faciamus, inquit, hominem ad imaginem nostram. Antiquiorem conditione sua honorem suscipit.* Nulla temporis taxatio est ad præstandum honorem hominibus, vel ante tempus vitæ humanæ, eius honoris tempus à Deo paratur. Et qui sibi honoris tempus in mundo determinat, & præscribit, sine vllius temporis præscriptione, imò vel ante tempus honorem hominibus largitur. Hanc Dei mentem ebibe, Christiane, & tibi in re honorum cùm sis parcissimus; proximis tuis te ostende largissimum. Ad tuum honorem tempus determina, præfige; ad cæteros honorandos omne tempus sit opportunum, & in tempore, & ante tempus cura honorem cæteris largiri. Ioan. cap. 2. ad nuptias venit Iesus, in quibus matri ostendenti defectum vini respõdet, quoad nos aliquantisper duriusculè. Ait enim: *Quid mihi, et tibi, mulier? Nondum venit hora mea.* Et quæ hora non venerat Iesu? nempè hora, & tempus glorificationis suæ per miraculorum effectionem: nõ erat adhuc tempus glorificandi se, & iam erat tempus assidendi pauperculorũ nuptijs. Cur, Domine, cùm nuptijs assideas, negas tuũ adhuc veniisse tempus? In negato tempore loquebatur de suæ glorificationis, & honoris tempore, quod in mundo non nisi taxatum, & determinatum sibi decreuit. Nuptijs adest, vt nascituris prouidens pararet benedictionem, & honorem sua præsentia. Et ad præstandum alijs honorem, nullum tempus non paratum, & opportunum reputat, etiam ante ipsam conditionem humani temporis. Cyrill. lib. 2. in Ioan. cap. 22. *Opportunè iam ad signorum initium accedit. Nam honestè celebratis nuptijs, tâm mater, quàm ipse cum discipulis inuitatus adest: ad hæc vt natiuitatis nostræ principium, quantum ad carnem attinet, sanctificaret. Oportebat enim, quoniã totam naturam hominis ad melius restaurabat, non solùm natis viam hominibus benedicere, verùm etiam nascituris gratiam præparare.* Vt homines benedictionibus, & gratijs impleat, non expectat eorum natiuitatum tempora; sed nuptijs ipsis parentum adest, omne tempus reputans opportunum, & paratum, vt alios honoret, & cumulet gratijs, vel ante eorum natiuitatem, vni sibi honoris tempus præscribit, & taxat. Huc spectabat illud Ecclesiastæ, capit. 11. *Manè semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua.* Et meritò non in metendo, sed in seminando inceſſabilitatem amauit; sed vt ostendat, quòd ad metendos nobis honores, etsi parci simus, & tempora taxata, & definita habeamus; ad seminanda beneficia in alios, nulla temporis taxatione vtamur,

mur, sed omnia tempora putemus opportuna, atque parata esse.

§. IX.

Mundana gloria ad diuinæ gloriæ præsentiam euanet, disparet.

SApienter Dominus ait, suæ glorificationis tempus nondum venisse, quando hominum mundialium gloriolæ tẽpus semper paratum erat. Et quidem possent minimè simul esse gloriola mundialis, & gloria diuina: ad huius enim præsentiã necessum esset, vt dispareret illa. Hie-
Hier. 17. remias cap. 17. ait: *Sana me, Domine, et sanabor; saluum me fac, et saluus ero, quoniam laus mea tu es: et diem hominis non desiderauí, tu scis.* Ecce vbi solo Deo gloriatur, vbi laudem à Deo expectat, vt hæc veniat, nihil priùs in se ostendere cupit, quã plenum humanæ laudis, & gloriolæ fastidium. Quippè ait: *Diem hominis non desideraui.* quasi dies hominum non possint stare simul cum diuino die: sed vbi hic apparet, necessum sit illos abire. Pulchrè ad
Gillib. hæc inquit Gillibertus Abbas, sermone. 1. in Cantica, aiens: *Nescio, quo pacto sibi aduersantur, et alterutros se obscurant dies Domini, et dies hominis. Siquidem dum alter exoritur, alter recõditur. Diem, inquit, hominis non concupiui; hoc est, humanum fauorem, hominum gloriam, et inter reliquos, imô præ reliquis spectabilis videri. Rectè hanc diem Propheta abiurat.* Non patitur dies Domini esse simul cum humano die; hic totus est in fauoribus aucupandis humanis, in expiscanda mundiali gloriola, qua præ cæteris fulgeat; ille solã Dei gloriam spectat, quam qui respicit, & in se habere contendit, necessum est, vt mundialium gloriarum dies abiuret. Nequit nec ad punctum diuina gloria simul cum mundiali, & inani consistere. Hinc petentibus Discipulis cœlestem consessum,
Matth. 20 Matth. 20. respondit Dominus: *Sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis.* Et sanè ipse Dominus est, qui arbitrio suæ diuinitatis, & suæ passionis merito dedit illis, & omnibus Apostolicis viris, quòd sedeant ad dexteram suam; cur ergo tũc negat suum esse, illam præstare gloriam suis Discipulis? An tunc temporis erat ipse minùs potens ad largiẽdam gloriam diuinam? Absit; sed Discipuli dum inani gloria laborabant, faciebant, ne ad illos posset gloria peruenire diuina; quæ nec ad punctum potest cum inani, & mundiali gloria subsistere, sed illã prorsus excludit. Iuxta quod
Cyr. M. ait Diu. Cyrill. Alexand. lib. 10. thesaur. cap. 5. *Inani gloria moti â dextris, et â sinistris meis sedere concupistis: id autem dare meum non est. Ab inani ergo Zebedæi filios gloria, improbaque ambitione deterret.* Nemo speret cum mundiali gloria gloriã diuinam coniungere; neque enim id potestas Dei ordinaria valet efficere, sed vt gloriam veram cælitus trahit, illamque parat infundere, id fatagit, vt abscedat prorsus mundialis gloria, nullumque mundi idolum maneat, vbi diuinæ gloriæ inferuntur. In 1. Regum. 5. gloria Dei, nimi-
1. Reg. 5. rùm eius arca introducta fuit in templum Dagonis. Quid tunc? *Dagon solus truncus remanserat*: statim cecidit ab ara Dagon, & ita confractus est, vt solus truncus remaneret. Eucherius legit: *Dagon solùm dorsum remanserat*: ex quo arca Dei apparuit, sic euanuit Dagon, vt solùm eius dorsum posset mõstrari. Cur solùm dorsum?
Eucher. Ait Eucherius ibi: *Dorsum illius solùm inuenerunt, fractis omnibus eius mẽbris. Dorsum quippè fugam significat. Quicumque enim fugiunt, persequentibus dorsum dant.* Eodẽ prorsus modo ad diuinę gloriæ conspectum ambitiosa idola fugam arripiunt, solumque dorsum mũdialium gloriarum confugientium conspiciendum datur: quippè inquit Psalm. 67. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora eius in pallore auri.* Nihil de columbæ pectore, nihil de ore, nihil de oculis, sed de solo dorso dicit. Cur non magis explicat, quale sit pectus columbæ, quale os, quales oculi? Cur solius dorsi explicatur pallor? Loquitur ad eos, qui in limine iam æternæ, & solidæ gloriæ quiescunt; ab ijs autem sic euolant, sic fugiunt omnes gloriæ mundiales, vt solùm earum dorsum videndum possit dari, & id instante iam fine pallidum.
Psal. 67.

§. X.

§. X.

Qui Dei magnalia noscit, & sperat, facili negotio infima hæc mundi despicit.

MVndialia festa, & gaudia mundanis relinquit Dominus, dicens: *Vos ascendite ad festum hunc, ego autẽ non ascendam, &c.* Quid enim de gaudijs mundi sumeret ille, cui cordi erant gaudia diuina? Ait enim D. Cyril. in præsenti: *Ego verò, cui vmbræ iam cordi non sunt, non ascendo ad festum hunc, quia per figuras celebrare iucundum non est: expecto autem veræ solemnitatis tempus.* Sanè qui solida cœli gaudia videt, facili negotio à se abijcit, quidquid gaudij habet mundus. Ioannis pater Zacharias templi sancta ingreditur, multa bona à Deo petiturus pro populo. Luc. cap. 1. *Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est, &c.* Angelus apparet, & Zacharias nil postulans, totus turbatus obmutuit. Cur non magis postulat? Cur non magis preces pro pace populi, pro terræ prouentibus fundit? Sanè qui cœlestium ciuium spectat in Angelo gloriam, infima hæc mundialia petere, imò & velle fastidit. Ait Chrysologus, serm. 86. *Non est mirum, si turbatur Sacerdos, si stupet Doctor, si pauescit antistes, si tacet minima, cùm videt maxima.* Ad maximorum conspectum quis non abijciat minima? Ad æternorum gaudiorum vel odorem, quis transitoria gaudia non fastidiat? Dicebant Iesu propinqui in hoc, 7. Ioannis capit. *Manifesta te ipsum mundo:* cupientes ex Christi miraculis humanam gloriolam ipsi expiscari. Et addit Ioannes: *Neque enim fratres eius credebant in eum:* nihil diuinum credebãt esse in Iesu. Et cur hæc addidit Euangelista? Cur cùm propinqui Iesu amabant honorari de eius miraculis clàm factis, publicat de illis Ioannes, quòd nihil in illo diuinum, nihil credebant maximum? Vt ostenderet radicem, qua illi mundanam gloriolam venerabantur; necessum enim fuisset, quòd minimarum harum rerum cupiditatem abijcerent, si vel sub fidei vmbris aliquid eximium, & diuinum in Iesu viderentur conspicari. *Miracula videntes occultiùs ab eo fieri in Galilæa, inanem gloriam hortantur. Addit autem necessariò Ioannes, nondum etiam illos in Iesu credidisse, ne tam friuola, delectaque verba credentes dicere viderentur.* Sic Cyrill. Alexand. lib. 4. in Ioan. cap. 32. Non poterat esse cũ fide speculante aliquid magnum, & diuinum in Christo cupiditas, & æstimatio rerum friuolarum delectarum. Fides enim diuinarum rerum nõ nisi à magnis oritur; & circa magna, & illustria versatur, delecta, & humilia creaturarum maximè auersatur. De inæstimabili Dei erga homines charitate locutus Ioan. cap. 3. aiebat: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat.* Expende, quam dilectionem Dei erga homines proposuit Dominus credentibus, nimirũ, dilectionem, quæ vnigenitum, & consubstantialem Filium Dei pro hominibus traderet. Poterat ne alia Dei dilectio, quæ non Dei Filium, sed creaturam aliquam offerret pro mundo, credentibus persuaderi? Absit; fides enim, quæ circa Dei magnalia versatur, vbi odorem diuinitatis sentit, nihil æstimat omnia creata: quippè ait D. Hilar. lib. 6. de Trinitate: *Ad ea, quæ ex nihilo sunt substituta, redimenda, eum, qui ex nihilo substitit, præbuisse: non facit magni meriti fidem vilis, & spernenda iactura. Hinc dilectionis, & charitatis fides est, mundi saluti & Filium, & suum, & vnigenitum præstitisse.* Nescit fides æstimare quid nisi magnum, & diuinum: tũc credit dilectionem diuinam, & charitatẽ erga suos alumnos esse, cùm vnicum Dei Filium videt tradi pro illis; cætera omnia dona creata, si adsint sine illo, æstimat nihili.

Ioan. 7. Hæc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæa: Vt autem ascẽderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto. Iudęi ergo quęrebant eum in die festo, & dicebãt: Vbi est ille? Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant, quia bonus est: alij autem dicebant, non, sed seducit turbas: nemo tamen palàm loquebatur de illo propter metum Iudæorum.

§. XI.

§. XI.

Securitatis propriæ prætextus non deterreat ab animarum negotiatione eos, qui perfectioni ſtudent.

MAnſio in Galilæa & tranquillior, & ſecurior erat Ieſu; nihilominùs Galilæam deſerit, & Iudæam petit Dominus ad feſtum, in quo & hoſtium rabies, & ſcelerũ malitia exundat. Cur ergo, Domine, ſecuritati præfers pericula? Hoc eſt perfectiſsimæ mentis ſtudium, quòd animarum inſtet ſaluti, prætextu propriæ ſecuritatis deuicto. Luc. 5. videns Petrus ingentem piſcium capturam, & Ieſu admirans virtutem, clamat ad illum: *Exi â me, Domine, quia homo peccator ſum.* At Ieſus peccatorem videns exit ne ab illo? Abſit, ſed peccatori adſtat, donec illum, & nauim ſubducat ad littus. Et cur non magis ſibi conſulit Dominus? Cur non magis à peccatorum contagione fugit? Docebat quidem, qualiter debebat vinci prætextus propriæ incolumitatis ab ſtudioſis perfectionis circa quærendam animarum ſalutem. Ex quo D. Auguſt. lib. 2. quæſt. euang. cap. 2. ait: *Non enim receſſit ab eis Dominus, ſed eos ſubductis nauibus, ad littus perduxit: ſignificans in bonis, & ſpiritualibus viris, non eſſe oportere hanc voluntatem, vt peccatis turbarum commoti, quo quaſi ſecuriûs, tranquilliûſque viuant, munus eccleſiaſticum deſerant.* Munus equidem ſalutis animarum quærendæ non dimittendum eſt, prætextu quaſi ſecurioris, & tranquillioris vitæ. Quid perfectius extra Deum, & quid tranquillius, quàm procuratio animarum ſalutis? Qui hoc amplexatur ſtudium, quo vincit prætextum propriæ ſecuritatis, vt pretioſas animas à peccatorum fæce educat, fallar, niſi ſecuriſsimus tranſeat, & quaſi Deus omnia aduerſa fugiat. Hierem. cap. 15. dicitur: *Si ſeparaueris pretioſum â vili, quaſi os meum eris: conuertentur ipſi ad te, & tu non conuerteris ad eos.* Fœlix, qui huic incumbit officio ſeparãdi pretioſas animas à vili fœce vitiorum, quaſi os Dei erit faciens lumina in medijs tenebris: nec torrente vitiorum ipſe rapietur, ſed magis ipſe dulciſsimas ſibi venas faciet ſcaturire de vitiorum torrente. Ad hæc aiebat D. Chryſoſtomus, orat. 5. aduerſus Iudæos. *Quid huic poterit æquiparari? Quod neque ieiunium, neque humi peractæ cubationes, neque pernigilia, neque aliud quippiam poteſt efficere, efficit fratris procurata ſalus.* Non vtique ieiunia, non eremus, non clauſtrum, non humi cubationes, non ſimiles aliæ virtutes, quæ circa creata verſantur, ſic hominem reddunt diuinum, & pænè inexpugnabilem, vt proximorum procurata ſpiritualis ſalus. Sanè carnis vniuerſæ macerationes, & afflictiones non tàm inter diuina, quàm inter humana opera computantur, vt de Ieſu patiente dicat Iſaias, cap. 5. *Vere languores noſtros ipſe tulit, infirmitates noſtras ipſe portauit:* dũ enim patitur, non ſe tã Deum, quàm hominem demonſtrat. At verò negotiatio animarum non humanum opus, ſed diuiniſsimũ eſt. Vndè lex cauebat, Exod. 20. de die Sabbathi. *Omne opus tuum non facies in ea:* ex quo eleganter elicit Tertul. non vetari opus circa ſalutem animarum, quia hoc opus non opus hominis, ſed opus eſt Dei: quippè ait libro. 4. aduerſus Marc. cap. 12. *Dicendo tuum, de humano opere definit, non de diuino. Opus autem ſalutis, & incolumitatis non eſt hominis, ſed Dei proprium; ſicut & rurſus in lege: Non facies, inquit, omne opus in ea, niſi quo fiet omni animæ, id eſt, in cauſa animæ liberandæ, quia opus Dei etiam per hominem fieri poteſt in ſalute animæ.* Et ſanè quoties homo animarum acquirendæ ſaluti ſtuder, non facit humanum opus, ſed diuinum ſeque maximè protegit ab ira diuina. Pro quo licet perpendere illud Iſaiæ, capit. 2. *Dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum: Et ſuper omnes naues Tharſis:* quibus videtur Propheta diuini iudicij irã nauibus opponere: ſed & Pſalm. 106. ait: *Qui deſcendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis: ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.* Ecce tibi naues apud Iſaiam expoſitæ apparent ruinis, iriſque diuinis, & furoribus: & apud Dauidem inter Deitatis opera ſecuriſsimè diſcurrunt. Ex quo potuerunt naues iris expoſitæ tantam trahere ſecuritatem, vt & diuinis operibus, profundiſque Dei mirabilibus appropinquarent? Sanè ex quo homines per naues ſignificati operationes faciunt in aquis multis, hoc eſt, in populis multis; nullam operationem, quantumuis temporalem, & fluxam faſtidientes, qua poſsint animas lucrari, & Dei operibus ſeſe interſerunt. & ab ira protecti profundiſsima Dei myſteria ſpeculantur. Ad hæc ſapienter, & veriſ-

Procop. verissimè fatur Procopius in Isaiam: *Neque ijs nauibus metuenda Domini dies esse potest, quæ sensus facultate destituuntur, sed ijs, qui in corporibus huius vitæ, tanquam maris tempestatibus agitantur, quas facilè contemnunt, qui in carne viuentes, eius imperantis castra non sequuntur, sed in aquis multis operationes faciunt, ideoque ad vitæ commoda sese dimittunt, vt eorum, qui in profundo demersi sunt, aliquos lucrentur: vndè opera Domini vidisse, id est, rei gestæ mercedem, diuinorum operum, rerumque in profundo mirabilium cognitionem percepisse dicuntur.* Non solùm in montium ascensu, sed in descensu, & condescensu inueniunt Apostolici viri & protectionem, & securitatem, & diuini operis exercitium. Etiam dum populis se interserunt, & ad exercitia vitæ temporali commodo sese dimittunt; dum Grammaticam, dum Physicam, dum Mathematicam docent, vt eorum, qui solis temporalibus immerguntur, lucrentur aliquos, ibi opera exercent, & vident diuina, & abstrusarum diuinitatum cognitionem pro illis percipiunt. Non multùm sapit, qui religiosos viros, seu religiosum ordinem indè claudicare in perfectione putet, quòd vt omnes lucretur, omnibus omnia fit, & Grammaticus, & Physicus, & Mathematicus. Nisi velit, quòd & Paulus inferior fuerit cæteris Iesu Discipulis, quòd inter lucrandas animas scenofactoriam artem exercuit, vt liberiùs saluti animarum incumberet. Sunt equidem in omni religiosorum ordine multi viri & paruis, & temporalibus destinati officijs, nec ideò minùs perfectus est monachalis ordo, quòd cocos habeat pro parandis cibis, procuratores pro colligendis, atque dispensandis fructibus, quando hi requiruntur, vt firmiùs teneatur finis religiosi instituti. Sic in mendicantibus ordinibus, quorum est animas Deo acquirere; non offendunt summam illorum perfectionem temporalia munera, quæ à multis sumuntur, vt media, quibus possint animas Deo acquirere. Quod sanè opus diuinissimum est, nisi dicas, quòd diuiniùs ageret Iesus in deserto perpetuò agens solitarius, & ieiunans; quàm Publicanorum mensis accumbens, & sedens supra fontem, aquam ex Samaritana requirens. Sanè si perfectius esset ieiunium, & eremus, quàm pro acquirendis animis sudor, nunquam mihi persuaderem, in religiosissimis mendicantium familijs, & strictissimis, potuisse ex instituti norma esse dispensationes circa parcitatem victus, & aliorum, concionatoribus, & magistris. Neque etiam crediderim, potuisse euenire euangelicis sudoribus tantam diuinorum mirabilium lucem: quantam in dies videmus scaturire diuulgatis libris. Sed verissimum est illud Procopij dictum: *Qui se ad vitæ commoda dimittunt, vt eorum, qui in profundo demersi sunt, aliquos lucrentur; opera Domini vidisse, id est, rei gestæ mercedem, diuinorum operum, rerumque in profundo mirabilium cognitionem percepisse dicuntur.* Hæc ille. Procop.

CAPVT VII.

Disputatio Iesu cum Iudæis in festo Scenopegiorum.

POSTQVAM Occultè Iesus Hierosolymam venit, mediante iam festo, hoc est, quarto die Scenopegiorum, palàm, & conspicuus in templum venit; vbi doctrinam cæpit effundere cœlestem. Mirabundi concurrunt Iudæi, qui si saperent, non solam admirationem, sed fidem elicerent diuinitatis illius, qui sic doctus apparebat, cùm nusquam sciretur didicisse. Erat quidem doctrina Iesu talis, qualis est doctrina, quæ à Deo Patre accepta venit, non qualis in proprio hominis cerebro confingitur. Quod rectè in illa perciperet, quisquis non garrulis vocibus instaret, sed multo virtum opere præceptis diuinis implere incumberet. Et planè vel ex hoc euidenter ostenditur qualitas doctrinæ; quæ enim ex proprio cerebro confingitur, eò spectat, vt humanos plausus, & auram popularem vel mendacijs sibi acquirat; quæ autem doctrina à Deo venit, Dei solius gloriam quærit; mendacium respuit;

iniustitiam secum non admittit. Hanc in se doctrinam,& innocentiam ostendit Iesus; ex quo probat, quàm nequiter expectetur ad mortem à Iudæis Moysaycæ legis obseruatoribus, quæ suis cultoribus vetabat aliquem innocentem, & iustum perimere. Certũ erat, Iesum expeti ad mortem à Iudæis, ex quo sanum fecerat paralyticum piscinę Sabbathi die. Hoc vnum Iesu opus illorum rabiem excitauit primò, vt illum decreuerint interficere, & id summa iniuria,& malitia. Quando enim lex permittebat hominem die Sabbathi circumcidi; quomodo non vellet, & amaret, quòd totus homo erigeretur in salutem, si Iudæi vellent esse iusti iudices? Interea Hierosolymitani non pauci mirantes Iesum ad mortem expetitum, liberè loquentem, & indemnem; parùm abfuit, quòd sibi persuaderent illum à Principibus populi habitum esse Christum, nisi Iesu parentes notos sibi putarent; parentes autem Christi ignotos futuros dicerent. Itaque ipsi Iesu osores nihil in illo inueniunt, quod non pertineat ad verum Christum, nisi quòd eius parentes populis haberentur conspicui. Quam persuasionem depellit Iesus, ostendens se à Patre Deo venisse in mundum, qui vt Pater Iesu penitùs ignorabatur à Iudæis, nõ ab amantissimo Filio, qui verum illum Patrem sciebat, & amabat, à quo in terram fuerat missus. Ad hæc multi de turba crediderunt in Iesum, putantes, solum Christum posse in tam mirabilia opera exurgere. Quod præcauentes Pharisæi, ministros mittunt, qui Iesum quærant, & vinciant; non id permittit Iesus, vt qui comprehensionis suæ tempora, & momenta haberet statuta: quinimò vltimo die festiuitatis, magnis clamoribus omnes inuitabat ad se venire, tanquam ad fontem vitæ.

*Ioan.*7. Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?

§. I.

In mundialium gaudiorum declinatione, & occasu, tunc proprior apparet Iesus.

QVi occultus accesserat ad festum, mediante iam festo, sese omnibus manifestat; & quidem nusquam proprior, & manifestior apparet Iesus, quàm vbi mundialia gaudia declinant. Sic propinquis rogantibus, vt ascenderet Hierosolymam, respondit Dominus, Ioan. cap. 7. *Ego enim non ascendam ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est. Hæc cùm dixisset ipse, mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum.* Si tẽpus suum ascendendi nondum impletum erat, quomodo statim ascendentibus illis, & ipse ascendit? Aut siquidem ipse ascendit statim, quomodo non erat adimpletum ascendendi tempus? Non equidem erat adimpletum tunc tempus, quo Iesus ascenderet in festum, quia adhuc erat festum in initio, adhuc primo gaudiorum splendore vigebat, in quo magis Iesus offenditur; qui tunc apparet magis, & sese ostendit, quando festorum gaudia declinant, & deferuescunt. Ait Theophylactus ibi: *Principio quidem ascendere detrectabat, vtpotè feruentibus furore Iudæis. Post hæc autem cùm festum soluendum esset, ascendit, quando & insaniam eorum verisimile erat, mitigatam esse.* Etenim dum gaudia feruent mundialia, feruet etiam Dei offensio, qui sese gratiorem ostendit, & propinquiorem in gaudiorum declinatione, & defectu. Vndè sic cauebat Exod. 31. *Custodiant filij Israel Sabbathum, & celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternum inter me, & filios Israel, signumque perpetuum. Sex enim diebus fecit Deus cœlum, & terram, in septimo, ab opere cessauit.* Expende, cur Sabbathum detur pro signo fœderis Dei cum hominibus, nimirùm quia illo die opera Dei mundum fabricantia cessarunt. Cur non magis, Domine, tibi eligas primam diem, in qua ostendis ab ore tuo lucis pulchritudinem progredientem? Cur non magis tibi eligis alteram, in qua cœli illa pulcherrima luminaria ab alto

Ioan. 7.

Theophi.

Exod. 31

ruti-

rutilam; vel in qua flores terram ornant, aut pictæ aues aera implent? Cur præ ijs diebus tibi Sabbathum placidius apparuit? Deo ſemper placent magis fines temporalium pulchritudinum; vt in quibus æternorum nouitas ſoleat exoptari.

Athan. Ait Diu. Athanaſius, homil. ad illud. Omnia tradita ſunt, &c. *Vt cognoſcatis, quòd in hac die requieuit Dominus Deus veſter ab operibus, quæ cæperat facere. Volebat autem cognito iſtius creationis fine, initium quærere nouæ creaturæ.* Nunquam quæ in Chriſto eſt noua creatura, ſic ſe manifeſtat, ſic apparet, quàm in defectione, & fine omnium pulchritudinum creaturum. Mundialia gaudia abeant, & ecce

Ioan. 20. noua creatura in Chriſto adeſt. Ioan. cap. 20. *Cùm ergo ſerò eſſet die illo, vna Sabbathorum, et fores eſſent clauſæ, venit Ieſus, &c.* Vbi pulchre Gillibertus Abbas, ſermon. 44. in Cantic. inquit: *Illud oſtium maximè aperitur Ieſu, quod ab alijs omnibus negotijs clauditur.* Veſpertinis vmbris addebatur vmbraculum clauſi oſtij, nec tamen id impedimentum fuit Ieſu ingredienti; quin potiùs quò magis clauditur oſtium mundialibus luminibus, eò clariùs manet Ieſu accedenti apertum.

Matt. 8. Apud Matthæum, cap. 8. dicitur: *Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, &c.* Cur adueſperaſcente die ſalutes ex Ieſu quærunt, niſi quia nunquam Ieſus ipſe gratiùs adeſt, niſi quando mundialia lumina declinant, atque obtenebrantur? Ad hæc inquit Diu. Hie-

Hieron. ronymus in Matthæum: *Omnes non manè, non meridiè curantur, ſed ad veſperam, quando Sol occubiturus eſt.* Declinationem mundialium hominum expectat Dominus, vt citiùs ſalutem proferat ſuis affectis: quod enim oſtium clauditur mundialibus, id Ieſu accedenti apertum manet.

§. II.

In Dei templis ſic ſtes, vt aperta facie poſsis eſſe. Vbi de reuerentia in templis.

IAm non occultus, ſed manifeſtus venit in templum Dominus; ſuprà enim Ioan. 7. dixerat de illo: *Tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non manifeſtè, ſed quaſi in occulto:* Cum ad feſtum aſcendens Hieroſolymam venit, nō manifeſtè, ſed quaſi in occulto venit; & occultus manſit diebus tribus: die autem feſto mediante, nimirum quarto die aſcendit in templum, non iam occultè, ſed manifeſtè. Cur ergo, qui cauebat Hieroſolymis ſeſe manifeſtare, vbi ad templum accedere decernit, ſe manifeſtat? Cur non etiam quaſi in occulto ingreditur templum? Apage hoc à Chriſti ſpiritu, qui ſic ſuos amat in templis eſſe, vt qui in luce ſint, & facie aperta. Non capit templum Dei amicula; locus, in quo Deus apparet; non ſuſtinet eas, quæ ibi nequeunt eſſe, niſi velatæ, &

Cant. 1. opertæ. Aiebat ſponſa, Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Septuag. legunt: *Ne fortè efficiar ſicut adoperta ſuper greges ſodalium tuorum.* Expende, quid timeat fieri, & quid petat; timet fieri ſicut fœminæ illæ, quæ adopertæ virorum gregibus ſeſe immiſcent, vt de operculi beneficio maiorem habeant impudentiam. Timet ergo ſponſa iſtis opertis fœminis aſſimilari, & ideò petit, vt ſibi oſtendatur locus, vbi Deus paſcit, vbi quieſcit. Quale hoc remedium ad vitādum opertarum ingenium? An licèt in loco ſit, vbi Deus paſcit, non poterit ibi & eſſe ſicut operta inter virorū greges? Abſit ab anima Chriſtiana tātum nefas, quod in Eccleſia Dei, vbi Deus ſacramentorum paſcuam oſtendit, vbi cubat Dominus, ibi poſsit eſſe ſicut operta, ibi operculo egeat, quo diſſimulet impudentiam. Sanè quæ ad opertarum genium viuit in Dei templo, non Chriſtiana eſt, ſed prorſus diabolica, & æterno deſtinata letho. Apud Eſther, cap. 6. poſt tyrannidem Amani reuelatam in conuiuio, dicitur de Rege Aſſuero: *Qui cùm reuerſus eſſet de horto nemoribus conſito, et intraſſet conuiuij locum, reperit Amanſuper lectulum corruiſſe, in quo iacebat Eſther, et ait: Etiam Reginam vult opprimere, me præſente, in domo mea. Necdum verbum exierat de ore Regis, et ſtatim operuerunt faciem eius.* Equidem operuerunt faciem eius, vt ait Carthuſ. *Tanquā proximè condemnandi, et iam quaſi condēnati ad mortem.* Sed cur in eo, quòd operiretur facies Amani, ſignatur eius proxima damnatio, & irremediabilis pœna? Alij alios gentiū mores prætendant; mihi ſufficit videre, quòd in regio cubiculo, vbi regiū conuiuium

uium bis, & ter celebratum fuerat, inter adhuc calentia vini gaudia, non poterat esse Aman, nisi opertus, vt eius credam condemnationem, & ruinam in proximo esse. Caue, fœmina, adsis templo Dei, loco diuini conuiuij, penetrali Regis, ea impudentia, qua nec velis, nec possis esse, nisi operta, fallar, nisi inde tuam æternam damnationem auspiceris. Regis enim diuini cubiculum minimè sustinet eos, qui operculis, & tenebris indigent, easque amant. Mariæ corpus sibi Dei Filius in templum aptauit, in quo esset, & adoraretur
Cant. 3. à Ioanne. De quo ait Cant. 3. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius.* Ingressus Dei in vterum Mariæ vocatur desponsationis dies, & meritò quando vbi Deus est, nihil tenebrosum, nihil nocturnum, & occul-
Philipp. tum esse admittitur. Ex quo Philippus Abbas, lib. 4. in Cant. cap. 6. ait: *Quidquid in Virgine agitur, noctem nescit, cui Regem carne coronanti dies infunditur, lux splendescit, splendore diurno, vel magis diuturno matris spiritus hilarescit.* Sic vbi in Maria Deus clauditur, quidquid in illa agitur, noctem nescire debet & in luce esse, vt sciamus, quod cum Deus claudatur in templis, in illis nihil nisi lucidum, & manifestum agi debet.

Ioan. 7. Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit, an ego à me ipso loquor.

§. III.

Non Dei spiritus, sed humani, & diabolici proprium est, sapientiam non velle acceptam alteri referre.

NVnquam Dominus non ostendit suã diuinitatis plenitudinem, siuè loquatur, siuè operetur; cùm loquens auditur, meritò de illo dicunt: *nunquam sic locutus est homo*, quia supra hominem est, qui tàm sapienter, tàm dulciter prædicat. Verùm hodiè, cùm suam doctrinam mirabilem patri refert acceptam, non solùm supra hominem est, sed sese Deum manifestat. Ait enim: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.* Quid diuinius, quàm velle in sapientia alteri cedere? Id solus facit spiritus Dei, non spiritus miseri hominis, qui vel ex hac proprietate cognoscitur, quòd velit nulli in sapientia cedere. Hoc fuit venenum penè adnatum hominum generi, nimirùm Gen. 3. *Eritis sicut* Gen 3. *Dij, scientes bonum, & malum*: ex hoc sic infecti sunt vniuersi filij hominum, vt nulla sit res adeò vilis, cuius sapientia vel homuntiones non velint alios excedere. Rem pulcherrimè definit D. Bernardus, Bernar. sermon. 4. de Ascens. tatus. *Pessimus motus influxus scientia est, in quem ascendebat, qui voluit esse sicut Deus sciens bonum, et malum, quẽ vsque hodiè filij eius accumulant, & eleuant, nihil inuenientes tâm vile, vndè non vellent montem eleuare scientiæ. Videas alium litterarum, alium mundialis curæ, illum seruilis cuiuslibet artis tâm vehementer affectare scientiam, vt laborem non reputet, tantummodò vt possit aliquibus doctior reputari. Sic ædificant Babel, sic putant ad Dei se peruenturos similitudinem: sic concupiscunt, quod non expedit, quod expedit omittentes.* Deus sit, necesse est, quisquis hac lue non apparet infectus, qua velit in aliqua vel rei infimæ sapientia superiorem non habere, sed esse. Nec mirarer, si hoc ad solos sapientes, & litteratos homines pertineret; sed nullus est homũtio, nulla muliercula, quæ in aliqua scientia nolit non doctior alijs apparere. Quæ fœmina non inflatur nendi sapientia, vel curandę faciei, vel torquendarum crinium dexteritate? Quis Grammaticus cedat alteri in scientia loquendi? Quis faber alteri acceptum referat, quòd ipse scitè tractat artis suæ memoriam? Sanè vna est omnium hominum conspiratio ad palmam scientiæ consequendam, vt quisque alijs videatur in suo modulo doctior esse. Id quod præcauens Dominus, Genes. 2. Gen 2. ait: *De ligno scientiæ boni, et mali ne comedas.* Nec vnquam desinunt admirari multi interpretes, quòd primum præceptum positum sit de non edendo fructu scientię boni, & mali. Cur non magis positum fuit præceptum de edendo fructu scientiæ? Sanè æquè liberum erat Deo præcipere edi fructum scientiæ, vel non edi; æqualiter homo exhiberet obsequentẽ, si ederet, ac si non

si non ederet iuxta præceptum. Nonne modò iubemur edere panem vitæ, & in eius esu maximè iungimur Deo? Cur etiã tunc non iussi sunt homines potiùs edere, quàm non edere de ligno scientiæ? In præcepto illo imponendo spectabat Dominus illa iniungere, ad quæ non humanus spiritus, sed obseruandi diuini præcepti affectus impelleret. In præripienda autem scientia cuiusque rei, etiam vilissimæ, etiam prorsus malæ, & indecentis, sic humanus spiritus omnes impellit, vt nihil inde Dei, nihil præcepti reuerentiæ ostenderetur. Ad hæc ait Hugo Victorinus in Caten. Lyppomani: *Hug. Vi.* *Quare, quod prohibuit, non præcepit comedere, quod homini esset facilius, & æquiualens obedientia ad meritum? Non præcepit comedere de ligno scientiæ boni, & mali, vt obedientia pura esset. Causaretur enim diabolus, dicẽs, non propter præceptum hominem comedere de ligno scientiæ boni, & mali.* Et quidem non agnosceretur Dei spiritus in homine circa scientiam boni, & mali præripiendam, quando hominis natura, præcipuè à diabolo infecta, sic capitur sciendi præcellentia, vt potiùs fræno, quàm calcaribus egeat. Exemplum esto prima fœmina, quæ vniuersas paradisi arbores præteriens, ad vnam scientiæ arborem subsistit, ibique diabolico spiritu plena. *Gen. 3.* *Gen. 3.* *Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo.* Ad quæ non parùm argutam quæstionem facit D. Athanas. Sinaita, lib. 11. *Athana.* Examer. *Cur autem non ambo simul comederunt, sed mulier primùm?* Sanè in re sciendi mulier diabolo plena nesciuit alteri cedere, sed sibi primatum tenuit. Non ea est natura hominis à diabolo infecta quæ velit fructum scientiæ alteri acceptum referre. Insuper notanda est ipsa forma præcepti, quæ sic habet, Genes. 2. *Gen 2.* *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Iuxta Diui Ambrosij lectionem sic est legendum: *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem, quod est scientiæ boni, & mali, non edetis.* Ecce in primo singulariter dixit, *comede*; in secundo autem pluraliter posuit, *ne edetis.* *Ambr.* De quo Ambrosius, ibi: *Qua ratione vbi præcepit ex omni ligno edendum, singulariter dixit, edes; vbi autem de ligno scientiæ boni, & mali pluraliter, edetis, dixerit, non otiosa quæstio.* Non quidem otiosa quæstio ea est, sed quæ iam ex dictis claresc at; non enim tam hominum frequentiam circa alia bona acquirenda vidit Deus, quantam vidit circa sapientiam præripiendam, & ideò de hac pluraliter loquens, quasi innuit, circa sapientiæ palmam, nullum in hominibus futurum consensum, nullã concordiam, sed omnes in bello esse, ne in sapientia alteri cedant, sed sibi præripiant eam.

§. IIII.

In re sapientiæ, & doctrinæ salutaris, vt periculosum est, proprijs niti, sic de acceptis splendescere gloriosum.

MAluit Dominus doctrinam suam Patri Deo acceptam referre, quàm ostendere propriam suam, dicens: *Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me*: vt inde innueret, quàm periculosum sit in re salutaris doctrinæ proprijs niti, & quàm glorioſum acceptis splendescere. De perditis sapientibus aiebat Paulus, ad Romanos. 1. *Rom. 1.* *Qui euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Nota periculum, scilicet, *euanuerunt in cogitationibus suis*: non in Patrum excogitationibus, sed vbi proprijs inuentis adhærere cæperunt, in summum barathrum deuenere stultitiæ. Ex quo eleganter Diu. Prosperus aduersus *Prosp.* Collatorem ait: *Neque enim ignotum est, quàm Græcæ scholæ, quàm Romana eloquentia, & totius mundi inquisitio circa inueniendum summum bonum acerrimis studijs, & excellentissimis ingenijs laborando, nihil egerunt, nisi vt euanescerent in cogitationibus suis, & obscuraretur cor insipiens eorum, qui ad noscendam veritatem semetipsis ducibus vtebantur.* Ex quo aliorum spretis doctrinis, proprijs tuis cogitationibus veteris pro ducibus, pro magistris, à veritate declinas, & in turpissimos errores incidis. Non est simul & veritas, & propria spiritus humani excogitatio: etenim ait Hieremias, capt. *Hier. 23.* 23. *Nolite audire verba Prophetarum, qui decipiunt vos: visiones cordis sui loquuntur.* Expende, vndè deceptio, vndè error sit; *visiones cordis sui loquuntur*; quasi propriæ excogitationi annexa sit falsitas. Pro quo eleganter aiebat Philipp.

Philipp. Abb. Abb. lib. 4. in Cant. cap. 29. *Prophetæ, qui merentur vera, et vtilia non videre, prophetant suo spiritu.* Nunquam sanus veritatis indagator proprio spiritui fidit; vbi enim non acceptum, sed tuum profers, tantùm nõ indigitas veritatis, & vtilitatis ruinam. Non enim, mihi crede, ornatur sapiens tàm de proprio, quàm de accepto, in cæteris fortè fœdant habentem aliena; at in sapientiæ re & securiorem, & ornatiorem hominem constituunt. Vndè Hieronym. epist. ad Heliodor. de Nepotiano aiebat: *Ingenuo pudore, qui ornabat ætatem, quid cuius esset, simpliciter confitebatur. Atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando, eruditissimus habebatur. Illud, aiebat, Tertulliani, istud Cypriani, hoc Lactantij, illud Hilarij est, &c.* Expende illud, *ornabat ætatem,* maximè enim ornat sapientem hominem, quòd doctrinam suam alteri acceptam referat, & in hoc solùm videatur stultescere, quod nihil sapientiæ suum ostendat; cùm omnium omnia teneat. Ex quo lucem affero verbis Ecclesiastæ, cap. 10. vbi sic: *Pretiosior est sapientia, & gloria parua & ad tempus stultitia.* Vbi Chaldæus Zamorensis, ait: *Quàm gloriosus, et decorus est, magis quàm sapientia sapientium, & diuitiæ diuitum vir, cuius insipientia est parua, et modica.* Quibus in decore, & gloria extollitur super omnes sapientes ille vir, qui aliquam paruam, & modicam insipientiam habet. Et quæ est parua hæc insipientia, quæ sic hominem super omnes sapientes extollit, nisi insipientia hæc, qua quis omnia sapientum noscens, nihil in sapiẽtia suum norit. Sanè hæc parua est insipientia, quæ maximè pertinet ad ornatum hominis. Quod callens D. Ennod. lib. 1. epist. 4. sic sofurti in re sapientiæ accusatum defendit: *Tobias huiusmodi commissoribus occurrit, et diuina voce testatur, dicens: Non licet nobis aliquid manducare furtiuum. Cùm dixit manducare, non dixit nobis aliquid lectitare furtiuum. Iosiam, vt narrat historia. 4. Reg. 22. surrepta papyrus instruxit. Ego homuntio hoc non facerem, quem vos contra ingenij vires ad scientiam diligendam verborum stimulis foditis?* Sic sanctus vir censet in re sapientiæ non indecorum, sed glorioſum, & vtile esse homini vestiri alienis.

Hieron. Eccl. 10. Ennod.

§. V.

Fœlicissimum est, & diuinum in domesticis, & tuis habere, quidquid necessarium habes ad virtutum doctrinam.

EXpende iam maximam Iesu excellentiam, & fœlicitatem diuinissimam; fatetur, doctrinam suam nõ esse suam, sed illam à patre acceptam habere; non equidem necessum fuit Iesu ab alijs, & diuersis naturis emendicare doctrinã, quidquid veritatis, quidquid virtutis, quidquid est doctrinæ, in patre habuit, & accepit ex illo. Antiquissimæ familiæ Deciorum filium inde maximè extollit Cassiodor. lib. 3. var. 6. inquiens: *Respice certè iuuenem, per formæ gratiam mentis pulchritudine plùs placentem. Refert facie sanguinis decus, proditur animi natura per vultum, et serenitate corporis nubila quæque mẽtis abstergit. Verùm hæc naturæ bona litterarum decorauit insignibus, vt cote magistrarum artium detersis mentis penetralibus plùs liceret. In libris veterum Decios cognouit antiquos, nobilemque progeniem gloriosæ mortis beneficio viuentem. Fœlicissimus profectò studiorũ labor, cui priscorũ carmen cõtigit discere per parẽtes, et de auita laude primordia teneri pectoris erudiri.* Nihil ad mores, nihil ad doctrinam pertinens non bibit nobilis hic adolescens in suis atauis, & auis, & parentibus; quid fœlicius? De parentum suorum gloria in illum, & eruditio, & moralis doctrina veniebat. Si fortitudinis, si beneficentiæ, si iustitiæ, si prudentiæ, si continentiæ erat disciplinis imbuendus, non eas ab extraneis emendicare opus habebat, sed à suis maioribus illas licebat haurire. Et quis dubitet, Iacobi fœlicitatem longè præstantiorem esse fœlicitate fratris Esau? Hic benedictionem perdidit, ille acquisiuit; alter primatum vendidit, quem alter emit: sed Esau dicit pater suus, Genes. 27. *Sume arma tua, pharetram, et arcum, et egredere foris. Cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, &c.* Ad Iacob autem dicebat mater: *Nunc ergo, fili mi, acquiesce consilijs meis, & pergens ad gregem, offer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis escas, &c.* Itaque Esau mittitur ad externa, vt inde cibos venetur: Iacob autem

Cassiod. Gen. 27.

non

non ad externa, sed ad ipsos paternos greges remittitur. Cur Iacob ad paterna, & non ad externa remittitur, nisi vt iam eius explicaretur fœlicitas, qui statim benedicendus, quidquid ad sapiẽtiam, quidquid ad doctrinam, quidquid ad beatam vitam comparandam necessarium erat, in domesticis suis, & paternis copiosè inueniret? Pro quo ait Diu. Ambrosius, lib. de fuga sæculi, cap. 8. *Nec immeritò domesticos cibos detulit Iacob: quia de domesticis seminis sui, sapientiæ sibi acquisiuit copulam.* Fœlix sanè homo est, cui datum est, omnes veræ sapientiæ, & morum posse ebibere disciplinas, si vel ad sola domestica, & paterna respiciat. Ambr.

§. VI.

Veram Dei doctrinam ille percipit, qui benè operatur, & viuit.

ECce vobis, qualia media proponat Dominus ad percipiendam diuinam, & veram doctrinam; non quidem proponit longas elucubrationes, elaboratas disputationes, diuturnos scholarum cursus; sed solùm proponit præclaras actiones vitæ. Ait enim: *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit.* Fac, vt benè agas, benè viuas, & habes, vndè non fallaris in doctrina, sed & veram, & diuinam facili negotio percipies. Vt dicat Psalm. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eũ.* Nõ deficit intellectus ad percipiendam doctrinam Dei illis, qui operantur, qui faciũt bona: imò, vt ait Iob, cap. 36. de Deo, *In manibus abscondit lucem*: non equidem in argumentis, & syllogismis, sed in manibus lucem abscondit veræ sapientiæ, vt operationes manuum illam manifestent. Psa. 110. Iob. 36. Apud Isaiam, cap. 49. dicit Dominus ciuitati Sion, id est, Ecclesiæ: *Ecce, in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.* Et qui sunt Ecclesiæ muri? Memini aliàs me dixisse, muros Ecclesiæ esse scholasticas disciplinas de Deo, & virtute, artes differendi, & inuestigandi veram sapientiam: quæ artes vt veram sapientiam demonstrent, & falsitatem repellant, in manibus fundari debent, hoc est, in bonis actionibus, & rectis. Ait Procopius ad capit. 2. Isaiæ, vers. 15. *Murus enim ars est ipsa differendi, eos, qui dogmata diripere, & dissoluere conantur, propulsans. Inde & vrbis Hierosolymitanæ muri in Domini manibus descripti esse dicuntur.* Lapidei muri in rupibus fundẽtur; at muri scientifici non in rupibus, sed in manibus, à quarum rectis operationibus habẽt, vt veritatem conspiciant, falsitatem declinent. Multùm enim fallitur, qui putat se veram Dei scientiam callere, dum nihil sollicitus est dè bonis operibus efficiẽdis. Apud Oseam, cap. 6. sic ait Dominus: *Volui scientiam Dei, plùs quàm holocausta. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum.* Expende, quid opponat scientiæ Dei, nimirum pacti transgressiones: requirebat quidem Dominus à populo suo non holocausta, sed scientiam Dei; hoc vno contentus, quòd populares optimè scirent, & noscerent Deum. Et vndè demonstrat, hanc scientiam Dei non fuisse in populo? Quid illi oppositum, & contrarium inuenit? Ipse ait: *Ipsi autem transgressi sunt pactum*: quasi ex eo, quòd in illis fuerint pacti transgressiones, rectè concludatur, non fuisse illam Dei salutarem scientiam. De hoc pulcherrimè Philippus Abbas Præmonstratensis, epistola. 3. inquit: *Rectè, qui sicut Adam prudenter peccare, pactumque transgredi non verentur, scientiam non habere perhibentur, sed insciti a laborare; cùm argumentũ sciendi sit, non si qui de scripturis multa, & veracia volubiliter eloquuntur, sed si percepto earum sensui consensu morum affectuosiùs obsequuntur.* Hoc est medium, quo peruenimus ad veram Dei, & salutarem scientiam; quo diuinam doctrinam percallemus, si operam nauemus bonis operibus. Oseæ 6. Philippus Alb.

Ioan. 7. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam eius, qui misit illum: hic verax est, & iniustitia in illo non est.

Isai. 49. Proc.

§. VII.

Vt Deo, & veritate æqualitas ad omnes, & iuſtitia nutritur, ſic proprietas, & partialitas mendacijs nititur.

CVi Deus eſt pro gloria, & verax eſt, & iniuſtitia in illo nō eſt; & pulchrè id dictum eſt, quando Deus, & veritas iuſtitiam, & æqualitatem ad omnes ſeruant, inæqualitatem, & partialitatem abiurāt. Propone tibi ob oculos piſcinam illam probaticam, in cuius commotione ſanabatur vnus, teſte Ioanne cap. 5. Sanabatur equidem vnus è plurimis infirmis; ſed ille vnus, qui hominem habebat, cuius niteretur auxilio. Huc accedit Ieſus, & infirmi voluntatem ſollicitans, vt ſanari vellet; reſpondit ipſe infirmus: *Hominem non habeo*: quaſi ad ſalutem obtinendam, hominem expectaret, hominem requireret. Sed quando in piſcina Angelus erat mouens aquas, & parans ſalutem; Angelum habens infirmus, cur adhuc ſalutarem ſibi hominem requirit? In Angelo illo ſalutaris hominis ſignabantur vmbræ: quare meritò infirmus vmbras præteriens, verum ſalutare requirebat, æſtimans ſe nō poſſe manere infirmum, ſi veritas adeſſet, cuius eſt proprium ſalutem æqualiter, & iuſtè per omnes diffundere, quādo in vmbris non niſi partialitas apparet, & iniuſtitia. Pulcherrimè Diu. Ambroſius, lib. de ijs, qui initiantur, cap. 4. *Denique paralyticus ille expectabat hominem, quem? Niſi illum Dominum Ieſum, cuius aduentu iam non vmbra ſanaret ſingulos, ſed veritas vniuerſos.* Expende, quid vmbra, quid veritas efficeret: ſub vmbris non æqualitas erat, non iuſta diuiſio ſalutis, ſed ſingularitas, ſed partialitas vigebat; vnus ſanabatur, & ille vnus, qui viribus pollebat, & humano auxilio; ſemper enim partialitas, & inæqualitas ſub vmbris, & apparentijs viret. Veritas acceſsit; & ecce tibi diſparet omnis partialitas, & iniuſtitia: *Veritas vniuerſos ſanat*; æqualitatem ad omnes ſeruat, partialitatem abiurat. Nullus eſt tàm remotus, tàm deſtitutus auxilio, quem à Deo, & veritate ſalus non pertingat. A Dei veri ſpiritu, non quæritur proprium, ſed facere æqualitatem multis. Pſalm. 138. *Quò ibo â ſpiritu tuo? Et quò â facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, &c.* Quibus verbis probatur multis Spiritum hunc eſſe verum Deum, vt in quo ſumma inueniatur ad omnes æqualitas, adeò vt nullum ibi ſingularem locum adſcribat, ſed omnibus inueniatur propitius. Videndus eſt Diu. Ambroſius, lib. 1. de Spiritu ſancto, cap. 7. inquiens: *De quo hoc Angelo ſcriptura dicit? De qua dominatione? De qua poteſtate? Cuius inuenimus Angeli virtutem per plurimos eſſe diffuſam? Angeli enim ad paucos mittebantur; Spiritus autem ſanctus populis infundebatur. Quis igitur dubitet, quin diuinum ſit, quod infunditur ſimul pluribus, nec videtur?* Vna diuiniſsima, & vera dominatio, & poteſtas hoc habet, vt neminem indonatum prætereat, vt æqualiter ad omnes beneficia diſtribuat. Creatæ poteſtates, & dominationes, vt tantùm ſunt vmbræ veræ dominationis, ſic non ad omnes, ſed ad partem inclinant, & amant videri erga ſuos partiales beneficentiſsimę. Vis homo, ſcire, quo agaris ſpiritu, diuino, an creato, vero, an adumbrato? Inde tibi manifeſtus erit veritatis ſpiritus, & diuiniſsimus, ſi æqualitatem ſeruans ad omnes, non videri amat, & partialitatem abiurat, quæ eſt forma iniuſtitiæ. Quò reſpiciens Dominus, Pſalm. 88. ait: *Neque nocebo in veritate mea*: quaſi id ſit proprium ſpiritus veritatis, quòd iniuriam vitet, & omnibus cum iuſta æqualitate proſpiciat.

Ambr.

Pſa. 138.

Ambr.

Pſal. 88.

Ioan. 7. Nonne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere? Reſpondit turba, & dixit: Dæmonium habes: Quis te quærit interficere?

§. VIII.

Aliorum cenſores omni debent cauere culpa.

TVrpiſsimè damnabatur Ieſus de legis violatione ab ijs, qui nullam legem non violabant: quibus ſapienter proponit

ponit Dominus eorum exlegem vitam vt doceat, quàm longè debeant esse ab eo affectu, quo de legis violatione accusent filium hominis. Careat enim necessum est omni culpa, qui culpas velit castigare aliorum. Cupienti Dauidi ædificare templum Dei. 1. Paralyp. 22. dicit Dominus: 1. Para. 22. *Non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.* A templi ædificatione amouetur Dauid propter sanguinem hostium profusum; & cur sanguineæ manus Dauidis illum à tanto opere remouerunt? Notabantur ibi homines, qui humanos mores corrigere, & reparare præsumunt; à quo opere meritò prohibentur, si ipsi in se opera exhibeant sanguinea, & maculosa. Pro quo eleganter D. Isidorus in 2. Regum, cap. 1. ait: Isidor. *Vir sanguinum templum Dei ædificare prohibetur: quia qui adhuc actibus carnalibus incubat, necesse est, vt instruere spitualiter Ecclesiam non præsumat, quia nequaquam purè maculam in membro considerat oculus, quem puluis grauat, & superiectas sordes tergere non valet manus, quæ lutum tenet.* Priùs suas mactet culpas, quisquis alios castigare disponit: nunquam non impudens est, & temerarius zelus illius, qui cùm ipse peccatis abundet, crudeliter fratrum persequitur errores. Israelitæ illi agnum manducaturi sic armabantur à Domino, Exod. 12. Exo 12. *Sic autem comedetis illum, Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, baculos in manibus.* Non priùs baculus eorum manibus permittitur, quàm fuerint circa renes accincti; ne qui dissoluti sunt in affectibus suis putent sibi licere alios ob crimina fustè percutere. Rupert. ait lib. 2. Rupert. in Exod. cap. 13. *Priùs præcipimur renes atcingere, postmodùm baculos tenere, quia illi debent curam pastoralem susci pere, qui iam suo corpore sciunt fluxa luxuriæ domare, vt cùm alijs fortia prædicant, ipsi desiderijs mollibus eneruiter non succumbant.* Turpissimum enim semper censebitur, quòd quis fratres suos mactet pro culpis, quibus ipse abundat: & quòd præteriens trabalia scelera sua, pro minutissimis festucis proximos crudeliter percutiat. Hinc quicumque armantur ad castigandos errores aliorum, nihil priùs illis iniungitur, quàm de vitæ propriæ innocentia fama integra. Dum Gedeon sibi eligit belli socios. Iudic. 7. Iud. 7. *Diuisit trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lageuasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum, &c.* Expende, qualiter vir sapiès armet eos, quos elegit ad percutiẽdos Dei hostes, nimirùm armat eos tubis, lagenis, lampadibus. Cur non magis armat eos gladijs, & securibus ad feriendũ? Sanè armabantur ibi viuersi scelerum vindicatores, qui non priùs gladio ad feriendum debent armari, quàm virtutum operibus, & splendenti rectè factorum opinione. Ad hæc aiebat Philippus Abbas Præmõstratensis, est pist. 19. Philippi Abb. *Vt video, in tubis et hydrijs, & lampadibus stat pugnantium fortitudo, quia in tubis figuratur vox hortatoria, & sonora prædicatio Prælatorum, in confractis hydrijs carnis castigatio, & depressio motuum leuiorum: in ostensis lampadibus bona opinio, & forma benè lucens, & illuminans oculos subiectorum.* Hic sit ornatus illius, qui se vindicatorem scelerum ostendit, nimirùm, quòd in illo nihil carnale appareat non confractum, & emortuum, quòd integra vigeat inculpatæ vitæ opinione. Hinc aiebat Paulus. 1. ad Timoth. 3. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse: filios habentem subditos cum omni castitate.* 1. Tim 3. Circa quod pulchrè in rem præsentem differit D. Anselm. in epist. ad Titum, cap. 1. Anselm. *Qua libertate alienos filios corripere, & docere possumus, quæ recta sunt, cùm nobis statim posit, qui fuerit correptus, ingerere, antè doce filios tuos? Aut qua fronte extraneum corripio fornicatorem, cum mihi conscientia mea ipsa respondeat, exhæreda ergo filium fornicantem, abijce filios tuos vitijs seruientes? Cùm autem filius nequam tecum maneat, tu audes de alterius oculo festucam detrahere?* Sic ibi, vt sua, suosque castiget, qui velit aliorum crimina succensere. Vide infra, cap. 8. §. 6. & 32.

§. IX.

Nunquam à Deo, sed à solo diabolo veniunt semper iudicia, quæ fratrem inexaminatum, & inauditum damnant.

IGnara turba suorum Principum nequitiæ iam damnantis capite Iesum, diabolico spiritui tribuit, quòd dicat Iesus, se iam ad mortem expostulari. Et cur id tribuerent diabolo, nisi quòd à solo diabolo potest venire illud iudicium, quod damnat, & pœnam statuit homini, quem sciunt inauditum adhuc esse, & inexaminatum.

natum. Solus creditur diabolus potuisse putare Iesum ad mortem quæri; vt solus diabolus tale iudicium facit, quo damnet, & mactet hominem inauditum, & cuius error à solis accusatoribus probatur. Et quidem popularis vox non decipit omninô, sed multùm sapit in eo, quod putat, nunquam à Deo, sed à diabolo posse euenire, quòd inauditus homo appareat damnatus. Constantius Imperator petebat à Lucifero Episcopo, vt damnaret D. Athanasium; cui opponit sanctissimus Antistes
Exo. 18. illud Exod. 18. quod dixit Moyses Iethro socero suo, nimirùm: *Venit ad me populus quærens sententiam Dei.* Et qualis hæc responsio Episcopi ad Imperatorem? Fateor, quòd Episcopi esset ferre sententiam Dei; hoc postulabat Imperator, vt Lucifer credens multis alijs Episcopis accusantibus, & damnantibus Athanasium, & ipse illum sententia Dei feriret, & damnaret. Nonne hoc posset præstare iuxta Dei sententiam iudicans Lucifer Episcopus? Absit: accusatus enim erat Athanasius absens, non erat auditus, & ideò iuxta Dei sententiam non poterat damnari, sed iuxta sententiam solius diaboli. Ait ipse
Lucif. sanctissimus Lucifer, lib. 1. pro Athanas. ad Constantium: *Venit ad me, inquit Moyses, populus quærens iudicium â Deo. Igitur si iudicium Dei antistitum tam decet esse iustum, quòd Dei esse dicatur iudicium determinatum, quomodo tu inauditum iubebas damnari â nobis? Itaque hoc tuum præceptum, quod prolatum est â te, non est veniens de lege Dei, sed est planè ex voluntate firmatum diaboli.* Nunquam, mihi crede, Deus patietur, quòd inauditum proximum damnes; non enim rarò contigit, quòd etiam manifestissima crimina, audito eo, qui habebatur reus, vel prorsus euanent, vel multùm minuuntur propter declaratam circumstantiam, ab accusatoribus, vel malitiosè dissimulatam, vel inuincibiliter ignoratam. Vndè non à Deo, sed à diabolo solo potest venire, quòd homo damnetur inauditus. Primi illi pec
Gen. 2. catores, Genes. 2. *Cùm audissent vocẽ Domini Dei ambulantis ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius â facie Domini Dei in medio ligni paradisi, &c.* Quis impulit peccatores fugere à facie venientis iudicis, nisi serpens ille, qui vetitum suaserat cibum? Sanè fugam eis etiam suasit serpens antiquus, non quòd putaret, eos posse latere Deum, sed vt iudicium in eos absentes ferretur, & inauditos; vt iam semper pateret, ex quo auctore veniat, quòd absentes, & inauditi damnationem mortis incurrant. Quo posito sic ad Constantium Imperatorem fatur idem sanctissimus Lucifer, vbi suprà: *Cum* Lucif.
que omnium Christianorũ bono te hoc opus dixeris aggressum, vtique inspecta opera tua, datur intelligi, serpentem te illum esse imitatum; cupiens enim Dei mandatorum fieri transgressores, dedisti præcepta, damnandum esse inauditum, absentem, negandamque esse audientiam purgare posse se de crimine obiecto proclamanti. Expende ab illis. *Inspecta opera tua datur intelligi, serpentem te illum esse, &c.* Quippè prætextus Imperatoris optimus videbatur, proponebatur Ecclesiæ Christianæ pax, & bonum totius Christianitatis, & inter tam nobilem prætextum, tàm sanctum finem, si opera Imperatoris inspiciatur, serpens antiquus in illo habitans apparet, quando iubet absentem, & inauditum damnari. Nullus certè finis, nullus prætextus non ostendit latentem diabolum, vbi inauditus aliquis, qui fortè possit suæ culpæ aliquam excusationem afferre, condemnatur: vt metuant homines pernitiosa iudicia de fratribus facere, & publicare; vt quę soleant venire à diabolo. Pro quo S. Da- Damas.
masus Papa, epist. 6. ait: *Per sapientiam Salomonis dicitur: Antequam scruteris, non reprehendas: intellige priùs, & tunc increpa: antequam audias, non reprehendas.* Et habetur apud Gratianum. 12. quæst. 3. cap. 73. eorum.

Ioan. 7. Respondit Iesus, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem: (non quia ex Moyse est, sed ex Patribus) & in Sabbatho circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in Sabbatho, vt non soluatur lex Moysi: mihi indignamini, quia totum hominem saluum feci in Sabbatho? Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.

§. X.

§. X.

Ad fœlicitatẽ hominis pertinet, quòd prima virtutum eius semina tentationes consequantur.

VNum opus virtutum Iesus facit in Sabbatho, & ecce tibi vniuersi Iudæi turbantur, & in Iesum excitantur: & quanta hæc fœlicitas hominis Christiani, quòd vel in primo virtutis gressu tentationes, & nubila, & tempestates patiatur? Sanè sic florent arua, sic fructificant, sic messes ditantur, nimirùm de nubilis, de tempestatibus, de niuibus, de gelu supra prima semina iactis. Ait Moyses, Deu-
Deut 32 theronom. 32. *Audiat terra verba oris mei. Concrescat in pluuiam doctrina mea; fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.*
Ambr. Legit D. Ambros. amplius: *& sicut nix super fœnum.* Ecce tibi & verbi Dei semen in populorum cordibus inseritur, & illis pluuiæ, & imbres, & niues desiderantur. Cur Moyses diuini verbi sator; virtutum cultor, non magis soles desideras recenti virtutum semini iacto? Cur imbres? Cur niues optas magis? Bonus cultor cordis humani scit idem accidere humanis cordibus, quod agris, quibus rigores nimium prosunt, officiunt Solis radij. Sub Solis temperie præpropere erumpũt seminum caules, luxuriant pampini, & flores arborum; sed qui æstum, aut gelu sustinere nõ valent, sed sub illis euanent. At sub rigoribus niuium detinentur in terra semina, & radices mittunt; viriditas arborum absconditur, sed seruatur, & in ampliores segetes eunt arua. Sic virtutum semina, quæ in nouali cordis humani fauentibus euanescunt auris, sub tentationis asperitate in maiores messes seruantur. Ex quo
Ambr. D. Ambros. lib. 7. in Luc. ait: *Vtinam, Domine Iesu, mẽs mea pluuiæ tuæ humore virescat; vtinam terram meam niuis istius candore respergas, ne præpropero calore corporis arua luxurient, sed potiùs fotu niuali semina verbi cœlestis pressa fœcundent. Nix cùm cadit, aues cœli vbi inhabitent, non habent, & lætior solito tritici prouentus exuberat.* Sub niuali rigore semen & est protectum à cœli auibus, & ita radicatur, vt postmodùm in vberiores segetes exurgat. Fœlix anima, quæ vel in recenti virtutum nixu patitur tentationum niues; equidem inde certiores poterit sperare fructus. Hinc sponsa, Cant. 4.
Cant 4 *Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Sto à sententia eorum, qui putant, vtrumque ventum, & Aquilonem, & Austrum in præsenti vocari ad hortum sponsæ. Quôd Auster vocetur, nulli dubium est, sub huius enim auris lenibus terra incipit emolliri, & flores erumpunt, sic per benignam Spiritus sancti auram incipiunt humana corda specimen præbere virtutum. Benè ergo petitur aduentus Austri, vbi ad flores virtutum præparatur humanus ager. Sed quid cum Austro Aquilo? Aquilonis flatus frigidissimus est, nil nouit nisi hiemes, & niues parturire, sub quibus nil floridum, & succulentum foris apparet, sed tenetur intùs. Cur sponsa Austrum vocat, & Aquilonem simul? Cur non magis sine Aquilone veniat Auster? Scit optimè arua & fœcundari, & conseruari à niuibus: scit ex niuali fotu, ex aspero tentationum mentis campos exurgere in segetes multiplices. Pulchrè ad hæc Cassiodor. *Sciens*
Cassiod. *Dominus, qui est Sponsus, & Redemptor Ecclesiæ, ipsam Ecclesiam persecutionibus multiplicandam, ipsam quodam modo iubet venire persecutionem.* Iubet venire Aquilonem, sub cuius niuibus virtutum semina radicantur, defenduntur ab auibus, & multiplices messes agunt. Ex quo Gilli-
Gillib. bertus Abb. serm. 38. in Cant. ait: *Ergo surgat Aquilo, sæuiat, quantumlibet fremat, dummodo occasionem, & quasi vim præstet flatibus Austri: fortè vbi abundauit Aquilo, superabundauit & Auster.* Semper niualis hiemis rigor fœcundiores auras ad messem verno tempore parit, vt pateat, quàm fœlix ille animus sit, cuius non est virtutum semina facere, quin Aquilonis niues, tentationum rigores patiatur.

§. XI.

Totum, quod homo potest requirere, id in nullo alio, quàm in Iesu habet.

NOn Moyses, non patres, non quiuis alius, sed vnus Iesus totum hominem sanum facit; & Moyses, & Patres circumcisionem inuenerunt, qua primordia hominis sanarentur; sed Iesus nihil reliquit in homine, quod nõ sanaret. Hic

illius

illius titulus ſingularis eſt: *Totum hominem ſaluum feci*: nihil ſaluti aptum reſeruauit, omnia effudit remedia, ne quid ex defectu illius in homine ægrotaret. Hinc Cant. 1. Cantic. 1. *Oleum effuſum nomen tuum*: & quale nomen, niſi nomen ſalutis, nomen Ieſu? Sic putat D. Bernard. & communiter alij Patres: opus habebat homo ſalute, & ſalute magna; diuiniſsimus autem medicus vt ad hominem acceſsit, nihil ſalutis ſibi decreuit reſeruare, ſed omnia effudit ſuper hominem ſalutum vaſa, ne quid hominis maneret non ſanum. Huc ſpe- Philipp. ctans Philippus Abbas, lib. 1. in Cantic. cap. 9. ait: *Qui ſtantibus Angelis plenum miſericordiæ vas propinat, ad medendum in terra ægrotis hominibus vas inclinat: & quod in eo teneri videbatur, manu larga, vel prodiga iam effundit, & multùm miſerandis multam miſericordiam ſuperfundit.* Non erat maior ægritudo, quàm ſeperfuſa ſanitas; multæ miſeriæ multam dedit ſalutem; non decurtauit manum; nō doni menſuram diminuit, ſed larga manu totum effudit vnguentum, vt totus Baſi. Se- appareat homo ſanus. Ait Diu. Baſil. Seleuc. orat. 13. *Sani nihil erat in hominis natura. Vbique idola, Deus inter eos nullibi: ſed vulnera, Chriſti medicinam non erant euictura.* Vanus erit homo, ſi alium reſpiciat quàm Ieſum, in quo vno omnem Prou 5. medelam, omnia bona habet. Prouerb. 5. monebat Salomon: *Cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus; vbera eius inebrient te in omni tempore; in amore eius delectare iugiter. Quare ſeduceris, fili mi, ab aliena, & foueris in ſinu alterius?* Prima huius loci verba ſic legit D. Ambroſ. *Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum conuerſetur tecum. Amicitia autem præcedat te, & vnà ſit tecum in omni tempore.* Et qui ceruus amicitiæ, qui pullus gratiarum, niſi Deus homo Chriſtus, toties ab ſponſa vocatus ſub iſto nomine; Is vnus homo ſit nobis amicus, is nobiſcum moretur, & nos moremur cum illo, in quo ſolo habebimus omnia. Quod pulchrè tractans Amb'r. broſius, lib. 1. de Iacob, cap. 7. inquit: *Nihil aliud quærit perfectus ille, niſi hoc ſolum, & præclarum bonum. Vndè & dicit: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ, & videam delectationem Domini. Neque verò eum tanquam anguſtum, inopemque faſtidias, quia vnius hominis velut ſolitaria ſocietate contentus ſit. Huius enim amicitia circumdatus plurimus eris. Abundat enim huiſmodi viro ad beatitudinem, & ad poſſeſſionē boni, & ideò nihil aliud deſiderat. Nihil enim quaſi nouum expetit, qui omnia habet.* Expende ab illis: *Neque vero eum tanquam anguſtum, &c.* Poterat enim contemni Dauid, vt qui vnum hominem ſolū amabat, & eius cohabitatione, & amicitia contētus erat. Quid anguſtius, quàm vnum ſolum amicum habere, vnico protectore, & familiari gaudere? Sed ille vnus homo expetitus à Dauide, erat Dominus, erat Ieſus, vltra quem non habet, quid deſideret homo: Ieſu amicitia circumdatus plurimus eris; in illo omnibus bonis abundabis; nulla erit ſalus, nullum bonum, quo egeas. Sanè nemo non prædicat Mariam, vt immenſis bonis, & diuitijs pleniſsimam; ſed & illud certum eſt, omnia illa Mariæ bona accepta referri vni Ieſu. Cant. 3. *Ferculum ſibi* Cant. 3. *fecit Rex Salomon de lignis Libani.* Ferculum pacifici Regis Maria eſt, ſed de qua materia accepit, vt tanto ſplēdeſceret ſub munere? Ait *de lignis Libani*, hoc eſt, de mundiſsimis virtutibus Chriſti; non enim de philoſophia, non de Platone, non de Ariſtotele; ſed in vno Ieſu habuit Maria quidquid bonum, quidquid ſplendens exhiberi poteſt in vita. Ait Philipp. Abb. Philipp. lib. 4. in Cant. cap. 5. *Ex lignis Libani aſſerunt ſodales ferculum fabricari, vt rectè videatur opus à materia commendari, quia ſanctitas Virginis ex Chriſti virtutibus eſt compacta.* In vaſtiſsimo illo virtutum, & gratiarum mari, quod fuit Maria, nihil ſplendidum, nihil pretioſum non fuit à Chriſto.

§. XII.

Nunquam non errauit in iudicando, qui ſolas perſonas intuetur.

ET ſuum factum in homine curato die Sabbathi, & Moyſis facta in circumciſis puerulis eodem die curatis proponit Dominus ob oculos Iudæorū; & ſimul monet, ne ſolas intueantur perſonas, niſi velint incidere in errorem. *Nolite iudicare ſecundùm faciem, &c.* Reſpicite ad opera, reſpicite ad verba, ne totus reſpectus feratur ad perſonas; id enim ſolum fit à iudice erroneo. Hinc enim totus error Iudæorum manauit, quòd ſolam viderent perſonam. Exod. 34. dicitur: *Cùmq; deſ-* Exo. 34. *cenderet Moyſes de monte Sinai, tenebat duas*

duas tabulas testimonij, et ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron, et filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere, &c. Expende, quid Israelitæ vident, quid reuereantur in Moyse; an Dei verba scripta? An tabulas testimonij? Minimè ad id attēdisse dicuntur, sed solùm ad splendētem faciem Moysi; vndè factum est, vt semper iudicarent erroneè. Ait D. Ambros. lib. 7. in Luc. cap. 9. *Vidit populus in gloria faciem Moysi, sed velamen accepit, sed in montem non ascendit. Et ideò erranit, quia solum Moysem vidit, Dei verbum simul videre non potuit.* Qui nihil aliud attendit, quàm splendentem faciem Moysi, non Dei verba, non aliquod aliud opus, cur non biberet, vt aquas, errores? Quisquis non errare cupis, caue, ne respicias splendētes personas solas; dissimula, præteri splendentes vultus; respice opera; perpende verba, & liber eris ab errore. Et quidem sanctissimus Iob vbi tot de se errores ab amicis conceptos, & prædicatos audit, non putat, potuisse hoc illis euenire, nisi ex illo vitio, quòd alicuius potentis respicerēt faciem: quippè ait cap. 13. *Numquid Deus indiget vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? Numquid faciem eius accipitis?* Et quidem tot mendacia, tot errores aduersus deiectum, & vilificatum Iobum non possent affingi, nisi ab illo, qui alicuius potentis, respectu alicuius vilis, respiceret faciem? Amici erant Iobi omnes illi, facundi alioquin, & boni viri, qui vbi iudicare voluerunt inter Deum, & Iobum solas personas respicientes, sic verecundati sunt potentissimum Deum, & cōtempserunt Iobum, vt pro victoria tātæ personæ in millia aduersus deiectum descenderent mendacia. Ait Auctor Cat. Græc. *Theodotio interpretatus est. An personam eius accipitis? Hebræus autem dixit, Verecundamini, id est, veremini contra Deum dicere; idcircò ad gratiam loquimini. Cùm enim mea sint vobis minimè ignorata, quædam tamen alia falsò affingitis. Veritatis enim specie assimulata, pro Deo dicitis.* Non Dei amor vos facit sic pro Deo stare, sed acceptio personæ, quando augustissimam eius faciem, amplissimamque potestatem humano more reuerentes, non potestis stare in veritate, sed ad mendacia, & simulationes conuolatis, quasi is sit Deus, cuius causa figmentis debeat agitari.

Ambr.

Iob. 13.

Cat. Gr.

Ioan. 7. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis: Nonne hic est, quem quærunt interficere? Ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid verè cognouerunt Principes, quia hic est Christus? Sed hunc scimus, vndè sit: Christus autem cùm venerit, nemo sciet, vndè sit.

§. XIII.

In Curia nullum studium, nullæ litteræ, nulla sanctitas æstimatur ab aulicis, nisi quæ Regi placet.

IEsu sapiētia, & doctrina, & virtus prout sus cētebatur mirabilis; nihil in illo apparebat, quod non verum Messiā euidētissimè referret. Cur ergo non vt Messias adoratur? Quid in illo requiritis, Iudæi? Nonne potentiam ostendit in virtutibus, sapientiam in doctrina, in vita sanctitatem? Cur hæc videntes, & fatentes, adhuc inquiritis, vtrum Principes illum Christum iudicauerint? Sanè Hierosolymitani erant isti, & curiales, imò & aulici, quibus nulla virtus, nulla sapiētia, nulla gratia probatur, æstimatur, nisi quæ Regi placet: quippè ait textus: *Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis: Nonne hic est, quem quærunt interficere? Ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt? Numquid verè cognouerunt Principes, quia hic est Christus?* Quid temporalius? Potentiam Iesu prædicant, qua rabidè petitus ad mortem, secutus, & intrepidus agit inter hostes, & tamen illum non adorant, sed Principum iudicium de illo explorāt. Proh miseram curialium conditionem, etiam in Deo, & virtute æstimanda Regi gerētem morem! Ad hæc Diu. Chrysost. hom. 49. in Ioan. *Cur ex Hierosolymitanis dixit? Vt ostenderet Euangelista, quòd qui multa, & magna videbant miracula, hi miserabiliores erant. Qui maximum Diuinitatis signum acceperant, perditorum Principum iudicium sequebantur.* Equidem non otiosè ponuntur hic Hierosolymitani, sed vt explicentur curialium, aulicorumque

Chrysost.

mores, qui euidentiſsimis virtutibus viſis, adhuc iudicium Regis de illis explorant, id ſolùm æſtimantes bonum, quod eſt Regi conforme. Notiſsima eſt hiſtoria aulici Pincernæ; is dum eſſet in carcere, nactus Ioſephum ſomnij interpretem, auſpiciũ cæpit ſuæ in Regis gratiam reſtitutionis. Quid plura? Reſtitutus in aulam eſt, vidit euidentiſsima prophetici ſpiritus in Ioſepho exiſtentis ſigna; nil tamen de illo, nec pro illo locutus eſt. Tandem dum Rex ſomniat, nec eſt, qui regij ſomnij afferat explicationem, iam putans interpretem ſuum Regi placiturum, ſic loquitur Gen. 41. *Confiteor peccatum meum: Iratus Rex ſeruis ſuis, me, et magiſtrum piſtorum retrudi iuſſit in carcerem principis militum; vbi vna nocte vterque vidimus ſomnium, præſagium futurorum. Erat ibi puer Hebræus eiuſdem ducis militum famulus, cui narrantes ſomnia audiuimus, quidquid poſteà rei probauit euentus, &c.* Sanè notiſsimus fuerat ſpiritus propheticus Ioſephi Pincernæ iſti, & tamen per totum biennium nihil de illo fatur, nũc autem illum prædicat, & extollit, & ſe peccaſſe in tanto ſilentio fatetur. Cur hæc modò? An ex animi gratitudine erga benefactorẽ ſuũ? An ex pœnitentia ingratiſsimæ obliuionis ſuæ? Minimè; ſed ex eo, quòd exploratum habet, illum Ioſephi ſpiritum modò poſſe Regi probari. Pulchrè D. Ambr. lib. de Ioſeph, cap. 7. ait de hoc Pincerna. *Beneficij auctorem oblitus eſt diu: aliquando tamen, vt Regi prouideret interpretem, non quaſi gratus, ſed quaſi callidus intimauit ſeriem rei geſtæ.* Huc ſolùm ſpectant omnia curialium ſtudia, vt Regis nutum ſequantur, eiuſque venẽtur gratiam: nec ſapientiam, nec prophetiam, nec miracula, nec virtutes æſtimãt, niſi quæ, & quando videntur Regi poſſe accidere grata. Quidquid loquuntur bonum, quidquid admittunt religioſum, & prædicant, non id faciunt ex prudentia vera, ſed ex calliditate ad fauorem regium venandũ. Hinc eſt, quòd cupiens Rex Achab capere Ramoth Galaad. 3. Reg. 22. *Congregauit Rex Iſrael Prophetas quadringentos circiter viros, et ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quieſcere? Qui reſponderunt: Aſcende, et dabit eam Dominus in manu Regis.* Ecce tibi, quadringenti viri, qui habebantur Prophetæ, vnanimiter bellum Achabi Regis proſperum, & Deo gratum prædicant, quod falſum fuiſſe rei monſtrauit euentus. Sed vndè tot viri, nimirum quadringenti ſic vnanimiter concurrere, vt falſum annũtiarent pro vero? Non prophetabant ex Dei ſpiritu, ſed ex proprio; palatini autem omnes proprium ſpiritum ſequentes nihil aliud ſpectant, niſi quod gratum putant Regi. Vndè Philippus Abbas, lib. 4. in Cant. cap. 29. *Prophetæ, qui merentur vera, et vtilia non videre, prophetant ſuo ſpiritu, quidquid Regi nouerunt complacere. Seducti ergo illi ſeducunt Achab.* Hic eſt proprius ſpiritus Prophetarum curialium, quòd ſolùm æſtimẽt, & prædicent, quod ſciunt gratum Regi. Et mirum erit, ſi in curia vel vnus inueniatur Propheta, adeò ſpiritus diuini plenus, qui non vereatur prædicare Regi moleſta. 1. Reg. cap. 15. de Samuele annuntiatu ro mala Sauli, dicitur: *Ait autem Samuel ad Saul: ſine me, & indicabo tibi, quæ locutus ſit ad me Dominus nocte.* Expende illud, *ſine me*, quaſi teneretur regio conſpectu, regijque ſupercilij metu, ne poſſet dicere, quæ erãt triſtia Regi. Ibi Procopius in Gloſſa: *Quamquam Propheta ſit, tamen Regem allocuturus liberè, copiam loquendi petit.* Totus diuini ſpiritus halitus, quaſi hærebat in Prophera, vbi triſtia renuntiãda erant Regi; nec audet tantus Vates ea fari, niſi petita priùs, & obtenta copia loquẽdi. Non ſolùm ſit Propheta, ſed & homine exuat, neceſſum eſt ille, qui velit triſtia dicere Regibus. Ionæ cap. 3. *Cæpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, et clamauit, et dixit: Et peruenit verbum ad Regem Niniuæ, &c.* Peruenit verbum, hoc eſt, iuxta aliquorum interpretationẽ, peruenit ipſe Ionas, faciens verbum euerſionis Regi: quod putans Diu. Ephræm in præſenti fatur: *Non pertimeſcit Ionas ad Regem properare, et ei ſuos morbos aperire. Non veretur vel ipſi auſteritatis pharmacũ propinare.* Et cur, cùm de eodem Iona introeunte ciuitatem, & Regis aulam locutus, vbi de ciuitatis introitu loquitur, dicit; *Cæpit Ionas introire*: verùm de introitu ad Regem, ſolùm dicit: *Peruenit verbũ ad Regem.* Sanè qui Regi dura nuntiaret, ſic hominem exuerat, vt nihil in illo hominis appareret, niſi verbum tantùm. Et quis auſus eſt Herodi Regi ſcelus coram carpere, niſi ille, qui de ſe aiebat: *Ego vox clamantis in deſerto?* Quòd ſi aliquid hominis in te manet, præter vocem, difficilè non geres morem Regi.

Gen. 41.

Ambr.

1. Reg. 22.

Philip.

1. Reg. 15.

Procop.

Ion. 3.

Ephr.

§. XIIII.

§. XIIII.

Diuinitatis notio inde sumitur, quòd abscondita sit humanæ cognitioni.

CHristi diuinitatem satis ostendunt illæ voces horum Hierosolymitarum, nimirùm, *Christus autem cùm venerit, nemo scit, vndè sit*: tantum non dixere, Christus cùm venerit, Deus ostendetur, quãdo diuinitatis notio ea est manifestissima, quòd sese prophanorum eripiat oculis, imò & dilatorum superet præsumptuosam indagationem. Pro quo aiebat Ar-
Arnob. nob. lib. 3. contra gent. *Vnus est hominis intellectus de Dei natura certißimus, si scias, & sentias, nihil de illo posse mortali oratione depromi.* Quis credat Deum, cuius perfectiones & lingua, & oculi humani metiuntur? Ille satiùs Deum ostendit, qui ineffabilem, & inexplicabilem monstrat. Ad Christum Dominũ aiebat Isaias, cap.
Isai 45. 45. *Tantùm in te est Deus, et non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator.* Vbi Deus absconditus dicitur, legunt Septuag. *Deus, & nesciebamus*: quasi ex nullo magis clareret Dei notio, quàm si ab hominibus nesciatur, & illis possit occultari. Hinc Paulus, Act. 17.
Act. 17. dicit Athenienſibus: *Prætereins vidi simulacra vestra, inueni & aram, in qua scriptũ erat. IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* Vbi
Chrysost. Chrysost. legit: *Quem igitur ignorantes bene colitis, hunc ego annuntio vobis.* Expende illud, *benè colitis*: & quomodo Iesus dici potest benè ab Athenienſibus coli sub titulo ignorati, & incogniti Dei, nisi hæc esset propriſsima diuinitatis Iesu notio, quòd se subtrahat infirmis hominum oculis? Ad hæc aiebat Arnob. lib. 1. cont. Gẽt.
Arnob. loquens cum Deo: *Vt intelligaris, tacendum est, atque vt per vmbrã te possit errans inuestigare suspicio, nihil est omnino mutiẽdum. Da veniam, Rex summe, tuos persequentibus famulos: et (quod tuæ benignitatis est proprium) fugientibus ignosce tui nominis, et religionis cultum. Non est mirum, si ignoraris; maioris est admirationis, si sciaris.* Et quidem & sanctè, & sapienter sentiũt de altitudine Dei. Et adhuc dicit eodem libro: *Derideatis, licèt ex more, atque in lasciuiam dissoluamini cachinnorum, Iesus Deus sublimis fuit, Deus radice ab intima, Deus ab incognitis regnis*: quasi ea non vulgaris Dei notio sit, quòd incognitum quid præseferat.

Ioan. 7. Clamabat ergo docens in templo Iesus, & dicens: Et me scitis: & vndè sim, scitis, & à me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum: & si dixero, quia nescio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit. Quærebant ergo, &c.

§. XV.

Dei ignoratio in crimen, imò & in supplicium vt vocatur.

ECce vobis iratus Dominus, & in clamores exurgens, quale crimen obijcit Hierosolymitanis: *Est verus, qui misit me, quem vos nescitis.* Magnum quidem scelus est hominum, qui inter Dei opera, & miracula nutriti sunt, Dei, diuinarumque perfectionum esse prorsus ignaros. Nec puto tantum hoc nefas inultum manere, præcipuè cùm Minutius Fœlix lo- *Minut. Fœlix.*
quens de pœnis inferni in Octauio fateatur: *Pœnale illud incendium non damnis ardentium patitur, sed inexcessa corporum laceratione nutritur: eos autem meritò torqueri, qui Deum nesciunt, vt impios, vt iniustos, nisi prophanus, nemo deliberat: cùm Parentem omnium, & omnium Dominum non minoris sceleris sit ignorare, quàm lædere.* A quo creati sumus Parente, in quo viuimus, mouemur, & sumus, & sine quo nihil perficere possumus, quis impunè ignoret? Quis absque magno piaculo, imò & supplicio despiciat Parẽtem omnium, & omnium Dominum noscere, eiusque excellentias frequenter meditari? Ait Isaias, capit. 1. *Cognouit bos possessorem* *Isai. 1.*
suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognouit, et populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, abalienati

sunt retrorsum? Super quo percutiam vos vltra, addentes prævaricationem? Omne caput languidum, omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus, & liuor, & plaga tumens, &c. Quæ scelera, quæ strages, quæ mortes non afficiunt, & perdunt miserum populum? Sanè eius concludat perditionem; factus est populus ille & scelere, & supplicio, *quasi Sodoma, & Gomorrha.* Et vndè ad tàm miserabilem peruenit statum? Ipse Propheta indigitabat, dicens: *Israel autem me non cognouit, populus meus non intellexit.* Ex quo Parentem omnium, & omnium Dominum Deum despexit cognoscere populus, nihil mali est, nil sceleris, nil plagæ, quod in illo non videatur; illum passim pessundant, & libidines Sodomæ, & flammæ. Pro quo fatur Procopius in cap. 2. Isaiæ: *Ait enim Isaias; Israel autem me non cognouit, & populus me non intellexit. Quo fit, vt populus Gomorrhæ, Sodomorumque Principes euaserint.* Hanc putat bonus iste auctor sufficientem causam, quæ posit & fulmina, & sulphureas flammas, & omnigena mala trahere; si nimirum Dominus Deus noster non cognoscatur. Et ab hac penè Dei ignoratione crediderim prouenire scelestissimos illos, & barbarissimos mores, qui grassantur in non parua parte populi Christiani. Nihil enim boni quæras in eis, in quibus aut nulla, aut parua cognitio Dei est. Oseas cap. 4. *Audite verbum Domini, filij Israel, quia iudicium Domini cũ habitatoribus terræ. Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Domini in terra.* Propone tibi ob oculos vniuersam terram, & vix in aliquo apparet veritas; mendacium, & fallacia vbique prævalet; in raro appret opus dignum diuina misericordia, sed omnia fulminantem Dei iustitiam excitant; vndè hæc mala? *Et non est scientia Dei in terra;* vix ex millibus dabis vnum ex nobilibus, ex diuitibus, ex inprisprudentibus, qui det operam cognoscendo Deo, qui non parui æstimet Dei cognitionem; qui ergo sic despiciunt nosse Deum, cur & veritatis, & misericordiæ non destituantur bonis? Theodoretus in præsenti ait: *Veritate, inquit Oseas, & misericordia priuamini, Dei notione destituti.* Quando vos non multũ curatis Deum noscere, nil mirum, quòd tradamini mendacijs, imò & tradamini seueriss imo, & absque misericordia iudicio Dei. Is enim est Deus, qui dicat, Oseæ capit. 6. *Volui scientiam Dei plusquam holocausta:* quippè agnitio Dei saporat, & condit alias omnes virtutes, adeò vt sine illa propè nihil illæ sint apud Deum. Rẽ pulchrè tractat Lactantius, lib. 6. de vero cultu, cap. 9. *Huius legis caput est, primum ipsum Deum nosse, illi obtemperare, solũ colere. Non potest enim rationem hominis obtinere, qui parentem animæ suæ Deum nescit, quod est summum nefas.* Et quia sibi obiecerat, posse esse homines moraliter bonos, qui Deum non norint, addit statim: *Putemus fieri posse, vt aliquis naturali, & ingenito bono veras virtutes capiat: qualem fuisse Simonem Athenis accepimus, qui & egentibus stipem dedit, & pauperes inuitauit, & nudos induit. Tamen cùm illud vnum, quod est maximum, deest, agnitio Dei, iam illa bona omnia superuacua sunt & inania, vt frustrà in ijs assequendis laborauerit. Omnis enim iustitia eius similis est humano corpori caput non habenti: in quo tametsi membra omnia, et locis suis constent, et figura, & habitudine, tamen quoniam deest id, quod est omnium principale, et vita, et omni sensu caret. Itaque membra illa formam tantummodo membrorum habent, vsum nõ habent: tàm scilicet, quàm caput sine corpore; cui similis est, qui cùm Deum non ignoret, viuit iniustè. Id enim solum habet, quòd est summum, sed frustrà, quoniam virtutibus, tamquam membris caret. Itaque vt sit viuum, et sensibile corpus, et agnitio Dei necessaria est, tamquam caput, et omnes virtutes, quasi corpus. Ita fiet homo perfectus, ac viuus. Sed tamẽ summa omnis in capite est, quòd quamuis constare non possit sine omnibus, sine quibusdam tamen potest. Et erit quoddam animal vitiosum ac debile, sed tamen viuet, sicut et is, qui Deum nouit, et in aliquare peccat. Dat enim veniam peccati Deus.* Quid pulchrius? Agnitio Dei etiam peccatori proficit ad obtinendam veniam; qui autem Deum minimè nosci, est quasi sine capite corpus, & non faciet, vndè veniam efficaciter obtinere possit.

Procop.

Ose. 4.

Theodt.

Ose. 6.

Lact.

Ioan. 7. Miserunt Principes, & Pharisæi ministos, vt apprehenderent Iesum. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me.

§. XVI.

§. XVI.

Famulorum discrimina, qui subeat, vnus Dominus Deus adest: mundiales enim domini, & principes, quidquid discriminis est in proprijs seruandis lucris, in famulos reijciunt.

QVando non semel Iesus furentium hostium manus reliquit inanes, res erat discriminis, & verecundiæ, in illum iterùm manus inijcere, tētare; quare Principes Iudæorum metuentes sibi à Iesu, ministros mittunt ad cōprehendendum illum. Et quando mundiales Principes in famulos non remittunt, quidquid discriminis est in adimplēdis proprijs cupidinibus? Pulchrè ad hæc aiebat Theophylactus in præsenti: *Miserunt autem, sed non ipsi venerunt, metuentes turbam, ne tumultuarentur: & propterea ministros mittunt, seipsos subducentes, ne quid periculi suboriretur, illos autem furori populi exponentes.* Hic est genius mundialium principum, mundialium dominorum, qui famulos hostilibus furoribus, & ingruētibus periculis exponunt, & vt ipsi vel libitū perficiant, vel lucra acquirant, se subducentes labori, nulli parcunt famulorum discrimini. Obuiantem Esau cum quadringentis armatis viris timuit Iacob. Quid tunc? Ait Gen. 33. *Diuisitque filios Liæ, & Rachel, ambarumque famularum: & posuit vtramque ancillam, et liberos earum in principio, Liam verò, & filios eius secundo loco, Rachel autem, et Ioseph nouissimos.* Ecce tibi, vbi constituuntur famulæ in phalangis fronte; vt primæ exciperēt hostiles impetus, & Iacob de famulorum sanguine dilectis filijs pararet salutem. Hostium furori exponuntur famuli, discrimina subeunt, proprio corpore frangunt hostiles iras, vt mundialis princeps quietus viuat; vnus enim est verus Dominus Deus noster, qui famulorum ipse subit discrimina, illorumque subit pœnas, vt illi quiescant, & triumphent. Hinc apud Matth. cap. 11. clamabat Dominus: *Omnia tradita sunt mihi à Patre meo. Et nemo nouit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis nouit, nisi Filius, et cui voluerit Filius reuelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, et ego reficiam vos.* Ex quo omnia sibi accepit à Patre, in suumque reduxit famulatum, quid egit? An nos hostibus, vulneribus exposuit, vt de famulorum sanguine regna sibi instauraret? Absit; non is est spiritus veri Domini, quin potiùs sic se exponit laboribus, vt nullum famulū permittat laborare; sic se telis hostilibus exponit, vt famuli vix aliud, quàm quietem experiantur. Aiebat D. Athan. homil. in hæc verba: *Ad emendationem autem tradi illi omnia decuit, vt homo fieret, & in ipso omnia renouarentur: eo enim ipso, quòd homo erat, humanitas nostra viuificabatur. Nam ideò coniunctum est Verbum homini, ne maledictio vlterius vim suam in hominibus haberet. Istud enim etiam ipse significans, dixit in Psalmo. 87. In me confirmatus, defixusque est furor tuus; siquidem irā aduersus nos conceptam ipse gestauit.* Ipse, ipse Dominus pro seruis se obiecit, & in se inimica excepit iacula, ne nisi confracta, & remissa ad seruulos penetrarēt. De differentia inter seruos Dei, & mundialiū principum multa, & pulchra habes passim, præcipuè 1. tom. lib. 2. cap. 8. §. 9. & lib. 3. cap. 5. §. 4. & §. 16. & sæpè aliàs.

Theoph. Gen. 33. Matt. 11 Athan.

§. XVII.

Ægrè, & difficulter adducitur Iesus, vt etiam mille iniurijs repulsus, ab hominibus abscedat.

HOstibus suis, & persecutoribus eum à mundo eliminare cupiētibus, quale responsum præbet Iesus? Ioan. ait *Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum.* Quid ais, Domine, cum ijs, qui te ad mortem petūt, adhuc morari vis, adhuc cum illis esse satagis? Cur non magis fugis? Cur non magis illos relinquis, & abis? Is est Dominus, qui nec iniurijs petitus ab hominibus abscedere amat, sed illorum saluti cupit instare. Ex illius ore fatur in præsenti Theophylactus: *Etiam si persecuti fueritis, etiam si abnegaritis, ego adhuc vobiscum sum; hoc est, pro vobis curam gero, & loquor ea, quæ ad salutem vestram spectant.* Non iactatæ iniuriæ, non persecutiones tantum possunt, vt Iesum valeant prorsus fugare; qui vel iniuriatorum, vel persecutorum saluti instat procurandæ. Paul. 1. ad Cor. 10. ait. *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri*

Theoph.

omnes ſub nube fuerunt, et omnes mare trāſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari: & omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducauerunt, eumdem potum ſpiritalem biberunt: (bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus) ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo, nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt, neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis: Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, et ceciderunt vna die viginti tria millia. Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt, et à ſerpentibus perierunt. Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, &c. Quis populus ſic in Deum rebellis, & impius dari potuit? Populus ſanè fuit in deſerto concupiſcentiâ plenus, idololatria infamis, Deo rebellis, fornicator, Dei tentator, querulus, murmurator, & inter tot iniurias Deo illatas, illud maxima admiratione notandum venit, quòd *bibebant de ſpiritali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus*. Illi concupiſcebant, idolis immolabant, fornicabantur, Deum tentabant, murmurabant; & petra Chriſtus illos adhuc expectabat, imò illos in via ſequebatur, comitabatur. Neque iniurijs, neque murmurationibus fugabatur Ieſus, ſed adhuc illorum ſaluti acquirendæ incumbebat. Diu. Ambroſ. in Pſalm. 36. ait: *Illos igitur querulos, illos murmurantes, illos præuaricantes, tamen non deſerebat Dominus, ſed ſequebatur*. Quaſi nulla iniuria accepta, potuiſſet Deus dimoueri à ſalute hominum quærenda, ſic adhuc inter iniuriatores, inter rabidiſsimos perſecutores degit. Non aliter Exod. 32. vbi Iſraelitæ vitulo ſacrificia parabant, ait Dominus Moyſi: *Vade, deſcende, peccauit populus tuus, quem eduxiſti de Ægypto. Receſſerunt citò de via, quam oſtendiſti eis, feceruntque ſibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hoſtias dixerunt, iſti ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Rurſumque ait Dominus ad Moyſem: Cerno, quòd populus iſte duræ ceruicis ſit, dimitte me, vt iraſcatur furor meus, &c.* Expēde illud, *dimitte me*; iniurias ſibi inferri videt, audit blaſphemias contra ſe iaculari, & non abſcedit iratus, ſed moras nectit, & quaſi minimè cupiat abire, ſic rogat dimitti. Quid rogas, Domine, dimitti? Cur non magis abſcedis? Cur & moras, & impedimenta non abrumpis? Non ſic facilè Dominus abſcedit ab homine ſuo, etiam iniurijs, vel ipſis calcibus impulſus adhuc moratur, nec amat à ſalutis opere deſiſtere. D. Cyrill. Hieroſol. Cathec. 2. *Etiam ſi vniuerſus populus peccet, non ſuperabit diuinam benignitatem. Vitulum populus fabricauerat, ſed non deſtitit Dominus Deus à benignitate: Neganerunt Deum homines, ſed Deus ſe ipſum non neganit. Iſti ſun. Dij tui Iſrael, et tamen pro more ſuo Deus ſeruabat illos.* Is eſt Deus, qui vel fuſtibus, vel calcibus eiectus, adhuc moretur, & inſtet procurandæ eijcientium ſaluti.

Amb.

Exod 32

Cyril. Hieroſ.

§. XVIII.

Homines neque ad modicum poſſunt eſſe, niſi cum eo, qui ſciat peccata dimittere.

NOn ſolùm promittit Ieſus, ſe ad modicum tempus adfuturū Iudæis, ſed inſuper addit illa, *Et vado ad Patrē*, ſcienter innuens, nunquā non poſſe non eſſe moleſtiſsimam, & incomportabilem hominibus præſentiam illius, qui ſemper iudicem, & nunquam patrem oſtendat; qui ſemper vlciſci, & nunquam ſciat dimittere. Et quis hominum ferat, vel ad modicum ſecum eſſe illum, qui nunquam patrem exhibeat? Exod. 33. Deus promittit Moyſi, quòd ipſe mittet Angelum ſuum, qui ducat populum, & introducat eum in terram promiſsionis, & ſit ibi cum illo. Cui Moyſes reſpondit: *Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto.* Cur Moyſes non contentus eſt cum Angelo ductore, & aſsiſtente populo ſuo? Cur Angeli præſentiam, & ducatum refugit, nec vult gradum facere, niſi ducat, & adſit Deus ipſe? Equidem in Angelo non nouit patrem, nec poteſtatem dimittendi delicta, ſed vindices iras vidit: at in Deo nouit patrem, nouit affectum paternum potentem peccata dimittere; & putauit intolerabile, & omninò moleſtum humano populo, vel ad momentum eſſe, vel gradum facere cum eo, qui ſemper iudicem, & nunquam patrem in peccatis dimittēdis exhibeat. Ait Procopius in cap. 6. Iſaiæ: *Quamobrem Angelus diſplicet? Quia nimirùm ſceleratus populus peccatorum remiſsione, quam Angeli præſtare nequeunt, opus haberet. Peccata enim vlciſci quidem,*

Procop.

quidem, sed non item possunt remittere. Vndè & alium superiùs, quem mitteret, verum illum scilicet legislatorem, qui vnus potest salutem dare, vnus item peccata remittere, proferendum dicebat. Quid facerent peccatores homines cum solo scelerum vindice? Fallar, si vel ad modicum possent viuere, nisi sub eo, qui & patrem sciat ostendere, & peccata possit parernè dimittere. Perit homo cum vindicante; æstimat esse cum eo, qui misericordiam nouerit impertiri. Iacob filij vbi nouêrunt, se apud Patrem de crimine pessimo accusatos, Ioseph um accusatorem vêdunt Ismaelitis, ait enim Genes. 37. *Vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis.* In Euangelio venditur Iesus triginta; quippê ait Matthæus, cap. 26. *At illi constituerunt ei triginta argenteos.* In vtraque venditione vendebatur Christus, in Genesi vendebatur in typo; in Euangelio vendebatur in veritate. Cur ergo quando vna in vtroque spectatur venditio, tantum est in pretio discrimen? Cur illi vendunt viginti; hi autem emunt triginta? Illi vendebant scelerum vindicem, hi autem emebant Redemptorem, & vt vendatur, & alienetur scelerum vindex, nullam patiuntur moram, sed vel vili pretio illum abjciunt; vt autem habeatur ille, qui scit peccata dimittere, nulli pretio parcitur, vel maximo pretio illum habere festinant. Quò spectans Diu. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto, inquit: *Viginti aureis in veteri testamento venditur, triginta in Euangelio. Pretiosior enim typo veritas, largior gratia, quàm disciplina.* Et quidem disciplinæ rigorem quis peccator sustineat? Vt mercator inutiles sibi, & periculosas merces se cum morari non definit, sed vel vilissimo accepto pretio illas à se abjicere festinat. Sic qui Ioseph um typum Christi vindicis, & accusatoris vendebant, nec ad modicum secum morari permittunt, sed vili accepto pretio, illum à se abijciunt, & tradunt Israelitis. At qui Redemptorem peccatorum emebant, nulli pretio parcunt, vt mundo acquirant illum, qui peccata sciat, & velit remittere.

Gen. 37.

Matt. 26

Ambr.

§. XIX.

Qualis fuerit vita Christiani, talis & mors erit,

NOn pauci interpretes expêdũt, quòd loquens Iesus de abitione, per mortê post tempus futuram, nihilominùs de præsenti loquatur, dicens: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me.* Non ait, & ibo, sed *& vado*: quasi præsentis vitæ gressus ijdem essent, ac gressus mortis futuræ, nec in nullo possent distingui. Et quidem sapientissimè id est dictum; vitæ enim præsentis gressus, aut ijdem, aut similes sunt gressibus mortis futuræ; qualis graderis in vita, talis prorsus gradieris in ipso mortis puncto; nunc in præsenti ostendis gressus, quos habebis etiam moribundus. Canticor. 2. ait de se Dominus: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Et quòd mireris magis, id referunt multi expositores Christo Domino, quando in Caluarij monte crucis stipiti apparuit affixus. Tunc Iesus verus flos apparuit, tunc maximè in se & pulchritudinem, & naturam floris monstrauit. Quid tunc Christo, & flori? De Iesu crucifixo audio Matth. cap. 26. *Iesus autem iterùm clamans voce magna emisit spiritum. Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Quid hæc ad naturam floris? Multum per omnem modum; floris enim natura est, eumdem semper vel in ipsa succisione seruare odorem. Sic Iesus, qualis fuit in vita: talis prorsus ostenditur in morte; in vita scripturarum velamina explicabat, terrenos animos, saxea peccatorum corda percutiebat; monumêta aperiebat; vitam defunctis præstabat. Nonne id prorsus facit & moriens, dum templi velum scinditur, dum terra quatitur, rumpuntur saxa, & vita defunctis communicatur? Hoc facit etiam Christus in suis Christianis, qualis fueris in vita, talis prorsus in morte esse monstraueris. D. Ambros. lib. 2. de Spirit. sanct. cap. 5. ait: *Flos odorem suum seruat succisus, & contritus accumulat, nec auulsus amittit. Ita & Dominus Iesus in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec auulsus euanuit, sed illa lanceæ punctione succi-*

Cant. 2.

Matt. 26

Ambr.

ſucciſus, ſacroſpecioſior fuſi coloris cruore vernauit, mori ipſe neſciens, & mortuis æternæ vitæ munus exhalans. Quos ſpargebat odores in vita Chriſtus, quas vitas halabat, eas & in morte halat; verus campi flos, qui & ſucciſus prorſus ſui ſimilis extitit, prout in viuida radice vernabat. Quã verè hoc accidit Chriſtianis? Rarus inuenitur in morte diſſimilis ſui, prout in vita fuit: quales viuunt, tales moriuntur ferè omnes homines. Vitæ greſſus, mortis egreſſus ſimiles penè infalibiliter futuros
Pſal.89. deſignant. Pſalm.89. *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui.* Vbi noſter, & Septuag. poſuerunt, *ſæculum noſtrum*: po-
Hieron. nit Diu. Hieron. in epiſt. ad Cyprianum, *negligentias noſtras*: & quinta editio legit: *adoleſcentiam noſtram.* Et miratur Hieronymus, quòd pro erroribus adoleſcentiæ poſitum fuerit ſæculum à Vulgata, & Septuaginta. Cur vbi legendum erat de erroribus adoleſcentiæ, maluit noſter legere, ſæculum noſtum? Equidem in adoleſcentia clarè oſtenditur totum ſæculum hominis, totius vitæ noſtræ monſtratur curriculus; qualis enim fuerit quis in vita, qualis adoleuerit, talis inuenietur eſſe vel in ipſius vitæ conſummatione.
Hugo. Quò ſpectans Hugo Cardinalis allatus à noſtro Magallanes, cap. 1. Iudicũ, ſect. 1. annotat. 6. inquit: *Rarò videmus, quempiam benè mori, qui malè vixerit. Num leonem vidiſti aliquando ouina cauda præditum? Fallitur adoleſcens, qui ætatis ſuæ flore confiſus effuſam ſequitur peccandi licentiam.* Planè nullum animal & in cauda, & in capite non eſt ſui ſimile; & penè vllus homo eſt, qui non aſsimiletur ſibi,
Iob. 20. & in morte, & in vita. Vndè Iob de homine impio locutus, cap. 20. *Oſſa eius implebuntur vitijs adoloſcentiæ eius, & cum eo*
Septua. *in puluere dormient.* Septuag. breuiùs dixerunt: *Oſſa eius impleta ſunt iuuentute eius*: quaſi nihil aliud appareat in homine iam moribundo, iam in oſſa, & puluerem redigendo, quàm id quod apparuit in eodem iuuene, & adoleſcente. Erit homo iam magis cadauer, quàm corpus; erit oſſium congeriei proximus; & illa ipſa mortis moles oſſea in affectibus, in cupiditatibus prorſus ſibi ſimilis erit, prout erat in iuuẽtutis flore. Tota illa iuuentus effrænis occupabit ipſum exitum mortis. Proponite vobis ob oculos diuitem illum purpuratum, de quo Lucas, cap. 16. iam erat ſub falce mortis, imò iam erat demeſſus à morte, & quid tunc cogitat? Quid tunc petit? *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Cur, miſer, de Lazari guttulis vis impleri? Cur non magis vel in mortis tormento conſtitutus, ſatagis de tuis bonis pauperes, & Lazarum implere? Cur nõ magis agis cum Abraham de tua ſubſtantia eroganda pauperibus? Diues miſer non potuit eſſe ſui diſſimilis vel in morte: ea eſt vita diuitum, vt de ſubſtantiolis pauperum ipſi ditentur; & ea debuit eſſe diuitis mors, vt etiam velit tunc de pauperis guttulis impleri. Necnon & de Moyſe mortuo dicitur, Deut heronon. 34. *Et non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem.* Cur Moyſes mortuus ſic abſconditus eſt ab oculis omnium viuentium? Putabatur ſuperfluum, quòd videretur mortuus ille, qui viuus patentiſsimus omnibus fuit; cuius enim vita patet, & mors etiam patens eſt, quæ nequit eſſe vitæ diſsimilis. Vndè aiebat D. Ambroſ. Ambr.
lib. 1. de Abel, cap. 2. *Nemo ergo ſcit ſepulturam Moyſis, quia vitam eius omnes nouerunt*: & iam ex vita cognita poterant elicere, qualis erat futurus vel in ſepulchro.

Luc. 16.

Deut. 34.

Ioan. 7. Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego ſum, vos non poteſtis venire. Dixerunt ergo Iudæi ad ſemetipſos: Quò hic iturus eſt, quia non inueniemus eum; Numquid in diſperſionem gentium iturus eſt, & docturus gentes? Quis eſt hic ſermo, quem dixit: Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego ſum, vos non poteſtis venire?

§. XX.

Ieſus poſt mortis plagam, vt perfidis occultior, ſic patentior fidelibus, & amabilior.

VBi per mortem crucis ſeſe Dominus ad Patrem recepit, quis illò ibit? Quis, etſi quærat, inueniet? Ait ipſe: *Vado ad Patrem meum. Quæretis me, & non inuenie-*

nenietis; vbi ego sum, vos non potestis venire. Sic omnibus eripit Christum mors inimica? Absit; ad perfidos Iudæos hæc solùm dicũtur, quibus sanè, vt per mortem crucis magis occultatur Iesus, sic fidelibus clarior apparet, & amabilior. Clamabant Iudæi, Matth. 27. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Sic petunt sanguinem Christi, quasi gladium petant, sub quo necessum sit illos perire. Sed Ioann. Apocal. 1. ait: *Qui dilexit nos, et lauit nos â peccatis nostris in sanguine suo.* Ecce eadem Christi mors, idem sanguis illis accidit vt gladius, nobis vt lauacrum lucidissimum. Illi sanguinem Iesu desuper venientem, vt malum imprecantur; nos præ manibus habemus illum, quo lauemur, & acuamus lumina. Vndè hæc differẽtia oritur, nisi ex eo, quòd perfidi illi, nos fideles sumus? Et quidem mors, & sanguis Christi, vt fugit perfidos, sic fideles diligit: vt perfidis Iesum occultiorem, & difficiliorem reddit, sic fidelibus illum & manifestiorem reddit, & magis benignum. Chrysost. Accipite Diu. Chrysostomum, homil. de cruce, & latrone, fantem: *Sanguis Christi illis ad mortem, nobis ad vitam. Non est enim sanguis Christi deterior Babylonio igne. Ille scit Sanctorum in camino honorare corpora, et Chaldæos comburere, quantò magis sanguis ille pretiosissimus scit perdere incredulos, et saluare fideles? Decuit enim splendorem crucis obcæcare infideles, & illuminare credentes: sola enim Christi crux est, quæ dissoluit tenebras, & regnum dæmonum dissipauit; crux nobis Sol iustitiæ facta est.* Ecce tibi à cruce Christi & mors, & vita, & caligo oritur, & lux Solis fulgẽtissima. Nobis credentibus lumina indidit, imò lumen præfert, quo agnoscamus, & videamus, & teneamus Dei Filium; perfidis autem, & rebellibus crucis occasione & maior cæcitas, & densiores tenebræ oriuntur, sub quibus omni bono vacuati dispereant. Et quidem Babylonius ignis fidelibus puris Filij Dei societatem clariorem dedit; perfidos Chaldæos in cineres redegit. Cur crux Christi eadem non præstet? Babylonico camino præstantior est Saluatoris crux; si sapis, si rectè mores tuos composueris; si auratas mundi imagines repueris, à Saluatoris cruce, & morte, mille tibi Soles fulgebunt, qui Filium Dei tibi demonstrent, & amabilem socium præbeant. Væ tibi, si desipis, si inanibus mundi imaginibus inhias; mortem sanè solam, & caliginem, & exteriores, & interiores tenebras culpa tua ex morte Saluatoris percipis. Præclarè Paulus 1. ad Corinth. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Christum, Dei virtutem, et sapientiam.* Ecce vobis vt in cruce Domini perfidi, & vitiosi stulteſcunt, fideles autem, & boni sapiunt, nihilque in illo non inueniunt, quod ad maiorem amorem excitandum possit esse. Vndè aiebat D. Augustinus, Psalm. 44. *Christus crucifixus Iudæis scandalum, Gentibus stultitia; nobis credentibus vbiq; sponsus pulcher occurrat: pulcher in cælo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro,, pulcher in intellectu.* Expende illa, *nobis credentibus vbique sponsus pulcher occurrat*: occultatur equidem perfidis post mille scandalorum petras, post mille stultitiæ nebulas, quas ipsi sibi excitant, ne malè cũpitum bonum inueniant. Verùm vbi fidelis quis apparet, vix facit gressum post crucem, & ecce tibi vbique sponsus pulcher occurrit, vbique specie sua, & pulchritudine sua manifestata præuenit.

1. Cor. 1.

Augustin.

Ioan. 7. In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit, in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem erant accepturi credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, &c.

§. XXI.

In Christo crucifixo, & mortuo omnium bonorum fontes aperiuntur, manifestantur.

IN nouissimo, & vltimo die magno festiuitatis clamat Iesus, & ait: *Si quis sitit,*

sitit, veniat ad me, & bibat. Et cur ante suos fontes non aperit, sed in nouissimo die? Sanè vt innueret, quòd cùm vita eius vltimarit, horaque crucis accesserit, sub qua vltimas imposuerit manus saluti, & gaudijs humanis, tunc in se omnium bonorum fontes incipient manifestari. Simi
Matt.8. liter Matth.8. dicitur: *Vespere autem facto, obtulerunt Iesu multos dæmonia habentes*: & Marcus, cap.1. addit: *Vespere autem*
Marc.1. *facto, cùm occidisset Sol, afferebant ad eum omnes malè habentes.* Cur ij afferuntur ad Iesum non anteà, sed ad Solis occasum? Sanè de occasu suo habet Sol iustitiæ Christus, patentiores ostendere fontes omnium bonorum, & sanitatũ: Quò spectabat D. Hieron. in cap.8. Matth. fatus:
Hieron. *Omnes non manè, non meridiè, sed ad vesperam curantur, quando Sol occubiturus est: quando granum tritici in terra moritur, vt multos fructus afferat.* Aperiũtur equidem sanitatum fontes, omnium bonorum scaturigines, quando Sol iustitiæ sub occasu apparet; quãdo granum tritici in florido virginitatis agro natum, & morti, & terræ se tradit. Quod desideres, quod sitias bonũ, & pretiosum, quod de fontibus crucifixi Saluatoris non habeas? Dicitur
Gen.13. Genes.13. de Abraham: *Ascendit ergo Abraham de Aegypto, ipse, & vxor eius, & omnia, quæ habebat, et Loth cum eo ad Australem plagam. Erat autem diues valdè Abraham in possessione auri, et argenti: Sed & Loth, qui erat cum Abraham, fuerunt greges onium, & armenta, & tabernacula.* Omnia splendida, & pretiosa habet Abraham, cùm dicitur diues in possessione auri: Loth autem nihil splendidum, neq; pretiosum habet; omnes eius diuitiæ ex pecoribus censentur, non ex auro. Et cur, cùm simul fuerint Abraham, & Loth, & simul negotiarentur; ille ex auro totus splenderet aureus; hic ex pecore totus bubulus pecuinus apparet? Nonne ambo iusti, ambo pij in Deum, ambo in homines hospitales, ambo hospitio excipiunt Angelos? Cur ille plenus auro, iste auro vacuus? Vltra percensitas virtutes, aliud inuenio in Abraham, quod sanè illũ pretiosis omnibus impleuit, ditauit: dũ enim filium suum vnigenitum Deo litat, diuini Filij passionem delineabat; ex passione autem Filij Dei innumeri scaturiunt riui aurei, & pretiosorum omnium fontes re-
Lumbr. uelantur, Aiebat D. Ambros. lib.2. de Abraham, cap.5. *Non habebat Loth aurum, quod habebat ille, qui vidit Christi posteriora. De quo scriptum est: Et posteriora eius in pallore auri. Vidit illum Abraham, sicut testatus est Dominus, dicens: Abraham diẽ meũ vidit, et gauisus est. Ideò auri speciem habere meruit, & possidere.* Et quid non habeat, qui Christum crucifixum habet? Quot vulnera passionis Christi, tot aperiuntur, & scaturiunt riui aurei, qui de pretiosissimis rebus valeant omnem habendi cupiditatem in hominibus exsatiare. Quis post apertos Christi fontes in cruce aliquid mundiale sitiat, habens inde quidquid dulce, quidquid suaue, quidquid dines, & pretiosum potest esse ad vitam? Sitienti Iesu in cruce oblatum est à perfidis vas aceto plenum: tunc ait Ioan. cap.
Ioan.19. 19. *Et cùm accepisset acetum, dixit, Cõsummatum est.* Quid est, quòd potato aceto, omnia Iesus consummat, omnia implet, nisi quòd de passionis acerbitate bibita, hoc resultat, quòd nulla vacuitas, nulla ampliùs sitis sentiri debeat in hominibus? Quod sanè meditabatur D. Ambros. lib.1
Ambr. de Spir. sanct. cap. vlt. inquiens: *Bibit Iesus calicem, hoc est, passionem illam tuorum criminum redemptricem; vt tu sitim istius mundi sacri potus cruore restinguas.* Nihil mundiale debet sitiri ab hominibus, ex quo habent apertos fontes Christi crucifixi, de cuius vulnerum riuis pretiosissima quæque & suauissima acquirunt, ne quid egeant emendicare à creaturis.

§. XXII.

Mundiales Principes quàm dissimiles à Iesu, nihil ab illis accipiunt, nisi brachiati viri, & multo nitentes auxiliantium suffragio.

ECce tibi diuinissimi Iesu indolem in bonis suis communicandis; ait enim: *Si quis sitit, veniat ad me*: nullũ arcet, nullum fastidit; tantùm in te sit sitis, & habes, quo possis ex Iesu bona quæuis accipere. Væ tibi, quantis alijs egeres, si quid accipiendum esset à mundiali Principe; quot tibi essent opus brachia, quot auxiliatores, quot munera, quot offæ, quibus caninas ianitorum fames elimines? Apud
Iud.9. Iud. cap.9. Abimelech rebellat in fratres suos, & vt exercitum faceret, *conduxit sibi viros inopes, & vagos, & secuti sunt eum.* Quid tunc? Post millia prælia, post victorias mille, expugnanda erat altissima turris in ciuitate Thebes, ad quam confugerant

rant omnes Principes ciuitatis, clausa firmissimè ianua. Tunc ait textus: *Accedēsq; Abimelech iuxta turrim, pugnabat fortiter, & appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur.* Multus exercitus erat cum Abimelech, & tamen de nullo tanti exercitus milite dicitur, quòd accesserit ad expugnandam turrim, & capiendam eam de manu Principum; solus Abimelech accedit, solus ostio appropinquat, solus supponit ignem, & flammas excitat, & fumos. Cur solus Abimelech; cur non magis aliquis alius de exercitu miles? Sanè erant Abimelecho conducti milites viri inopes, & adumbrabātur ibi pacis bella, quæ quotidè fiunt in palatijs mundialium Principum, pro obtinendis dignitatibus, & sedibus sublimibus; ad hæc non habent accessum inopes, & pauperes; sed solus Abimelech, brachiatus homo, qui possit ianitores corrumpere, & obcæcare munerum, & largitionum fumo. Pro quo ait Tilman. in alleg. *Accedens Abimelech iuxta turrum pugnabat fortiter, & ignem supponere nitebatur ostio. Pauper enim, qui nullum habet accessum, non ambit Episcopatum, sed diues, qui per amicos, vel aliquo modo accessum habet, ille apropinquat, & oppugnat fortiter, & ignem cupiditatis nititur supponere, cuius fumus oculos excæcat.* Ecce vobis, qui aggrediuntur dona mundialium Principum; non equidem pauperes, quibus omnia sunt inaccesibilia; sed diuites, sed potentes, sed brachiati viri, cui mille brachia sunt, vt ianitores vel palpationibus demulceant, vel muneribus excæcēt, & corrumpant. Nemo carens auxiliorum brachijs speret aliquid obtinere à mūdiali Principe. Accepturus erat Iosephus per Dei decretum solendidissimam dignitatē à Rege Aegypti; & quid necessum fuit, vt Ioseph accessum haberet ad Regem? An sufficit illi, quòd ingenti polleret sapientia? Quod omni esset ornatus virtute? Quòd singularem industriam rerū administrandarum haberet? Quòd incredibili fulgeret venustate, & pulchritudine? Absit; captiuus enim erat, & pauper in Aegypto, & cum ijs omnibus donis potiùs in carcerem, quàm in aulam iuit. In carcere ergo dum est, duos aulicos Principes nāciscitur, alterum eorū secundis præsagijs demulcet, & acquirit. Is postmodum videns Regem anxium de somni interpretatione, dixit, Gen. 41. *Erat ibi puer Hebræus, eiusdem ducis militum famulus: cui narrantes somnia, audiuimus quidquid posteà probauit euentus: Protinùs ad Regis imperium eductum de carcere Ioseph totondernnt, ac veste mutata obtulerunt ei.* Ecce tibi Ioseph ad Regem introducitur, imò à Rege dignitatē accipit; sed mihi crede, minimè id per se obtinuisset Ioseph, nisi ad notissimas suas virtutes, adhiberet etiam Principis Pincernarum brachia. Quò spectans D. Chrysost. hom. 53. in Gen. ait: *Vide quā ta dispensata sunt, vt res Iosephi compleretur. Nam postquam summum illud certamen certasset, & scelestæ illius Aegyptiæ perdicas effugisset, & in carcerem eius coniectus esset, præmisit, vt præfectus Pincernarum per illud tempus in carcerem inijceretur, & per diiudicationem somniorum disceret virisapientiam, vt tunc tēpestiuè memor eius in medium ducat.* Non anteà Ioseph potuisset vel repere ad aulam, vel à Rege aliquid extorquere magnū, quàm beneficio affectum, & deuinctum sibi palatinū Principem Pincernarū pararet. Non sapientia, non virtutes, sed potentium brachia accessum præbent ad obtinēdas ex Regibus mundialibus dignitates. Brachia hæc tibi adsint, & licēt in sapientia, & virtute minimus sis, attinges maxima; & cum omni sapientia, & virtute nihil habes, si desint brachia. Hoc non obscurè monebat Prou. 30. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum.* Stellio quidem minimum animalculū, turpissimum, morosissimum, vilissimum, & tamen tenet Regum aulas. in altissimisque turribus solet morari. Vndè hæc ascendit stellio? Pulchrè ait: *nititur manibus*: vbi Galfrid. *Non alij in eo pedes, non aliæ manus*: non habet pedes, quibus currat, quibus nitatur, fateor; sed habet manus, habet brachia, quibus sanè cedunt fortissimæ valuæ palatij. Non nihil gratiæ addit Theodor. legens: *Manibus tractans, & moratur in domibus Regum.* Non valet pedibus ad currendū, non valet alis ad volandum, non valet ore ad causas, & negotia sua tractanda; sed valet manibus ad largiendum, valet brachijs, quibus nitatur, & ijs solis tractat, & conficit apud mūdiales Reges, quæ nec sapiētissimi, nec disertissimi auderent sibi excogitare.

Tilm. Gen 41. Prou. 30. Galfr. Theod.

§. XXIII.

Beneficia spiritualia cò magis crescūt in vnoquoque, quò ipse citiùs illa alijs communicat.

POculum offert Dominus affectis suis, dicens: *Veniat ad me, & bibat:* & statim

tim subiungit, quòd flumina de bibentis ventre exibunt, aiens: *Et flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Si poculum accepit, quomodo statim manat fluminib⁹? Erat equidem poculũ illud spiritus; quod autem spiritus in nobis est, exinde penè in immensum crescit, ex quo incipit ad alios
Philip. fluere. Ait Philippus Abb. epist. 13. *Sic certum est, spiritualia beneficia se habere, vt cùm alteri alter ea contulerit, non se tamen per hoc videat indigere; imò quò eis largiori animo proximum fœcundauerit, eò eis gratiùs, & feraciùs abundabit.* Nihil nõ crescit tibi spirituale, quod proximo communicas: de largitate tua erga proximos crescunt statim omnia dona spiritualia, & diuina; adeò, vt quæ in te vel roris guttis possent assimilari, vbi ex te ad alios fluũt, iam appareant vel in ipso fonte quasi flumina. Minimè fis auarus, homo, in cõmunicãdis bonis spiritualibus proximo tuo; non enim in hoc defraudas animam tuã, sed mirum in modum illam auges, & di-
4. Reg. 1. tas. Heliszus. 4. Reg. 1. dicebat Eliæ: *Obsecro, vt fiat spiritus tuus duplex in me.* Qui simplex erat Eliæ spiritus, petebat Eliseus, vt in se cresceret, & fieret duplex; nonne videtur audax, imò quasi auara nimis hæc Elisæi petitio? Sed non erat audax, nec auara, sed charitatis plena, vt qui vellet de largitate sua erga proximos duplicari, & augeri spiritum. Sciebat enim Eliæ spiritum esse simplicem, quem vt petit non sibi retinendum, sed alijs communicandum, scit necessum esse, quòd sic augeatur, vt duplo maior fiat. Ait Galfridus
Galfr. in allegor. Tilman. *Duplicem petit spiritum, Magistri suscepturus officium, vt quã sibi priùs acceperat gratiam, nunc acciperet proximis erogandam.* Ex quo intendit acceptam gratiam proximis communicare, illam vocat duplicem, vt qui sciat spiritualia bona communicata crescere, non minui. Numeror. cap. 11. ait Dominus ad
Num. 11. Moysem: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quòd seniores populi sint, ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi.* Expende illa, *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis:* Cur non potiùs Deus de spiritu suo communicat aliquid illis? Cur mauult de spiritu Moysi auferre aliquid, quod illis communicetur? Intendebat Deus, ne Moyses propter additos socios Prophetas, & duces populi minor videretur, sed quòd maior appareret, & ideò Moysi spiritũ communicandum illis asserit; quæ enim spiritualia dona alijs communicantur, semper crescunt, & maiora in se apparent. Ad hęc Abulens. in præsenti, quæst. 43. fatur: *Vt vi-*
Abul. *deretur Moyses semper manere vt maior in populo: ideò non dixit, dabo eis de spiritu meo, ne per hoc intelligeretur, quòd dabat eis aliquem nouum spiritum, vel maiorem, quàm esset in Moyse; sed dixit, auferam de spiritu tuo, hoc est, tu eris principalis, quia de tuo illi accipient.* Quasi non clariùs ostenderetur Moyses principalior, & maior omnibus esse in populo, quàm si spiritus eius alijs communicetur, quando spiritualia dona communicata crescunt.
Ioan. 1. De Iesu dicebat Ioan. cap. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus*: & statim cap. 3. subdit Baptista: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Si tanta erat eius plenitudo, vt omnibus communicata sufficeret, quomodo vlteriùs posset crescere? Sanè & quia communicabatur plenitudo eius, quando in se non posset, saltem quoad nos necessum erat, vt maior, & maior appareret. Ambros. lib. de bened. Patriar. ca-
Ambr. pit. 11. *Illum oportebat crescere, quia per illius salutare, perfectumque nomen cunctata est in hoc mundo, & abundauit gratia.* Non enim poterat non ostendere mirum in modum auctum fontem suum gratiarum riuus communicatus cæteris.

CAPVT VIII.

Disputatio Iesu de adultera, & alijs.

MVLTIPLICITER Congrediuntur Iudæi cum Iesu; in adultera damnata illi seueritatis notam volunt inurere, qua odiosum illum reddant populis, & gentibus. Sed cùm adultera lapidanda tradatur nocentibus, metuentes omnes, ne sua cuiusque peccata diuulgentur, infecta causa, discedunt. Sed ecce alius instauratur congressus mendacij, suspicionem attribuens Iesu, quòd ipse suas excellentias testetur. Suas quidem excellentias testabatur Iesus, quia nullus hominum illas scire poterat, vt ipse eas sciebat; nec solus Iesus de se testimonium dicebat, verùm & Pater cœlestis eidem testimo-

timonio ſubſcribebat, quando Ieſu opera ea erant, quæ à Patre Deo venire viderentur. Filius ergo Dei erat Ieſus, per quem à ſeruitute poſſent & Iudæi liberari, ſi vellent. Quod indignè audientes, patrem ſuum oſtendunt, de cuius ingenuitate ſeſe minimè ſeruos, ſed prorſus nobiles, & ingenuos profitentur. Nec abnuit Ieſus, eos Abrahamides eſſe, ſi carnalis generatio ſpectetur; at ſi eorum opera proferantur in medium, veriſimè illos filios diaboli cenſet, qui quærunt interficere innocentem, & totius veritatis primicerium. Innocentem dixit, neque immeritò, quãdo nec ipſi rabidiſsimi hoſtes in eo manifeſtum peccatum, quod conuincere poſſent, non inueniunt. Et nihilominùs nec à perſecutione deſiſtunt, nec veriſsimis, & euidentiſsimis Ieſu dictis credunt; ſed quomodo credant diuinæ veritati, qui nihil Dei in ſe habere oſtendunt, imò nihil Abrahami parentis, quando hic nihil magis amabat, quàm Ieſum vel à longè videre.

Ioan. 8. Adducunt autem Scribæ, & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatuerunt eam in medio, dicuntque ei: Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio: in lege autem Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare: tu autem quid dicis? Hæc autem dicebant tentantes eum, vt poſſent accuſare eum.

§. I.

Qui in veritate vult rempublicam corrigere, non tàm in vilibus homuntionibus corrigendis, quàm in nobilibus, & potentioribus occupatur.

NOlo non ponderare in præſenti, quã alius ſit ſpiritus Chriſti, etiam in ſeueritate, & correctione populorum, ab ſpiritu Phariſæorum, & iudicio mundialium. Reſpice euangelium, & videbis Ieſum flagello bis armatum, ſed aduerſus ditiſsimos mercatores: ſæpè voce tonantem, imò fulminantem, ſed aduerſus Phariſæos, & Principes Synagogæ; aduerſus viles, plebeioſque homines, etiã adulteros, nullum à Ieſu inuenies aſperũ verbum prolatum. Phariſæi autem, & mundiales iudices vbi iuſtitiæ zelum arripiũt, mulierem ſine nomine, è fœce plebis eductam, adultetorum pœnis expoſitã in medio ſtatuunt. Proh iuſtitiæ ſpiritus, quam alius in Chriſto, & in Phariſæis! Ille potentes, & nobiles ferit, plebeios præterit; hi nobiles, & potentes prætereunt, plebeculos, & viliſsimos mactant. Et quidem hi, vt non in veritate, ſed apparenter quærunt ſalutem, & correctionem ciuitatum; ſic ſolos viles homines ad iuſtitiam cogere ſatagunt. Qui autem amat in veritate ciuitatum, imò & prouinciarum reformationem, & ſalutem, parùm de plebeiorum erroribus videtur curare, eò intendens, vt nobiles, & potentes reformentur, corrigantur; quibus reformatis, tantùm non oſtenditur tota reſpublica ſana. Hinc eſt, quòd vbi naſcitur Ieſus in Bethleem inter cœleſtia lumina, inter Angelorum cantus, inter paſtorum adorationes, ſecurus agit. Paſtores adorant puerulum, & diabolus non multùm ſollicitatur: veniunt poſtmodùm Magi, offerunt puero theſauros, & ſtatim Matth. 2. *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi: Futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum.* Vix Magi rapiuntur in morum correctionem, in adorationem Dei, oblatis auro, & theſauris; & ecce quàm furit diabolus, quàm excitat Herodem tyrannum, qui quærat puerum, & perdat! Cur, male, non anteà ſic iraſcebaris? Nonnè patentiſsima fuit paſtorum correctio, & adoratio? Cur tunc non excitaſti tyrannum? Cur illum modò excitari mauis? Sanè in correctione, & melioratione vilium paſtorum nihil ſibi timebat magnum diabolus: at cùm videt Principes, potenteſque viros corripi, & theſauris priuari, & ad Deum trahi, tunc iam incipit timere, fore, vt totus mundus corrigatur. Pulchrè ad hæc Chryſolog. fatur, ſerm. 150. *Herodes quærebat, ſed quærebat diabolus per Herodem, qui videbat Magos ſibi, quos habebat in erroribus ſuis Principes, aufugiſſe. Sentiebat, quòd Chriſtus doctrinis, virtu-* Matth. 2. Chryſol.

tibus vitam mox repararet, & mundum totum, qui adhuc vagiens ipsum, quod erat mũdani verticis, occuparat. Expende ab illis, *repararet & mundum totum*; vbi enim bonus iustitiæ assertor tenebat suis pedibus obuolutos, nõ tàm plebeculos reos, quàm Principes, quàm potẽtes homines, quàm prouinciarum capita, non malè suspicatur, & timet diabolus, ab illo mundum totum esse reparãdum. Video sæpè reos criminum maximorũ ad pedes iudicum trementes: & nõ video respublicas reformari, sed omnia in peius ire, & scelera exundare. Vndè hoc? Quia qui pedibus iudicum sistunt trementes, viles quidam homuntiones sunt; ij tenentur, ij trahuntur, comprehenduntur: vtinã tenerentur nobiles flagitiosi; vtinam curuarentur ad pedes vindicum potentissimi scelerum vertices, & fallar, nisi tota respublica, imò totus mundus esset sanus. Putet iudex tunc se tenere verticem aduersus omnia vitia, cùm nobiles, & potentes viros, vel vinctos trahit ad virtutem; quorum correctionis exemplo tota corripitur, & emendatur respublica. Apud Leuit. cap. 10. dicitur: *Arreptisque Nadab, et Abiu filij Aaron thuribulis, imposuerunt ignem, et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis â Domino deuorauit eos, et mortui sunt coram Domino. Dixitque Moyses ad Aaron: Hoc est, quod locutus est Dominus, sanctificabor in ijs, qui appropinquant mihi, et in conspectu omnis populi glorificabor.* Expende, ad quid referat Moyses istorum Principum supplicium, nimirùm refert illud ad Dei decretũ, quo decreuerat ab omni populo glorificari: sic enim ait: *In conspectu omnis populi glorificabor.* Et quidem vbi non solùm populares, sed & nobiles, & primarij viri plectuntur, omnis populus, vniuersa respublica in laudem, & gloriam Dei exurgit. Ad hæc aiebat Salui. lib. 2. de prouid. *Porrò ex hoc consulere Deus voluit nostræ correctioni per censuram salubris exempli, vt omnes laici intelligerent, quantùm iram Dei timere deberent, cùm â præsenti pœna filios Sacerdotis, nec meritum parentis eriperet, nec mysterij sacri priuilegium vindicaret.* Et meritò tàm nobiles personæ corripiuntur à Domino, vbi ipse omnium intendit facere correctionem.

Leuit. 10.

Salu.

(·.·)

§. II.

Lasciui solent prælibare grauissima supplicia, quæ adhuc alijs imminent.

NOn otiosè in delicto suo apprehensa proponitur adultera, quando hæc est misera lasciuientium omnium cõditio, quòd supplicia alios expectantia, illis præcurrant, vt prælibent ipsi, quæ alijs imminent. Quis nescíat famosissimas Sodomitarum luxurias, quibus & in Angelicos Lothi hospites insaniebant? Et quis nesciat illis præcurrentia supplicia? Ait Genes. 19. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, et Gomorrham sulphur, et ignem â Domino de cælo.* Sulphureus ignis omnibus peccatoribus in inferno imminet; illic prædones, latrocinantes, ebrios, homicidas, & alios expectat flamma sulphurea. Cur modò flamma hæc viuorum sęculum expectare docta, ad viuos Sodomitas præmittitur? Cur non magis expectat eos descensuros ad abyssum? Solent equidem pœnæ, quæ alios expectant, luxuriosis præcurrere, qui sæpiùs supplicia alijs imminentia prælibant. Saluian. lib. 4. de prouidentia, fatur: *Diu profectò flagitiosissimus ille populus Sodomæ ignem illum accenderat, quo peribat. Et ideò completis iniquitatibus suis, arsit flammis criminum suorũ. Tàm malè enim de Deo meruit, vt gehẽnam, quæ in futuro iudicio datur, etiam in hoc sæculo sustineret.* Præcurrit infernus, præcucurrit mortuorum reproborum supplicium, vt vel anticipato tormento exundãtes luxuria præureret. Sic inter omnes peccatores luxuriæ mancipia præcurrentibus pœnis apprehenduntur, & supplicia prælibant. Quò spectans Diu. Petrus. 2. epist. 2. ait: *Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur. et in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus iudicium iam olim nõ cessat, et perditio eorũ non dormitat. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit; sed rudentibus inferni detractos in tartarũ tradidit cruciandos, in iudicium reseruari. Et originali mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens. Et ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit, exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens, &c.* Propone tibi ante oculos omnia antiqua luxuriæ

Genes. 19.

Salu.

2 Petr.

manci-

mancipia vel primæuos filios hominum, qui exarserunt in cupiditatem fœminarum, vel Sodomitas priorum æmulos, nõne scis omnes istos inter ipsas luxurias suæ malitiæ pœnas luisse? Numquid reseruati sunt in futurum supplicium, in futuram pœnam, & ignem? Minimè; sed ad illos & pœna, & ignis, & infernus præcucurrit, vt illos delicijs vacantes præoccuparet. Sic prorsus erit omnibus, qui veteres luxurias sequuntur; *quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.* Non equidem olim exercitum iudicium in luxuriosos pristinos, in illis cessat, & ad modernos luxuriosos magis dormitabit, pigritabit, tardabit, sed æquè, citò, & præproperè ad vniuersos transit. Heu quoties hodiè videmus luxuriantes inter ipsas voluptates corripi, & absumi infernalibus flammis, & à diuina iustitia apprehendi, & castigari! Pulchrè D. Bernard. de conuersione ad clericos, fatur, capit. 29. citatus à Lyppom. in Cat. cap. 19. Genes. *Ecce ergo quomodo ciuitates illæ spurciciæ Sodomiticæ matres diuino præ damnatæ iudicio, & incendio sunt deletæ. Ecce quomodo gehennalis flamma moram non sustinens, execrabilem illam præuenit tollere nationem, quòd ipsius specialiter essent peccata manifesta, præcedentia ad iudicium. Ecce, & quomodo ipsam conscium tantæ confusionis tellurem absumpsit ignis, sulphur, & spiritus procellarum. Amputata sunt hydræ capita septem, sed eô innumera surrexerunt. Quis reædificauit vrbes flagitij, quis turpitudinis mœnia dilatauit, quis extendit propagines virulentas? Væ, væ, inimicus hominum sulphurei illius incendij reliquias infœlices circũquaque disperfit.* Non cessat equidem iudicium iam olim circa luxuriosos, non tardat, non pigrescit, non dormitat perditio eorum, vt dantur luxuriæ mancipia, sic vel ante iudicium prædamnantur, & coguntur æternas prælibare pœnas. Vt turpitudinum conuentus, & vrbes visuntur hodiè, sic & infernalis flamma moram non sustinet, non morosè intra specus suos expectat, sed præcurrit, & præuenit tollere has nationes peruersas. Vbique inimicus luxuriæ mœnia reædificat, vt vbique videantur immatura sulphuris incendia luxuriosos præuenire, vt dicat Prouerb. 7. de iuuene currente ad meretricem: *Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius; velut si auis festinet ad laqueum.* Itaque cum lasciuis gressibus festinatissimi, imô pennatissimi, & laquei, & lanienæ sunt. vix enim laniena, & luxuria vocabulo distinguuntur. Ait enim D. Pet. 2. epist. 2. *Et multi sequentur eorum luxurias:* Vbi legit Oecumenius: *Plerique sequentur eorum exitia:* In omnibus enim concurrunt & luxuries, & exitium, ne sine hoc percipiatur illa. Hinc oritur illa festinatio lasciuientium, Sap. 2. *Venite ergo, fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter: vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, ne prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Et cur tanta festinatio, tanta in lasciuiendo, & luxuriando celeritas? Sic concurrit cum lasciuia exitium, vt nisi festinatissimè lasciuiæ gustent mella, futurum necesse sit, vt exitiorum absinthio præoccupentur.

Bernar.

Prou. 7.

Leuit. 10.

Sap. 2.

2. Pet. 2.

Salui.

§. III.

In ipso sceleris puncto extensa est diuina iustitiæ manus ad capiendum, & puniendum præcipuè lasciuum.

DEprehensam in adulterio fœminam statuunt in medio; & magis miror, quòd adultera in ipso adulterij actu aliquãdo non comprehẽdatur, quãdo sic vniuersis peccantibus instat seueriſsima iustitia Dei, vt dum illi nefario operi incumbunt, extensa sit iustitiæ diuinæ manus ad illos capiẽdos, & puniendos. De filijs Aaron dicitur, Leuit. 10. *Offerentes corã Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis â Domino deuorauit eos.* In ipso culpæ actu, diuina ira exurgente, miserè pereunt, cœlitusq; immisso arripiuntur incendio. Cur Deus nõ magis expectat? Cur non moratur vsque ad consummationem sceleris? Cur non ad iudicium priùs vocat reos? Pulchrè Salui anus, lib. 1. de prouidentia, inquit: *Extensam super nos dexteram suam, & imminentem iugiter gladium voluit ostendere, qui errorem suprædictorum statim in ipso opere puniuit: nec peractum priùs penè est facinus peccantium, quàm vlcisceretur pœna peccatum.* Vide, miser homo, quanto discrimine tere sceleribus cõmittis; sceleri operã das, & tibi præsentissima

adest Dei irati dextera stricto armata gladio, vt statim feriat, & vlciscatur delictum. In nullo distas à seueriſsimo iudice, & iniquitatum vindice, vt tu nefario præcipuè lasciuiæ operi manum extendis, simul super te stringitur gladius, & extenditur dextera diuina; heu comprehendere te potest in ipso facinore, & interficere: qua vana spe deluderis? Hoc explicabat Dominus, Apocal. 2. aiens: *Angelo Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui habet rompheam ex vtraque parte acutam.* Et quid dicit hic romphea armatus? *Habeo aduersus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum coram filijs Israel, edere, & fornicari.* Non hic ostenditur Dominus romphea armatus aduersus alios, sed aduersus Balaami discipulos, nimirum fornicarios, & lasciuos homines, vt benè notabat Rupertus in præsenti. Vbi ergo aduersus lasciuos istos accedit, expende, qualem se ostendit, nimirùm inquit: *Hæc dicit, qui habet rompheam ex vtraque parte acutam.* Nota illud, *qui habet rompheam*, &c. Et quidem Isaias, cap. 7. de Deo vindicaturo in peccatores aiebat: *In die illa radet Dominus in nouacula conducta in his, qui trãs flumen sunt, in Rege Assyriorum caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam.* Et vbi aliquid seuerius ostenditur in Deo, dicitur Sap. 5. *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum: accipiet autem diram iram in lanceam.* Apud Isaiam sic se inermem ostendit, vt ad feriendum promittat, se conducturum nouaculam: apud Sapientiam non iam conducturum nouaculam; sed tamen minatur, se assumpturum arma, vt expugnet. Vbi autem ad Pergami Angelum loquitur, non dicit, quòd conducet, nec quòd gladium assumet de futuro, sed de præsenti, fatur: *Hæc dicit, qui habet romphea*, &c. Et cur, qui illic expectat conducere gladium, vt feriat, vel illum assumere, & stringere, hic semper se gladio armatum ostendit, & illum strictum, & exacutum se habere dicit? Sanè hìc reserat cum adulteris, cum fornicarijs, cum lasciuis, aduersus quos præcipuè armatus sic incedit Dominus, vt neque ad punctum sine gladio, & stricto, & extenso velit existere: ne opus nefarium aggrediantur, quin simul sciant Deum imminentem sibi, habentem gladium strictum, quo statim percutiat, Vndè monebat Prouerb. 5. *Quare seduceris, fili mi, ab aliena, & foueris in sinu alterius? Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus eius considerat. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur, ipse morietur*, &c. Misera seductio est hominis, qui nihil aliud memorans, blandicijs meretricis incumbit; interea enim Deus adest habens extensam ad illum rompheam acutam, quo accidit sæpissimè, vt medijs lasciuiæ actibus constrictus homo animam agat, æternamque mortem incurrat. Quis hoc non audiuit sæpè, præcipuè de luxuriæ mancipijs, qui à sinu meretricis rapti sunt ad æterna supplicia.

§. IIII.

Scelerum inuita manifestatio apud magistratus peccatorem impellit ad lapides: at voluntaria scelerum confessio apud Sacerdotes, de lapideis peccatoribus, Dei filios facit.

SAnctissimè lex iubet lapidari hominem, cuius adulteria magistratibus manifestantur; nihil enim aliud apud iudices obtinet adulterij manifestatio, imò & confessio, quàm pœnam tanti peccati, quàm inter lapides durissimos animam agere. Quàm alios euentus habet voluntaria scelerum confessio apud Sacerdotes? Hæc lapidascentes etiam peccatores emollit, & de lapidis duritie in filios Dei transfert. In Iordane erat Ioannes baptizans, in ea parte, vbi visebantur duodecim lapides positi à Iosue in signum, quòd Israelitæ transiuerant siccis vestigijs per alueum Iordanis. Quos lapides cernens Ioannes, vt mauult Diu. Anselmus, & Diu. Remigius, ait Matthæus, cap. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Non loquitur de quibuscumque lapidibus, iuxta prædictos Patres Anselmum, & Remigium, sed loquitur de illis determinatè, qui stabant in testationem miraculi transeuntis populi per Iordanem. Et cur de istis determinatè loquitur Matthæus? Habebant ne isti lapides aliquid particulare, per quod

quod clariùs ostenderentur, posse per diuinam potentiam in filios Abrahæ transmutari? De istis dicitur, Iosue cap. 4. *Dixit Dominus ad Iosue: Elige duodecim viros, singulos per singulas tribus, & præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi steterunt pedes Sacerdotum, duodecim durissimos lapides, &c.* Expende, vndè tollantur lapides isti, nimirùm ait: *Tollant de medio Iordanis alueo, vbi steterunt pedes Sacerdotum, lapides, &c.* Et quidem ad pedes Sacerdotum, vel durissimi lapides si ponantur, confitentes peccata sua, certum est, quòd inde non solùm in filios Abrahæ, sed in filios Dei exurgent. Lapidibus durissimis durior sit homo, & obduratior in vitijs, si tamen pedibus obuoluitur Sacerdotis, dignè confitendo peccata sua, non dubitet, ex Sirtum, Saxorumque propagine subitò fiet Dei Filius. Et quis obduratior in sceleribus, quàm prodigus ille, qui dissipauerat omnem substantiam suam, viuendo luxuriosè? Is, Luc. cap. 15. in se reuersus aiebat: *Surgam, & ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, et coram te.* Mirabar, quòd Patrem Deum toties audeat vocare, qui erat voluptatum mancipium, qui adhuc conuiuebat porcis, & cupiebat saturari de siliquis. Vndè homo adhuc in cæno luxuriæ positus, sic de cœlesti Patre præsumis? Cur, cùm nec inter seruos mercenarios numereris, iam patrem vocas, ac si esses filius? Expende verba illa: *Dicam ei, pater, peccaui, &c.* Ex quo sua delicta confiteri decernit, iam de luxuriæ mancipio incipit spiritum Dei Filij ebibere, & Patrem sibi vbique occurrentem videt. Diu. Nissenus, lib. de oratione Dominica, orat. 2. inquit: *Etiam huiusmodi confessionis meditatio aditu facilem ei patrem efficit, adeò vt etiam accurreret ad eum, et osculo collũ appeteret.* Quid plura? Vel solum animi decretum, quòd ad pedes Sacerdotũ iret, ibique omnia sua delicta cõfiteretur, iam illi facilem aditum ad patrem ostendit, cuius fruatur hæreditate, & delicijs.

Plura habes de confessione. 1. 2. & 3. tomo: quære ibi.

Ioan. 8. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terram.

§. V.

In terra, elementorumque sordenti, & steriliscenti specie, qualia sint futura peccatoribus supplicia, leguntur.

ADulteræ fœminæ sceleratissimis accusatoribus iratus Dominus, inclinãs se deorsum, sententiam aduersus peccatores digito scribebat in terra; & crediderim terræ sordẽtem, sterilescentemque speciem omni charta clariùs in peccatores præferre imminentem sententiã. Quid turbatur Balthasar ad notas impressas parieti? Videant mundi Principes, videant Reges, videant homines, quàm clariori scripto clamet terra sterilescens. Nutrientibus seminibus vix imbrium copia est; non frugibus torrendis Solis tanta fragrantia, nec sic verna de temperie sua fata lætantur; nec adeò arboreis de fructibus autũna ditescunt. Minùs de effossis, & fatigatis montibus eruitur metalli; minus argenti, aurive circummittitur, pauperes venæ breuiãtur in dies singulos: deficit in agris agricola, in mari piscator; commercia stupescunt. In tanta ergo terræ spoliatione, quis non videat, & legat scriptam futurorum suppliciorum aduersus peccatores sententiam? Sanè tanta terræ nudatio, & spoliatio legenda offert horrẽdissima supplicia peccatoribus imminentia. Fratricidæ illi Iacob filij Genes. 37. mortem Gen. 37. Iosepho puerulo intentantes, arripiunt eum; *Miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.* Sed cur rabidissimi illi homines non anteà interimunt odiosum fratrem? Cur malunt illum in cisternam veterem mittere? Non aliter facere permittebat Deus, cuius iustitia eos fratris mortem cupientes, in cisternam veterem impellebat, vt in vetustate contrita cisterna, & inutili, & inani, possint legere immanitatem suppliciorum sibi ob tale facinus imminentium: quando enim sterilitas, & contritio soli, non proponit legenda futu-

futura ſupplicia àduerſus peccatores in Deum rebelles? Accipe D. Ambroſ. lib. 2. de Abel, cap. 8. *Ioſeph in lacum mittitur ſiccum. Iuſtum igitur natura eſt impertita iudicium, ea loca, in quibus erat futurum parricidium, muneris ſui dote priuando: vt ex innocentis ſoli quadam damnatione oſtenderet, quantò forent noxiora futura ſupplicia.* Vbi terra oſtenditur muneris ſui dote priuata, facta vt ſterilis puluis, quem proijcit ventus, omni fructu vacuata; quid in hac terræ ſpoliatione, & nudatione aliud legas, quàm inſolens, & horrendum peccatis tuis futurum ſupplicium? Heu miſer peccator, vbi Deus ſe inclinat, & in terra ſcribit ſententiam! Sanè damnata terra ſterilitate, grauiorem in futuris damnationem peccatoribus imminẽtem proclamat. Scio, quòd Ieſus in crucem actus inclinauit caput, & ſpiritum exhalauit. Quid tunc? Ait Matt. 27. *Et ecce velum tẽpli exciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque ad deorſum: & terra mota eſt, et petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt.* Lucas, cap. 23. addidit: *Et obſcuratus eſt Sol.* Expende, quæſo, quomodo poſt diuini capitis inclinationem, in terra, & in cœlo appareant ſterilitatis, & confuſionis exarata ſigna. Quid enim aliud protẽdit defectus ille Solis, & terræmotus, & petrarum quaſſatio, quàm ſeueriſſimam ſententiam imminentem Deicidis? Sic D. Leo, ſerm. 4. de paſſ. cap. 4. *Cùm ad tantam Diuinitatis inclinationem totius mundi compago quateretur. Cùm facinus impium omnes ſui confuſione creaturæ damnarent, & manifeſtam in reos ſententiam elemẽta proferrent.* In creaturarum confuſione, in elementorum turbatione, in terræ tremore, in defectu Solis exarabatur, & publicabatur manifeſta aduerſus Deicidas ſentẽtia. Sic modò cùm imbres, aut Soles deficiunt terræ prouentibus, cùm arua fructibus orbantur; cùm agricolæ rareſcũt; cùm bonorum fontes ſiccantur; in terra, in elementis ſui muneris dote priuaris, legamus horribiliorem nobis imminentẽ ſententiam. A qua enim ſcriptura hæc euidentiùs monſtrabitur, quàm à nuditate, & ſpoliatione terræ? Pulchrè Hieremi. cap. 22. *Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini. Hæc dicit Dominus: Scribe virum iſtum ſterilem.* Vatablus legit, *orbum.* Symachus vertit, *vacuum.* Septuaginta ponũt, *abdicatum.* Aquila vertit, *non creſcentem.* Sed cùr ſententia ſterilitatis, orbitatis, abdicationis, & reprobationis mandatur terræ ſcribenda? Sanè terra omni ſcripto clariùs, dum ipſa ſterileſcit, orbatur, oſtendit omnium peccatorum ſententiam. Vndè videns Italiam armis turbatam, plenam ferro, vacuatam pacis fructibus propter Cadaloi ambitionem, eius in terræ ruinis legit ſententiam Petrus Damianus, lib. 1. epiſt. 20. *Cur per ambitionem adipiſcendi culminis, inacceſsibiliſque faſtigij totum ferè mundum in condemnationis tuæ iurgium concitaſti? Vt illud Hierem. exclamẽt: Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini: ſcribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur.* Et quidem in terra alterata, & oppreſſa, & muneris ſui dote viduata, à fortiori legant peccatores ſuam damnationem exaratam. Huc trahi poſſunt dicta tomo. 2. lib. 7. cap. 2. §. 14.

Ioan. 8. Cùm ergo perſeuerarent interrogantes eum, erexit ſe, & dixit eis: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum ſe inclinans ſcribebat in terram. Audientes autem hæc, vnus poſt vnum exibant, incipientes à ſenioribus.

§. VI.

Rationalem hominem, qui prorſus non abijt in imprudentiam bruti, maximè deuincit proprij ſceleris conſcientia, ne ſimilia ſcelera proximorum pungat.

VIde ſeueriſſimos accuſatores obmuteſcentes, imò vide illos abeuntes, & ab accuſatione ceſſantes; cur iam accuſare, imò & damnare deſiſtũt? Cur muti abeunt? Dixerat illis Ieſus: *Qui ſine peccato eſt veſtrũm, primus in illam lapidẽ mittat*; & ſimul eorum conſcientias excitãs, fecit eorumdem turpitudines, & adulteria mẽte recoli, & viuidiſsimè ſciri. Et quis non prorſus brutus, ſed adhuc rationalis homo, conſcius proprij ſceleris, ſimilia alia in proximis perſequatur, & acriter vindicet? Num. cap. 25. dicitur: *Et ecce vnus de filijs Iſrael intrauit coram fratribus ſuis ad ſcortum Madiantem: videntẽ Moyſe, & omni*

& omni turba filiorum Iſrael, qui flebant ante fores tabernaculi. Quod cum vidiſſet Phinees filius Eleazari, filij Aaron Sacerdotis. ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingroſſus eſt poſt virum Iſraelitam in lupanar, & perfodit ambo ſimul; virum ſcilicet, & mulierem in locis genitalibus. Ceſſauitque plaga â filijs Iſrael. Ecce vobis, Moyſes videt turpitudinis facinus, & tacet, nec zelo rapitur ad illum vindicandum: Phinees autem tacente Moyſe, Dei zelo inflammatur, & ſcelus vindicauit. Cur Moyſes taces? Cur non ſtringis gladium, vt Iſraelitam ad alienigenam Madianitem ingreſſum transfodias? Nonne Exod. 32. Dei zelo armatus arrepto gladio, idololatras iugulaſti? cur modò taces, & non curans vindictam, vt infirmus ad oſtium tabernaculi lacrymaris? Sciebat Moyſes, ſe etiam duxiſſe Madianitem vxorem, & inde quaſi vinctus hæret, ne quid audeat aduerſus illum, qui Madianitidis concubitum procurabat. Ait Abulenſ. ex aliorum opinione, quæſt. 7. *Moyſes non fuit hîc motus zelo contra iſtũ Zambri, nec contra alios peccatores, ad puniendos eos: ſicut fuit motus in monte Sinai, occidendo viginti tria millia pro adoratione vituli; quia viderat ſe anguſtiatum, vel quaſi concluſum ex argumento Zambri contra ſe pro vxore Madianitide, vt ſupra dictum eſt. Ideò Phinees filius Sacerdotis Eleazari, loco eius executus eſt.* Vinctus hærebat Moyſes, & quaſi concluſus, memorans proprias nuptias cum Madianitide, ne auderet excãdeſcere cõtra eos, qui currebãt ad Madianitida ſcorta. Sic enim vincit rationalem hominem vel vmbra facti in ſe cogniti, vt vix queat exurgere infacinora manifeſtiora proximorum. Hinc mulier Theucuitis parabolam proponit Dauidi de filio ſuo, quem propter fratricidium volebant interficere propinqui. Rem audit Dauid, & iratus in accuſatores fratricidij, iurat, ſe nõ permiſſurum, quôd præualeant illi aduerſus filium ſuũ. Quid tunc mulier ſapiens? Sic eleganter Dauidem conuincit. 2. Reg. 14. *Dixitque mulier Regi: Quare cogitaſti huiuſcemodi rem contra populũ Dei, & locutus eſt Rex verbum iſtud, vt peccet, & non reducat eiectũ ſuum?* Quaſi rem impoſsibilem proponit, quôd Rex permitens filium proprium Abſalonem exulare, non permittat propinquos inſurgere in filium mulieris viduæ, occiſorem fratris ſui. Quomodo enim dicere Rex poteſt, quôd coget propinquos, ne aſperè tractent fratris occiſorem, viduæ filium, quando ipſe nullo amoris vinculo cogitur, nec malum velit Abſalomo filio ſuo fratricidæ? Non equidem ſperandum eſt ab homine rationali, quòd alium vexet pro re, in quam & ipſe incurrit. Sic Theodor. quæſt. 29. mulieris ſententiam enodat: *Quaſi dicat ad Regem Quomodo potes filium meum liberare â cæde, non reducens filium tuum?* Vix eſt poteſtas in homine rationali ad cohibẽdum in alijs facinus, quod facit ipſe. Si Dauid non veretur contriſtare populum Iſraelitam, procurans malum filio ſuo ob occiſionem fratris, quis ſperet fore, vt ille vereatur, ne contriſtetur vidua à propinquis petentibus ad mortem filium eius ob ſimile fratricidium? Huc traham pulchrum conſilium datum iudici à Caſsiodoro, lib. 9. var. 21. *Eſto vitæ continens, vt poſsis in alios eſſe index. Prima æquitas eſt â ſe præſules inchoare, vt debeant criminoſi metuere, quem nequeunt ſimilem reperire. Nullat enim in ſe culpas timet reus, quas habere reſpexerit cognitorem; quando agenti male niſi bonos mores non æſtimat diſplicere. Suos actus nullus damnat in altero, quia natura eſt humani animi, vt nitatur potiùs vindicare, quôd ſe cognouerit amiſiſſe.* Quid pulchrius? Expende illud: *Quia natura eſt humani animi, &c.* quaſi in hoc etiam ſeſe natura hominis à belluis oſtendit diſtinctam, quòd illud ſolùm nitatur vindicare, cuius ſe prorſus agnoſcit liberam: nec vult in altero actus dãnare ſuos. Vide ſupra cap. 7. §. 8. & infra. §. 32.

Abul. Theod. Caſſiod.

Ioan. 8. Et remanſit ſolus Ieſus, & mulier in medio ſtans.

§. VII.

Carnalis concupiſcentia non tàm à ſupplicij metu, quam ab halitu Ieſu vincitur.

ABeuntibus ſeueriſsimis accuſatoribus vnà cum legis rigore, manet ſola adultera in præſentia Ieſu; & quidem vt adulterium exuatur, vt carnalis tollatur concupiſcentia, & vera induatur pudicitia, non tàm venit de metu ſupplicij, quàm de halitu Ieſu. Abſit licèt omnis cauſa metus, vnus non deſit Ieſus, & in

vno Iesu habes, quidquid necessum est ad carnalē concupiscentiam tollendā, & retinendam veram carnis continentiam, & pudicitiam. Et quæ carnis concupiscentia non extinguitur, vel de halitu Dei Filij? Cōcupitam aquam Dauid accepit. 2. Reg. 23. *Et noluit bibere, sed libauit eam Domino.* Quis potuit facere, quòd Dauid sic concupiscentiam carnalem reprimeret? Ecce remedium appositum ab illo, *Libauit aquam Domino*: vnum Deum spectauit, de cuius solius halitu potuit venire, vt ardentissimam carnis concupiscentiam reprimeret. Aiebat D. Ambros. lib. 1. de Iacob, cap. 1. *Repressa victor cupiditate, profudit aquam Domino, vt ostenderet, quòd concupiscentiam suam Verbi consolatione restingueret.* Fallar, si præsentissimum omnium remedium non sit vnicus Dei Filius, cui res concupitas libes, ad extinguendas carnis concupiscentias flagrantissimas. Ardeat, licèt, fornax libidinis, concupiscentiæ flammis rapiaris præceps in rem concupitam; gehennam potes obliuisci, honoris discrimen, & quæuis alia media salutaria, vnum si tibi proponas Iesum, cui res optatas sacrifices, incendia statim disparent, & victor exis. Noui hominem, qui raptatus concupiscentiæ æstibus, quando ij magis ardebant, dicebat ille: Fateor dulce opus libidinis, plenum delicijs, vacuum omni periculo; sed illud sacrifico Iesu, & propter Iesum amatum ab illo abstineo. Quantum hoc carmen? Et mentis nubila, & concupiscentiæ fulmina statim abibant in nihilum, & tranquillum, & serenum veniebat pro illis. Huc spectans Paulus, 2. ad Corinthios. 1. *Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Vt carnalis concupiscentia tolleretur, & introduceretur in mundo virginalis pudicitia; quid facit Apostolus? Quot media procurat? Quot custodes apponit castitatis? Ipse ait: *Despondi vos vni viro Christo*, sic totam Ecclesiam solùm despondit vni viro Iesu, & de Iesu viro vno statim in Ecclesia albicant castissimæ, & purissimæ virgines. Ad hæc aiebat Diu. Paschasius in Psalm. 44. inquiēs: *Quia omnimò Christus vir Oriens appellatur, ex cuius latere, & virtute formatur Ecclesia desponsata, iuxta Prophetam à Christo per charitatem. Hinc quoque generaliter omnis Ecclesia iure virgo, quia de viro Christo Iesu sumpta est, appellatur.* Ab hoc vno viro Iesu veniunt virgines carnalium cupiditatum victrices, ab illoque solo habent, quo possint carnales æstus, & concupiscentias extinguere. Vndè Diu. Ambrosius in exhortatione ad virgines, sic eas monet: *Vinea enim quidam fructus virginalis est. Non veniat ergo in vos Achab, qui concupiscat vineam vestrā delere, & extinguere. Nec veniat in vos Iezabel, vanum illud, & sæculare prostituum, hoc enim significatur vocabulo, vana, & vacua redundantia. Sed veniat Naboth, qui venit à Patre, sicut significat nominis ipsius significatio, qui vineam sanguine defendat suo, & pro ea mortem offerat.* Infœlix erat vinea Naboth, quando ab Achab, & à Iezabel procurabatur, quī illam amabant perdere funditùs, vt olerum hortos facerent ex illa. Sed fœlix erat, cùm vnius Nabothi addicta erat dominio, à qua & diues conseruabatur, & secura. Sic virginitatis flos, sic vinea Christianæ pudicitiæ sub alijs tyrannidem carnalium concupiscentiarum experitur à solo Iesu, ejusque sanguine, & tutelam, & diuitem fœcunditatem inuenit. Et quæ carnalis redundātia non fugit à vinea cordis nostri, quam afflat Iesu spiritus, de cuius sanguine non possunt non virere castitatis pampini? Vndè ad sponsam aiebat Cant. 1. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Ex Græco sic: *Quàm pulchræ factæ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Sic miratur pulchritudinem in genarum pudicitia, quasi anteà non fuisset tanta pulchritudo. Et quidem sub rigore legis vix sese ostēdit hæc pulchritudo, quę de solo Christi Domini halitu refloruit, reuixit. Ait Origenes, homil. 2. ex quatuor: *Obserua, quia non dixit, quàm speciosæ sunt genæ tuæ, sed quàm speciosæ factæ sunt; vt ostendat priùs quidem, non eas ita fuisse speciosas: sed postquam suscepit oscula sponsi, & ipse affuit, & mundauit sibi ipsi Ecclesiam, & fecit eam non habere maculam, neque rugam, & agnitionem sui præstitit, & tunc factæ sunt speciosæ genæ eius. Tunc enim castitas, & pudicitia, & virginitas, quæ priùs non fuerat per Ecclesiæ genas, speciosō decore effusa est.* Non de rigore legis, sed de vno Iesu benignissimi halitu venit, quòd prorsus extinguantur æstus libidinis, & campi Ecclesiæ albicent de floridis exercitibus virginum. Hinc in præsenti capite dicit Iesus adulteræ liberatæ à Iudæorum rabie: *Nec ego te condemnabo; vade, & iam amplius noli peccare.* Indamnatam dimittis, & vis, vt à lasciuia abstineat? Nonne melius curaretur, si percuteretur supplicio? Absit; est enim

enim Iesus, qui eam abire iubet, de cuius halitu venit, vt introducatur castitas in corde lasciuo, quam mille pœnæ non introducerent. Ait Diu. Ambrosius, lib. 9. epist. 76. *Quid est ergo, vade amodò, vide ne pecces? Hoc est, ex quo te Christus redemit, corrigat gratia, quam pœna non emendaret, sed puniret.* Nullus pœnæ rigor emendatum ostendit lasciuum, quem emendat halitus Christi. Ambr.

Ioan. 8. Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, vbi sunt, qui te accusabant, nemo te condemnauit? Quæ dixit, nemo Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo: vade, & iam ampliùs noli peccare.

§. VIII.

Qui fragilia, & vilia humanæ conditionis cementa perspexit, non mirabor, si magnis etiam hominis sceleribus impendat veniam.

QVi ad terram inclinatus Dominus in puluere digito suo scribebat, inde se erigens adulteram ab accusatoribus relictam nō condemnat; quin potiùs hanc profert in eius fauorem sententiam, *Nec ego te condemnabo.* Sic omnis castitatis assertor adulteræ misereſcit? Cur non magis nefarissimum facinus castigat, & vel flammis vltricibus plectit? Erigit se à terra modò, in quâ scribebat, & qui terram hominibus vilem, & fragilem originem aspexerat, & adhuc præ oculis habebat, nullis humanis sceleribus negabit veniam, ab omni damnationis sententia in homines se monstrabit alienum. Post nefarissima hominum crimina visa à Deo, quando ipsi filij Dei in filias hominum exarserunt; Ait textus, Genes. 6. *Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Ex Hebræo sic leguntur hæc verba: *Non iudicauit spiritus meus homines istos in sempiternū, quoniam caro sunt.* Ecce tibi, qualiter ex cognitione humanæ fragilitatis decernat Deus abstinere ab hominum damnatione in perpetuum. Et quis damnet fragilissimum puluerem, quòd feratur à vento? Sanè Deus, quantum est ex se, magis propendet ad condonandum, ex quo nouit homines instar puluerís esse. Aiebat ad hæc Diu. Hieronymus in quæstionibus Hæbraicis: *Nō iudicauit spiritus meus homines in sempiternum, quoniam caro sunt: hoc est, quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos seruabo cruciatus, sed hîc illis restituā, quod merentur.* Cognitio humani puluerís, & fragilitatis se dare iram Dei solet, & misericordiam eius in homines excitare; non enim elongat Deus misericordiam ab eo, quem scit, fragilissimis, vilissimisque puluerís cementis constare. Aiebat Iob, cap. 10. *Memento, quòd sicut lutum feceris me, et in puluerem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Pelle, et carnibus vestisti me; ossibus, et neruis compegisti me. Vitam, et misericordiam tribuisti mihi.* Catena Græca legit: *Vitam, et misericordiam posuisti iuxta me.* Expende diuini Fabricatoris artem; lutum assumit, ex quo hominem faciat; lutea membra connectit, & dum ex luteis mēbris videt exurgere fabricam, non potest morari, sed statim vitam, & misericordiam iuxtà ponit, vt innuat, quòd lutea hominis fabrica dū viuit, misericordiam diuinam & vicinam, & annexam habet. Ad hæc Diu. Gregorius, lib. 9. Moral. cap. 28. ait: *Sicut lutum itaque homo est conditus: quod sanctus vir benè pietati iudicis obijcit, cum postulās dicit: Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me. Ac si apertè dicat: Infirmitatem carnis considera, et reatum iniquitatis relaxa.* Non posset esse non veniabilis fabricæ lapsus apud artificem, qui fecit illam consistere in cemento luteo, & fragili: nec Deus potest suam elōgare misericordiam ab homine, quem scit ex puluerís fragilitate à se fuisse compactum. Pro quo dicebat Psalm. 102. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus est, quoniam puluis sumus.* Puluerís humani recordatio Deum misericordem in proximos statuit.

Amb. Gen. 6. Hieron. Iob. 10. Gregor. Psa. 102.

§. IX.

Peccatoribus cautela in posterum, & emendatio maximè procuranda.

A Tanto discrimine liberatam adulteram sic monet Dominus: *Noli amplius peccare*: & quidem peccatoribus omnibus id est maximè procurandum, quòd sibi diligenter caueant, ne iterum in scelera prolabantur. Villicus ille sapiens vbi debitores domini sui conuocat, & singulorum pensat debita, sic aiebat singulis, Luc. 16. *Accipe cautionem tuam, et sede, citò scribe, &c.* Nihil aliud mandat debitoribus, quàm vt cautionem accipiant; non debita reposcit, non debitorum vsuras; hoc vnum dicit, vt cautione præmuniantur, quasi maximè sit id procurandũ peccatori, vt cautus fiat, ne iterùm debitum incurrat. Rupert. lib. 8. de operibus Spiritus sancti, cap. 21. *Singulis dicit: Accipe cautionem tuam, quod est dicere: Tantùm tibi caueas, vt de cætero emendes.* Nulla potior sit cura peccatori, quàm ea, quòd nimirùm iterum ad eadem redire caueat peccata. Qui minor in hac cura est, nihil æstimet se esse in alijs facinoribus maximum, sed putet penè suam esse salutẽ deploratam. Omnes norunt Sansonis facinora, quòd leonis catulum inter brachia suffocarit, quòd in mandibula asini exercitus hostiles prostrauerit; sed & eius periculà omnibus patẽt. Iudic. cap. 16. dum in sinu Dalidę dormit Sanson, septem nerueeis funibus ad mortem illigatur; sed facto clamore expergefactus, se ligatum vidẽs, *rupit vincula, quomodo si rumpat quis filum de stupa tortum sputamine, cùm odorem ignis acceperit; et non est cognitum, in quo esset fortitudo eius.* Hęc vix ligamina, & vincula lætus euasit, & ecce iterum ad blandicias accedit Dalida, & iterum ipse auscultans somno capitur, & nouis funibus ligatur. Sed vix intonat voce fœmina, & excusso somno sic nouos funes rumpit Sanson, *quasi fila telarum.* Quis iam fœmineis blandicijs credat? Quis vel tertiò ligatus ad mortem in sinu Dalidæ, non caueat amplius illigari? Sed Sãson semel, & bis, & tertiò sese ligandum tradit, vsque eo deceptus, in quo non posit rumpere vincula, nec liberari. Heu hominis misera conditio! qui leones fortitudinis virtute superabat; dum in cautela minor apparet, & ter euadens pericula, ter se periculis tradit; tandem irreparabili ruina cadit. Diu. Ambrosius in Prœmio ad lib. 2. de Spiritu sancto, ait: *Meritò Sanson fortior cæteris habebatur, quia eum spiritus Domini dirigebat; quo duce solus nunc alienigenarum fugabat populos, nunc leonem morsu inuiolabilis, fortitudine insuperabilis discerptum manibus diuidebat. Vtinam tâm cautus ad seruandam gratiam, quàm fortis ad superandam bestiam.* Non minor eius cautela in fugiendis periculis, & insidijs debuit esse, quàm erat virtutum in eo splendor, & præstantia. Sed quia semel, & bis vincula rumpens, adhuc vincula non cauet, nec in posterum fuit cautior; nihil ei profuit virtutum præstantia, vbi minor in cautela apparuit. Aiebat Iesus, Luc. 11. *Cùm immundus spiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem: Et non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vndè exiui. Et cùm venerit, inuenit scopis mundatam, et ornatam. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se; & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Itaque status hominis reincidentis ad peccatum, reuertentis ad vomitum, peior fit priori statu peccatoris. Et cur necesse est, quòd relabentis status peior fit? Nonne potiùs esset peccatum reincidentiæ minus priori? Cur ergo quando minùs peccare potuit, dicitur absolutè, & in omni casu, sine vlla exceptione status relabentis esse peior priori? Quæstionem & excitauit, & acutè resoluit maximus Ecclesiæ Theologus Diu. Gregorius Nazianzen. orat. de baptismo. 40. *Fient nouissima primis deteriora. Tunc enim spes emendationis, cautioriſque viuendi rationis erat: nunc autẽ perspicua, et manifesta est prauitas, per boni fugam malum attrahens, ob idq; firmior iam, & stabilior est habitatori possessio.* Expende, quid priorem statum, etsi peccatis plenum, faciat non adeò desperatum, sed multò melioris conditionis; nimirùm: *Tunc erat spes emendationis, cautioriſque viuendi rationis.* Vbi enim emendatio, & cautela speratur, etiam grauissima delicta momenti videntur esse leuioris: at in reincidentia, quia spes cautionis euanet, sic etiam minora crimina possunt facere statum longè peiorem. Quid sapientius? Sanè peccatoris malum, vel acerbatur, vel lenitur ab spe cautionis, & emendationis. Si hæc adsit, maxima crimina apparent

rent leuia; si desit, etiam non adeò grauia censentur omnibus grauiora in ordine ad certitudinem damnationis.

§. X.

Non tàm timenda peccata, quæ ex fragilitate, quàm quæ ex malitia, & data opera fiunt.

NOn dicit Dominus adulteræ, ne pecces, sed notanter dicit, *Noli peccare*; hoc est, ne ex affectu, & voluntate pecces, & allicias peccatum; alioquin vt sapienter in præsenti notat noster Salmeron, non est homo, qui non peccet; sed illud peremptorium est, & ægrè sanabile peccatum, quod non tàm nascitur ex infirmitate, quàm ex affectu, & voluntate peccandi: Caino de sacrificij repulsa contristato, ait Dominus, Genes. 4. *Nonne si bene egeris, recipies; si autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Et quidem peccati appetitus subiectus est hominis voluntati, quæ domina est, & Regina respectu omnium affectuum, vel illos cohibens, vel illos exire permittens. Tunc autem voluntas penè insanabile incurrit vulnus, cùm in tota plenitudine suæ potestatis, suique dominij consistens, non vt captiua trahitur, sed vt domina ex affectu currit ad crimen. Quò spectans lectio Diui Ambrosij, sic modò penè insanabilem ostendit Cainum. *Peccasti? Quiesce. Ad te conuersio eius, tu princeps es illius.* In peccato tuo primo offerendi pectora Deo, non quasi fragilis seruus raptatus fuisti, vel ab occasione peccandi, vel à persuasore maligno, sed tota illius facinoris culpa tota in te fuit. *Tu Princeps es illius*, non vt seruus tractus, vel reptatus, vel impulsus, aut coactus, sed vt Princeps, in tota plenitudine tuæ potestatis constitutus, sciens, & prudens in tantum facinus prorupisti. Quis te liberabit à Dei ira? Ita Diu. Ambrosius, libro. 2. de Abel, cap. 7. inquit. *Tu ergo Princeps operis tui, tu dux criminis. Non te inuitum, non imprudentem error traxit: sed voluntarius reus iudicio, non lapsu fecisti dolum, quo te diuinæ iniuriæ reum esse connuncis.* Et quidem reprobi Caini æmuli sunt, qui non infirmitate, sed iudicio eligunt vitijs seruire. Qui non coactè adducuntur in opera carnis, sed in tota suæ potestatis plenitudine constituti ad illa currunt. His non absimilis Chanaam, maledictus Noemi filius, de quo ait Oseas, cap. 12. *Chanaam in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit.* Nullis verbis potuit nobis aptiùs proponere perditissimos populi mores; dilexit ille calumniam, dilexit iniustitiam; & quomodo dilexit? An aliqua necessitate coactus? Minimè, sed habens in manu stateram, & diligenti examine ponderans, & noscens, quid sit mala facere, pleno, & deliberato animo elegit peccare. Hoc in reprobato Chananæorum populo significat statera posita in manu, iuxta quam calumnia diligatur: quò spectans Ruffinus inquit: *Vbi enim talis animæ versatur affectus, vt non impetu, aut negligentia, sed cum deliberatione, quasi suspensis ab vtraque parte ponderibus, nefanda committat, dicitur peccasse sub trutina.* Et consequenter dicitur esse Chanaam populus deploratæ salutis; gens, quæ à domo Domini arcetur. Ait enim Zacharias, cap. vltim. *Non erit Chananæus vltrà in domo Domini.* Et meritò à Dei domo arcetur, qui non infirmitate, sed iudicio peccare elegit.

§. XI.

Peccati publicati verecundia patienter tolerata, non parua pœna peccati est.

ABsoluit Iesus adulteram, in pace que iubet abire eam, nullam illi imponens peccati pœnam: nec ideò aliquis malè colligat, nullam esse peccatori imponendam pœnitentiam. Absit hoc ab animo fideli; quin potiùs putet, maximam ab hac adultera toleratam esse pœnam, quando publicati peccati verecundiam patientissimè fuit perpessa. Cur benignissimus Iesus noua pœna affligeret eam, quam sceleris publicatione coram infamari cernebat? Puchrè aiebat Euthymius: *Satis erat talis diuulgatio, & coram tot aduersarijs erubescentia pro supplicio.* Fœminæ non prorsus perfrictæ frontis, & impudenti non poterat esse pœna, & supplicium leue, quòd eius peccatum diuulgaretur, sub cuius diuulgatione

tione & ipſa patientiſsimè erubeſcebat. Hoc quis paruum ſupplicium æſtimet? Numer.12. Maria, & Aaron fratres mur- Nu. 12. murarunt aduerſus Moyſem; *Et ecce Maria apparuit candens lepra, ſicut nix.* Maria, & Aaron facinus murmurationis committunt, & Maria ſola ſupplicium lepræ ſuſtinet, dum Aaron murmurationis particeps, lepræ ſupplicij viſitur immunis. Cur & Aaron non ſimiliter lepra afficitur? Cur etiam non & ipſe mulctatur? An quia & vir, & ſacerdos eſt, liber erit à peccati ſupplicio? Abſit; Mariam enim dum afficit lepra, peccatum Aaronis publicat, nec minori ſupplicio afficitur Aaron peccati publicati confuſione, & verecundia, quàm Maria dum lepra percutitur. Saluianus, lib.1. de prouidentia, inquit: *Coercitio lepræ huiuſmodi non Mariam tantùm, ſed & Aaronem humiliauit: quia etſi deformari lepra ſummum Antiſtitem non oportuit, & ipſum tamen Dei flagellatio caſtigauit: nec ſolùm hac in pœna, quam Maria patitur, Aaron etiam quaſi culpæ particeps coerceretur; Maria enim ſupplicio afficitur, vt Aaron confuſione mulctetur.* Non impunè abit, qui confuſionis, & verecundiæ publicati ſceleris ſubit pœnam.

*Ioan.*8. Iterum ergo locutus eſt eis Ieſus, dicens: Ego ſum lux mundi; qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.

§. XII.

Chriſti ſpiritus facit occultiſsimam quamque cordis malitiam manifeſtiſsimè cerni, cognoſci.

VT ſe cœleſtium, diuinorumque arcanorum manifeſtatorem Dominus oſtenderet, ſuffeciſſet, quòd ſe cœleſtium lucem nominaret; cur ergo non dicitur lux cœli, ſed ſe mundi lucem vocare maluit? In cœleſtibus ſolæ virtutes ſunt; in mundo autem ſub tenebris vitia latent, & innumera peccata. Is eſt ergo Ieſus, qui vt ſplendidiſsima lux, non ſolas cœleſtes virtutes manifeſtat, ſed & de eius munere venit, quòd nihil mundiale, nihil malitioſum, nihil ſceleratum in corde admiſſum nos lateat, ſed manifeſtiſsimè omnia malitiæ pabula proponantur. Exod.3. dum Moyſes greges ſo- Exod.3. ceri ſui ducit ad paſcua: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Ecce tibi, ſplendidiſsimus ignis diuinus rubo inſidet, nec vllum rubus inde patitur damnum; & quando ignis rubum non comburit, quid in rubo facit aliud, quàm illuminare, & vniuerſas rubi malitias propalare, ne vel minima ſpicula rubi ſub tam ingenti luce non pateat. Cur ergo Dñs igneus, & ſplendens ad rubum accedis? Imò cur, cùm à combuſtione rubi abſtines, non etiam abſtines à manifeſtatione illius ſpinarũ? Sanè hæc eſt Dei accedentis ad animum proprietas inſeparabilis, quòd nihil ſenticoſum, nihil ſpinoſum, & ſceleratum non ſtatim propalet. Ait Dñ. Ambroſius, li- Ambr. bro.1. de Spiritu ſancto, cap.15. *Vox ergo de flamma, & in rubo flamma, & flamma non noxia. Vrebatur enim rubus, & non exurebatur, eo quòd illo myſterio Dominus figuraret, quia illuminaturus ſpinas noſtri corporis adueniret.* Longè à Dei ſpiritu abeſt ille, quem proprij cordis ſpinæ latent; quando ad Dei lucidiſſimam præſentiam in anima, quidquid ibi ſpinoſum, quidquid offenſiuum, ſic proditur, vt vel minima ſpicula in lucem proſiliant. Qui per annum ferè; aut amplius in adulterio fuerat, nec ſuam malitiam nouerat Dauid, iam ait Pſalm.50. Pſal.50. *Ampliùs laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Vndè habuit Dauid, peccata ſua videre, quæ per tot menſes minimè cognouit? Ex eius ore ait Vrbanus. IIII. Pontifex maximus: Vrban. *Ex illo tantillo ſpiritu, quem in me Dei viſitatio reſeruauit, cognoſco iniquitatem meam.* Non equidem hominis ſpiritus, ſed Dei ſpiritus aliquo modo iam in Dauide habitans, omnia illi nota fecit ſua peccata. De ſpiritu enim Dei venit, quòd ad errores noſtros dignoſcendos non cæcutiamus, ſed vniuerſos præ oculis habeamus. Accipite Iſaiam, cap.6. huic Deus præſens oſtenditur ſuper excelſum thronum eleuatus, Seraphinis clamantibus, & adorantibus cinctus. Quid tunc Iſaias? Iſai.6. *Ipſe ſtatim clamat: Væ mihi, quia tacui, quia*

quia vir pollutus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito. Nunquam talia de se dixit Isaias; sed omnem suam efficaciam ostenderat in reprehensione populi sui, Iudæorum numerans comessationes, ebrietates, adulteria; in se nec minimam vitij speciē notarat. Vndè modò sic in suis labijs hæret? Vndè vidit sua polluta labia? Hoc fecit Dei præsentia; vbi enim assumitur, vt Dei gloriam in throno spectaret, sic de proximitate Dei illuminatur, vt omnes suos errores, & maculas manifestissimas sibi habeat. Siquidem ait Diu. Gregorius Nazianzenus, oratione. 7. *Isaias priusquam Domini gloriam conspexisset, nihil huiusmodi loquitur, nec animo languet, nec metu concutitur: verùm in Israelitas quidem magno clamore inuehitur, sibi autem parcit, atque â se tanquam ab insonte abstinet. Posteà verò quàm hæc vidit, ac vocem illam sanctam, & arcanam auribus vsurpauit, tunc demùm velut se ipsum magis agnoscens: Me miserum, inquit, quia compunctus sum. Nam quemadmodum Sol oculorum imbecillitatem prodit, eodem modo Deus animæ morbum aduentu suo indicat.* Lux est Deus, qui in nobis aduenies, quascumque animi sordes, quascumque labes manifestas facit, & publicat: ne quis Deo plenus in proprijs erroribus valeat cæcutire.

Nazian.

§. XIII.

Nemo ab alijs hominibus amatur, quàm ab ijs, quibus proficuus est.

NOn prætereunda est Diui Thomæ observatio in Caten. quòd nimirùm Iesus non dicat, ego sum lux Angelorum, nec ego sum lux cœli: sed tantummodò dixit: *Ego sum lux mundi*: & quidem qui à mundi incolis & suscipi, & amari volebat; hoc solùm ostendit, quod est illis proficuum. Id enim solùm amant homines mundi, quod sibi salutare noscunt, & experiuntur: cætera vel suspecta habent, vel inuisa. Hæc est vox Mariæ, Canticor. 1. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*: nec ignotum est bellum aduersus Iesum excitatum, vbi cæpit ostendi Mariæ solus Filius. Quis non contrarius erat Iesu? Quis in Iesu non aduersabatur Mariæ? Sed & dixerat ipsa Virgo loquens ad Filium: *Oleum effusum nomen tuum: ideò adolescentulæ dilexerunt te.* Modò impugnatus, modò dilectus? Qui paulò anteà impugnabatur, quomodo tàm citò incepit diligi? Anteà solius Mariæ dicebatur Filius, & quasi in Maria sola stagnata habebat Dei Filius sua beneficia; sed cæpit inde in alios effundi, cæperunt alij sibi etiam salutarem experiri illum, & quotquot salutarem sibi putant, etiam diligunt. Pulcherrimè Philippus Abbas Præmonstratensis, lib. 1. in Cantic. cap. 12. ait ex ore Mariæ: *Me autem repleta, ad eas, quæ iuxta sunt, oleum hoc effusum, vt capi valeat, adolescentulis est effusum: & quod infusum mihi, cùm non possent capere, neglexerunt, effusum sibi feruente spiritu dilexerunt.* Non inuenies creaturam, quæ sciat diligere, & æstimare ea, quæ sibi non sint proficua; sis quantalibet sapientia præditus, omnibus virtutibus ornatus, si nulli es proficuus, diligeris, æstimaberis à nullo; quin potiùs omnibus eris & odio, & ludibrio. Quæ te incipient sibi sentire fructuosum creaturæ; eædem, & non aliæ te colent, atque summa animi alacritate seruient tibi. Ait Psalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum; et nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Et cœlum, & diem, & noctem, & terram nominat; & de solis cœlis dicit, quòd sese effundant in laudes diuinæ gloriæ. Non aliæ creaturæ in præsenti dicūtur narrare Dei gloriam, nisi cœli; ij non cessant à Dei laudibus, incredibili in eum ardentes amore. Et cur præ omnibus alijs cœli sic erga Deum afficiuntur; nisi quia magis sibi præ alijs experiuntur Deum proficuum, & fructuosum? In cœlis Deus suam sedem habet, in cœlis manifestat suam gloriam; nec miror, quòd cœli plùs ament, quem sibi plùs salutarem norunt. Phillippus Abbas, libro. 1. in Cantic. capit. 16. inquit: *Cœlestia, quæ & cœlam, vel cœli non incongruè nominantur, quæ domus, vel habitatio, locus, sedes, solium Domini præparantur, ipsum re vera Dominum, et sessorem affectuosis desiderijs amplexantur, nec possunt non diligere, quem in se principari fortiter, regnare suauiter con-*

Philippus

Psalm. 18.

Philippus

Cant. 1.

templantur. Expende ab illis verbis: *Nec possunt non diligere, &c.* Ex quo enim in se creatura regnum Dei experitur, sic exardescit flammis amoris diuini, vt vix posset ab amore desistere. Quo spectans
Cant. 2. sponsa, Canticor. 2. sic ait: *Dilectus meus mihi, et ego illi*: Non prius ipsa ad sponsum currit, quàm sponsi in se sentiat, & experiatur beneficia. Prius sponsus illi, & deinde illa ad sponsum alacriter currit. Hæc est creaturarum conditio, quòd minimè excitantur ad amorem, nisi prius in se prægustato amoris lucro.

§. XIIII.

Cognitio Dei secum trahit omnes operationes virtutum.

DE mundi illuminatione se commendat Iesus, qui certissimè venit, vt homines trahat in virtutum vias. Fateor, ô Domine, quòd lux mundi es, quòd mundum illuminasti, vt Deum noscat: & veri Dei, & iusti Dei mundo infudisti doctrinam. Quid hoc interest, vt reformetur mundus? Quid hoc, vt homines ament virtutes, & honestatem arripiant? Multùm per omnem modum; nam lucida Dei notitia, si ipsa sit, proculdubio potens est trahere secum omnes alias virtutes. Vtinam lucem mundus habeat, qua sciat Deum; fallar, nisi frequentes appareant homines in virtutum vijs. Cantic.
Cant. 2. capit. 2. ait sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Et quid dilectus sponsæ dedit, quo tàm citò ipsa rapitur in bonam frugem? Crediderim hoc fuisse datum à dilecto sponsæ, nimirùm, lucem, notitiam diuinitatis ipsius. Pulchrè enim ait Philo
Philo Carp. Carpatius in præsenti fatus: *Ipse mihi sapientiam dedit, ego illi cor dabo. Ille mihi de cœlis sapientiam, ego verò illi de gentibus, fidei, spei, et charitatis fructus rependam.* Non plùs tardauit mundus in reddēdis operibus virtutum, quàm in accipienda luce, & vera diuinitatis notitia. Vt hæc data est mundo, & mundus cor suum effudit, vt seruiat Deo per omnes virtutum vias. Potentissima enim est notitia Dei veri, vt faciat homines sese ad bonam frugem reducere. Hinc viso Iesu
Luc. 2. cecinit Simeon, Lucæ cap. 2. *Viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium.* Expende, quòd vocatur Iesus salutare Dei missum mundo; insuper vocatur lumen ad reuelationē gentium. Quid lumen habet cum medicina? Lumen manifestat occulta; medicina autem morbos pellit, imbecillitates corroborat, virtutes acuit, vt fœlicior agatur vita. Quid ad hæc præstaret lumen? Sanè lumen, quod Deum verum hominibus manifestat, necessum est, vt eo ipso homines trahat in salutem, quando veri Dei notitia ipsa potens est, & impellere, & rapere animas in virtutum vias. Quippè
Cyr. alex. ait Cyrillus Alexandrinus, lib. 3. de recta fide ad Reginas: *Qualis reuelatio facta est gentibus? Nonne in Iesu agnouerunt, quòd Deus sit, & seruiendo ei liberati sunt à crimine.* Dei cognitioni adiuncta est libertas à crimine, libertas à peccatis, atque delictis. Qui nos Dei veri clarissimo sub lumine posuit, is à nobis fugat vitia, & trahit in virtutes. Vndè non cessat Arnobius, libro. 1. con-
Arnob. tra Gentes, Iesum exaltare, ex eo, quòd nos fecerit Deum verum scire. *Honoribus quantis afficiendus est nobis Iesus, qui ab erroribus nos magnis insinnata veritate traduxit? Qui velut cæcos passim, ac sine vllo rectore gradientes, ab deruptis, ab deuijs, locis planioribus reddidit. Qui, quod frugiferum primò, atque humano generi salutare, Deum monstrauit, quid sit, quis, quantus, & qualis: qui profundas eius, atque inenarrabiles altitudines (quantùm nostra quiuit mediocritas capere) et intelligere permisit, et docuit. Qui, quo auctore, quo patre, mūdus iste sit constitutus, & conditus, fecit benignissimè sciri.* Hanc autem de Deo lucem, & clarissimam, & præstantissimam vnus Iesus mundo effudit; quod nullus dubitabit & frugiferum, & salutare fuisse mundo, quando post hæc diuinæ cognitionis beneficia frequentissimas videmus hominibus salutis vias.

§. XV.

§. XV.

De solo Iesu venit, quòd homo à tenebris, & imperfectione in lumen abeat.

NOn qui mundiales scientias, mundiales haurit facultates, sed qui Iesu adhæret, tenebras exuit, & in lumen abit. Verum enim est, quod dicit Iesus. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Da quemuis verum sectatorem Iesu, & dabis illum illustrem, clarum, vt qui vni adhæret fonti totius
Luc. 9. illustrationis, & claritatis. Luc. cap. 9. *Facta est, dum oraret, species vultus Iesu altera: & vestitus eius albus, & refulgens: & ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate.* In qua maiestate visebantur Moyses, & Elias? Aut quam poterant humiles homines coram conditore suo ostentare maiestatem? Nonne Moyses Iesu seruus erat, quomodo seruus potest esse coram Domino suo in maiestate? Ideò Moyses in maiestate apparet, quia vt seruus Iesu illi adhærens apparet, quando à Iesu solo venit, quòd homo illustrior appareat, &
Damasc. clarior. Id quod notans D. Damascenus, orat. in Transfigurat. fatur: *Hodiè diuinus legislator Moyses in monte Thabor Christo seruilem in modum tanquam hero adstat, atque humanitatis ab eo assumptæ cognitione illustratur.* Non cùm legem in manibus portat Moyses, sed cum Iesu se subdit, Iesu cognitione illustratur, glorioſamque ebibit maiestatem. Nũquam enim ab alio, nisi à Iesu veniet ad homines perfectus splendor, & virtutum claritas. Audio Exod. 34. Moysis venientis cum legis tabulis, faciem glorioſis radijs illustrari, ita vt non possit ab Israe-
Exod. 4. litis conspici; sed & Exod. 4. audio de Moysis manu, *quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis.* Sed & manus Moysis habet legis tabulas, cur de beneficio legis non magis sanatur, illustratur? Cur non lepram exuit, & infirmitatem, vt habens legem glorioſa appareat manus? Non lex, non aliquis alius, nisi solus Iesus est, à quo habeant homines, ab infirmitate conualescere, &
Orig. claritudinem virtutum intrare. Origen. homil. 12. in Exod. fatur: *Quia ergo ex operibus legis nullus erat iustificandus, nec aliquem ad perfectum adducere poterat lex, idcircò manus Moysis leprosa fit, & in sinum reconditur, tanquam nihil perfecti operis habitura; facies autem eius glorificata est, quia sermo eius habet scientiæ gloriam.* Habebis equidem ex Moyse, ex lege, ex philosophia aliquid lucidum, quo splendeas, & illustreris ex ore; quo autem illustreris, & splendeas ex manu, ex operibus, ab alio non habebis, nisi à Iesu. Leprosæ sunt, & infirmæ omnes creatæ manus; nullum ab illis recipies perfectum, & splendidum opus. Quæcumque creaturarum splendida ore tenus sunt; verba sunt composita: vbi ad earum manus spectes, vt aliquid accipias; inde omnia ad infirmitatem veniunt, nihil ad splendorem. Et quidem verissimum illud est de omni creatura, quod Ioannes de Moyse Ioan. 1.
ait, cap. 1. *Lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum.* Splendent ore creaturæ, vt splendebat Moyses, dant bona verba: si ad earum os spectes, quid non lucidum audias ibi, & splendidum? Si autem manus quæras, operum veritatem, gratioſum aliquod donum speres, proh dolor! In Moysis manibus, in creaturarum manibus solam lepram, solam infirmitatem videbis, quando & gratia, & veritas omnis perfecti operis à Iesu venit. Vndè incarnatam sapientiam præ-
Sap. 6. monstrans Sapiens, cap. 6. ait: *Clara est semper, & nunquam marcescet sapientia, & facilè videtur ab ijs, qui diligunt illam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam, præoccupat eos, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat.* Ex quo monebat Petrus Damianus, lib. 6. epist. 17. *Illam*
Damian. *ergo sapientiam quære, illam totis visceribus ardenter amplectere, ex qua non modò valeas sapere, sed & viuere, ac per eam sine fine gaudere.* Et quidem ea est incarnata sapientia Christus Iesus, de cuius claritate venit, non solùm vt radiet lingua in verbis, sed magis vt radient manus in operibus vitæ. Habebis forsan à mundi sapientibus, quòd possis lucidè, & ornatè sapere; imò & dicere; verùm quòd lucidè, & ornatè viuas, id ex vno habebis Iesu fulgentissimo claritatis iubare.

(·.·)

§. XVI.

Vnus Iesus indeficiens lumen est hominibus: cætera omnia creata deficiunt.

ACutè Augustinus agnoscit discrimen inter Iesu lumen, & alia quæuis mundialia lumina; qui Iesum sequitur, non ambulat in tenebris; qui mundialia lumina sequitur, necessum est tenebras incurrere. Solem si sequaris, tandem ille te in noctis tenebris derelinquet; sic vniuersi mundi splendores, vniuersa bona mundi suos sectatores deludunt, & in tenebras mittunt. Qui Iesum sequitur, qui ad cœlestium conditionem viuit, nisi ipse faciat casum, nunquam in Iesu sentiet occasum. Luc.4. ait Dominus: *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ, quando clausum est cœlum, annis tribus, & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra, &c.* Recole historiam ex.3.Regum 17. & 19. vbi inuenies ab Elia clausum cœlum, ne quid roris super terram mitteret; ex quo rabidissima fames increuit, quæ in luctu, & squalore vniuersam terram tenebat: solus Elias alimentum habebat, curantibus cœli auibus, ne quid deficeret Eliæ. Quo posito expendendum est, quòd dicatur cœlum clausum in diebus Eliæ. Si clausum erat cœlum, quomodo erant dies illi? Dies constituuntur ex lucida, & aperta facie cœli, ex prospera, & albescenti hominum fortuna. Non dies est, sed nox, quæ notatur nigro lapillo; cui cœlum clauditur, in qua soli audiuntur gemitus, & suspiria. Quando ergo hæc erat facies mundi tunc temporis, quomodo vocantur dies illi? Vocantur dies, sed dies Eliæ: cui vnum Deum spectanti, & sequenti, non potuit lux, nec dies abundantiæ deficere. Ait enim Diu. Ambrosius in Psalm.36. *In diebus Eliæ, quando clausum est cœlum, nox erat perfidis; sed Eliæ lumen erat. Clausum erat perfidis cœlum, sed Eliæ patebat. Fames erat perfidis, sed Eliæ vbertas. Neque enim esurire poterat, cui cibum cœlestia ministrabant.* Omnia deficiebant perfidis, & ingratis hominibus, qui sequebantur creaturas: & lux, & ros, & esca deficiebat illis: at Eliæ vnum Deum, & conditorem cœli spectanti, nihilque æstimanti, nisi quæ à Conditore cœli poterant venire, nihil potuit deficere. Et quid deficeret sequenti Deum, cui totum cœlum seruiebat? Mihi crede, homo, specta cœlum, specta Deum vnum, & quando alijs omnia desint, nihil tibi deficiet. Compone modò Thobiam iuniorem cum Noemi socru Ruth: vterque à patria exijt; vterque in alienis peregrinabatur, vterque post tempus ad patriam reducitur. Sed Thobias gratias agens ductori suo dicit, capit.12. *Me duxit, & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit; vxorem ipse me habere fecit, dæmonium ab ea ipse compescuit; gaudium parentibus eius fecit; me ipsum à deuoratione piscis eripuit; te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti sumus.* Thob.12.

Hæc ductori suo accepta refert Thobias; quàm alia sunt, quæ de se narrat Noemi, Ruth. 1. inquiens: *Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus.* Ruth 1. Ille vacuus egreditur, & redit plenus bonis cunctis; hæc egreditur bonis plena, & abundans, & redit vacua omnibus illis. Sed hæc cùm redit, præstantissimum reductorem habet Deum ipsum, quippè ait: *Vacuam reduxit me Dominus.* Sed cur hæc habens Deum reductorem, tantam vacuitatem experitur; quando ille reductus à Dei Angelo, adeò bonis plenus inuenitur? Sanè Thobias eumdem ductorem, & reductorem sortitus, nec gradum fecit, quin in omnibus sequeretur ductorem diuinum; ait enim: *Me duxit, & reduxit*, & inde nullum defectum, sed omnium abundantiam meruit experiri. Noemi non à Domino ducitur, & reducitur; ducitur quidem à bonis temporalibus, ducitur à mundi creaturis, timens enim bona sua, & filios amittere in patria propter temporis angustias, sequens temporales commoditates, omnibus suis bonis, & filijs plena à Dei populo discedit, & abit in terram Gentilium, vbi adorabantur creaturæ, & sic quæ temporalem plenitudinem solam sequebatur, omnium temporalium defectum experitur. Egressa est plena, non Deum ductorem sequens, sed plenitudinis temporalis conseruationem solam inquirens: & inde vacuã reducit eam Dominus, vt ostendatur ille solus posse defectus, & vacuitates fugere, qui vnũ Deum sequendum proponit sibi. Tota hæc res pulchrè describitur iuxta communiorem sententiam.1. Paralip. cap.4. vbi Sela filij

dum

dum recensentur, dicitur: *Et qui stare fecit solem; virique mendacij, & securus, & incedens, qui Principes fuerunt in Moab, & qui reuersi sunt in Iaem*: vel vt ex Hæbræo Hieronym. *Et quæ reuersæ sunt in Iaem.* Ecce tibi de tota Noemi familia hæc dicta sunt; vir eius Elimelech, qui stare fecit solem, in quo Caietanus non miraculum aliquod particulare esse putat, sed viri præstantissimam explicari prosperitatem, & diuitias, vt qui solem, & astra sibi adstantia haberet. Quid tunc? *Virique mendacij, & securus, & incedens, qui Principes fuerunt in Moab*. Duo Elimelech, & Noemi filij de adstante patri suo sole, & astris securi, & incedentes ibant à populo Dei ad nationes alieniginas; ibique illustri matrimonio exaltati sunt. Sed quò magis sibi promittebant de fortuna patris, quam sequebantur, & magis apparebant viri mendacij: quando soles illi, & prosperitates versæ sunt in mendacia; vbi omnia illis defecerunt, & ipsimet defecerunt, adeò vt & Noemi mater, & vxor Ruth vacuæ prorsus in Bethleem reuersæ sint. Nil aliud, mihi crede, inuenies in mundi luminaribus, quàm mendacia, quàm vmbras, quàm fallacias. Aiebat Dauid Psalm. 36. *Nouit Dominus vias immaculatorum*. Ex Græco habes: *Nouit Dominus dies immaculatorum*. Et impiorum dies nonne etiam cogniti sunt à Domino? Cur non simul dicitur Deus nouisse dies tam iniustorum, quàm iustorum? Sanè impij homines, qui temporalia sequuntur, nihil habent, præter vmbras, non diem, non lucem, sed omnia illis deficiunt, quorum plenitudo solos iustos implet. Ait Diuus Ambros. ibi: *Nouit Dominus dies immaculatorum; quia immaculatæ innocentiæ gratia eius, & plenitudo miseretur: non miseretur errantibus. Isti non habent diem, quia lucem fugiunt; de quibus pulchrè dictum est; dies eorum sicut vmbra prætereunt*. Qui post creaturas errant, nihil habent, nec diem, nec lucem; omnia, quæ putabantur stabilissima deficiunt illis, & prætereunt sicut vmbra.

Psal. 36.

Ambr.

Vera, & indeficiens plenitudo eos sequitur, qui per immaculatam viam sequuntur Christum.

§. XVII.

Vbi peccatorum tenebræ abscedunt, adest Iesus.

QVi Iesum sequitur, meritò dicitur, quòd non ambulat in tenebris; non possunt esse tenebræ cùm lucidissimo Iesu; sed vt vitiorum tenebræ prorsus discedunt, tunc apparet in anima fulgentissimus Iesus. Numer. 3. *Ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti, sanctificaui mihi, quidquid primò nascitur in Israel.* Tenebrosa Ægyptij primogenia extincta prius sunt, vt saluator appareret in sibi dicatis primogenijs; non enim anteà primogenia fulgerent saluatoris luce, quã extincta fuerit malitia in primogenijs. Rem ita fundat Diuus Ambros. lib. 2. de Abel, capit. 4. *Cùm interficitur impius, Christus infunditur. Et vbi abominatio aboletur, sanctificatio cumulatur, quia Dominus dixit*: In die, qua interfeci omne primogenium Ægypti, sanctificaui mihi omne primogenitum in Israel. *Quod non ad vnum tempus referes, sed ad omne tempus. Cùm enim renuntiatur improbitati, statim adsciscitur virtus. Egressus enim malitiæ virtutis operatur ingressum, eodemque studio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur*. Id ipsum tardas in recipiendo Iesu fonte virtutis, & sanctitatis; quod tardas in abijciendis ab anima peccatis. Hæc abeant, & Christum habes, & virtutem, & sanctitatem habes. Sapiens ille Centurio, Matth. 8. dicebat: *Dico huic vade, & vadit, & ali veni, & venit.* Coniuncta est abitio mali, & allectio boni; vt facis à te malum abire, non dubito quin trahas fontem bonorum. Nissen. homil. 10. in Cantic. *Cùm ei dixisset, vade, & vadit, dicit se alium accersere. Nulla est enim societas luci cùm tenebris: sed necesse est omnino, vt si tenebræ recesserint, sit lux, quæ pro eis cernitur, & si vitium fuerit amandatum, pro eo virtus introducatur*. Non inuenietur cor hominis vacuum; eo ipso quòd vitium & peccatum missum facit, accersit sanctitatem. Vnam expectat expulsionẽ peccati Dominus, & statim ipse cùm virtutibus adest. Apud Lucam, capit. 19. Zachæus in arbore sublimis apparuit, vt

Ambr.

Matth. 8.

Nissen.

Ieſum videret, ait illi Ieſus: *Zachæe, feſtinans deſcende, quia hodiè in domo tua oportet me manere.* Quid neceſſum fuit tàm feſtinãter ire Ieſum ad domum Zachæi? Viderat Dominus hominis cor, ab eoque vitia expulſa, & rapinas è domo eius eliminatas, nec amplius moratur, ſed ad illum feſtinat. Ait Diu. Ambroſ. lib. de Abel, 2. cap. 4. *Meritò videns ſtudium eius, quòd in arborem aſcendiſſet, dicit ei Dominus: Feſtinans deſcende, quia hodiè in domo tua me oportet manere. Et deſcendit feſtinans, & excepit illũ gaudens. Sed excipiendo Chriſtum, excluſit auaritiam; releganit perfidiam; renuntianit fraudibus.* Omnia hæc dum excluſit, ſtatim meruit in domo ſua habere Chriſtum.

Luc. 19.

Ioan. 8. Dixerunt ergo ei Phariſæi: Tu de te ipſo teſtimonium perhibes; teſtimonium tuum non eſt verum. Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Etſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum. Quia ſcio, vndè veni, & quò vado: vos autem neſcitis, vndè veni, & quò vado.

§. XVIII.

Extremæ infœlicitatis eſt, ſub Chriſto nullum recipere guſtum ſalutis, ſed maiorem erroris caliginem.

MIſeri Phariſæi nacti ſunt Ieſum Doctorem, & oſtendentem manifeſtiſſimam ſuæ diuinitatis lucem; adhuc ipſi in tenebris manent, imò in maiorem errorum deturbati caligine, eius teſtimonium repellunt, dum dicunt: *Teſtimonium tuum non eſt verum.* Quid infœlicius? In medium procedente meridiana luce, deplorati homines magis inclinantur ad errorum vmbras. Cant. 2. ait ſponſa: *Dilectus meus mihi, & ego illi, donec aſpiret dies, et inclinentur vmbræ.* Cùm dies tam occaſui appropinquat, & parat à terris abire; tunc inclinãtur vmbræ. At dum dies adhuc adſpirat, adhuc in vigore lucis eſt, vix tantula apparet vmbra. Quales ergo ſunt iſtæ vmbræ, quæ adſpirante adhuc die inclinantur? Sanè infœliciſſimæ reproborum hominum vmbræ, quæ de ſalutis, luciſque fonte Ieſu nihil volunt accipere, imò quò magis eius viget claritas, eius miſericordia adſpirat, illæ in maiores tenebras, & ineuitabiliores ſe conijciunt. Pulchrè ad hæc aiebat Philippus Abbas, lib. 3. in Cant. cap. 17. *Infœlices vmbræ, quæ die adſpirante coguntur inclinari, cernice conquaſſata, pœnis infernalibus aggranari.* Totas inferni tenebras in ſe iam habeat neceſſum eſt, quiſquis inter adſpirantes Ieſu luces, adhuc tenebroſus manet, imò in longiores errorum vmbras inclinat, vnamque in ſe oſtendit perditionis caliginem. Non otioſè Ioannes proponit nobis reprobum Iudam inter euidentiora Chriſti benignitatis ſigna obfirmatum fuiſſe in caliginoſa ſua malitia: quippè ait cap. 13. *Cùm ergo accepiſſet ille buccellam, continuò exiuit; erat autem nox.* Quanta hæc Iudæ infœlicitas? Inter Ieſu epulas conſtitutus, fauum illum corporis Chriſti participans, quo illuminantur oculi cœleſtium Principum, ipſe ad perditionis vmbras inclinat, & ſeſe dat in extremam ſcelerum caliginem. Vndè hoc? Ait Euangeliſta: *Erat autem nox*: in ſe totam inferni noctem habebat, qui adſpirante per buccellam Chriſto, maiores oſtendit ſui ſceleris vmbras. Pulchrè D. Ambroſ. lib. 2. de Abel, cap. 4. inquit: *Non ſolùm exiuit, ſed cõtinuò, et nocte exijt. Nec mirum, ſi noctis tenebras habebat, qui Chriſtum deſerebat.* Totas æternarum noctium tenebras in ſe præhabere oſtendit, qui ad lumen Chriſti tenebreſcit, & nullo guſtato tanti fontis ſalutis fructu, mauult vitiorum ſuorum inhærere caligini. Pro quo meritò clamat Ioan. cap. 3. *Hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Hoc quippè eſt ſeueriſsimi iudicij exercitium, quòd homines inter lucidiſſimas Chriſti lampades, auidiores ad tenebras currant: hoc qui faciunt, æternas in ſe oſtendunt perditionis caligines.

Philipp.

Ioan. 13.

Ambr.

Ioan. 3.

§. XIX.

§. XIX.

Mendaces homines eò temeritatis, & impietatis veniunt, vt Deum ipsum putent mentiri.

NOn cunctantur Pharisæi isti, vt sanctissimo veritatis Magistro mendaciũ atribuant; quippè aiunt: *Testimonium tuũ non est verum.* Nec miror, quòd mendacissimi homines mendacium Iesu attribuant, quando eò deuenit impudentia, & impietas hominum, qui frequenter mentiuntur, vt neminem, neque Deum ipsum putent à mendacio liberum. Apud Matth. cap. 7. dicit Dominus de reprobis hominibus: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Tunc confitebor illis: Quia numquam noui vos, &c.* D. Chrysostom. legit: *Tunc iurabo illis: quia numquam noui vos,* non solùm dicit, se confessurum, sed addit, se iuraturum, quia numquam nouit eos. Sed ad quid necessum est, quòd Deus iuramentum adhibeat? Nonne sufficit simplex Dei verbum, vt putetur verissimè dictum? Equidem sufficit simplex Dei testimonium, vt nimis credibile videatur iustis hominibus; sed tunc loquetur Deus cum his, qui diligunt vanitatem, & quærunt mendacium: & ideò dictis addit iuramentum, sciens eò impietatis peruenire homines mendaces, vt à nemine, neque à Deo ipso putent, posse veritatem dici. Sapienter Diu. Chrysostom. homil. 19. in Matth. ait: *Iurat autem Christus, non vt suam veritatem commendet, sed vt illorum incredulitatem condemnet. Non enim si non iurauerit Christus, mentitur, sed vt illi ampliùs confundantur firmiori responso. Quoniamqui mendax est, neminem putat dicere veritatem, neque ipsum Deum.* Quid impius? Tales sunt mendaces homines, vt pro nihilo æstiment putare, Deum posse mentiri, sicut ipsi mentiuntur. Imò mendacissimi ipsi eamdem consequenter, maculam mendacij Deo non dubitant inurere. Quò spectans Ioan. 1. epist. 1. ait: *Si dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus Deum.* Expende, quid ex nostro mendacio nascatur, non enim sufficiens erit, quòd nos turpiter mentiamur, negantes peccata nostra; sed inde in maius quid deuenimus facinus, ne scilicet vereamur Deum mendacem facere. Quid turpius? Ait Oecumenius: *Si impudenter dicimus, nos non peccasse, duplex operabimur malum, & nos ipsos ostendentes mendaces, & Deum, qui excedit omnem veritatem, de mendacio calumniantes.* Quò non ascendat mendacis hominis malitia, quando non veretur Deum ipsum veritatis auctorem de mendacio calumniari? Hinc ille diuini honoris zelus, qui vexabat Paulum dicentem ad Romanos. 9. *Optabam enim ego ipse anathema esse in Christo pro fratribus meis.* Et cur Paulus sic cupiebat Iudæos adiungere Christo, vt dum illi adiungerentur, mallet ipse Christo priuari? Cupiebat id Paulus propter Dei honorem, ne Deus separatus à Iudæis, suspicionem apud viros mendacissimos incurreret minùs veracis in promissionibus suis Iudæ factis. Non enim dubitaret mendax homo videns se priuatum promissis, Deum ipsum æstimare mendacem. Ait Theodolus aliô datus: *Anathema quærit fieri vt Iudæi Christo accedant, ne videatur Deus in suis promissionibus minus esse verax.* Quid aliud magis timeret mali à viris mendacissimis Deo suo parari, quàm vt eum mendacem in dictis æstimaret? Hinc Beat. Isaias Abbas, orat. 8. monebat: *Amendacio abhorre; expellet enim abs te timorem Dei.* Qui enim mendacijs deditur, nulla dicta nec Dei ipsius putat non mendacia, & sic nil quod timeat, habet.

Oecum.

Rom. 9.

Theod.

Chrysost.

Ioan. 8. Vos secũndũm carnem iudicatis: ego non iudico quemquam. Et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me, Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

§. XX.

Accusationi, seu damnationi proximi carnalibus ductæ principijs, vix potest non subesse falsum.

AGebatur de testimonio Iesu an esset verum; ostendebat ipse Iesus testimonium suum esse verissimum; & subijcit statim; *vos secundùm carnem iudicatis; ego non iudico quenquam*, nimirum secundùm carnem. Quid hoc cum re, quæ tractabatur? Quid quòd iudicet, vel non iudicet, arguat, vel non arguat, adhoc vt eius testimonium sit verum, omni carens falsitate? Multum sanè: sapientissimè enim probat suam infallibilem veritatem Dominus, ex eo, quòd non iudicet, non damnet, non arguat aliquem secundùm carnem: quando iudicio hominis, siue in damnando, siue in accusando secundùm carnem vix potest non subesse falsum. Ad hæc Chryso. aiebat Diuus Chrysostomus in Psalmis 7. *Quis est autem, qui non fratrem contumelia affecit? Qui mulierem non aspexit impudicis oculis? Qui non inuidit? Qui non inani gloria laborauit? Qui non loquutus est verbum otiosum? Quis te accusauit, nec mentitus est?* Hæc ille; & sapienter inter illa vitia, sine quibus, aut rarus, aut nullus inuenitur, posuit accusatoris mendacia, non enim minus impossibile videtur Chrysostomo inueniri hominem, qui nullum otiosum verbum dixerit, quàm, qui fratrem accusans non Leuit. promat mendacium. Apud Leuit. cap. 19, ait dominus: *Non eris criminator, nec susurro in populo. Non stabit contra sanguinem proximi tui.* Vbi noster posuit *crimi* Caiet. *nator*, legit Caietanus; *non eris explorator*, & explicat de eo, qui facta fratrum explorat, vt arguat, vt accuset. Ex Hæbræo autem legit Oleaster: *Non ibis fraudulenter in populo tuo.* Et septuag. posuere: *Non ambulabis dolo.* Quæ omnia noster eleganter simplici vocabulo explicuit, vbi dixit, *non eris criminator*: qui enim fratrum crimina in examen vocat, vt iudicet, vt accuset, vix fieri potest, quòd omnis fallaciæ, & doli sit immunis. Facilius, mihi crede, non accusabis fratrem, non damnabis crimine proximum; quàm si damnas, si accusas, effugies mendacium, effugies dolum, & fallaciam. Hinc Ioseph cum esset iustus, videns Mariam prægnantem, & mysterium ingorans, maluit ab illa discedere, quàm accusare. Ait enim Matth. 1. *Ioseph cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Quo circa Diu. Ambros. Serm. 7. in Psalm. 118. vers. 5. ait: *Non solùm ab vltionis atrocitate, sed etiam ab accusationis seueritate, iusti aliena persona est: potiusq; ducit suam remissionem accusari, quòd non indicauerit, quàm alienum crimen arguere.* Hoc est iusti hominis, qui vt fugit mendacium, sic debet fugere accusationem fratrum facere. Non equidem est hominis in iudicio, & accusatione cauere mendacium. Hinc dominus in præsenti aiebat: *Si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me pater.* Vbi Euseb. Emissen. *Ideo* Euseb. Emiss. *inquit, verum est iudicium meum, quia solus non sum, quia homo solummodo non sum: omnis enim homo mendax.* Quisquis non Deus, sed homo est, humanisq; ducitur affectibus ad iudicandum fratrem, non id faciet, quin succumbat mendacio. Id enim manifestissimum est signum Deitatis, quòd quis in omni iudicio proferat veritatem. Vnde Ezech 9. iubentur nonnulli iusti veritatis sequaces signari Thau, quod notans Origen. in Psalm. 4. relatus in cat. Græc. ait: *Omnem, super quem videritis Thau, ne occidatis. Et quæso, quanam est significatio â Deo data religiosis, & pijs viris, vel signum illud, quod frontibus eorum impressum est, qui veritatem diligunt, & propter populi transgressionem lugent, nisi communicatio diuinitatis?* Et quidem qui veritatem diligit, nec accusat, sed luget transgressiones fratrum, iam inde habet in fronte scriptum signum patens diuinitatis. Quò spectat illud Apocalips. 14. vbi de ijs, Apoc. 14 qui in fronte habebant scriptum nomen agni, & nomen Patris eius, dicitur notanter. *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno, & in ore eorum non est inuentum mandacium.* Quasi inde sub diuinitatis nominibus clareant, quòd longè sunt à mendacio.

***

Ioan.

Ioan. 8. Dicebant ergo ei: Vbi est Pater tuus? Respondit Iesus: Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. Hæc locutus est Iesus in Gazophilatio, docens in templo, & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius.

§. XXI.

In Trinitatis diuinissimæ notitia, summa est bonorum ad vitam spectantium abundantia.

DE se, vt Dei Filio, & de diuino suo Patre locutus Iesus, non otiosè dicitur locutus in Gazophilatio, hoc est, iuxta arcam, in qua pro pauperibus, & viduis sustentandis collatæ à fidelibus pecuniæ reponebantur. Sed cur de se, & Patre locuturus adit Gozaphilatium, adit pro pauperibus repositos thesauros, nisi vt ostendat in notitia diuinissimæ Trinitatis esse eam bonorum abundantiam, quæ posset implere thesauros ad vitam hominū sustentandam? Huc spectabat homo ille, qui habens amicum, Luc. 11. *Vadit ad illum media nocte, & dicit illi: Amice, commoda mihi tres panes, &c.* Media in nocte constitutus, tenebris obrutus, ad amicum abit, quærens tres panes, quasi si notitiam diuinissimæ accipiat Trinitatis, tantam bonorum recipiat abundantiam, quanta possit nocturnos omnes labores superare. Luc. 11. Ait Diu. August. in Diu. Thomæ Caten. August. *Amicus ad quem venitur media nocte, vt accommodet tres panes, vtique ad similitudinem ponitur, secundùm quam quis rogat Deum in tribulatione constitutus, vt ei tribuat intelligentiam Trinitatis, qua præsentis vitæ consoletur labores.* Pro laboribus subleuandis meritò quæritur notitia Trinitatis, quæ sic abundat bonis, vt vix sinat homines penuriam pati eorum, quæ sunt ad vitam necessaria. Vndè mirabar aliquando, quòd homo iste habens hospitē, solùm sollicitus inueniatur pro quærendis tribus panibus: quippè solùm ait: *Commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo, quod ponam ante illum.* Non habet, quod ponat ante hospitem, & solum quærit tres panes. Si non habes, quod ponas, non solùm deficit panis, sed & alia deficiunt vitæ necessaria, saltem enim deficit potus, sine quo impossibile est vitam agere. Cur ergo non quæris & alia? Cur non quæris potum? Cur contentus es quærere tres solos panes? Equidem si ipse notitiam habeat Trinitatis, & cum illa habebit cætera necessaria, quibus indefectibilem vitā agat. August. in Cat. Diu. Thomæ: *Cùm perueneris ad tres panes, hoc est, ad cibum, & intelligentiam Trinitatis, habes, et vnde viuas, et vnde pascas. Ne timeas, ne finias; non enim panis ille finietur, sed indigentiam tuam finiet. Disce, & doce; viue, & pasce.* Quid homo requirat ad vitam, quod nō habeat in diuinissima, & sibi nota Trinitate? Ex quo viuificæ Trinitatis notitia insignitus homo est, mala depellit, & nociua, habens vnde fortunatissimè, & æternū viuat. Thamari à Iuda hœdus promittitur, Gen. 38. & pro hœdi arrhabone dantur illi tria, nimirùm annulus, armilla, & baculus, interea dum illi hœdus mittitur. Quid tunc? Acceptis tribus pignoribus, ipsa hœdum noluit expectare, sed statim discessit. Cur non magis expectat hœdū sibi promissum? Fidelis Ecclesiæ typum ferebat Thamar, quæ vbi in tribus pignoribus, diuinæ Trinitatis pignus recepit, non vult amplius cum hœdis, sed cum agnis fœlicibus in loco pascuæ diuinæ reperiri. Sic D. Zeno, ibi: Zeno. *Hœdum ei promittit Iudas, id est, quæ sit peccatori peccati merces, ostendit. Quam accipere deuitauit, quia inter agnos venturo tempore, non inter hœdos deputatur, qui pignus Trinitatis accepit.* Sub sanctissimæ Trinitatis pignore infœlicem cauet pascuam hœdorum; & cum agnis sibi promittit fœliciſsimam.

Augustē. Gen. 38.

Ioan 8. Ego vado, & quæretis me: & in peccato vestro moriemini. Quò ego vado, vos non potestis venire. Dicebant ergo Iudæi: Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, quò ego vado, vos non potestis venire.

§. XXII.

§. XXII.

Aut nullus, aut rarus est adeò perditus homo, qui Deum non inuocet, sed prorsus neget.

OBduratissimos, flagitiosissimosq; Pharisæos allocutus Dominus, illis dicit: *Quæretis me*; quis enim sic ob scelera sua desipit, vt Deum non quærat, Deum non inuocet, sed prorsus neget? Sanè nec de perditissimis hominibus eô malitiæ deueniunt plures, sed aut rarus, aut nullus. Vbicumque plures sint, etiam perditissimi, puta ab illis inuocandum Deum; nunquam enim Deum prorsus negat multitudo. Nullos errores diabolus non dicit, & persuadet quotidiè populis, & nationibus; at vbi ad errorem de Deo tollendo ventum est, ait Dauid Psalm. 13. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Hoc est semel aliquando in corde suo, & nõ in frequentijs populorum, nec in turbis ciuitatum ausus est diabolus sic stultescere, vt negaret Deum. Id equidem semel ausus fuit, sed ex tunc non ampliùs audet; sed si cui id forsan in secreto suggesit, statim sepeliuit eum, ne tàm immanis stultitia etiam in perditissimis videretur. Accipite Diu. Chrysostomum pulchrè de hac re differentem, ibi: *Dixit insipiens in corde suo; non dixit, dicit, sed dixit: semel ausus est, & dixit. Et quoniam cùm dixisset, eiectus est è cœlis tanquam superbus insurrector, non ampliùs per se dicere ausus est. Quoniam enim semel tantùm dixit: Ponam thronum meum super nubes, & ero similis Altissimo, et Deum negans, Deum expertus est, ex alto deturbatus, & in imo ab hominibus conculcatus, non ampliùs ausus est dicere: Non est Deus. Quia ergo semel dixit dogma impium, non ampliùs ausus est dicere. Dixit in Pharaone, non noui Dominum, et curauit, vt profundum maris esset ei sepulchrum.* Mirabar, quòd qui tot in dies loquitur, & dicit blasphemias diabolus, tot prædicat errores, & illos populis, & nationibus persuadet, cur etiam nõ dicit, & persuadet populis, Deum non esse? Cur, qui tot dicit Britannis mendacia accepta viris, accepta fœminis, accepta prouincijs, & regionibus; non dicit illis Deum non esse? Sanè non tanta est dæmonis audacia, & temeritas, vt putet, posse accipi à populis, à multitudine mendacium tantum. Semel illud ausus fuit dicere, sed non populis, non ciuitatibus, imô nec vni hominum; sed solùm in corde suo dixit, audiente, & subscribente nullo hominum, quòd non erat Deus. Ex tunc prorsus tacuit, quòd si forsan ausus est illud dogma iterum dicere, non populis, nec popularibus hominibus, sed vni Principi viro, vni Pharaoni id dixit, & statim illum maris vndis sepelire curauit. *Dixit in Pharaone, Non noui Dominum, & curauit, vt profundum maris esset ei sepulchrum.* Aut nullus sanè, aut rarus, & citissimè obruendus tenebris est, qui accipiat dogma de Deo negando. Eliu amicus Iob, cap. 35. *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt: & eiulabunt propter vim brachij tyrannorum. Et non dixit, vbi est Deus, qui fecit me?* Expende illa, nimirùm, *clamabunt, & eiulabunt, et non dixit*: vbi enim affectus humanos aduersus homines depingit, non dubitauit loqui de plurali numero, sciens plures esse, qui se odijs, & iris aduersus alios dedant: at vbi de Deo non memorato, imò potiùs obliuioni tradito, quasi non esset, agendum erat; statim à numero plurali abstinuit, & in singulari posuit, *& non dixit, vbi est Deus?* putans Deum, sic quasi non esset, ignorari non posse, nisi ab aliquo vel inter sceleratissimos rarissimo.

Psal. 13.

Chrysost

Iob. 35.

§. XXIII.

Scelus immediatè aduersus Deum post se solet trahere catenata cætera omnia scelera, vsque ad impœnitentiam extremam.

EXpende verba illa, & consequentiam, nimirùm, *Quæretis me, & in peccato vestro moriemini*: qui enim Deum odio querit, vt Deum ipsum, quantum est in se, perimat, vix fieri potest, quòd à peccatis vitæ humanæ, dum viuit, se expediat. Vix fieri potest, quòd alicui peccato pareat, quin potiùs cætera omnia catenata trahet vsque ad impœnitentiam extremam. Quis nesciat ingratum illud Deo sacrificium Caini? Ait Genes. 4. *Factum est post multos dies, vt offerret*

Genes. 4.

Cain

Cain de fructibus terræ munera Domino. Ecce tibi Cain per munera quærit Dominum, inuocat Dominum: sed per quæ munera? Per munera Deo odiosa, quæ Deum offendunt immediatè, diuinosque feriunt oculos, ne possint respici à Domino. Quæ dum Cain offert, statim sequitur: *Et iratus est Cain vehementer, et concidit vultus eius*: nec id solùm de illo dicitur, *Sed consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, et occidit eum.* Rursus, hæc est illius vox: *Maior est iniquitas mea, quâm vt veniam merear. Ecce eijcis me hodiè, &c.* Quæ res sic Cainum in desperationem impellit, imò præcipitat? Vndè ad tot flagitia peruenit, vt inuideat fratri, vt irascatur vehementer, vt homicida fiat, vt tandem se venia indignum censeat, & non æstimet carere diuina venia? Hoc fuit primum eius scelus, quòd Deum vilibus muneribus inhonorat, quòd impiè Deum inuocare non veretur: vbi autem impius hominis affectus aduersus Deũ immediatè insurgere nõ timet, nulla non patrabit alia scelera, in quibus pereat. Ad hæc D. Ambrosius, lib. 2. de Abel, cap. 7. ait: *Etenim impietas ad Deum mater est delictorum, & qui grauiora peccauerit, in cætera facilè prolabitur. Quomodo enim potest ab humanis temperare, qui diuina violauit, & hominibus bonus esse, qui Deum læsit? Atrociorem scelerum reatum vitia reliqua sequuntur, quoniam quô flagitiosiora propenderint, eò inclinant cætera.* Expende illa, nimirùm: *Quomodo potest ab humanis temperare, qui diuina violauit, & bonus esse hominibus, qui Deum læsit?* Cuius eò tendit audacia, vt non vereatur Deum inhonorare, Deum probris afficere, & quæcumque Dei sunt immediata, turpiter contemnere; rarum, & diuinæ omnipotentiæ opus erit, si non cæteris omnibus sceleribus, quæ ad creaturas spectant, pertinaciter adhæreat. Vix fieri potest, vt à carnalibus, & humanis vitijs abstineat, quinimò per omnia præcipitatus ad finalem impœnitentiam perueniat. Hoc proprium habet impietas erga Deum, quòd catenata omnia alia trahat vsque ad finalem impœnitentiam. Hinc Dominus post perditum irreparabiliter Angelum, vbi hominem creat, in paradisoque constituit, præceptum illi proposuit circa fructum scientiæ, ne quid arbori eriperet, vt comederet: quippè ait Genes. 2. *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Et cur in tàm vili materia proposuit præceptum? Cur non magis diuiniora alia imperauit, nimirùm vt sacrificia offerret, vt litaret? Vel cur non maluit hominem degere sine precepto positiuo? Nonne Angelum condidit, & sine vllo simili præcepto positiuo degere fecit? Cur similiter hominem non fecit sine hoc pæcepto? In homine cauebat Dominus, ne fieret irreparabilis lapsus eius, vt lapsus Angeli irreparabilis extitit; & ideò proposuit præceptum circa materiam creatam, ne haberet præ manibus homo occasionem aduersus Deum immediatè insurgendi, quo penè irreparabilem ruinam sustineret. Diu. Chrysostom. homil. de Adam, & Eua ait: *Deus noster faciens hominem ad imaginem, & similitudinem suam, dedit præceptum in creatura, id est, in arbore, eligens, vt per transgressionem in creaturam peccaret, quâm sine mandato in creatorem offenderet. Et sicut Angelus, qui sine præcepto elatus cecidit, ita & homo, si præceptum non acciperet, æquè & ipse diceret: Pono sedem meam in Aquilone, & ero similis Altissimo; & caderet irreparabiliter.* Hæc fuit benignissimi Dei erga hominem cautela, vt occasio peccandi longè à diuinis poneretur, ne si accideret peccatum, irreparabile penè videretur. Peccatum enim, quod immediatè aduersus Deum tendit, sic ad cætera omnia impellit, & illis facit hominem adhærescere, vt vix fieri possit, quòd in illis non pereat. Caueant, qui Deum temerarijs iuramentorum vocibus inhonorant; qui inter diuina templorum occasiones lasciuiendi quærunt, quas ibi Deo immediatè iniurias fecerint, forsan neque in morte ab illis sese expedient. Aiebat Dominus, Mat. 12. *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, nec in hoc sæculo, nec in futuro.* Ex quo sapienter colligit D. Ambros. Spiritum sanctũ non posse nnmerari inter creaturas, vt hæretici volebant; sed debere numerari inter personas diuinas omninò, quando non quod fit aduersus creaturas peccatum, sed quod fit aduersus Deum immediatè, quasi annexam sibi habet finalem impœnitentiam. Ait Diu. Ambrosius, lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3. *Quomodo igitur inter creaturas audet quisquam Spiritum computare? Aut quis sic se obligat, vt si creaturæ derogauerit, non putet sibi hoc aliqua venia relexandum? Qui non confitetur Spiritum sacrilegij reus sine venia damnatur: vtique hinc æstimari potest, non inter omnia, sed super omnia esse Spiritũ S. cuius iniuria æternis supplicijs expiatur.*

Ambr. Gen. 1. Chrysost. Matt. 18 Ambr.

Hanc

Hanc habent quasi proprietatem peccata immediata in Deum, quòd sine veniæ remedio maneant; hoc est, quòd ægrè, & difficulter possint curari, Num. 12. murmurat contra Moysem soror eius Maria, & statim percutitur lepra. Sed & Iob amici murmurant contra Iobum, & non percutiuntur, quin potiùs Deus, Iob. 42. ostendit illis modũ, quo veniam possint impetrare. Et cur, quando & ij, & illa murmurant contra iustum, illa plectitur, ijs veniæ locus datur? Nicetas ait in Cat. Græca: *Quid est, quòd cum Maria Moysi obrectasset, lepra infecta est? Iobi verò amici nihil mali sunt passi: nimirum, quia illa non tantùm Moysem, sed Deum etiam Moysis laudatorem voce violauit. Hi verò cùm Dei dignitatem, & laudem extulissent, hominem tantummodo in vituperationem adduxerunt.* Hæc ibi. Nicet.

§. XXIIII.

Ille solus, in quo est Dei amor, Christum crucifixum suspicere potest, & pro illo penetrare quemcumque locum, siue passionis, siue gloriæ.

PErgebat Dominus ad passionem, pergebat ad crucem; vndè meritò dicit osoribus suis: *Quò ego vadam, vos nõ potestis venire*; qui enim nec minimam diuini amoris scintillulam habebant, minimè possent suspicere, & recipere crucifixum Dominum. Præmiserat Dominus illud, *quæretis me*; hoc est, iuxta Diu. Augustin. tract. 38. in Ioan. *Quæretis me, non desiderio, sed odio*: ex quo ergo affectus odij, quidquid diuini amoris erat in cordibus Pharisæorum, extinxerat, millies perire mallent, quàm crucifixo appropinquare. Ille quidem solus crucifixo appropinquat, qui currit pedibus charitatis. Marc. 15. post Iesum crucifixum: *Venit Ioseph ab Arimathia nobilis Decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu.* Ab vno Iesepho audio peti, & accipi crucifixi Iesu corpus: vnus hic est, qui audacter ad Pilatum ingreditur, apud quem sterit Iesus & damnatus, & accusatus; & quis impulit nobilem virum, vt damnati Iesu corpus curet accipere, nisi ardens in corde ipsius Dei amor? Ait Damascenus, homil. in Parasceue: *Condonatur autem Iesepho corpus. O inuictam animi audaciam, libertatemque ipsius singularem, quam fides, ac numinis amor excitarat.* Non equidem auderet homo fidelis ad Iesu crucifixi corpus accedere; imò illi adesse non posset, nisi impelleret illum calcar diuini amoris. Hinc Petrus, & Ioãnes vbi à Magdalena accipiunt Iesu corpus ereptum sepulchro; statim cum nuntiatrice viam arripiunt, currunt ad inane sepulchrum, & vt perueniunt, & cernunt vacuum, non illic morari audent. Ait Ioan. 20. *Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos: Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Discipuli ad semetipsos abierunt, non manere possunt ad Iesu monumentum; sola Maria Magdalena ibi manet, sola etiam mortui Iesu sepulchro aderat, quia sola tunc cæteros superabat Dei amore. Ad hæc Origenes in præsenti fatur: *O Maria, quid spei, quid consilij, aut quid cordis erat tibi, vt sola stares ad monumentum, discipulis abeuntibus? Sapiebas plùs illis, aut diligebas plùs quàm illi, quia non timebas vt illi? Certè nihil modò sapiebat Maria, nisi diligere.* Vt tota præ omnibus erat in amando Domino, sic omnes vincebat adhærens sepulchro mortui. Pro mensura amoris venit affectus adstandi Iesu mortuo; qui sub timoris gladio languentem habebant amorem, ad mortui monumentum stare non possunt, sed festinatissimi recedunt; quæ flamantes amoris diuini prunas in corde tenebat, nihil veretur, sepulchro instat, imò nullum non penetraret locum, vt inde Iesu posset accipere corpus. Huc spectant illa Magdalenæ verba ad putatum hortulanum, Ioan. 20. *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, ego eum tollam.* Vnum cupit, nimirùm vt sciat locum, vbi sit Domini corpus, licèt locus difficilis sit, licèt periculosus, licèt mortis caligine occlusus, licèt planè insuperabilis, tamen non dubitat, sed promittit, se adituram locum, vt inde Iesum asportet. Quis hanc audaciam mulieri daret, nisi amor Domini? Pulchrè Origenes in præsenti tractat hunc locum, dicens: *Maria noctem non præstolatur, nec Pilatum veretur, sed audacter promittit, dicens: Ego eum tollam. O Maria, si corpus Iesu fortè positum est in atrio Principis Sacerdotis, in quo Princeps Apastolorum calefaciebat se ad lumen, quid factura es? Ego eum tollam. Et si ancilla ostiarie interrogauerit te, quid factura es? Ego eum tollam.* Damasc. Ioan. 20. Origen. Ioan. 20. Orig.

lam. O ineffabilis huius mulieris amor, nullum locum excipit, nullum anteponit, sine timore dicit, absolutè promittit; Dicito mihi, vbi posuisti eam, et ego eum tollam. Sit; homo, in te Dei amor, & nullus erit locus, vndè Deum non habere possis: qui amore ducitur, lustrabit omnia, penetrabit omnia. Siuè Iesus sit in atrio Prlati, siuè in Caluarij loco, siuè in sepulchro, inde audebit sibi prærripere Iesu corpus; licèt in cœlo sit, & in sublimi Patris consideat throno; si amas, ad Iesum venis, & pedibus eius obuolueris. Amor est, qui ad Iesum facit homines accedere, vbicumq; Iesus fuerit positus. Quis nesciat dæmones clamasse ad Iesum; *Iesu fili Dauid*; & similiter: *Scio quòd sis sanctus Dei*, & repelluntur à Domino; semel ait Petrus, Matt. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui, &c.* Et statim audit ex Domino: *Beatus es Simon Bariona, &c.* Diu. Augustin. homil. 17. ex Quinquaginta, ait: *O Domine, hoc tibi dixerunt & dæmones, quare illi nõ sunt beati? Quare? Quia dæmones hoc dixerunt timore, Petrus amore.* In quo nil Dei amoris inuenitur, non miror, quòd repulsa inueniatur, & occlusus illi fiat aditus ad Dominum; amor enim Dei fidelissimum agit ostiarium, si amore ducaris, & Iesu lustrabis passiones, & eiusdem tenebis glorias.

Matt. 16

August

§. XXV.

Idem videtur esse in Deo, posse à suis auertere oculos, & posse desinere esse.

VBi Iesus dicitur abire, desererequè suum populum; hæc dubitatio excitatur in animis auditorum: *Num interficiet semetipsum, quia dicit, quò ego vado, vos non potestis venire?* Quasi idem sit, aut saltem duo maximè connexa, quòd Iesus abeat, oculosque auertat à populo suo, illum prorsus deserens, & semetipsum perimere. Et quidẽ si nostri Dei bonitas spectetur, & nimius ad suos affectus, non miror, quòd idem videatur esse in illo, quòd à suis oculos auertat, & quòd esse desinat. Antiquus fuit insipientium hominum error, qui nullum Deum affirmabant esse, Psalm. 52. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* Plures alij Deum esse affirmabant conditorem, & creatorem omnium rerum; sed qui vbi res vniuersas condidit, statim illas omnes deseruit, ab earumque cura, & prouisione oculos prorsus auertet. Psalm. 93. *Et dixerunt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* De ijs dubitari potest, an fuerint duo diuersi errores; alter, qui Deum esse neget; alter, qui Dei prouidentiam, & suorum curam tollat? Pulchrè Saluianus, lib. 4. de prouident. putat hos errores in vnum, atque idem reincidere; quando non magis credi potest de diuina bonitate, quòd creaturas à se conditas non aspiciat, non eis prouideat, sed prorsus oculos auertat, quàm quòd esse desinere possit. Ait enim: *Non videbit, inquiunt, nec intelliget Deus Iacob. Ad quos vtique illud referri potest: Dixit insipiens in corde suo, Nõ est Deus. Nam qui nihil â Deo aspici affirmant, propè est, vt cui aspectum adimunt, et substantiam tollant, vt quem dicant omnino nihil esse.* Idem, aut valdè cõnexa sunt, quòd à Deo adimas oculos suis creaturis prouidentes, & quòd adimas ei substantiam, dicens, Deum nihil esse. Nõ enim videtur magis possibile, quòd Deus sua pignora deserat, nec velit illa intueri quàm quòd desinat esse. Substantiam Dei tollat, necesse est, qui ab illo tollit scientiam, qua suis creaturis adest, & prouidet illis, quando & vita Dei inde censetur, si misericordiam præstet suis creaturis. Sap. 12. *O qnâm bonus, et quam suauis est, Domine, spiritus tuus in omnibus.* Græcè dicit: *Incorruptibilis spiritus tuus est in omnibus. Ideoque eos, qui exerrant partibus corripis, et de quibus peccant, admones; & alloqueris, vt relicta malitia, credant in te, Domine.* Expende, quid nascatur ex Dei incorruptibilitate, immortalique spiritu, nimirùm, quòd quia immortali spiritu gaudet, ideò res peccantium hominum curet; illis adsit, vt reuocet ad bonam frugem; quasi nequeat Deus aliter viuere. Nec miror; nam tunc maximè quoad nos intelligitur Deus percuti, deicidasque pati manus, vbi ab illo tollitur hæc cura suæ creaturæ. Psalm. 72. *Iniquitatem in excelso locuti. Posuerunt in cœlum os suum, &c.* Apollinaris ex Græco: *Pernitiosis Altissimum contumelijs feriebant.* Sed quomodo Deus poterat ferri? Addit Psalm. *Et dixerunt, quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?* Feritur Deus, & quasi interimitur, vbi ostenditur deserere, nec curare suas creaturas. Saluianus, de prouident. lib. 4. ait: *Non sufficiunt falsitates, non sufficiunt periuria, non sufficiunt denique cuncta ista, nisi blasphemia furiosarum mentium manus*

Psal. 93

Sap. 12

Psal. 72

Apollin.

Salu.

inijciant etiam in Deum. Posuerunt enim in cœlum os suum, & dixerunt: Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso. Idem puta in Deo esse, quòd dicatur suos deseruisse, & quòd Dei cidas manus sustineat, quibus vitam amittat, si sic loqui liceat.

Psal. 79. Hieron. Vndè Psalm. 79. clamat: *Excita potentiam tuam, et veni, vt saluos facias nos.* Hieronymus legit: *Suscita fortitudinem tuam*; quasi dum nostrę saluti non incumbit Dominus, mortuus sit; sic suscitari postulat, & idem sit Deo viuere, & nostram curare salutem.

Ioan. 8. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris; si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

§. XXVI.

Diuinitas nunquam, nisi ab alto, & sublimi affulget.

QVo modo diuinitas Christi poterat innotescere Iudæis, qui nihil nisi terrenum meditabantur, & imum? Quæ imis, & deorsum labentibus rebus mens tota inhæret, non mirum, quòd Iesu diuinitatem non percipiat; diuinitas enim nunquã nisi ab alto, & sublimi præfulget. Vndè obijciebat Iudæis errantibus Dominus: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum*: vt enim ima non attingunt superna; sic mens imis inhærens, fieri nequit, vt diuina pertingat, quæ solùm radiant de sublimi. Quò respiciẽs Lactant. lib. 2. de origine erroris, capit. 19. inquit: *Quicumque sacramentum hominis tueri, rationemque naturæ suæ nititur obtinere, ipse se ab humo suscitet, & erecta mente oculos suos tendat in cœlum; non sub pedibus quærat Deum, neque â vestigijs suis eruat, quod adoret: quia quidquid homini subiacet, infra hominem sit, necessum est. Sed quærat in sublimi, quærat in summo, quia nihil potest homine maius esse, nisi quòd fuerit supra hominem. Deus autem maior est homine; supra ergo, non infra est. Neque in ima potius, sed in summa regione quærendus est.* Qui deorsum spectant; imisque rebus toti immerguntur, non mirentur, si nihil diuinũ sentiant; in sublimi, in summo quærendus est Deus: despiciẽda sunt omnia ima, vt diuinitatis radius possit sentiri. Apud Genes. cap. 46. dicitur: *Profectusque Israel cum omnibus, quæ habebat, venit ad puteum iuramenti, et mactatis victimis Deo, &c.* Quæ verba sic legit Diu. Ambrosius: *Et eleuans se Israel, & omnia sua, venit ad puteum iuramenti, immolauitque hostiam, &c.* Expende, quòd antequam Deo immolaret hostiam, dicitur, quòd se eleuauit: necessum enim erat, vt qui Deum spectare, & præsentire vellet, cui hostiam immolaret, non imis hæreret, non deorsum vergeret, sed magis eleuaretur, quando diuinitas solùm de sublimi posset affulgere. Ait Diu. Ambrosius, lib. de Ioseph, cap. 14. *Meritò eleuatur, qui festinat ad Christum: Prius se eleuauit, postea immolauit. Ille enim benè immolat, qui cognitionem diuinitatis inuestigarit.* Pro eodem posuit in homine, quòd se eleuet, & quòd diuinitatem inuestiget: ridendus enim est, qui ad ima deiectus, terrenis sepultus, & caducis, velit diuinitatis radios præsentire. Ima deserat prius, & in alta se eleuẽt, & sic diuinitatis radios percipiet. De verbo diuino aiebat Ioan. cap. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Expende, qui homo illustretur luce diuina, nimirùm homo, qui minimè immixtus sit mundo, sed qui superueniat mundo: qui cum mũdi creatura non natus sit, sed materialem, & brutam abiuret originem. Pulchrè D. Ambrosius, Psalm. 36. *Ipse illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: hoc est, illum, qui ad imaginem, et similitudinem Dei viuit; illum, qui se hominem esse cognoscit, vt refugiat equorum libidinem, adhinnientem ferarum rabiem, lepusculorum formidinem, vulpium fraudem, rapinam luporum. Illum hominem, qui sic agit, quasi in hunc mundum superuenerit: qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus sit. Venisti ergo, noli remanere, noli hærere terrenis.* Mundi bestialem creaturam exuat, ima despiciat, sublimem omni terræ, omni mundo mẽtem præseferat, qui vult radiare lumine diuino. Non equidem deorsum vergens, sed meditans sublimia præsentit in se

Gen. 46.

Ambr.

Ambr.

Ioan. 1.

Ambr.

Lactan.

ſe homo diuinitatis lumina. Quô ſpectãs Pſalm. 83. ait: *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te; aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Pſal. 83. Non anteà percepit auxiliatricis diuinitatis lucem, quàm ima relinquere, & aſcendere ad ſuperna diſpoſuit in corde ſuo. Vt dicat Nazianzenus, orat. 39. in ſancta lumina: *Poſtquam anima noſtra omni cuſtodia ſeruata eſt, atque aſcenſionibus in corde diſpoſitis, ſcientiæ lumen in nobis excitauerimus, tunc demùm abſconditam Dei ſapientiam loquamur.* Naz. Nunquam equidem, niſi in aſcendenti, & ſublimi corde excitari ſolet diuinum lumen.

§. XXVII.

In Chriſto Ieſu omnium noſtrorum bonorum habemus plenitudinem.

NOn dicit Dominus Iudæis, quòd in peccato morituri eſtis, ſi non credideritis, quia ego ſum lux, vel quia ego ſum vitis, vel panis; ſed notanter ait: *Si non credideritis, quia ego ſum*, nullum ſe eſſe bonum in particulari determinans, vt vel ſic omnia eſſe in illo bona credantur. Qui lethalem finem cauere cupit, credat, quia Ieſus eſt, non vnum, aut aliud bonum, ſed omnia bona ſimul, omniumque bonorum plenitudinem, & ſperet, & quærat ab illo. Cantic. 5. *Veni in hortum meum ſponſa; meſſui myrrã meam cum aromatibus meis; comedi ſauum cum melle meo.* Cant. 5. Symmacus legit: *Depaſtus ſum ſyluam meam.* Septuaginta poſuere: *Comedi panem meum cum melle meo.* In horto arbores ſunt plenæ pomis, cur ad arbores inuitat horti, & panem oſtẽdit? Quid pani, & hortis, pani, & arboribus? Cur non magis inuitat ad poma arborum propria? Meritò arbores oſtendit, & non poma, ſed panem offert, vt innuat, quàm verum ſit, quòd Chriſtus ſit omnia, & quôd per Chriſtum vel ex arboribus panem colliges. Niſſen. Ait Niſſenus homil. 10. in Cantic. *Pro pomis autem effecit, vt arbores panem ferant mixtum cum melle ſuo. Et ſic explicetur propheticum illud, quôd eius mel, & cætera pulchra, ac bona, & vinum ab ipſo ſumitur contemperatum lacte eius. Ex ipſo enim, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Quid in Ieſu arbore vitæ requiras? Dum arbor dicitur, putas ab illo poſſe ſola expectari poma? Abſit hoc à meo Ieſu; non ea planta eſt, quæ vnum aliquod in particulari fructum proferat, ſed ab illo, & in illo ſunt omnia. Et arbor eſt, quæ panem, & area eſt, quæ poma offert; nihilque in illo requires, quo in vitam abire poſsis. Hæc erat rabidiſsimorum Iudæorum in Ieſum vox, Hierem. 11. *Mittamus lignum in panem eius*: in qua voce, vt in Cayphæ voce iam ſpiritus Domini operabatur, vt oſtenderet, nihil inde in Ieſu requiri poſſe, in quo vel ligna panes proferant, & de illius ligno, & pane omnem abũdantiam ad ſatiandos homines fore. Vt dicat Diu. Ambroſius, Pſalm. 35. *Dominus in Chriſto carnem iunxit, & lignum, vt fames antiqua ceſſaret, vitæ gratia redderetur. Beatum lignum Domini, quod omnia peccata crucifixit; beata caro Domini, quæ victum omnibus miniſtrauit.* Quando in Chriſto ligna carnem, & panem proferunt, quid requiramus in Chriſto? Sanè in illo vno omnium bonorum habemus plenitudinem, quæ nihil aduerſarium admittat. Nequam ſpiritus, Matth. 12. veniens ad domum priorem; *Inuenit eam vacantem, & ſcopis mũdatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſus habitat ibi.* Matt. 12. Cur vacua inuenta eſt à diabolo domus illa, niſi quia non habebat in ſe Chriſtum? Equidem ſi Chriſtum haberet, tanta in eo eſſet bonorum omnium plenitudo, quæ minimè diabolum admitteret. Naz. Nazianzenus, orat. 39. in ſancta lumina, ait: *Sunt, qui ad vitij fugam virtutis cultum adiungunt, totum Chriſtum, vel certè quàm maximè, in animi domicilium admittentes, ne præuia poteſtas vacuũ aliquid offendens, domum rurſus impleat.* Vnus Ieſus contra omnes noſtri cordis vacuitates ſufficit, quod ſic implet, vt non relinquat aditum nequam ſpiritui; nec homo extra Ieſum habeat, quod requirat. Vndê Diu. Auguſtinus, ſerm. 43. ad fratres in eremo, inquit: August. *O vos mundi amatores, qui terrena ſapitis, & pro terrenis honoribus, & pompis diſcurrere non deſiſtitis tranſuolantes montes, & Alpes, inueſtigare volentes alta cœli, & lata terræ, profunda maris in calore, & frigore, fame, & nuditate, cur Chriſtum non quæritis, in quo hæc omnia, & maiora perfectè reperiuntur?* Nihil eſt, quod non habeas in vno Ieſu; quem ſi perdas, omnia perdidiſti, nihilque vltra manet, quod perdere timeas. Ioann. 20. venerunt Petrus, & Ioannes, & Maria Magdalena ad Ieſu ſepul-

sepulchrum, à quo sublatum inuenerunt Iesu corpus. Quid tunc? Discipuli metu
Ioan. 20 Iudæorum redierunt ad sua: Magdalena *autem stabat ad ostium monumenti, foris plorans.* Cur non magis ipsa timet? Putabat Iesu corpus furto esse sublatum, & ex quo putat, quòd Iesum perdidisset, nullam aliam perditionem iam timet. Ait
Origen. Origenes, ibi: *Petrus, & Ioannes timuerunt, & ideò ibi non steterunt: Maria autem non timebat, quia nihil suspicabatur sibi superesse, quod timere deberet.* Facta Christi iactura, nihil restare putabat, quod timere posset, quando in Iesu omnia perdidisset.

Ioan. 8. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Iesus: Principium, qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui, ac iudicare; sed qui misit me, verax est: & ego, quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt, quòd Patrem suum dicebat Deum.

§. XXVIII.

Prima naturæ humanæ perfectio in Iesu.

MEritò Iesus meus dicitur etiam iuxta humanitatem assumptam esse principiū, quo innuitur in illo esse omnia naturæ humanæ prima; nec ante Iesum fuit, qui respectu illius fulgeret perfectione humanæ naturæ. Paulus. 1. ad
1. Cor. 15. Corinthios. 15. de resurgentium ad gloriam statu locutus, ait: *Primitiæ Christus, deinde alij.* Quæ verba notantes nonnulli Patres, ex illis conficiunt congruentissimam rationem, qua decuit Christum gloriosè ascendere ad Patrem; nimirùm, vt in cœlesti templo primitias Deo offerret naturæ humanæ. Sed Christus non est primus homo, quomodo humanæ naturæ primitias in se portauit? Cur non magis Adamus raptus in cœlum est, vt hominum primitias Deo repræsentaret; Nonne Adamus primus est? Nonne magis est Adamus primitiæ? Absit; primitiæ enim non fiunt ex primis vtcumque fructibus, sed ex primis perfectissimis, & absolutissimis: vndè fit, vt solus Iesus possit in se repræsentare Deo primitias humanæ naturæ. Ait Diu. Chrysostomus
Chrysost. ferm. de Ascensione: *Si primitiæ sunt, primus homo factus debuerat eleuari. At primum, quod pullulat, non est hoc primitiæ: nam imbecillis fructus nullus est, sed fortis, & validus, ipse debet offerri. Quia igitur ille fructus peccato fuerat alligatus, & peccati crimine tenebatur; ideò Adamus non leuatus est, licèt prior factus esse videatur; sed is Iesus, qui posteà factus est,* Non Adamus, non alij primitiæ sunt, licèt primi nati fuerunt, qui magna ex parte claudicauerunt in hominis perfectione; vnus Iesus primitias Deo repræsentat, vt qui primam, & absolutissimam perfectionem humanæ naturæ in se habet. Quò spectans Sapientia ipsa incarnata,
Prou. 8. ait, Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Septuaginta legunt: *Dominus creauit me initium viarum suarum in opera sua.* Symmacus ponit: *Dominus creauit me principium viarum suarum, ante opificium suum.* Quòd si Deus homo in præsenti loquitur (vt sapientissimorum Patrum sententia est) quomodo Deus homo factus dicitur principium? Nonne ante Iesum multi, & sanctissimi, & religiosissimi viri steterunt? Cur magis non dicitur Iesus finis, quàm principium? Meritò illis prætermissis, Iesus Dei sacinora initiat, illorumque dicitur principium, vt cui soli perfectissima virtutum seruata sunt. Aiebat Diu. Am-
Ambr. brosius, lib. 2. de interpellat. cap. 2. *Soli Christo seruabatur magnarum prærogatiua virtutum: quia ipse est virtutum principium, sicut dixit, Dominus creauit me principium viarum suarum.* Quæ prima, & præstantissima sunt in perfectione humanæ naturæ, in nullo alio possunt reperiri, nisi in meo Iesu, in quo inhabitat
Apoc. 1. omnis perfectionis plenitudo. Hic Apocalyps. 1. vocatur Iesus: *Primogenitus mortuorum, Princeps Regum terræ.* Cur non magis vocatur primogenitus viuentium omnium? Cur magis voluit dici primogenitus mortuorum? In glorioſa tegeneratione ex mortuis dabuntur perfectissimi homines, imò veri homines, qui de Dei viuant amore. Quod in tribus Adami filijs, nimirùm Abel, Seth. Enos, qui cæpit inuocare Dominum, ponderauit D. Isidor, in Genes. cap. 12. *Abel iu-*
Isid. *stus, Seth resurrectio, Enos homo; quia post iustum*

luctum reſurrectio, de reſurrectione homo in uocans Deum. Meritò ergo inter illos veros homines Deum habentes, in regeneratione ortos vocatur Dominus primogenitus mortuorum, vt qui in perfectione hominis primas ferat omnibus.

§. XXIX.

In virtutum negotio nunquam finias, ſed vel finis ipſe à te fiat initium ad alia.

VOcatur Ieſus principium, cui nullum virtutis opus vltimum eſt, ſed ex eo, quòd videtur vltimum, ipſi fiat maioris alicuius virtutis principiũ. Quis neget in Abrahamo, in Iſaaco, in Moyſe, & alijs Prophetis ſumma virtutum extitiſſe? Sed hæc ſumma Patrum, & Prophetarum virtus in Ieſu meo apparuit primum limen virtutis, quando ſic ſemper in altiora nitebatur, vt vltima in illo viderentur principia. Repetam illud Prouerb. 8. ex lect. Septuag. *Dominus creauit me initium viarum ſuarum.* Quæ ſunt iſtæ viæ, in quibus Dominus Ieſus apparet principium? Hierem. cap. 6. aiebat: *State in vijs, & quærite ſemitas Domini ſempiternas; et cùm didiceritis, quæ ſit via eius, ambulate in ipſa, & inuenietis munditiam animarum veſtrarum.* Ex quo tàm Cyrillus Alexandrinus, quàm alij putant, vias dici antiquos Prophetas, & legiſlatores omnium virtutum verarum opere, & doctrina magiſtros. Harum viarum dicitur Ieſus principium; non quia ipſi fuerint Ieſu poſteriores, ſed quia, quæ in illis erant ſumma, & poſtrema virtutum; in Ieſu nõ ſumma, ſed prima apparuerunt virtutum limina, vt cui omnium vltimum opus, fiat præſtantioris principium. Ad hæc pulchrè Diu. Cyrill. Alexand. lib. 5. theſ. 5. *Creauit igitur, inquit, me; hoc eſt, fecit me ſuper legem, et Prophetas initium, hoc eſt, poteſtatem, vt non in verbis illorum ſiſtere faciam, ſed ad opera meliora traducam.* Hic eſt ſpiritus Chriſti, qui in nullo virtutum culmine ſiſtat, ſed ſemper ad altiora feſtinet, vt vltima, & ſumma ſint prima in illo: & de poſtremis aliorum ipſe faciat ad ſublimiora principium. Fœlix, qui hunc ebibit Chriſti ſpiritum; cui finis operis virtuoſi principium alterius eſt: nec vnquã inueniatur poſuiſſe operi manus vltimas; quæ potius appareant ſemper primæ, & ipſa aliorum culmina ſint illi principia. Quod perſuadere nitebatur Eccleſiaſt. capit. 18. inquiens: *Cùm conſummauerit homo, tunc incipiet.* Hæc regula ſit fœlicis hominis, quòd nunquam attingat vltimum virtutis finem, ſed vltima ſint illi prima. Vndè D. Gregorius apud Hugonem, ſic fatur: *Neſcit mens per torporem veteraſcere, quæ ſemper ſtudet per deſiderium inchoare.* Quidquid virtutis attigeris, ſi ſummum in alijs videatur, ſit in te ad alia principium, vt ſemper inchoare videaris, nunquam finire. Regulo iacenti ad pedes ait Ieſus, Ioannis capit. 4. *Vade, filius tuus viuit.* Præſtantiſsimum eſt, & clariſsimum ſignum vitæ, ſi non hæreas, ſed ſemper ad alia vadas, imò & ſtatim feſtines. Ad hæc elegãter ait Theophilactus, ibi: *Vide, quid dicat ad illum Dominus: Vade, filius tuus viuit, hoc eſt, ne ſis immobilis ad bonum, ſed vade, & inacceſsibilem motionem oſtẽde ad bonum. Tunc enim filius tuus viuet. Si autem quieueris non ambulans, morietur planè mens tua, eo quòd ad bonum te non promoueris.* Nullum ſibi ſtatuat finem in re virtutis, ſed ſemper ad altiora feſtinet, qui cupit viuere. Apud Ioannem, capit. 4. dicit Ieſus Samaritanæ. *Si ſcires donum Dei, et quis ſit, qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forſan petijſſes ab eo, et dediſſet tibi aquam viuam.* Expende, quæ aqua ſit Dei donum, nimirùm aqua viua, quæ nouis fluctibus ſemper inchoet ſcaturire. Ait Theophylactus ibi: *Porrò aquam dicit non ſtantem, qualis eſt in puteis, & lacubus, putris, & corrupta: ſed viuam, hoc eſt, ſcaturientem, & quæ moueatur. Nam gratia Spiritus ſemper agilem ad bonum facit animam, aſcenſiones ſemper diſponentem. Talem aquam bibit Paulus, cùm obliuiſceretur eorum, quæ poſt ſe erant, & ad anteriora ſe extenderet.* De his plurima, ſæpiſsimèque dicta ſunt, tàm in præſenti, quàm in alijs tomis.

***

Prou. 8.

Hier. 6.

Cyr. Ale.

Eccl. 18.

Gregor.

Ioan. 4.

Theoph.

Ioan. 4.

Theoph.

*Ioan.*8. Dixit ergo eis Iesus: Cûm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum. Et à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc ego loquor. Et qui misit me, mecum est, & non reliquit me solum, quia ego, quæ placitura sunt ei, facio semper. Hæc cûm dixisset, multi crediderunt in eum, &c.

§. XXX.

Nullares sic discernit, & probat veros diuinitatis cognitores, & adoratores, quàm Christi passio.

AD crucis tempus remittuntur Iudæi, quo Christi Domini cognoscant diuinitatem; ait enim: *Cûm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis, &c.* Et cur non antea, sed post crucem erectam, & ob oculos positam in Dei existentis in Christo cognitionem Iudæi abeunt? Sanè crux Christi validissima est, vt veros diuinitatis cognitores discernat, & falsos ableget. Accipe huius rei mysterium in Gedeone figuratum, de quo ait Iud. cap. *Iud.6.* 6. *Venit autem Angelus Domini, et sedit super quercũ, quæ erat in Ephra, et pertinebat ad Ioas patrem familiæ Ezri: cûmque Gedeon filius eius excuteret, atque purgaret frumentum, &c.* Ecce tibi, Gedeon ab Angelo eligitur, & designatur Israelitarum saluator, qui fidelem populum congreget, & alienigenas infideles quatiat; sed expendendum est, quando in tantum opus saluatoris designatur; nimirum tunc designatur, quando in paterno agro iuxta quercum, triticũ excutit à paleis. Et quid quercus, & discussio tritici cum saluatoris Israelitici negotio? Planè iam tunc adumbrabatur, quàm vnicè valeat crucis arbor, & Christi passio, ad discernendos *Ambr.* veros fideles ab inanibus. Ait Diu. Ambrosius in proœmio. 2. lib. de Spiritu sancto: *Ieroboal cûm sub arbore quercu tritici messem virga cederet, accepit oraculum, vt à potestate alienigenarum in libertatẽ Dei populum vindicaret. Nec mirum, si est electus ad gratiam, cûm sub vmbra iam tunc sacræ crucis constitutus, feracis segetis sensibilia de latibulis frumenta produceret, electionemque sanctorum â purgamẽtis inanis paleæ sequestraret.* Non mirum, quòd ad saluatoris negotium repræsentandum designetur Gedeon, quãdo sub quercus vmbra triticum à palearum latibulis secernit; id enim erat nostri Saluatoris mysteriũ, cuius sub vmbra crucis sensibilia frumenta, quæ verè sentiant Deum, & ad æternitatis horrea pertineant, à latibulis, & intermixtione palearum secernuntur. Triticum excutit à paleis Gedeon sub quercus vmbra constitutus: nec vlla res sic vera æternitatis frumenta à paleis secernit, à falsis fidelibus distincta sic trahit, & designat, vt vel vmbra Crucifixi. Christus patiens ob oculos positus non patitur esse confusionem, sed ê latibulis facit prominere veros, & electos fideles, falsos dimittens, vt paleas ad ignem. Isaias capit. *Isai.* 13. 13. *Super montem caliginosum leuate signum.* Victoris Saluatoris nostri signum inter altas iubetur leuari mundi caligines. Cur non magis leuetur inter Soles, inter lucidissima sydera? An volunt tantũ signum à tenebris conculcari? Absit; imô volunt, quòd signũ lucem à tenebris distinguat; tenebras det conculcationi, lucidissimos fidelũ probet oculos. Nec potest, mihi crede, inueniri res, quæ sic vt signũ crucis valeat inter mũdiales caligines secernere, & probare eos, qui ad lucem pertineant: exterioribus tenebris alios conculcandos relinquere. Ait Diu. Aelredus *Aelred.* citatus à Tilmanno in allegor. *Super montem igitur caliginosum vexillum crucis extollitur, vt sua virtute mundi potẽtiam premat; superbis redemptionis nostræ mysteria claudat; apud mites verò, et humiles omni mundanæ gloriæ superemineat.* Ecce, quàm secernit, quàm diuidit signum crucis inter mundi caligines; superbi, & fastuosi homines, vt paleæ excutiuntur, nec à crucis ligno permittũtur ingredi in salutem; qui autem mites sunt, & ad vitam pertinentes; ij etsi sint mille caliginibus obuoluti, tamen à cruce extrahuntur, & sic ornantur, vt omni gloriæ mundanæ superemineant.

(·.·)

*Ioan.*8.

Ioan.8. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

§. XXXI.

Nullum malum ſic cauendum eſt, vt cauendum eſt homini peccatum.

QVi ſeſe paupertati, nuditati, fami, conculcationi, imò & morti dedit; nec vllũ pœnæ malũ ſuſtinere vitauit; ecce quã alacer, quã multus eſt hodiè in depellenda à ſe vel ſuſpicione peccati. Quippè hoſtilibus turbis ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Conculcationem, & mortem ab illis illatam patienter ſuſtinet, ſed minimè ſuſtinet in ſe vel vmbrã peccati, quod ſolum vt malorum omniũ ſummum maximè cauet. Nec eſt, mihi crede, aliud malum, quod ſic cauere debeamus. Elias audita Iezabelis ira, fugæ ſe dedit: & per inuia, & inaquoſa currens tandem
3.Reg.19. ad iuniperi vmbram conſedit. 3. Reg. 19. *Et petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & ait: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam.* Si mortem petis, Elia, cur iram Iezabelis fugis? Quod aliud malum tibi à Iezabele times, quàm mortem? Mane apud illam, ibique inuenies mortem, quam optas; cur fugis ab illa timens mori, & mortem poſtulas? Non fugit Elias mortem, ſed peccandi occaſionem; tolle occaſionem peccati, quod fugit, vt omnium ſummum malorum, & nihil durum inuenit in morte, neque in alijs laboribus. Ait Diu. Am-
Ambr broſius, lib. de fuga ſæculi, cap. 6. *Vtique non mulierem fugiebat Propheta tantus, ſed ſæculum: nec mortem timebat, qui ſe obtulerat requirenti, & qui dicebat ad Dominum: Tolle animam meam; ſed fugiebat ſæcularem illecebram, & conuerſationis maculoſæ contagionem, & impiæ, ac præuaricatricis nationis ſacrilegia.* Vnum malum ſibi æſtimat Propheta tantus ſibi totis viribus fugiendum, & toto conatu depellendum, nimirùm peccati contagium, nõ labores, non fames, non infamiæ, non mortem. Hæc omnia mala facilè amplectitur vir ſapiens; & iuſtus, dum peccati
Pſa 105. contagium abſit quàm longè. Pſalm. 105. locutus de rebellibus Iſraelitis ait: *Et dixit, vt diſperderet eos; ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius.* Ecce tibi, ex vna parte ira Dei diſperdens ſceleſtiſimos homines, illos tradens internecioni; ex alia Moyſes dolore confractus inter ſeueriſimum ſupplicium peccatorum. Quid doles, ô bone, in tam iuſta vindicta malorum? Quid doles in perditione, in morte nequiſimi ſeminis? Nõ ſic confractus dolore diceris, vbi affligi in Aegypto vidiſti populum, cur modò tam anxiè doles? An te, quem nullum periculũ fregit, modô poteſt frangere mors ſceleratorum? Non dolet Moyſes ſuorum mortes, ſed peccata, ſed culpas, quarum debitas pœnas ſoluunt. D. Chryſoſtomus *Chryſoſt.* ſer. de Aſcenſione, ſatur. *Ideò, inquit Moyſes, doleo, ideò deprecor, quia dignè cruciantur, quia meritò puniuntur.* Tolle demerita pecatorum, & in ſummis pœnis non inueniet Moyſes, quod doleat. Vnum ſolum imprecantur malum ſapientes viri, nimirum peccatum: vbi hoc adeſt, ibi dolor, ibi lacrymæ Sanctorum: vbi illud abeſt, vix manet alia cauſa doloris, ſed gaudij, & exultationis. Ioan. cap. 16. promiſerat Dominus, poſt mortem ſuam ſe miſſurum Spiritum Paracletum, id eſt, conſolatorem omnis gaudij, & conſolationis auctorem: *Si enim, ait, non abiero, Paraclitus* *Ioan. 16* *non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Sed & poſt paſsionem bis audio datum Spiritum ſanctum; ſemel in ipſo die reſurrectionis, quando diſcipuli eranr congregati ob metum Iudæorum. Tunc Ioan. 20. ait Dominur infufflans ſu- *Ioan 20* per eos: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Secundò poſt quinquaginta dies, vbi facto de cœlo ſonitu tanquã ſpiritus vehementis, in ſpecie linguarum ignearum deſcendit diuinus Spiritus, & repleuit totam domum, vbi Apoſtoli erat ſedentes. Sed illud inueſtigandum eſt, an in vtraque cõmunicatione Spiritus ſancti, communicatus ſit iuxta promiſsionem Chriſti Spiritus Paracletus, hoc eſt, ſpiritus gaudij, & conſolationis? Pro quo ſapienter ait Ru- *Rupert.* pert. lib. 3. de operibus Spirit. ſanct. cap. 10. *Primo dato, remiſsionem peccatorum acceperunt, ſecundo, fortes, & zælo bono feruentes, ſcientes, atque ſapientes, eloquentes & miraculorum potentes effecti ſunt. Sine dubio paracleſis, id eſt, cõſolationis, vel gaudij cauſa præcipua in primo dato eſt.* Multa, & diuiniſsima munera, & dona in die Pentecoſtes receperunt: verùm in die reſurrectionis expreſsiùs audiunt peccatorum abolitionem, quæ ſapientibus ho-

minibus inter omnes alias, præcipua cauſa eſt gaudij, & exultationis, etiam ſi alioquin inſtent ineuitabiles aliorum cauſæ malorum. Vna ſanè, & ſola cauſa doloris eſt peccati conſcientia, & ſingularis gaudij cauſa abolitio eſt pec-
Dan. 13. cati. Dan. 13. audita accuſatione, & damnatione ſua Suſanna, *exclamauit voce magna.* Et cur honeſta fœmina, quæ maluit mori, quàm fœdari, ſic medijs turbis exclamat? Cur ſic modò ſoluitur in
Ambr. lacrymas? Ambroſ. lib. de fuga ſæcul. capit. 9. ait: *Plorauit Suſanna, cùm crimen obijceretur; non mortem deplorans, ſed caſtitatis calumniam.* Non animum illius tangebat mors, ſed vel apparentia peccati, quæ ſola poteſt magnos viros impellere ad lacrymas. Sed & de eius parentibus dicitur eodem capite: *Elchias autem, & vxor eius laudauerunt Deum pro*
Hieron. *filia ſua, &c.* Vbi Diu. Hieron. *Parentes Suſannæ dignè laudant Deum, non quia filia liberata eſt de manu presbyterorum, (hoc enim non ſatis laudabile eſt, nec magni diſcriminis, ſi non eſſet liberata) ſed quia non eſt inuenta in ea res turpis.* Hæc tota gaudij illorum cauſa, quòd non manſit ſuſpicio peccati.

§. XXXII.

Peccati vindex non poteſt eſſe, qui eiuſdem in ſe peccati eſt conſcius.

NOn ſolùm Dominus aduerſarijs ſuis ſuam propriam innocentiam proponit, quæ euidentiſsimè repellit omnes accuſationes; ſed & ſceleratos mores illorum, à quibus minimè ſinuntur vindicare etiam veros aliorum errores. Quò ſpectans Dominus ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quaſi diceret, quis ex vobis poteſt non ſolùm me innocentiſsimum, ſed etſi nocens fuiſſem, arguere de peccato, cùm ſitis ſceleſtiſsimi omnes? Sanè etſi Dominus reus peccati fuiſſet, quod implicat, nullus illorum poſſet eſſe peccati vindex; quando qui peccatis ſcatet, malè inſurgit in peccatores. Non multùm abſimilis erat vox Iob cap.
Iob. 24. 24. *Quod ſi ita non eſt, quis me arguere poterit eſſe mentitum, & ponere ante Deum verba mea?* Caſum dat, in quo res verbis ſuis non reſpondeant; & tamen in illo caſu aſſerit à nemine ſe reum mendacij dici poſſe: cur ô bone, ſic præſumis, quòd etiam dum vera non loqueris, non poſsis habere mendacij accuſatorem? An putas mendacium non ex ſe eſſe dignum iudicio, & damnatione? Abſit; ſcit ſapiens homo mendacia digna eſſe ſupplicio, digna eſſe accuſatione; ſed ſcit omnes homines mendaciorum eſſe reos, & ideò meritò præſumit, non poſſe eſſe mendacij ſui vindicatores. Ait Diu. Gre-
Gregor. gorius, lib. 17. Moral. cap. 7. *Iuſtus namque etſi quid vnquam deliquendo loquitur, dignum non eſt, vt ab iniuſtis, & prauè viuentibus iudicetur. Vndè ſanctus vir amicorum ſuperbiam deprimens, non ſolùm ſi ita eſt, verùm etiam ſi non eſt, vt protulit, nequaquam ſe reprehendi poſſe confidit, quia nimirùm illi rectè redarguere falſa poſſunt, qui falſa agere neſciunt.* Scit Iob, ſe in verbis innocentem eſſe, ſed etſi nocentiſsimus extitiſſet, adhuc putat, à nemine accuſari, damnarivè poſſe; quando nullus eſt, qui ſit à peccati noxijs multiplicibus liber. Nec putat fieri poſſe, quòd quis peccatorum ſuorum conſcius audeat aliorum mores, & vitam corripere. Sanè vbi Ieſus odioſiſsimi ſibi adulterij vindicatores ſtatuit,
Ioan. 8. ſic illos imponit, Ioan. 8. *Qui ſine peccato eſt veſtrùm primus in illam lapidem mittat.* Quid ais, Domine, vt odioſiſsimum tibi facinus plectas, conditiones moroſas in vindicatores requiris? Cur non magis feſtinas ad ſupplicium? Diu. Ambroſius,
Ambr. lib. 9. epiſt. 76. *Quid tàm diuinum, quàm iſta ſententia, vt is peccata puniat, qui exors ipſe peccati ſit? Quomodo enim feras alieni vltorem, & proprij criminis defenſorem? Nonne ſe magis ipſe condemnat, qui in alio damnat, quod ipſe committit?* Suum crimen vel in alijs damnare æquè veretur quis, ac damnare ſeipſum; nec ratio permittit, quòd homo damnet in proximo, quod facit ipſe. Hinc Dominus, Ioan. 8.
Ioan. 8. poſt accuſatorum fugam dicit adulteræ mulieri: *Vbi ſunt, qui te accuſabant? Nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Ieſus: Nec ego te condemnabo: Vade, &c.* Id vnum intendebant accuſatores Phariſæi, nimirùm vt Ieſus abſolueret adulteram, vt hinc ipſi occaſionem ſumerent accuſandi Ieſum tanquam reum legis diuinæ plectentis adulteros. Quam occaſionem fugiens Dominus, ne ipſe aliquo prætextu accuſaretur, liberationem adulteræ differt, vſq; dum accuſatores abirent, quib⁹ abeũtibus, ſtatim pronuntiat, *Neque ego te condemnabo.* Sed & modò

modò datur illis occasio accusandi Iesum? Nonne cùm ipsi audiant adulteram fuisse à Iesu dimissam, tunc & damnabũt Iesum, tanquam reum legis diuinæ? Nullo modo, nam tũc Iesus nihil facit, quod non fecerint ipsi priùs: priùs ipsi dimittunt adulteram; priùs abstinent à damnatione illius, & post illos Iesus sententiam indemnitatis pronuntiat. Et quomodo possint iam accusare, quòd ipsi efficiunt? Ambr. D. Ambros. lib. 9. epist. 76. *Quid ergo quererentur, qui priores â persecutione criminis, & ab executione supplicij destiterunt?* Dum coguntur ipsi priùs abstinere à damnatione adulteræ: illis obstruitur os, ne possint damnare Iesum, quod illam liberam dimittat. Quis damnet, quod facit ipse? Vide in præsenti, cap. 7. §. 8. & cap. 8. §. 6. & in alijs tomis passim.

§. XXXIII.

Deus, & veritas prorsus inseparabiles sunt, nec vnus inuenitur sine alio.

ECce euidens testimonium Dei habitantis in Iesu, cui nullus possit refragari, nimirùm, quòd Iesus veritatem loquatur: & meritò, vt inexcusabiles ostendat Iudæos, dicit: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Fieri enim nequit, vt Deus non sit, in quo veritas nunquam non inuenitur. Vbicumque veritatem inuenire præsumpseris, hoc pro certo habe, quòd si illa adfuerit, de diuino venerit inibi adflante numine. Ipse Dominus apud Isaiam, capit. 8. quærebat testes Isai. 8. fidelissimos, in quorum ore absque dubio veritas splendesceret: & qui fuerunt isti testes à Deo quæsiti, & inuenti? Ait ibi: *Et adhibuit mihi testes fideles Vriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ.* Sed illud maximè examinandum est, vndè adeò certum sit, quòd Vrias iste, & Zacharias sic fideles sint futuri in testãda veritate hominibus? In eorum nominum explicatione datur eorum veritatis fides, quando Vrias significat splẽdorem Dei, & Zacharias memoriam Dei significat. Cui enim præfixus cordi Deus est, statim in veritatem ibit; nec enim Deus sine veritate, nec veritas sine Deo inuenitur. Procop. Iebat Procopius ibi: *Quis autem eo testis fide dignior, qui sit diuino splendore illustratus, qui sit memoriam Dei consecutus?* In nullo certiùs veritas inuenietur, quàm in eo, cui Deus præ oculis assistat: nesciunt enim hæc duo, Deus, & veritas non sese inferre mutuò; vt & veritas Deum sibi assistentem prædicet, & Deus sibi sociam veritatem insinuet. Ioan. 8. sic minabatur Dominus: *Ego vado, & quò ego vado, vos non potestis venire.* Itaque se abiturum mi nabatur, vt miseros homines sua absentia grauiter puniret. Quis ergo effugiet hanc Dei iram? Quis retinebit Deum abeuntem? Ille, qui veritatis semina habuerit in corde suo. Fac, vt in corde tuo, in labijs tuis veritas sit, & ne metuas Dei absentiã, qui quasi nescit veritatis iugum effugere. D. Thomas in Cat. ex Origine fatur: *Præ* D. Tho. *sens autem verbum minatur Christi recessum, sed quandiu seruamus ea, quæ animæ nostræ sunt insita veritatis semina, nequaquam recedit à nobis verbum Dei.* Ecce tibi, quo Deum detineas, ne abeat, ne discedat: veritatis semina serua, nunquam recedat veritas à corde tuo, à lingua tua. Quãdiu enim in te veritas durat, & Deus durat. Vndè dicebat Oseas, cap. 4. *Non est veritas, non est misericordia, non est scientia* Oseas. 4. *Dei in terra.* Vbi erat veritas, erat Deus: sed cùm veritas abfuit, nihil Dei mansisse videtur, neque misericordia, nec scientia Dei. Ex quo monebat Theophylactus, Theophyl. ibi: *Qui mendacis diuitias amat, et vanas opes, & fraudulentam gloriam, veritatem non habet: vnde neque misericordiam à Deo suscipit, neque agnoscit ipsum in die reuelationis.* Videant homines, quanto discrimine sese mendacibus temporalitatis bonis immergunt; vix fieri nequit, vt de horum bonorum vsu ipsi varacitatem à se non expellant, & dum veritatem non habent, consequenter nec Dei misericordiam, nec scientiam habebunt; quando Deus cum veritate stat, & mendacium persequitur. Notissima sunt mendacia illa, quibus armati Israelitæ senes aduersus Susannam mortis tulere sententiam. Quid tunc? Ait Daniel, cap. 13. *Cumque* Dan. 13. *duceretur ad mortem, suscitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel: Et exclamauit voce magna, mundus ego sum à sanguine huius. Et conuersus omnis populus ad eum, dixit: Qualis est iste sermo, quem tu locutus es: Qui cùm staret in medio eorum, ait; Sic fatui filij Israel, non iudicantes, neque quid verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israel?* In tot senibus, atque prudentibus viris Israelis, non est inuentus vnus, qui

veri-

veritatem attingeret, & mendacium expueret; solus puer Daniel inter omnes pro veritate stetit, & sese aduersus mendacium muniuit, quia in illo solo spiritus Dei excitatus fuit. Vbi enim spiritus Dei adfuit, statim veritatis assertio apparuit, & mendacij ruina; quia non possunt veritas, & Deus simul non existere. Quò spectans D. Ambrosius, lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 7. inquit: *Daniel quoque nisi accepisset Dei spiritum, nunquam potuisset deprehendere mendacium fraudis.* Semper enim à Dei spiritu & veritas asseritur, & mendacium traducitur.

Ambr.

§. XXXIIII.

Veritatis vis validissima est, vt homines in bonam frugem traducat.

MEritò Dominus miratur, quòd deseminatæ à se veritati increduli Iudæi resistant: qui enim fieri potest, vt corda humana veritati deseminatæ repugnent, quando veritatis vis ea est, quæ vel totum mundum trahere possit in bonam frugem? Vtinam qui loquerentur veritatem, essent in mundo; fallar, nisi ad virtutes facili negotio conuerteretur totus mundus. Malach. ait cap. 2. *Lex veritatis fuit in ore eius, et iniquitas non est inuenta in labijs eius, in pace, et in æquitate ambulauit mecum, et multos auertit ab iniquitate.* Ecce tibi, vnam stabiliuit in mundo veritatis legem, quòd nimirùm veritas vndequaque splendesceret, in cœtibus, in conuentibus; & dum sic propagatur per hominum ora veritatis vius; exulant vitia, & multi amplexantur virtutes. Et fallar, nisi per veritatis vsum, ablatis vitijs, possint res hominum instaurari. Apocal. 21. *Et dixit, qui sedebat in throno. Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi, scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, et vera.* Vt renouaret omnia, & ad bonam frugem reduceret, quid facit Dominus? Quid scribendum mandat? Hoc solùm scribit, *Quia hæc verba fidelissima sunt, et vera*: & vtinam verborum veritas introduceretur in mundo, quia totus ipse in nouitatem abibit vitæ. Philippus Abbas, lib. 1. in Cant. cap. 17. *Noua facit Deus, cùm manu misericordiæ tergit nostram vetustatem: cùm errore detersa mendacij, loqui dat cum proximo veritatem, cùm eiusdem veritatis infundit leniùs voluptatem.* Expende, qualiter Deus renouat, imò restaurat omnia; nimirùm mendacium amandans, & dans loqui cum proximo veritatem, eiusdemque veritatis gustum infundens. Vtinam hanc homines à Deo ebibant mentem, vt mendacijs non adgaudeant, sed veritatis gustum percipiant, eiusque inescati suauitate, veritatem loquãtur cum proximo suo, non mirum erit, si hinc festinent ad vitæ nouitatẽ. Dum veritas splendeat in mundo, minimè deficient, quos metat Iesus in horrea sua. Aiebat sponsa, Cant. 2. *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.* Vndè lilia sufficient ad pascuam faciendam tanto Deo? Diu. Bernard. serm. 70. in Cant. ait: *Bonum lilium veritas, candore conspicuum, odore præcipuum. Lilium planè, quod ad nouam benedictionem terra nostra produxit, & paranit ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationẽ gentium.* Ne Dei pascua deficiant, sed omnes populi, vniuersæ gentes cedant Domino, spargitur liliũ veritatis super terram; & dat Deus, quòd terra veritatem germinet, veritate floreat. Et veritas florens, & populos, & gentes ducit ad Dominum. Vndè Psalm. 44. *Specie tua, et pulchritudine tua intende prosperè, procede, et regna; propter veritatem, et mansuetudinem, et iustitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua.* Tres proponit virtutes, propter quas Dominus dicitur dominaturus nationum; sed illarum prima veritas est; vbi enim veritas in mundo floret, regnum Christianum extollitur, & facili negotio in salutem capiuntur à Deo homines. Ex quo dicebat Diu. Antiochus, homil. 66. *Veritatem quisquis custodit, ac tuetur, citra difficultatem vllam potest sibi emereri vitam beatam. Ab ipsa enim protegitur veritate, nec vnde talem adoriatur, et vrgeat quidpiam mali.* Facile quidem est, quòd germinante in terra veritate, copiosè messes in horrea æterna metantur.

Malach. 2. *Apoc. 21.* *Philipp.* *Cant. 2.* *Bernar.* *Psal. 44.* *Antioch.*

Ioann. 8. Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

§. XXXV.

§. XXXV.

Verbum Dei fructuosum est est in ijs, qui Dei ductum sequuntur, eiusque operatione præparantur.

QVis Dei spiritu agitur, Deumq; sequitur, & verba Dei in se cum fructu audita nō mōstrat? Sanè in quo Dei apparēt operationes, quibus præcordia mouentur, arantur, verbū Dei cū non minimo fructu apparet. Cant. 5. ex Diu. Nisseni lectione aiebat Dominus: *Aperi mihi soror mea, propinqua mea, columba mea, perfecta mea.* Prius soror Dei, & propinqua, & columba fit, tandem perfecta est; sed scire cupis, vndè singula hæc sponsæ acciderunt? Pulchrè in rem præsentem D. August. tractat. 57. in Ioannem fatur: *Aperi mihi de sanguine meo soror mea, de accessu meo proxima mea, de spiritu meo columba mea, de sermone meo, quem pleniùs ex otio didicisti, perfecta mea.* Expende, quòd priùs ex sanguine effuso, & participato fiat Dei soror; deinde ex appropinquante Deo fiat propinqua Dei; rursus Dei spiritus impulsu agitata volat, vt columba; tandem diuinum sermonem audit, qui illam reddit perfectam. Et semel, & ter voluitur terra sub agricolæ manu, vt fœcundum excipiat semē, quod diuites parturiat segetes; & semel, & ter homo fiat Dei, cuius spiritu agitetur, & tunc de verbo Dei penè summum accipiet perfectionis augmentum. Matth. 20. dicitur de Verbo incarnato, & mortuo in cruce: *Et tertia die resurgit.* Quod transferens ad verbum veritatis Imperfectus, acutè expendit, quàm debet præparari, & coli terra cordis humani, vt in illa verbū Dei non euaneat. Vbi enim semel, & ter fuerit homo sub diuina manu, triumque personarum diuinarum operationes exceperit, ex harum ductu, & cultura habet, quòd de Dei verbo multiplices virtutum fructus pariat. Ait enim Imperfect. homil. 35. in Matth. *Post tres dies resurget in animabus credentium sibi verbum veritatis, cùm tres dies fuerint consummati in eis. Prima dies Pater, secunda dies Filius, & Spiritus sanctus tertia dies est, quoniam ijs tribus illuminantur corda credentium. In quibus ergo trium istorum scientiæ fuerint consummatæ, in eis veritatis verbum resurgit, & viuit, & operatur.* Non vacuum, & inane manet Dei verbum in ijs, in quibus diuinarū trium personarum præcedit operatio; adsit tibi Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, cuius spiritu agaris, cuius nutum spectes; & post hoc veritatis verbum in te resurgit, viuit, & operatur. Semen est verbum Dei, tunc fructificat, quando in corda cadit, quæ de Dei cultura parata sunt, & Dei spiritu aguntur, & eius nutum spectant. Quò respiciebat Oseas, cap. 10. *Ephraim vitula edocta diligere triturам, & ego transiui super pulchritudinem colli eius: ascendam super Ephraim; arabit Iudas, succidet sibi sulcos Iacob. Seminate vobis in iustitia, metite in ore misericordiæ, innouate vobis nouale: tempus autem requirendi Dñm est cū venerit Saluator, qui docebit vos iustitiam.* Expende, quò tendat totum illud rusticanum negotium arandi, proscindendi, metendi, noualia faciendi; nimirùm eò tendit, quòd tempus est requirendi Dominum, qui doceat nos iustitiam. Et quid exercitium agriculturæ cum iustitiæ Doctore? Pulchrè D. Hier. *Reddit causas, cur arent, cur seminent, cur metant, cur læta noualia innouent: Tempus, inquit, requirendi Dominum est; cùm venerit Saluator, qui docebit vos iustitiam.* Et quidem vbi Dei verbum intonandum est, & persuadēdum hominibus; vbi instat hora audiendi verbi diuini cum fructu; sic ex Deo assistente præcedat, æquum est, omne agriculturæ exercitium, vt humani cordis terra exarata, & proscisa, & in lætum nouale compo sita appareat, quo veritatis verbum diuites segetes parturiat. Quando enim viuidum frumenti semen de inculto, & rudi monte fructificet? De verbi Dei efficacia, & virtutibus, multa manent passim dicta-

Cant. 5

August.

Matt. 20

Imperf.

Ose. 10

Hieron.

Ioan. 8. Respondérunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum. Et vos inhonorastis me; ego autem non quæro gloriam meam, est, qui quærat, & iudicet.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Non parua Christi passionis pars à verbis contumeliosis descendit.

QVi apud Hierem. cap. 11. ad lignum crucis confugiunt, vt opprimat Iesum, dicétes: *Mittamus lignum in panem eius; & erradamus eum de terrâ viuentium:* nunc ligno prætermisso, ad contumelias, & conuitia descendunt, vocantes Iesum dæmoniacum, & Samaritanum infidelem, non quidem eius parcentes dolori, sed maiorem inferentes. Quando enim conuitium non durius est omni plaga, vt concutiat animum ingenuum? Iob post bonorum amissionem, post mortem filiorum, post incredibiles plagas corporis, hanc emittebat vocem; Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Verùm vbi ad probra, & cõtumelias audiendas accedit, sic clamat cap. 19. *Vsquequò affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?* Sepuaginta legunt: *& destruitis me sermonibus?* Cùm pereunt bona omnia, cùm corpus totum putrescit, adeò vt testa saniem raderet, sui destructionem non meminit; vbi autem ad contumelias subeundas accedit, totum se putat in destructionem vergere. Pulchrè Origen. in Cat. Græc: *Sæpenumero qui corporis cruciamen tolerauit, non passus est verba; contumeliam enim perferre magni est viri. Sed Iobus est athletarum fortissimus, in cuius libro nihil ita eminet, vt eius fortitudo, ac patientia; labores tamen sentit, quos ex eorum duro sermone, qui ad eum visendi causa veniebant, hauriebat. Quamobrem, ô amici, ait, ad corporis dolorem, molestiam etiam animi adhibetis, dum me magis verbis, quàm dolore corpus conciditis?* Non tota plagarum phalanx sic Iobum conterebat, vt contumeliosa amicorum verba; hæc omni tormento duriora sunt animis ingenuis. Sic Iudic. cap. 16. vbi Philisthijm habebant Samsonem obcœcatum, & vinctum, eum è carcere educunt, vt opprobrijs saturent. Ait enim textus: *Qui adductus è carcere ludebat ante eos, feceruntque eum stare inter duas columnas.* Septuaginta posuere. *Vocauerunt Samson de domo custodiæ, & illudebant ei, & steterunt eum in medio duarum columnarum.* Expende illud, *illudebant ei &c.* Iam non ferro oculos eius petunt, non opprimunt molæ pondere, sed verbis res agitur, contumelias iaculantur, conuitijs affligunt, & qui molę põdus sustinuit, qui obcœcatus tacuit, ad contumelias, & irrisionis verba sic afficitur, vt ex tunc non dubitauerit se cũ Philistæis perimere. Ait D. Amb. epist. 70. *Grauibus in eum insultabant conuitijs, quod durius, & vltra ipsam captiuitatis speciem viro ingenuæ virtutis conscio tolerabatur. Nam viuere, & mori, naturæ functio; ludibrio esse, probro ducitur.* Nulla mors, mihi crede, accidere potest ingenuo viro, quæ illi non videatur tolerabilior, quàm contumelia, quàm conuitium. Quõ adducenda sunt dicta. 1. tom. lib. 4. cap. 4. §. 10. & tom. 2. lib. 10. cap. 9. §. 7. & alibi.

Exod. 11.

Iob. 19.

Orig.

Iud. 16.

Amic.

§. XXXVII.

Peccatum omni dæmone horribilius est, nec sic lucet virtus in eijciendo dæmone, vt lucet in peccato eijciendo.

EXpende, quàm acris sit Dominus in tollẽda à se omni suspicione peccati, dicés: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et quã lenis est in tollẽda à se suspicione dæmonij inhabitãtis, inquiens: *Ego dæmonium non habeo.* Cur non magis te opponis, & ais: Quis ex vobis arguet me de dæmonio habito? Cur mauis leniùs agere, vt solùm dicas, ego dæmonium non habeo? Sanè non sic horribile est viro iusto dæmonium habere, ac peccatum; hoc omni dæmonio horribilius est, & multò magis vitandum. Mat. 15. Chananæa mulier sic ad Iesum clamat: *Miserere mei, Dñe, fili Dauid, filia mea malè â dæmonio vexatur.* Quę verba quotidiè pro se ipsis à peccatoribus dicẽda esse monẽt Chrysost. sed peccatores nec dæmonium habent, nec malè à dæmonio vexantur, quo modo ergo orabunt, dicentes, se à dæmonio vexari? Vexantur quidem à peccato, quod horribilius est omni diabolo. Ait Chrysostom. homil. 79. ad popul. *Sicut illa dicebat: Miserere mei, filia mea malè â dæmonio vexatur. Dic & tu, Miserere mei, anima mea malè â dæmonio vexatur. Magnus enim dæmon peccatum est: dæmonium habens, misericordiam inuenit, odio peccans habetur.* Non odiosus est Deo dæmonium habens, & valdè odiosus Deo est, lethale peccatum habẽs; nec sic malè affectus est, qui omnia inferni dęmonia in se sustinet,

Mat. 15.

Chrysost.

vt

vt male afficitur, qui peccato inquinatur. Hinc gaudentibus, lætantibusque discipulis, quod multa dæmonia eijcerent, ait illis Iesus, Luc. 10. *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur.* Et cur non gaudeant sancti videntes dæmonia ab humanis habitaculis fugere? Cur non gaudeant videntes hominem diabolica vexatione, ac tyrānide liberari? Erat adhuc alia longè maior tyrannis, nimirum, tyrannis peccati, quæ dum non tollebatur, parum erat, quòd fugarentur diaboli; & tunc licebat homini gaudere, cum de maiori hac peccati tyrannide liberabatur. Rupert. lib. 3. de oper. Spirit. sanct. cap. 10. *Apostoli ante Christi passionem dæmonia eiecerunt, & non erat illis gaudēdum, nisi fieret, vt per Christi passionem primam, & præcipuam consolationem, primum, & præcipuum paracleti datum, id est, remissionem acciperent peccatorum.* Nulla censetur victoria reportata ex dæmone, dum peccatū viget, nec permittimur gaudere, quòd liberemur ab obsidione dæmoniorum, cū medullitus manent animo peccata infixa. Hæc peiora omni dęmone sunt, non tàm in dæmonis, quàm in peccati eiectione nobis insudandum est, & tunc quasi de insigni, & miraculosa victoria gaudere licet, cum peccatū à nobis eiecerimus. Vndè D. Chrysost. hom. 33. in Matth. ait: *Quòd si velis, etiam signa videre, extermina abs te omne delictū, & videbis, quod cupiebas. Magnus enim dæmō peccatum est, quod si abs te abieceris, maior tu eris, mihi crede, quàm qui dæmonia eijciunt.* Non ille magnus, qui à se, & à mundo dæmonia eiecit, qui se à peccato enodat, hic cātet triumphum, vt qui expulerit omnium dæmoniorum pessimum inimicum. Parum est, quòd diabolus abeat; si peccatū manet intus, quod solum ingentem faciet tui ruinam. Audio diabolum ingressum in cor Iudæ ibi peccati, nempe proditionis semen reliquisse; hoc diabolus fecit; Iudas autem solius peccati conscius, quid fecit? Ait Matth. 26. *Abiens laqueo se suspendit.* Proh peccati venenum, & laqueos, & tortores, & carnifices, & rem totam suspendij ministrans! D. Ambros. in Psal. 35. *Se ipse proprio ore egit in mortem. Quantos putamus in ipso fuisse tortores, vt sibi ipse tam grauis pœnæ exactor incumberet, & semetipsum strangularet?* Quid non parturiret peccatū cordi infixum? In quo peccatum est, in eo, & tortores sunt, & carnifices; nec egent dæmonia ibi esse, vt extremæ nascātur ruinę. Vndè Luc. 10. dicitur, quòd miser homo: *incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.* Nulli dubium est, quin latrones ij dæmones sint, qui hominem gratia spoliāt, peccato immisso; sed cur spoliatum adhuc semiuiuū relinquunt? Sanè vbi homo nudus gratia est, & peccato vulneratus, non curant iam dæmones multum de illius extrema ruina, quam peccatum manens potest perficere. Quò spectans Origen. hom. 34. in Luc. dicit: *Latrones, qui spoliauerant, & vulnerauerant eum, non aßident nudo.* Non diabolus requiritur, vbi gratiæ nuditas, & peccati est vulnus, quæ peiores diabolo sunt ad causandam extremam ruinam. Non nouerat Cain diabolum, sed nouerat peccatum suum, & aiebat Genes. 4. *Ero vagus, & profugus in terra; omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Pro quo D. Ambros. in Psalm. 35. *Cū adhuc â Domino pœna cessaret, torquebat eum suorum conscientia peccatorum. Latebat miser tremens, & timens, & cum adhuc percußor deesset, ipsa sese iniusti vita cruciabat. Acceperat signum, ne eum aliquis occideret; meruerat quidem vt percußor inhiberetur, sed sine vlla intermissione ipse sibi suus carnifex erat, & percussor.* Non aliunde exterminatorē expectat, qui peccatum in se admittit; quādo peccatum in corde fixū sufficiens est ad omnia bona dilapidanda, ad causandas extremas ruinas. Quòd si adhuc scire cupis, quàm sit dæmone peius vitiū in corde admissum, propone tibi ob oculos Saulem dæmone liberatum, & lancinantem Dauidem: de quò vide tom. 2. lib. 12. §. 4.

Luc. 10.

Rupert.

Chrysost.

Matth. 26

Ambr.

Origen.

Genes. 4.

§. XXXVIII.

Dæmonium est, qui sic superbit, vt facinorum, virtutumq; honorem sibi præripiat.

EFficaci ratione depellit Dominus dæmonij in se habitātis suspicionē, fatus: *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum.* Et quidem tūc dæmonium in te non esse verè ostendis, quando non tuam, sed Dei gloriam

venari; ille enim minimè à dæmonio liber est, qui sibi prærripere gloriam intentat, propriamque exaltationem quærit. Quam maculam vbi iniustè Christo Domino inurebant Iudæi, ex hoc præsuppositio errore, satis cõsequẽter dicebant: *Nonne bene dicimus nos, quia dæmonium habes.* In quo fundant, quod benè dicãt, quia in Iesu est dæmoniũ? In clarissimo errore, quo putabãt à Iesu prærripi Dei honorẽ, propriamque & nõ Dei exaltationem quæri: suppositio autem quòd quis sic elatus probetur, benè concluditur in illo dæmonium esse. Elias Cretensis, in orat. 4. Nazianz. *A dæmonio Christum obsessum aiunt, quod in more sit dæmonijs debitũ honorem Deo in se transferre: sineq; verecundia Dei gloriam rapere, quod ipsum â Christo fieri putabant, cum se, qui esset homo, in Dei sedem, quasi collocaret et ijs verbis. Qui ex Deo est, verba mea audit.* Turpiter errant dum Iesum præsupponunt hac macula aspergi, quod non Dei, sed suam exaltationẽ quærit: verum hoc benè existimãt, quod dæmonium sit in eo, qui Deo debitum honorem sibi prærripit, & de illo effertur. Nunquam enim elatio vana in homine dæmoniorum proprium affectum non ostendit. Isaias, cap. 2. ait. *Dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogãtem, & humiliabitur. Et super omnes Cedros Libani sublimes, & erectas.* Superbos, & arrogantes homines, cum Cedris Labani miscet, & confundit in die furoris Domini. Et cur sic miscet superbos, & arrogãtes cum Cedris Libani? Libanus idololatriam seruabat adeò, vt quot Cedri, tot idola, & tot dæmonia in illo essent; benè ergo cum idolis, & dæmonijs iungit, & miscet arrogantes, & elatos homines: dæmoniacum enim sapit elatio omnis. Pulchrè ad hæc Procopius: *Præterea, cur istos arrogantes, Libani Cedros esse dixit? Primum quoniam dæmoniacum quiddam omnis habet elatio. Erat vero omni idololatria refertissimus Libanus, hinc & quæ in eo vagabantur, malas potestates, Cedri significant, quæ nequitiæ fastigia aduersus Dei notitiam sunt attollere solita.* Expẽde illud, nimirum: *dæmoniacum quiddam omnis habet elatio*; quisquis rapto sibi honore effertur super alios putet hanc elationem inhabitantis ibi dæmonis signum esse. Non longè à dæmonio distat; qui sic euanet, sic superbit, vt sibi honorem virtutuũ arroget, propriãque gloriam quærat. Ait enim D. Chrysost. hom. 43. ad Pop. *Nullum itaq; malũ par elationi, hominem reddit dæmonem:* dæmonibus æquat hominẽ elatio. Quod cauebat Paul. 1. ad Timoth. 3. monens: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse::: non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli:* quasi elatus non possit in omnibus diabolo non assimilari. Hinc Ecclesiastes, cap. 1. *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.* Septuag. legũt; *& præsumptio spiritus.* Quod ad superbiam, & elationem, quibus mũdialium hominum opera plena sunt, refert D. Augustin. hom. 1. de ferm. Dom. in monte. Et quæ plena elationis, & superbiæ Augustino sunt; de illis locutus D. Gregor. Neocesarien sis, ait: *Spiritu prodigioso, et execrando omnia hæc inferiora plena sunt.* Quasi eo ipso, quod quis elatione, & arrogantia inflatur, iam plenus nequissimo, & execrando spiritu, imò à diabolo possessus videatur.

Elias Cr.

Isai. 2.

Procop.

Chrysost.

1. Ti. 3.

Eccl. 1.

Cre. Ne.

§. XXXIX.

Impiorum hominum est eos inutiles, & prorsus inanes putare, in quibus nihil vitiosum, nihil diabolicum apparet.

VBi Iesus negat se dæmonium habere, statim sua explicat magnalia, dicens: *Sed honorifico Patrem meum.* Patrando, videlicet, miracula, ignaros docendo, seque & omnia omnibus præbendo, vt inde pateret, quam ad omnia vtilis, & proficuus, qui dæmonium non haberet. Solent equidem impij, & mundiales homines inutilem, & frustraneum putare illum, in quo nihil vitij, nihil dæmonis partem spectans apparet. Sit vir nobilis Deo intentus, abstinens prorsus ab omnibus operibus diabolo, à comessationibus, ab ebrietatibus, à theatrali luxu, & ecce à mũdialibus habebitur, quasi ad nihil valeat, quasi homo frustraneus. Aiebat Dominus Ioan. 14. *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquã.* Ambr. legit: *Et in me inuenit nihil*, qui fieri potest, vt in omnium bonorũ fonte nihil inueniatur? In Iesu omnis diuinitas inhabitabat corporaliter; illi data erat omnis potestas in cœlo, & in terra, in eius vestimenti fimbria salutem

Ioan. 14

mulier

mulier sibi acquisiuit. Quo modo ergo in quo tot bonorum segetes erant, nihil inuenit princeps huius mundi? Non erat in Iesu vel vestigium peccati, non erat illi pars cum diabolo, & quãdo nec peccati vmbra inuenitur in viro iusto, quasi nihil aliud sit, cẽsetur à spiritu mũdi. Ait D. Ambr. lib. de Fuga sæculi, c. 4. *Quomodo nihil inueniri potuit in eo, in quo plenitudo diuinitatis habitabat corporaliter, de quo virtus exibat, & sanabat omnes? Quomodo nihil inuenire potuit in soliditate virtutis, vbertate sapientiæ, integritate iustitiæ? Non ergo in vacuus, sed ille cæcus, & inanis princeps istius mũdi, qui nescit nisi sua cernere, nescit nisi sua inuenire.* Hic est impius & mũdialis spiritus, qui vnum æstimat, vnum videt, vnum reputat, quod suũ est; videat in te aliquid suum, videat aliquid faciens ad peccatum, faciens ad vitia, tunc te æstimat, & prædicat plenum, etiam si summe inanis, & vacuus existas. At dum in te sua non respicit, licet in te bonorum omniũ sit plenitudo, sic te æstimat quasi in te nihil sit, quasi valeas ad nihilum. Hæc erat vox impiorũ aduersus Iesum, Sap. c. 2. *Circumueniamus ergo iustũ, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris.* Et quidem vt notat Hugo Card. Iesus vtilissimus erat, populo sanando omnes, illuminãdo omnes, docendo omnes, vndè potuit apparere inutilis? Iam ipsi insinuant illis verbis: *Cõtrarius est operibus nostris*; vbi ab omni opere malo abstinebat, vbi quidquid propha nũ, & vitiosum erat, cauebat, & carpebat, in nulloque cõueniebat cum impijs, necessum erat, vt haberetur ab illis, quasi homo frustraneus, & inutilis. Quorum impudẽtiã exprimit Iob, c. 22. *Qui dicebant Deo; Recede à nobis; & quasi nihil posset facere omnipotens, æstimabant eum.* Ipsam Dei potentiam, eiusq; virtutis præstantissima opera, reputant impijssimi homines nihil esse, dum prorsus alienam vident à suis fœcibus. Quæcumque enim ad lasciuiam non pertinent, putat homo lasciuus nihil esse.

Ambr.

Sap. 2.

Hugo.

Iob. 22.

§. XL.

Laudabiliorem vitæ curriculum agens in hoc sæculo, si ius dicas nemini;

NOn otiosè dissimulat Iesus in præsenti potestatẽ iudicãdi homines, cum ait: *Ego nõ quæro gloriã meam, est qui quærat, & iudicet:* quasi dicat, est Pater, qui iudicat in præsenti, ego autẽ nõ iudico in hac mundiali vita. Nec immeritò rex regum, & dominus dominãdi Iesus, dum nostram mortalẽ vitã agit, declinat exercitiũ iudicandi, sed vt ostẽdat, quàm laudabilior poterit esse vita illius, qui in præsenti ius dixerit nemini. Gothorum nobilitas, dũ subijcit Romanos populos, querebatur de rege suo, quòd ius dicendi munus relinqueret Romanis deuictis, & nullus illorum iudex Gothus crearetur. Quibus sapienter respõdet Athalaricus Rex, apud Cassiod. lib. 9. var. c. 14. *Ordinarijs iudicibus administrationũ suarũ potestas illibata seruetur. Cognitores suos legitima turba comitetur. Obseruationũ illarũ nõ moueris in uidia. Gothorũ laus est ciuilitas custodita. Tota ad vos fama confluit, si vos rarus litigator obseruet. Vos armis iura defendite, Romanos finite regum pace litigare.* Expẽde illa triũphatoris hominis ornamenta, nimirũ; *tota ad vos fama confluit, si vos rarus litigator obseruet*: sanè laudabilem ille rẽ præstat, qui detrectat subire munus ius dicendi, qui horret litigatores auscultare: qui alios iudicãdi potestatem alijs integram remittit, seseque prorsus ab illa in hac vita mortali expedit. Hinc hominis fœlicitatẽ cõmendãs Psalm. 1. ait: *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorũ, & in via peccatorũ non stetit, & in cathedra pestilentiæ nõ sedit.* Impiorum, peccatorumve consortium, qui abiurat, beatus est etiam existens in mortali hoc corpore; insuper & beatus est, qui non sedit in cathedra pestilẽtiæ, qui nunquã pro tribunali sedit, qui forẽsia negotia nõ tractauit, qui ius dixit nemini. Vt enim vix vllus est, qui inter hæc munera iudicãdi non inficiatur de eorũ peste; sic qui ab illis fugit, beatã ducit vitã, & prorsus quietã. Ait D. Hilar. ibi: *Tertius quoq; his obtinendæ beatitudinis ordo est, in cathedra pestilentiæ non sedere. Cuius itaq; cathedræ sessionem existimabimus pestilentẽ? Illa erit pestilens, cuius contagiũ Pilatus manus abluendo deuitat. Publicarũ enim causarũ ordo, manere iudices volentes, in legis sanctitate non sinit.* Pestilẽs est D. Hilario iudiciaria sedes; cuius administrationẽ, qui deuitat, in ordine beatitudinis obtinendæ meritò constituitur. Vt dicat Psalm. 70. *Quia non cognoui literaturam introibo in potentias Domini.* Literaturã vocat forenses leges, & totã administratio-

Cassiod.

Psal. 1.

D. Hilar.

Psal. 70.

nem fori, cuius fuga spē sacratioris, diuinioris que potestatis importat. Benè Hugo Cardin. *Introibo ergo in potentias Domini cœlestes, quia illiteratus, & idiota potentias terrenas non ambiui, sed despexi.* Sic de despectis iudiciarijs sedibus, sperat diuiniores apud Deum potentias. Hugo.

*Ioann.*8. Amen, amen, dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & prophetæ, & tu dicis, si quis sermonem meum seruauerit, nō gustauit mortem in æternū; Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt? Quem te ipsum facis? Respondit Iesus: Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.

§. XLI.

Proprissimum dæmoniorum officiū est instantiam mortis ab hominum memoria longè facere.

QVæstio in præsenti celebris est, cur isti Pharisæi nunc maximè se se certiores factos ostēdāt, quod Iesus dæmoniaco spiritu agatur? Vbi enim Iesus hāc sermonis sui obseruati virtutē prædicat, quæ mortē in æternū abigit statim illi: *Nunc cognouimus, quia dæmoniū habes.* Cur perfidi homines nunc id magis cognoscitis? Quid nunc singulare in Iesu videtis, quo magis persuadeamini ad asserendum illum dæmoniaco spiritu agi? Sanè audiunt Iesum, dicētem de morte per suum sermonem eliminata, quod male intelligentes de morte hac temporali; quasi per euidentem consequentiam deducunt, verba illa nō posse à diuino, sed à diabolico spiritu manare. Et quidē dum in hac via sumus nō Iesus, sed solus diabolus nititur instantiam mortis ab humana cogitatione longè facere. Hæc fuit diaboli vox in primis mūdi cunabulis, Gen.3. *Nequaquā moriemini:* quàm etiam modo inter frequentissimas, & propinquorum, & amicorū mortes imprudētissimus inclamat; nihil magis curans, quàm persuadere nobis, vel distantissimam, vel nullā esse mortis plagam. Ad hæc D. Basil. Sel. orat. 3. *O sententiam execrabilem, & plenam audaciæ vocem! Deus mortem transgressoribus statuit, & diabolus vitam contra legē agentibus spondet.* Diabolus est, qui à cogitatione adulteræ districtum coniugi, separat gladium; diabolus est, qui auaris hominibus longissima vitæ sæcula proponit; diabolus est, qui nec signum instātis mortis ob oculos peccatorum esse patitur. Vbi arca Dei captiua apud Philisthæos erat, 1. Reg. 5. *Fiebat pauor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valde manus Dei.* Quid tunc? Philisthijni augures suos, & diuinos suos consulunt, qui respōdent, quod Dei arca imponatur plaustro, & relictis bobus, vt ipsi arcam ducant, permittant illam ferri ad Israelitas: quod & factum est; nullo enim ductore mouente, imò natura bobum reluctante, boues ipsi impositam plaustro arcam, deducunt eam vsque in Bethsames. Id quod sapienter putat Origenes diaboli arte dispositum per ministros suos augures, & propria ipsius virtute applicata peractum est. Quippè ait hom. 16. in Num. *Quis ergo in his, si diligenter inspiciat, præscientiam hanc, quæ de bouum directione prædicta est, vel fortuitam dicat, vel aliqua arte cōpositam, & non operatione quadam dæmonum ministratam?* Sed cur dæmones tanta diligentia curāt, vt arca Dei à Philisthinis abeat? Cur diabolus sit auriga, qui Dei arcā deferat à populis Philisthinorū? Sanè, vt ait textus, dum arca Dei manebat apud Philistheos, *fiebat pauor mortis in singulis vrbibus*: nihilque magis proprium diaboli, quàm à peccatoribus eliminare vniuersas causas, que possint memoriā mortis excitare. Hoc proprium munus, hoc singulare dęmonis officiū est, quod mortis instantia longè ab humanis mētibus separetur. Diues erat iam in occasu vitæ constitutus, iam iam à viuis eripiendus. De quo ait Luc. cap. 12. *Et dixit hoc faciā, destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, bona mea, & dicam animæ* Basil. Se. 1. Reg. 5. Origen. Luc. 12.

mæ meæ; Anima habes multa bona, posita in annos plurimos, &c. In limine erat mors, & multa aderant, quæ mortis memoriã excitarent; vel destructio horreorũ excogitata, vel nocturnum tẽpus illi mortis inflãtiam poterant intimare. Sed inter hæc ille nullam memoriam mortis habet, quin potius longa vitæ sæcula in mente voluit, dicens: *Habes multa bona posita in annos plurimos.* Cur hac ipsa nocte arripiendus non magis cogitas dierum paucitate? Quis te facit mortis inflãtis sic obliuiſci? Quis tibi pollicetur plures annos? Pulchrè Chrysol. ser. 104. *Erat in illo alter, quia ad eius penetralia iam diabolus possessor intrauerat.* Ne miremur, quòd tota mortis memoria abigatur; erat enim in illo diabolus, qui minimè permittit suis ad mortẽ spectare. Nec ab alio, quàm à malo potest sine mortis memoria longæua vita excogitari. Pro quo D. Basi. in præsenti, ait: *Longa tibi vitæ tẽpora præfixisti: & profectò vitam hoc sibi modo polliceri, nõ bonitatis, sed malitiæ est indicium.* A malo venit quòd vitam tibi longam statuas, quòd plurimos tibi viuẽdi præfigas annos. Miseri illi dæmonis verberones in sepulchris habitabant, Matth. 8. & vidẽtes Iesum clamabant. *Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei, veniſti ante tempus torquere nos?* Immaturũ, & nimis properũ putant aduẽtum Saluatoris, qui iam in sepulchris ipsis claudebantur, sed homini existenti in sepulchro, quomodo potuit Iesus aduentus videri fuisse ante tẽpus? Quãtum tempus poterat expectare, qui iam in sepulchro erat? Sanè nõ hæc vox ab homine, sed à diabolo veniebat, qui etiam à penè enectis, ab ipsis senio confectis, & propè sepulchra existentibus longissima vitæ tempora facit spectari. Chrysol. serm. 16. *De tempore causatur nequitia sæculi indurata.* Indurata diaboli malitia, etiam in penè enectis immaturam mortem reputat, quæ ostendatur venire aliquando; tota enim diaboli astutia eò tendit, vt nunquam mors propè cernatur. Aiebat Dominus Luc. 12. *Ignem veni mittere in terrã, quid volo nisi, vt accendatur.* Cur ignem venit mittere? Chrysol. ibi: *Ignẽ venit mittere in terram, vt suo cinere saginata pingueſceret.* Ignis diuinus hoc habet, vt suos cineres terræ ob oculos ponat; de quorum vel prospectu ipsa saginetur. Sed de diabolo locutus Iob c. 41. ait: *Halitus eius prunas ardere facit.* Deus ignẽ mittit, diabolus insufflat prunas; cõueniunt ergo diabolus, & Deus in officio? Absit, Deus enim dicitur ignẽ mittere, vbi autem ignis est, & cineres sunt; verũ diabolus nõ dicitur ignẽ mittere, sed prunas exsufflare, hoc est, illas prorsus à cineribus excutere; prunæ enim si relinquãtur, vndique cinere circum voluũtur, & sub cinere conseruãtur viuidæ; vbi accedit, qui prunas exsufflet, totũ excutit, & exsufflat cinerẽ. Dei ea cura est, vt ignẽ accẽdat; qui faciat cineres, & terræ ob oculos ponat illos; ast diaboli officiũ est exsufflandi prunas, ab illisq; excutiẽdi totos cineres, ne quid cinereũ, & mortale possit sentiri. Quò refero illud Abacuc, c. 3. *Deus ab austro veniet, & sanctus de mõte Pharã. Sẽper operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra. Splendor eius, vt lux erit, cornua in manibus eius; ibi abscondita est fortitudo eius. Ante faciẽ eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.* Vt Deus ostẽdatur mũdũ detriũphãs, meritò ante eius faciẽ mors præmittitur; sed vix mors præmittitur, & ecce tibi diabolus ante pedes eius egreditur, ne vel gradum faciat mors, quin diabolus ponatur ante, illã relinquẽs à tergo, vt minimè possit videri. Miraris hoc? Sed accipe quod æquè mireris Matth. 8. *Cũ veniſſet Iesus trans fretum in regionem Gerasenorũ, occurrerunt ei duo dæmoniã habentes, de monumentis exeũtes, sæui nimis, ita vt nemo posſet transire per viã illã.* Equidẽ in via erant multa sepulchra mortuorum, quando mos erat Iudæis in vijs sepelire mortuos suos; dæmoniací autẽ isti sic ad monumenta illa inhabitanda properabãt, vt nullis possent detineri vinculis in vrbe. Quippè ait Marcus, ca. 5. de famosiori: *Neq; catenis iam quisquã poterat eũ ligare: quoniã sæpe cõ pedibus, & catenis vinctus, dirupiſſet catenas, & cõpedes cõminuiſſet, et nemo poterat eũ domare, et semper die, ac nocte in monumentis erat.* Nullis cõpedibus, nullis catenis poterãt detineri in vrbe, sed catenas vniuersas rũpentes festini abibant in sepulchra; hoc solũ intendẽtes, vt sepulchrorũ vias inacceſſas redderẽt hominibus; vt ait enim Matth. *De monumentis exeuntes sæui nimis, vt nemo posſit transire per viam illam.* Eò tendebat dæmonum sæuitia, & astutia habitans in sepulchris; vt nemo sepulchrorum vias auderet pertingere; & sic quidquid mortis erat, ab hominum oculis longè fieret.

Matt. 8.
Chrysol.
Luc. 12.
Chrysol.
Iob. 41.
D. Basil.
Abac. 3.
Matth. 8.
Marc. 5.
Idem.

§. XLII.

Quò minus aliquis ſuam exaltationem quærit, eò nobilius quid eſt.

IN eo ſita eſt hominis gloria, quòd ipſe non ſe ipſum glorificet; ait enim Ieſus *Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt*; tunc creſcit homini honor, cum minimè ab homine quæritur. Mulieri Chananææ petenti ſalutem filiæ reſpondit Ieſus, Matt. 15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Matt. 15 Cui appellationi illa annuens, ait: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt, &c.* Ad hæc Ieſus *O mulier, magna eſt fides tua.* Paulò ante canem appellabat, depellebat vt canē; iam non canem, ſed magnæ fidei mulierem compellat. Vndè Dominus cognoſcit eam tantæ fidei eſſe mulierem, quam paulò ante vt canem repellebat? Aut in quo ad honorem humanæ appellationis peruenit, quæ modo expellebatur quaſi catellus? Admiſit ipſa catelli appellationem, & tantum abfuit, vt filiorū gloriam ſibi præſumeret, quod inter ipſos catellos numerari vellet, quo apud Deum ad honorem hominis peruenit. D. Auguſt. ſerm. 74. de temp. *O mulier, magna eſt fides tua; tu te agnouiſti canem, ego te iam agnoſco hominem.* D. Aug. Tunc apud Deum creuit mulier in humanam gloriam, cum ipſa ſe ſe inter canes annumerat: nihil ex ſe reputās habere niſi vile, & pecuinum; & æſtimans glorioſiora quæque venire à Domino. Sic ſuā gloriam exaltabat ille Rex, Dan. 4. *Nōne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Dan. 4. Sic ſe barbarus glorificabat, non Dei, ſed ſuam gloriam oſtentans: *Et ex hominibus abiectus eſt, fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum eſt: donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi anium. Igitur poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor, oculos meos ad cœlum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi, & Altiſſimo benedixi, & viuentem in ſempiternum laudaui, & glorificaui, &c.* Compone hominem, cum homine; Nabuchodonoſorē cum Nabuchodonoſore; dum ſuam gloriam oſtentat, ab omni exulat ſenſu hominis, annumeratur inter boues: Dum autem inter belluas annumeratus, nihil in ſe videns, niſi vile, & pecuinum, ad Deum leuat oculos, Deumque agnoſcit ſolum dignum gloria; iam non amplius bellua, ſed ſtatim apparet regius homo. D. Paulinus epiſt. 4. *A regnis ſuis, etiam & ſenſibus exulabat humanis; coma triſti Leonem; vncis vnguibus vulturem; ſenſu & pabulo, bouem referens. Intellectu tamen tandem Deo, & ſenſui reformatur, & regno.* D. Paul. Tandiù exulauit ab homine, quādiù ſibi præripiebat Dei gloriā; vbi glorioſa quæque intellexit Dei eſſe, & Deo retulit, omnia ad humanos, imò & diuinos fuit eleuatus honores. Iſaias 6. de Deo ſedenti ſuper excelſum thronum, ait: *Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant tēplum.* Iſai. 6. Ad templum Deo ſoli ſacratū admittuntur ea, quæ ſub ipſo Deo ſunt, vt intelligant homines, qua via poſſint etiam diuinos percipere honores, nimirùm, ſi ſeſe Deo ſubijciant, eiuſque & non ſuam quærant gloriam. Ex quo D. Bernard. ſerm. 2. in Iſaiæ verbis ait: *Propterea ſanè dixi, humiliare ſub potenti manu Dei, vt exaltet te in tempore viſitationis. Vide, vt ſub ipſo inueniaris, alioquin nō eſſe poteris cum ipſo.* D. Bern. Vt de te impleatur templum Dei, in eiuſque gloriā intrare poſsis, ſic te debes componere; vt ſemper ſub Deo inueniaris, omnia Deo cedens glorioſa, nihil tibi aſſumens honoris. Hinc claudicare viſus fuit magnus ille Moyſes, de quo dicitur Numer. 20. *Tulit igitur Moyſes virgam, quæ erat in conſpectu Domini, ſicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram, dixit que eis: Audite rebelles, & increduli. Num de petra hac vobis aquā poterimus eijcere? Cumque elenaſſet Moyſes manum percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet, & iumenta. Dixitq; Dominus ad Moyſem, & Aaron, quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filijs Iſrael, nō introducetis hos populos, &c.* Num. 20 Non facilè inuenitur, qui fuerit Moyſi error in iſs verbis, aut in quo non ſanctificauit Dominum, vt ſic puniretur, & à munere excluderetur. Quod fuit Moyſi verbum ſic aberrans, ſic contrarium Domino? Ego in illis verbis errorem inuenio, quibus dicit: *De petra hac, vobis aquam poterimus eijcere.* Sic ſe oſtendens, quaſi & ipſe ſit qui aquam de petra eijciat, & non ſolus Dominus; *poterimus*, enim ait, ſaltem partem miraculi ſibi aſſumens, non integram illius gloriam referens Domino,

no: vndè meruit priuari principatus honore, & tradi morti. Quod insinuat Christianus Druhmarus, ad illa verba Matt. 5. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis* &c. vbi inquit: *Sic Moyses ostendit ad aquas contradictionis retorquendo in se virtutem Dei, dicendo. Num de petra hac poterimus educere vobis aquas, cum Dei esset virtus, quæ fiebat, & non hominis, per quem fiebat.* Ne miremur, quòd vitam Moyses amittat propriam, cum Dei sibi arrogat gloriam in extinguenda siti populi. Matth 5

Ioan. 8. Est Pater meus, qui glorificat me. Quem vos dicitis, quia Deus vester, & non cognouistis eum. Ego autem noui eum, & si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax, sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est. Dixerunt ergo Iudei ad eum: quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit eis Iesus: Amen dico vobis, ante quam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, &c.

§. XLIII.

Ille in veritate Christum videt, qui misericordiæ operibus incumbit; qui enim misericordiam nescit, & nescit Christum.

NOn otiosè relictis alijs Patriarchis, & Prophetis, de vno Abrahamo dicitur, quòd exultaret, vt videret diē Christi, & quòd vidit; quādo enim Abraham in hospitalitatis, & misericordiæ operibus singularis fuit, non mirum quòd singularis existat in cognoscēdo, & præuidendo Christo, quem ille in veritate videt, qui operibus misericordiæ incūbit, Genes. 18. Tres viri peregrini apparuerunt Abrahamo, qui iuxta D. Gregor. Pap. in præsenti, & Bedam, & alios plures, ideò apparuerunt illi, vt facerēt, quòd Abraham videret diem Christi. Et visis tribus peregrinis, ait Abraham: *Afferam pauxillum aquæ, et lauentur pedes vestri, et requiescite sub arbore. Ponam q; buccellam panis, & confortetur cor vestrum, postea transibitis; idcirco enim declinastis ad seruum vestrum. Qui dixerūt; fac, vt locutus es. Festinauit Abraham ad tabernaculum ad Saram, dixit q; ei: Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes. Ipse verò ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimū, & optimum, dedit q; pueru, qui festinauit, & coxit illū. Tulit quoq; butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, et posuit coram eis, ipse verò stabat iuxta eos sub arbore. Cùmque comedissent*, &c. Ecce misericordiæ plenum Abrahæ facinus, ecce pientissimum officium exhibitum diuinis peregrinis: sed quando peregrini homines non erant, nec vtebantur humano cibo; cur ad Abraham diuertentes, vt faciant illum videre Christum, necessitatem cibi præseferunt? Cur permittunt occupari tantum virum in parando hospitio, in exhibendo cibo, minimè egentibus illo? Cur non magis illum faciunt attendere ad vidēdum in domo sua existentem Christum, quàm ad paranda prā dia peregrinis? Sanè, quia visurus erat Christum, ideò operibus misericordiæ permittitur incumbere, quando per has manifestissimè quisque videre potest Christum. Pulchrè ad hæc Chrysolog. serm. 131. inquit: *Sic ad Abraham Deus venit hominis in forma, se ostendit hospitis in figura: lassi viatoris in morem accepit pedibus suis aquam: sed & inuitatis ad mensam vituli, et panis appositione saturatur, et ita se totus humano credit, et committit obsequio, vt ipso tactu, et visu verum hominem videatur explere; et hoc eo tempore, quo verus Deus sterilitati extremæ senis sobolem largiturus aduenit.* Expende illa, nimirùm, *vt ipso tactu, et visu*, &c. quippè vt Deus verus, & homo, hoc est, Christus, visu possit percipi, priùs omnia pietatis, & misericordiæ opera permittit exhiberi, quasi hæc sint, quæ faciunt, vt homines apertius Christum possint videre. Ex quo sapienter D. Gregor. in præsenti, ait: *Tunc quippè diem Domini Abraham vidit, cum in figura* Gen 18. Chrysol. D. Greg.

gura Trinitatis, tres Angelos hoſpitio ſuſcepit. Vbi hoſpitiũ peregrinis exhibuit, clariſsimos habuit oculos, vt diem Chriſti videret. Non vidit, non nouit Chriſtum, qui pauperem, & peregrinum neſcit, qui ſuper egenos nõ intelligit. Luc. 19. paruus homuncio Zachæus aſcendit arborem, vt prætereũtem videret; quem iubet Ieſus feſtinanter deſcendere, & hoſpitium parare: *Zachæe, feſtinãs deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Cur Domine tam feſtinanter iubes hominem deſcendere ab arbore, ad quam deſiderio te videndi aſcenderat? Cur non permittis magis ibi eſſe, vt oculos ſuos paſcat tuo conſpectu? An non placet tibi hominis deſiderium? Abſit: imò quia placet, illi oſtendit ex quo citiùs, & clariùs poſsit Chriſtum videre, quàm ex arbore; nimirùm, ſi incumbat hoſpitio, & cibo parando egenis. Non cum altiſsimos aſcenderis vertices, ſic Chriſtum videbis, vt illum videbis, ſi incubueris miſericordiæ operibus. Hinc Nazian. grauiſsimè nos monet Nazian. orat. 40. *Zachæum imitare, illum heri publicanũ, hodie animi magnitudine, et liberalitate præditum, facultates tuas omnes ingrediẽ ti Chriſto offer, vt licet corporea ætate paruus: animo tamen eueharis, Chriſtum egregiè conſpicatus.* Expende hæc vltima verba: *Chriſtum egregiè conſpicatus*; non equidem Zachæus de arboris beneficio, ſed de hoſpitij, & miſericordię exhibitæ beneficio habuit, vt Chriſtum egregiè conſpicatus fuerit. Vanè quærit videre Chriſtum, qui eum non videt in Luc. 2. miſericordia exhibita pauperi. Luc. 2. Simeon habens puerulum Ieſum in manibus, ſic cecinit: *Nunc dimittis ſeruum tuum in pace. Quia viderũt oculi mei ſalutare tuum.* Quæ verba quotidie à nobis poſſe dici veriſsimè teſtatur Beda. Sed quomodo poſſumus dicere, quod viderunt oculi noſtri Dei ſalutare? Eo ipſo, quòd miſericordiæ exhibendę incũbamus, id ipſum poſſumus de nobis Beda. veriſsimè canere. Ait Beda ibi: *Ideò nos â peccatorum ſcandalo abſoluens, iam in pace reconciliatos, paſsibus amoris propinquare cœleſtibus facis: qui fidei oculis ſalutare tuum Chriſtum Dominum in membris eius intueri, eumq; pijs operibus, amplecti meruimus.* Et quidem ille egregiè Chriſtum intelligit, qui intelligit ſuper pauperem. Huc trahe dicta. 1. tom. lib. 3. cap. 2. §. 24. & lib. 5. cap. 3. §. 3.

CAPVT IX.

Diſputatio in feſto Encæniorum.

DIE Vigeſimaquinta Nouẽbris, qui apud Iudæos erat menſis nouus, feſtum illud celebrabatur inſtitutum, 1. Machab. 4. in memoriam illius temporis, quando altare à gentibus prophanatum, à Machabæis mundatum, & renouatum eſt. Et ex renouationis Græco vocabulo, nimirùm, cœnon, dicebãtur hæc feſta Encæniorũ, quibus dum adeſt Dominus, & in porticu Salomonis deambularet, à Iudæis circuncinctus, eorum fraudes ſapientiſsimè cauet, & multa diuina illos docet. Teſtimonium ſuæ diuinitatis, vt ex operibus à ſe peractis manifeſtum oſtẽdit; ſic minimè acceptum ex Iudæorum malitia euidentiſsimè ſtatuit. Quid plura? Ex lege vocante ſæpe Deos, humanas poteſtates, conuincit Ieſus, quòd & ipſe poſsit impunè filius Dei dici; quo & inimicorum armatam lapidibus rabiem deludit, & ab eorum manibus euadit liber.

Ioan. 10. Facta ſunt autem Encænia in Ieroſolymis, & hyems erat. Et ambulabat Ieſus in templo in porticu Salomonis.

§. I.

In ſalutis negotio nunquam finiendum eſt, ſed noua ſemper inſtauranda ſunt opera.

VBi ad feſtum Encæniorum ventum eſt, non ſemel renouare altare vetere res contenti ſunt, ſed nouis feſtis eandem renouationem inſtaurant, & meritò, ſalutis enim negotium, quod in altari agebatur, nunquam debet vltimas manus videre, ſed quotidie progredi in opus nouum. Dicitur Geneſ. 2. *Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum,* Geneſ 2.

quod

quod fecerat, & requieuit die septimo ab omni opere, quod patrarat. Sed & Ioannes cap. 5. ait Dominus: *Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor.* Illic dicitur Deus ab omni opere requieuisse, hic dicitur vsque modo operari; qualiter si requieuit ab opere, operatur; vel si operatur, qualiter requieuit ab opere? Ab opere quidem mundano, quo creatura huius mundi senescētis fiebat, iam dudum requieuit Dominus, vltimasque illi imposuit manus: in illo tamen opere semper manet, quo detersa omni vetustate, noua creatura in vitam, & salutem æternam renascitur. Hinc discant homines mundanæ vetustati finem imponere; opera virtutum, quæ ad æternam salutem pertinent, semper augere. Ambros. lib. 7. in Luc. ait: *Deus ab operibus mūdi quieuit, non ab operibus salutis, cuius sempiterna, et iugis operatio est, sicut filius ait; Pater meus vsque modo operatur, et ego operor; vt ad similitudinem Dei sæcularia nostra opera, non religiosa cessarent.* Non cessaret in nobis operatio religiosa, qua in salutem quotidie debemus instaurari; sed hoc sit studium, hæc fidelium omnium cura, vt nihil religiosum, nihil operis salutaris ad finē vergat, quin potius quotidie nouitio splendore nascatur. Nec ab hoc mysterio alienum est, quod Sabbathi ille dies sanctissimus Iudæis; penitus è Christianorum solemnitatibus expungatur: nihil enim voluit Deus in noua lege esse, quod cessationē operis virtuosi sapiat. Pro quo eleganter D. Athanas. hom. ad illud: *Omnia mihi tradita sunt*, sic philosophatur. *Priorem igitur creationem cum absoluisset Deus, quieti se dedit. Ac propterea Sabbatū in die septimo obseruabāt homines generationis illius. Cæterum secūda ætas, siue creatio finem nō habet. Ideòque neque quietem assumpsit, sed vsq; in præsens operatur: Ideò enim priori populo Sabbatum iniunctū est, vt cognosceret finem, et principium creaturæ. Cæterum nouæ creaturæ non præcepit obseruationem Sabbati, vt initiū quidem in Dominica die agnosceret, sed tamē infinibilem esse, et nunquam desiturā gratiam certum haberet.* Expende illud: *nouæ creaturæ non præcepit obseruationem Sabbati*; non permittitur noua creatura videre finem operationis, vt quæ inde noua sit, quod infinibile operis exercitium habeat. Nescit lex gratiæ vltimas in operando manus, sed quādiu tempus est, tandiu eius operatio ad salutem instauratur. Ad sponsum suum dicebat illa Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Et quod mirere magis, adolescentularum nomine significantur primi illi Christi dilectores, Apostolici viri, qui primitias spiritus receperunt, & per quos adoleuit Ecclesia Christiana. Et cur clarissimi viri, & validissimi vocantur adolescentulæ? Est hæc in adolescētulis cura, quæ validissimos quosq; Christi athletas potest designare; nimirum, quod à pulchritudinis suæ exornandæ opere nesciant cessare, sed quotidie denuo idem agrediantur. Non paucas horas consumpsit hodie puella ad speculum, intortos colligit crines; crispantesque flagellos ad aures vsque aptat; frontem læuigat, genarum candori minium admiscet; labij purpuram excitat: tota rosa; tota Venus. Nec vllus in ijs finis, sed quoties nouus sol oritur, noua parantur pigmenta, & nouiter ad speculum accedit. Quod sic ponderat in rem præsentem Philippus Abbas, lib. 1. in Cant. cap. 12. fatus: *Adolescentulæ dum voti finem desiderant obtinere, eis, quos diligunt, student curiosius complacere: et vt sese reddant illorū conspectui gratiores, nituntur summo studio, summa cura videri pulchriores. Dantes ergo, vel conseruandæ, vel acquirendæ operam speciei apposito sibi speculo, statum suæ considerant faciei: et aggaudentes bonis, quæ sibi adesse perpendunt â natura quod illa minus cōtulit vigili supplent cura.* Nulla die in puellis non instauratur studiū adornandæ, expolliendæque speciei; queni conatū vtinam Christi athletæ in animæ pulchritudine æmulentur: nec sit dies, in qua de nouo addito virtutum decore non splendeant. Proh Deus immortalis, quam sic placebunt sponso diuino! imò quam certò illum tenebunt! In præsenti ait: *Factæ sunt Encæniæ, et ambulabat Iesus in porticu Salomonis.* Pro quo monet Diu. Thom. in Cat. ex Theophylacto, aiens: *Satagas tu quoque spirituales Encænias tui templi celebrari; semper renouando te ipsum, et ascensiones in tuo corde disponēs; tunc Iesus erit præsto tibi in porticu Salomonis, pacificum statum tibi tribuens sub tegmine proprio.* Vix pugnam noscet per Iesum, qui quotidie renouat, & instaurat virtutum opera.

Vide in hoc, & alijs tomis plura de renouatione hominis.

Ioan. 5.

Ambr.

Athana.

Cant. 1.

Philipp.

D. Thom.

§. II.

§. II.

Vix tibi non pariet diuinos honores locus ipse, in quo obsequium Deo præstitisti.

IEsus ostenditur in porticu Salomonis; non solùm quem Salomon ædificauit, sed magis, in quo Salomon adorabat Dominum. Quippè ait Ericus hom. in præf. *Porticum Salomonis dicit, in qua rex ille quondam potentissimus ad adorandum stare solitus erat, atque ideò ex eius nomine cognominari cæperat.* Ecce tibi porticus destinatus Salomonis precibus, Iesum in se deambulantem ostendit, & quicumque locus à te diuino fuerit destinatus obsequio, nunquam nõ tibi ostendet, & pariet honores cœlestes. Potuit Salomon è viuis abscedere; sed locus, in quo Deum adorauit, & ad Deũ fudit preces, non potuit illi auctorem æternæ salutis non exhibere. Ioann. 20. de Magdalena sic loquitur: *Maria autẽ stabat ad monumentum foris plorans. Dũ ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis, sedentes, vnum ad caput, & vnũ ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu.* Angeli Mariæ perseueranti apparent, vt illam consolentur, lætumque de Iesu nũtium referant; sed cur apparet alter ad caput, alter ad pedes diuinissimi corporis? Cur nõ magis vterque ad pedes, vel vterque ad latus diuinissimi corporis apparet? Pulchrè ait Galfridus apud Tilmamnum in Alleg. *Meritò proinde duos vidisse Angelos ad caput vnum, & ad pedes alterum perhibetur. Nam & ad pedes Domini vnguentum fuderat, & ad caput & pedes aliquãdo fleuerat.* Nota est Magdalenæ historia, quãdo stans retro secus pedes Iesu lacrymis cœpit eos lauare. Luc. 9. & quando vnguenti libram effudit super Iesu caput. Ioann. 12. ne miremur, quòd pedum capitisque locus exhibeat Mariæ cœlestia gaudia, quando in loco pedum, & capitis Iesu ipsa, & lacrymas, & vnguenta effuderat in obsequium diuinum. Iud. cap. 2. etiam habes: *Ascenditq; Angelus Domini de Galgalis.* Nimirùm, dum Israelitæ effusi essent in idololatriam per varia loca, nec vllam penè veræ religionis memoriam haberent, de Galgalis ascendit Angelus Domini, qui illis apparuit, vt adviam veritatis reuocaret. Et cur non magis dicitur hic Angelus venisse de cœlis, quàm erupisse de Galgalis? Nonne cœli credi possent facilius posse proferre Angelos hominibus salutares, quàm Galgala? Ea loca Galgala dicebantur, in quibus Israelitæ sub Iosue, se, suosque filios Domino per circuncisionem cõsecrarunt. Ait enim cap. 5. Iosue: *Postquam autem omnes circuncisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco, donec sanarentur: : Vocatumque est nomen loci illius Galgala, vsque in præsentem diem.* Locus ergo tanto Israelitarum erga Deum obsequio illustris, non miror, si promptior inueniatur ad proferendos Angelos eisdem salutares, quã cœlestia ipsa. Ad hæc Theodoret. quæst. 6. in Iud. *Ascendit Angelus Dominiâ Galgalis. Galgala verò dictus est præputiorum locus. Inde mittit Angelum refricans illis puerorum circuncisionem.* Inde Angelus erumpit, vbi tanta in Dei obsequium celebrata est circuncisio; nec vllo magis clarent diuina obsequia in loco aliquo exhibita, quàm ex auxilijs, & bonis, quæ exinde ab illo loco scaturiunt. Iam Genes. 28. habes Iacob peregrinãtem, & iuxta Luzam pernoctantem in monte; in quo vbi obdormit: ecce illi apparet scala ascendens à terra, vsque ad cœlum: *Angeli quoque Dei ascendentes, et descendentes per eam, & Dominus innixus scalæ, &c.* Nõ prius descendunt Angeli, vt ascendant; sed prius dicuntur ascendentes, deinde descendentes, quasi talis sit locus ille, quod ipse proferat Angelos, & præmittat in cœlum. Vndè euigilans Iacob, & totus paueſcens, ait: *Quàm terribilis est locus iste!* De quo Rupert. lib. 7. in Genes. ca. 23. *Notandum, quòd non ipsum Dominũ, sed locum paueſcit, et dicit, terribilem esse.* Ex tanta visione hoc deducit, vt loco exhibeat reuerentiam, & in illum conferat causam tanti boni, quòd emittantur Angeli, quòd scala paretur cœlestis, quòd Deus ipse adstet dormienti. Sed vndè huic loco hæ virtutes venerunt? Quid locus ille singulare habuit, propter quod ipse videatur causa tantorum bonorum esse? Cum Lyra, & Carthus. & Caiet. respondet Vatablus ibi: *Hic locus erat vbi Abraham obtulerat filium suum.* Et quidem locus tanto Abrahami sacrificio illustris, non miror si Angelos parturiat, & scalam, & Deum ipsum exhibeat protectorem Abrahamidum generi. Quo accedit, & illud Iud. 1. *Domus*

quoq;

quoque Ioseph ascendit Bethel, & fuit Dominus cum eis, &c. Erat Bethel locus vbi Abraham litauit filium Deo, iuxta supra dictam sententiam; vbi ipse Abraham de Dei iussu constructit altare Deo, Genes. 12. vbi Iacob erexit lapidem, & votum vouit, nec potuit ille locus Iosepho tantorum Patriarcharum filio non exhibere Deum propitium.

§. III.

Huc tendat omne studium, & scien-di ardor, vt manifestius capiatur Deus.

IN porticu Salomonis deambulabat Iesus, ostendens sapientissimi, eruditissimi cuiusq; laboris illud esse proprium, & singulare lucrum, quod adquirat, & habeat in se Dominum. Quò spe-
Oseas 6. ctans Oseas, cap. 6. ait: *Sciemus, sequemurque, vt cognoscamus Dominum.* Expē de, quo fine scire voluit, quem scopum proponat sibi, in scientia acquirenda, inuestiganda, nimirùm; *vt cognoscamus*
Phi. Ab. *Dominum.* Ex quo monet amicum Philippus Abb. de Premonstrato, epist. 4. *Te quoque eo intuitu volo scire, multam literis diligentiam impertire, vt literarum ad miniculo Deum scias, plenius, & sequaris, & sequendi instantia facie ad faciem cognoscere merearis. Vtinam omnes, qui mancipantur ordine literario, sic stúderent, vt scilicet oculus eorum interior infusso sciētiæ collirio mundaretur, & ad videndum Deum promptior, & defœcatior redderetur.* Hic sit studiosi laboris scopus, vt in primis habeatur Deus, vt mentis puluis excussus literarum ludo cum sit, facilius ad diuina habenda animus extollatur. Et hoc vnum tolle à sciētijs etiam prophanissimis, ne temporalia nimis quærant lucra, & fallar nisi te ipsæ ad Dei cognitionem, & possessionem deducant. Deu
Deut. 22 teron. 21. sic cauet lex: *Si videris in numero captiuorum mulierem pulchram, et adamaueris eam, volueriſque habere vxorem, introduces eam in domum tuam; quæ radet cæsariem, et circuncidet vngues, et deponet vestem, in qua capta est, sedēsque in domo tua ::: erit vxor tua.* Mulier prophana adamata accipi in Israelitidem permittitur, dum & cæsariem radat, & vngues circuncidat, nec inepta putatur ad Dei cultum, quæ retia crinium, & vngues reliquerit. Quid plura? Id sapientię studioso dicitur, potest enim contingere, quod homo fidelis capiatur pulchritudine literarum prophanissimarum, à quibus cum retia, & vngues pro rapiendis bonis temporalibus succidat, nequid temporale magis quærat, sed magis Deū exquirat, non damnum, sed lucrum maximum ex illarum studio percipiet. Quò accedit Diu. Hier. epist. ad Pamach. in- D. Hier.
quiens: *Sin autem adamaueris captiuam mulierem, idest, sapientiam sæcularem, et eius pulchritudine captus fueris; decalua eam, et illecebras crinium, atque ornamenta verborum cum mortuis vnguibus seca: & multos tibi fœtus captiua dabit, ac de Moabitidide efficietur Israelitis.* Sunt prophanæ literæ plenæ vnguibus ad capienda temporalia lucra; possis tu ab illis hos vngues tollere, has temporalitatis cupiditates succidere, vt sola, vel præcipuè amentur diuina, & sapientia gentilis efficietur in te Israelitis Deum manifestius videns. Hinc Psalm. 70. *Quo-* Psal. 70.
niam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iustitiæ tuæ solius. Expēde quas literas expuat Dauid, vt potētias Domini intret; nō expuit literas, sed literaturas expuit; nimirùm, venales aduocatorum literas plenas vnguibus ad capienda lucra temporalia; nec miror, quod expuat has hamatas literas, quibus sitibundi argenti aduocati iustitias litigantium tractant, prorsus immemores Dei iustitię. Ait Hu Hug.
go Card. in præsenti. *Maximè hoc intelligitur de literatura aduocatorū, quæ multos trahit, ne saluentur; et ipsa propriè dicitur literatura. Hæc literatura nō placet Domino, quia est negotiatoria. Vndè alia editio habet, non cognoui negotiationes.* Tolle à literis vngues, tolle negotiationes lucrorū; & memor eris iustitiæ Dei solius; literæ enim, quæ negotiatoriæ sunt, & hamatæ ad tradenda lucra, & animabus sunt perditioni, & orbi. Oseas cap. 11. non sic timet vallum machinarum ærearum ignes, plumbosque fulminantium, vt timet negotia togarū: quippè ait: *Circundedit me Ephraim negotia-* Oseas. 11
tione sua, et in dolo domus Israel: quæ ad negotia fori trahit Hugo vbi supra; quasi hæc hostilius vallent, & expugnent vrbes, quam vliæ aliæ machinæ bellicæ.

***

§. IIII.

§. IIII.

Templorum irreuerentia maximè cauenda.

NOn in templi interiori parte, sed in porticu exteriori deambulat Iesus, ne dum ab hostibus petitur aliqua per illos fiat Dei templo irreuerentia. Sic religiosum est, sic diuinum, vt quis caueat, ne fiat irreuerentia templis, in quibus Dei præsentia hominibus exhibetur. Luc. cap. 2. vbi Mariæ partum meminit, ait: *Peperit filium suum primogenitum, et pannis eum inuoluit, et reclinauit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem, vigilantes, & custodientes vigilias noctis, super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos*, &c. Non miror modo quod Deus nasci voluerit in stabulo, & constitui in præsepio; sed illud maximè mirandum venit; quod nato Domino in stabulo, & posito in præsepio, nulli prius eius natiuitas ab Angelo nũtietur, quam pastoribus. Cur non prius nuntiatur Simeoni? Cur non prius Annæ prophetissę? Nonne hi sanctiores, & illustriores erant in lege, & in gratia? Cur ergo ijs dimissis, Saluatoris natiuitas nuntiatur prius pastori? Non fecit hoc pastorum meritum, sed stabuli in quo erat Deus reuerentia: quippè vicini pastores de more ad illud stabulum se se recipere solebant, ne autem inuetę rata cõsuetudine modo accederẽt, ideò vt qui propriores ad accedẽdum erant, prius monentur de loci maiestate accepta à tanti regis præsentia, vt iam non cõsuetudine, sed debita reuerentia illuc accederent. Pulchrê in hanc rem fatur Eucher. hom. de Nat. *Ea causa esse videtur, vt prius pastoribus hæc verba Angelus nunciaret, ne quasi incauti stabulum intrarent, et in præsepe adire tentarent, in quo puer positus erat.* Monitis pastoribus, cauetur stabuli ingressus, ne incaute fiat, & irreuerẽter; locus enim in quo Deus proponitur irreuerẽter attingi minime debet. Et quidem nunquam non curant Angeli, vt sacris locis exhibeatur debita reuerentia. Isaias, cap. 6. & fistitur Dei throno, & luget labiorum suorũ immunditiem, & interea, sic ait: *Et volauit ad me vnus de Seraphim, et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum.* Cur necessum fuit, quod Seraphim de altari sumeret forcipe prunam? Cur cauet eam manu accipere? An timet vri? Absit, sed vbi prunam in altari vident; indeque tolliere illam est necesse, forcipe vtuntur, manum cauent, vt maiorem exhibeant reuerentiam. Ait Procopius, ibi: *Prophetæ purgationi subseruit vnus de Seraphim, qui carbone de altari forcipe accepto, honorem, quem altari exhibet aperte significat, cum manu tangere non audet.* Huc veniãt, qui sacris locis, rebus sacris nullam sciunt præstare reuerentiam; & discant à Deo, discant à virtutibus Angelicis, quàm debeant sacra omnia reuereri.

Luc. 2.

Eucher.

Isai. 6.

Procop.

Ioann. 10. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei. Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.

§. V.

Horrendum est, quod vel sub templi maiestate miseri homines ad bonam frugem non excitentur.

MEritò Iudæi isti sese effingunt homines animæ suspensæ, aut penè emortuæ, quando Iesum circundantes in porticu templi, vel sub ipsa tẽpli maiestate, æque manent lapidei in salutis scientia. Meritò dum in templi porticu Iesum circundant malitiosę, & clamant: *Quousq; animam nostram tollis?* Nescio enim an quid horribilius, & detrimentosius animę hominis esse possit, quàm vel in templorum aditis Deum in malitiæ prosecutione non vereri. Nota est Iacobi historia, Genes. 28. quando exul à paterna domo pernoctat in deserto, lapidem capiti supponit, & ibi cubans, dum dormit, scalam vsque ad cœlos extentam prospicit, Angelos ascendentes, & descendentes, & Deum ipsum scalæ innitentem. Quid plura? Expergefit, & totus pauens, ait: *Terribilis est locus iste.* Cur locum Angelis scatentem, Deo plenum; sibi accessibile cœlum ostendentem vocat terribilem? Cur non magis

magis dicitur suauis, delicijsque plenus talis locus? Quomodo potest putari terribilis, & non magis amabilis locus, qui scalas ad cœlos extensas ostendit; qui Deum cœlestia dona offerentem proponit? Sanè, terribilis est locus iste illi homini, qui inter hæc omnia bona somno stertit; qui simul mente tractat, & spectat Angelos, scalas cœlestes, accessibilia cœlestia, Deum clementem, & ipse somno sepultus lapideus hæret, quem sic hæc omnia afficiunt, ac si solũ essent somniorum spectra. Non lõgè ab ijs Rupert. lib. 7. in Gen. cap. 23. *Quid nam pauoris, vel quid terroris secundùm se locus iste poterat habere? An quia Dominum in loco isto in somnis vidit? Nempe in alijs locis tam hunc, quàm patribus eius, multoties idem Deus apparuit.* Non in alijs locis, sed in loco isto, & locus, & Deus terribilis redditur; & vna quidem sola res ibi erat maximi pauoris, maximèque terroris, quòd illic Deus, & cœlestia omnia ostenderẽtur dormienti, stertenti, lapidascenti, & nõ magis ad Angelos, ad scalas, ad Deũ, quàm ad insomnia attendenti. Sunt in templis Angeli, sunt sacramenta velut scalæ ad cœlum porrectæ, est Deus ipse in altari existens, est ibi patentissimum cœlum; hæc in templis vident plurimi, & mente ea credunt, nec tamen excitãtur, sed maiori ibi voluptatum somno stertunt, & prorsus vitijs adhærent, ad illa omnia quasi lapidei dormientes, & non magis attendunt. Eu loci terribilitas pauenda! Eu maximi terroris res! Timeat, paueat, horreat, qui templis accedit, sic sepultus vitiorum somno; vt non maioris efficaciæ, quàm insomnia, in illo omnia diuina videantur esse. Nec miror, quòd huic sacer locus, quid pauendum intonet, & horrendum: lapidascere enim in vitijs, in tantorum sacramentorum conspectu, res est penè incredibilis malitiæ; quãdo hæc sacra, vel ab ethnicis hominibus conciliant sibi reuerentiam. Hinc Isaiæ cap. 60. ad Christi Ecclesiam, fatur: *Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum.* Græcè legitur: *Et reges astabunt tibi.* Vbi maximè expendendum, quòd priùs Ecclesiæ templa pretiosis lignis, lapidibusque ædificanda, & ornanda dicat, in quibus vestigia diuinorum pedũ existant, & tunc statim addat: *Venient curui*, &c. vel iuxta Græcos, *reges astabunt tibi*, tanta enim erit sacri ornatus religio, & maiestas, vt vel à mundialibus regibus adorationem sibi concilient. Id quod Alexandri Magni exemplo confirmat Procopius in præsenti, Præcopius. fatus, ex Iosepho lib. 11. Antiq. cap. 8. *Alexander vbi sacrum sacerdotis amictum est intuitus, iram statim, qua fuerat accensus, in adorationem commutauit.* Ira maxima dicitur exarsisse Alexander in Ierosolymitanos, quorum vrbem festinabat demoliri; at dum has iras mente tractat, in pontificem sacris indutum vestibus sibi obuiantem incidit. Quid plura? Sacrum intuitus amictum, abiecit iram, & se se sacerdoti Dei supplex inclinat. Hæc potuit in ethnico, & ferocissimo iuuene, & mundi domitore, sacer amictus ob oculos propositus; quis es tu, qui ad tantorum sacramentorum conspectum augeas vitiorum furias? Fallar, nisi peiores homine gentili; nisi penitus hominem exuisti. Oseas, cap. 9. ait: *Speculator Ephraim cum Deo meo; propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias eius, insania in domo Dei eius.* Hæc verba vltima sic apud Theophylactum sonãt: *Insaniam in domo Domini affixerũt*; & quidem quæ alibi videntur esse peccata hominis infirmi, vbi in domo Dei peragun tur, non nisi ab insano, & prorsus rationis experte profecta putantur. Theophylact. ait: *In tẽplo Dei execrationes infixerunt, has enim nominauit insanias, seu à dementia, insania, & stupore factas.* Insanus est, & longè ab humana ratione factus, qui in templo Dei peccata operatur. Huc trahe dicta, tom. 3. lib. 15. cap. 7. §. 1. & alibi in hoc tom. 4.

Rupert.

Oseæ. 9.

Theophyl.

Idem.

Isaiæ. 60

§. VI.

Summa hominis miseria est, quòd dæmoni mancipatus, & vitijs, vitam agat laboriosissimam.

VIde Iudæorum miseriam vltimã, angustas Dei vias fugiunt, Iesum persequuntur, vt se se voluptatibus, vitijsque subijciant, & tamen inter hæc cla-

clamant: *Quousq; animam nostram tollis?* Se ostendentes, quasi in anxietate, & durissima, intolerabilique suspensione viuant. Quid miserius? Crediderim istam esse miseriam vltimam, quod quis sit dæmoni mancipatus, & vitijs, & ærumnosam, & anxiam, & laboriosam agat vitã. Luc.3. Luc.8. sic extremam miseriam hominis explicat. *Qui habebat dæmonium iam tẽporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.* Quanta hæc miseria? Dæmonis erat domicilũ iam temporibus multis, & interea, nec domum, nec vestem habebat, sed mortuis habitabat vicinus, Huc conueniant voluptatum mãcipia, qui vt vitam agant luxuriosam ad voces surdescunt diuinas, & malunt morem gerere tenebrarum principi. Quid tunc? Domicilia sunt dæmonum annis multis, & nec vestem habent, nec domum, nec valetudinem, nec vires, sed quasi cadauera putrida iam penè sunt Basil.Se. in sepulchris. Sapienter adhæc D. Basil. Seleuc.orat.23. inquit: *Ærumna altera, altera grauior. Nam cum ipse dæmonum esset domicilium, pro domicilio habebat monumenta, vt & habitans, & vna habitatus mortuos inter habitare cogeretur.* Quid magis ærumnosum? Sanè hæc est extrema hominis miseria, quod sese dæmoni, vitijsq; tradat, & laboriosissimus, & ærumnosissimus in perpetuis curis, & anxietatibus viuat. Quam miseriam, vt Osee.12 extremam aptat Oseas, cap.12. rebelli, & idolòlatræ Ephraimo; ait enim: *Ephraim pascit ventum, & sequitur æstũ: tota die mendacium, & vastitatem multiplicat.* Expende quid pascat, & quid habeat; pascit, inquam, ventos, suauissimis voluptatum, diuitiarum, gloriæque temporalis auris aucupandis totus traditur, rectoribus aeris huius fit pascua, fit do- Theodo. micilium: sic ex Græco Theodoretus: *Ephraim autem pessimi spiritus plenus.* Itaque & ipsum huius aeris rectorem, & omnes temporalium iucunditatum nouis indies obsequijs captat, & pascit. Quid inde? *Sequitur æstũ.* Pro auris captatis, quibus afflatus prospere mũdi maria tranet, æstum habet, sub quo omnia germina salutis, & iucunditatis cadant. D.Hier. Quid miserius? Ait Diu. Hieronym. *Spiritu pessimo pleni sequuntur ariditatem, siue ventum vrentem; qui contrarius floribus est, & germina cuncta disperdit.* Quis hanc non reputet extremam hominis miseriam? Quod rectori aeris huius seruias quod vel tua ipsa substantia pascas ventos; & solum æstum obtineas, sub cuius vrenti flatu marcescas, decidas, & arescas; nonne hæc miserrima conditio hominis est? Accedant huc illi, qui Sapient.2. clamant: *Coronemus nos rosis; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ; vbique relinquamus signa lætitiæ; quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* Hanc partem suam, & sortem suam reputant omnes, qui pascunt ventos, qui sub signis rectoris aeris huius degunt, nimirùm, quod floridi sint, quod in dies germinet illis noua letitiæ materies. Vbi autem pro suauibus auris, pro floridis annis, pro lætitiæ germinibus, vnus venit æstus, contrarius floribus, & qui omnia profert corrupta, & perdita; fallar nisi hæc sit calamitas extrema. Sap.2.

§. VII.

Impij, & deplorati peccatores, absque vllo studij, vel laboris pretio, volunt Deum habere, non aliter.

ECce deplorati peccatoris vox: *Si tu es Christus, dic nobis palam*: hoc est, dic apertissime, vt nullo studio, nullo labore possimus percipere. Non aliter deplorati, peccatores volunt Deum habere, nisi ablato omni studio, & labore quærendi illum: vndè meritò perduntur. Propone tibi ob oculos Ethnicos Magos ab Oriente venientes, vt quærant Iesum; & Iudæorum principes Ierosolymis existentes, nec gradum facientes pro inueniendo Christo, sed solum expectantes Christum. Magi inquirunt de Christo nato, audiunt natiuitatis locum Bethleem esse, arripiunt viam Matth.2. *Et inue-* Matth.2 *nerunt puerum, & Mariam matrem eius.* Iudæi audiunt natum Christum; explicant natiuitatis locum, & domi manentes frustra expectant Christum. Et cur Magis, idolòlatris, nihil de Christo curantibus reuelatur, & datur Christus; & Iudæis expectantibus Christũ, auferetur Christus? Sanè illi peregrinãtur, laborant, sciscitãtur, vt inueniant Christum:

ſtum: & quamuis peccator, & perfidus ſis, ſi laboras, vt quæras Chriſtum, inuenies illum. Hi autem expectant Chriſtum, ſed domi: quaſi ſedentibus, & non laborantibus occurſurus ſit Chriſtus, vnde Chriſtum amittunt, & ſpem ſalutis. Ex quo monebat Diu. Auguſt. ſerm. 43. ad fratres in Eremo. *O Chriſtiane caue, ne quæras Chriſtum cum Iudæis, ſed cum paganis regibus perquirere non deſiſtas. Pagani veniendo ad Chriſtum laborant, ſed Iudæi quieſcendo Chriſtum ignorant.* Expende illud: *quieſcendo Chriſtum ignorant*; quiſquis ſit, licet idololatra, licet vitiorum omnium mancipium, ſi operam dat quærendo Chriſto, inueniet proculdubio viam ſalutis, quia quærit cum regibus laborando. Sed ſunt perditiſsimi homines, qui cum Iudæis volunt Chriſtum, nihil faciendo, ſed prorſus quieſcendo: ſunt, qui expectant Chriſtum, qui expectant cœleſtia bona; & quomodo expectant ea? Vt Iudæi expectabant domi ſedentes Chriſtum; expectantes, quòd abſque diligentia ſua, abſque labore ſuo, abſque ſtudio ſuo, abſque inquiſitione ſua, Chriſtus illis ſit occurſurus. Eu perditiſsimorum hominum expectatio! Iudæus reprobus, & deploratus eſt, qui ſic cœleſtia expectat, & diuina, vt nihil, aut parum pro illis habendis efficiat. Et quid magis deploratam vitam Chriſtiani oſtendit: quàm quòd iuxta ſit occaſio ſalutis, Bethleem, ſeu domus panis, & ipſe nec gradum facit, nec manum porrigit, vt accipiat, quo poſsit viuere? Oſeas, capit. 6. inquit: *In domo Iſrael vidi horrendum: ibi fornicationes Ephraim: contaminatus eſt Iſrael. Sed Iuda pone meſſem tibi*: Quæ verba ſic apud Theodoretum leguntur: *In domo Iſrael vidi horribilia, ibi fornicationem Ephraim, contaminatus eſt Iſrael, et Iuda dimiſit meſſem ſuam.* Inter horribilia crimina, & deplorata Iſraelitarum, illud ponitur, quòd Iuda *dimiſit meſſem ſuam*, & quantum hoc crimen erat, quòd reliquerit meſſem? Sanè in ciuilibus ſummum eſſet detrimentum, quòd quis ita otio, & inertiæ ſe dederit, vt meſſem iam collectam, & inſtantem dimiſerit, ne aliquo modo laboraret in metenda illa. Et in ſpiritualibus dubitabit nemo ſummum eſſe deplorati ſceleris indicium; quòd vbi cœleſtium fructuum meſsis inſtat, vbi perſtrepunt diuini frumenti ſpicæ in Euchariſtia; cæteraque gratiarum ſacramenta exundant, tempus, & locus inuitat, & ſalus prope ob oculos poſita arridet; adeò quis pigritet; vt nec pedem moueat, nec manum porrigat, ſed expectet ſibi otianti, & ſedenti; imò ſtertenti ſalutem obuenturã. Pulchrè ad hæc Theodoret. ibi: *Quod vero ſceleratiſsimum eſt, eo tempore cum metendi eſſent, & percipiendi diuinorum promiſſorum fructus, tunc meſſem non collectam reliquit, at otio, & inertia poſt habita fuit à Iuda.* Hoc ſemper ſceleratiſſimum eſt, quòd inſtãtes occaſiones metendæ ſalutis contemnas, nec manum porrigas ad opus, laborem fugiens, expectans tibi otianti, & nihil boni agenti omnia cœleſtium fœlicitatum genera obuentura. Et ſanè ſine labore, & iuſtitiæ operibus poſſent magna aliqua Dei dona haberi, at nec minima ſpes ſalutis poteſt eſſe adultis ſine illis. Apud Lucã multæ perſonæ introducuntur plenæ diuinorum munerum, & nulla earum vocatur expreſſè iuſta; vbi autem ad Simeonem ventum eſt, cap. 2. ſtatim ait: *Et ecce homo erat in Ieruſalẽ, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus, et timoratus, expectãs conſolationem Iſrael.* Dicitur paulò ante: ecce virgo concipiet, & non dicitur, quòd virgo erat iuſta; dicitur Elizabeth in ſenectute parere, & Ioãnes in vtero exultare, & Zacharias prophetare, & paſtores Angelos videre, & nullus iſtorum dicitur eſſe iuſtus, quamuis omnes ſanctitate pollebant. Simeon autẽ non nominatur, quin ſtatim dicatur iuſtus, & timoratus; & cur neceſſum fuit Simeonẽ magis exprimere iuſtum, quàm omnes alios dictos? Cæteri magna quidem, & glorioſa Dei munera excipiebant, ſed quæ poſſent haberi ſine operibus iuſtitiæ; at Simeon hoc recipiebat, vt expectaret conſolationem Iſrael, nimirùm, redemptionem, & animarum ſalutem; cuius nec minima ſpes, poteſt eſſe ſine operibus iuſtitiæ. Pulchrè D. Ambr. ibi: *Virgo generat, ſterilis parit, mutus loquitur, Elizabeth prophetat, Magus adorat, vtero clauſus exultat, vidua confitetur, iuſtus expectat.* Cum ſalutis ſpe non potuit non exprimi opus iuſtitiæ; turpiter enim expectat ſalutem, qui non laborat, & operam nauat acquirendæ illi. Componite adhuc iuſtum hunc ſenem, cum ſenioribus Ieroſolymitis: de hoc dicitur Luc. 2. *Homo iſte iuſtus, et timoratus expectans conſolationẽ Iſrael:::Et venit in templum. Et cum inducerẽt puerum*

Auguſt.

Oſee. 6.

Theodo.

Luc. 2.

Ambr.

Luc. 2.

Ieſum parentes eius : : ipſe accepit eum in vlnas ſuas, et benedixit, &c. Hic expectabat conſolationem Iſrael; ſed & ſeniores Ieroſolymitani expectabãt Meſſiam; ille autem, vt expectabat, ſic primo ſpiritus impulſu viam arripit, venit in templum, puerum manibus tractat, & ſacro pondere premit ſeneſcentes vlnas: hi, & expectabant, & audiunt natum clamantibus Magis, & locum indicant, & manent domi, & nec pedem, nec manum mouent, vt vel exiſtentem in ianuis attingant. Et quidem ſceleſtiſſimus eſt, qui expectat, & manet, nihil laboris, diligentiæ adhibens nihil; ille felix, qui expectat, & vadit, & manibus rẽ tractat incumbens operibus iuſtitiæ. Vndẽ extollit Simeonis acceſſum D. Tho. in Cat. ex Nyſſeno, inquiens: *Quam beatus ille ſacer ad ſacra introitus, per quem ad vitæ terminum maturauit. Beatæ manus, quæ verbum vitæ palpauerunt, et vlnæ quoque quas ad ſuſceptionem parauit.* Para pedes, para vlnas, vt des operam iuſtitiæ, quiſquis velis Ieſum noſcere, deque eius meritis habere ſalutem; quæ nulli ſine ſtudioſo proprio labore inter adultos obtingit.

D. Tho.

Ioann. 10. Reſpondit eis Ieſus: Loquor vobis, & non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia nõ eſtis ex ouibus meis, oues meæ vocem meam audiunt. Et ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Et non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus eſt. Et nemo poteſt rapere de manu Patris: Ego, & Pater vnum ſumus.

§. VIII.

Paternæ virtutes, in quibus quis natus, & altus eſt, ſemper præ oculis habendæ ſunt, vt quæ validiſſimæ ſunt ad hominem firmandum in bono.

EXpende verba illa, nimirùm: *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei.* Quid eſt, *facio in nomine Patris mei?* quaſi in omnibus operibus ſuis paternum nomen reſpiceret, paternas glorias, paternaſque virtutes, patri ſemper acceptum referens, quidquid illuſtre perficeret. Sic Ericus in præſenti: *Suorum operum omnem gloriam Deo Patri adſcribit, cum ea in eius ſe nomine facere aſſerit.* Nec miror, quod adſcribat patri, quæ paternum nomen, & virtutem intuens ipſe facit; virtutes enim paternæ, in quibus quis natus eſt ſi præ oculis ponantur, validiſsimæ ſunt, vt filium in virtutes, glorioſaque facinora trahant. Dauid Pſalm. 38. ſic ad Deum clamat: *Aduena ſum apud te, & peregrinus ſicut omnes patres mei.* Et Abrahami, & Iacobi peregrinationes, in quibus ipſe natus, & educatus fuerat, mente voluebat, nec hoc ſine lucro, quin imò ex hoc eius virtus creuit in miraculum. Quippè ait Diu. Chryſoſtom. homil. 65. in Matth. *Mirabilis Dauid factus eſt: maiorum enim ſuorum virtutes præ oculis ponebat. Aduena, inquit, ego ſum, & peregrinus, ſicut omnes patres mei. Neque is ſolum, ſed omnes ei ſimiles, non peccatores, ſed virtutibus cornſcantes tenaci mente vertebant.* Et Dauid, & Dauidi ſimiles inde in virtutum, & facinorum miracula ſurrexerunt, quod maiorum ſuorum virtutes, non vitia tenaci mente voluebant. Et quidem validiſsimæ ſunt paternæ virtutes, in quibus quiſque natus eſt, & educatus, vt vel præcipites in vitia filios, in præclara facinora trahant. Id quod ſpeculabatur D. Ambroſ. in viridante illo folio à columba, poſt diluuium allato: ait enim Gen. 8. de columba: *Venit ad eum ad veſperã, por-*

Eric.

Pſal 38.

Chryſoſt.

Gen. 8.

portans ramum olivæ virentibus foliis. Et quando omnes arbores diluuij tempestate perditæ sunt, quomodo tam citò potuit inueniri virens ramulus? Fractę sunt arbores omnes, & perditæ diluuij tempestate, sed viuida, & integra permansit oliuæ illius radix; vbi autem bona radix fixa manet, non mirum quòd rideat diluuia, & ramos virentes agat. Quid plura? Vbi radicis virtus, vbi paternæ gloriæ nobis in mente fixæ manent, fallar, si in exitium eamus, si non magis in virtutum virore contineamur. Ad hæc pulchrè Diu. Ambros. lib. de Noe, cap. 19. *Hoc olivæ rami interpretatione Noe collegit, quia Dominus Deus noster, quamuis acerbis iniquitatis nostræ offensus sit erroribus, tamen antiquæ nobis prosapiæ, patriæque virtutis, semen aliquod, vel exiguũ reseruaret, ne penitus operis, & creaturæ suæ omne circa humanum genus amputaretur insigne. Vndè & Isaias ait; nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semẽ, sicut Sodoma facti essemus.* Expẽde, quod semen in nobis à Deo relinquatur, ne in vitia, & damnationẽ penitus abeamus; nimirùm, *antiquæ prosapiæ, patriæq; virtutis semen*, hoc est, memoria virtutum paternarum, in quibus nati fuimus, & educati; hæ namque fixæ in animo manentes adeò validæ sunt, vt possent nos vel à perditione reuocare, & in bonam frugem trahere. Hinc monet Prouerb. 6. *Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimiseris legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo iugiter, et circũda gutturi tuo.* Quasi nihil sic valeat ad continendum, siue instaurandum filium, quàm iugis recordatio paternarum virtutum, sub quarũ præceptis prima vitę alimenta sumpsit. Hinc & Iesus, dum Matth. 12. accusatur, quòd permiserit Sabbato à discipulis legi spicas, statim respondet: *Non legistis, quid fecerit Dauid*, &c. Vbi D. Athanas. homil. de semente, inquit: *Qui ex Dauid est, Dauidem meminit*: nec aliud pro se quisquam melius testimonium adducet, quàm si ostendat, semper præ oculis sibi esse paternas virtutes.

Ambr.

Prou. 6.

Matt. 12

§. IX.

Thesaurum æternæ salutis, nisi tu dederis, nulla contraria vis tibi eripiet.

ECce vobis fœlicitatem Christianarum ouium: *Non rapiet eas quisquã de manu Dei*; nisi ipsæ se dedant, à nulla aduersa potestate potest illis eripi thesaurus salutis. Petro audiẽti, & cõfitẽti Dei filiũ, ait Iesus Matth. 16. *Beatus es Simõ Bariona, quia caro, et sanguis nõ reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Quid mirabilius? Portæ inferi, vniuersæ contrariæ potestates aduersus fundatos in Christo insurgunt, nec prævalent: acriter eos impugnant, sed non expugnant; occidunt, mactant, perdunt corpora, sed nihil sibi præripiunt mentis. Marmoreum ne, aut æneum est tanti ædificij fundamentum? Non marmoreum, sed Christianum est; quando sola Christi confessio sic reddit suos inexpugnabiles, vt vel perditis omnibus externis, thesaurus salutis integer maneat. Pulchrè D. Chrysostom. serm. de Pentecoste, ait: *Nec enim est insensibilis ista ædificatio, quòd si talis esset, solueretur tempore, confessionem autem pietatis, neque dæmones, neque vlla creatura vincere potest. Testantur martyres; quorum latera radebantur, sed fides non frangebatur. O noua rerum materies! Paries effoditur, et thesaurus non aufertur. Etenim super hãc petrã ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Expende illud; *paries effoditur, & thesaurus non aufertur*; possunt equidem contrariæ potestates parietem effodere, hoc est, corpus secare, torrere, mactare, euiscerare, sed salutis æternæ thesaurum inibi absconditum, minimè possunt auferre, nisi ipse qui patitur prorsus liberè, & spontaneè dederit. Huc accedit illud Pauli ad Roman. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Ecce tibi vt omnes aduersarias potestates vocat in certamen, & statim: *Certus sum enim, quia nec mors, nec vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instan-*

Matt. 16

Chrys.

Rom. 8.

ſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundũ, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Qui in Chriſto eſt fundatus ſalutis theſaurus omnes ridet creatas poteſtates, quæ poſſunt quidem multa damna homini Chriſtiano inferre, ſed minimè poſſunt theſaurum eripere, niſi dante ipſo. Vndè ſapienter D. Bernard. ſerm. de duplici baptiſmo, ad hæc fatur: *Attende quanta enumerauit Apoſtolus, minimè tamen adijciens, nec nos ipſi. Nimirum, hæc eſt libertas, qua Chriſtus nos liberauit, vt nulla penitus creatura auellere nos, aut vim facere poſſet. Soli id deſerere poſſumus propria voluntate abſtracti, et illecti â propria concupiſcentia. Præter hanc enim nihil eſt, quod timeamus.* Dum nos volumus, theſaurus ſalutis prorſus eſt inacceſsibilis; à nullo poteſt aduerſario minui; noſtra ſola voluntas poteſt perdere illum. Quod probò callens hoſtis noſter vbi Ieſum impugnaturus accedit, non militares admouet machinas, quæ vel æneos muros comminuant, ſed ſolùm quaſi orator accedẽs, inquit Matth. 4. *Mitte te deorſum*: vbi Diu. Paſchaſ. ait: *Mitte te deorſum, ait, in quo ſatis admodum infirmitatem ſuam nobis demonſtrat, malitiamque deſignat, quòd nemini poſſet nocere, niſi ſe homo infœlix prius deorſum miſerit.* Dum nos in protectione altiſsimi volumus eſſe, dum non inde nos liberè, & ſpontaneè deijcimus, ficul nea ſunt omnia inimici tela; quæ poſſunt parietem fodere, corpus occidere, ſed non poſſunt theſaurum eripere.

D. Bern. Matt. 4. Paſcha.

§. X.

Felix ille, cuius anima omnia hæc mundialia ſupergreditur, & vni Deo nititur.

TOta hæc felicitas hominis eſt, quòd eius anima ſe ſe mũdo eripiat, & in Dei manibus conſtituat; de manu enim Dei nullus eſt, qui poſsit animam eripere. Sic enim ait Dominus: *Et nemo poteſt rapere de manu patris.* Et quod malum pertinget eum, qui in Dei manibus ſolis nititur? De Suſanna aiebat Dan. 13. *Erat cor eius fiduciam habens in Deo*: cor Suſannæ non in diuitijs, nõ in cognatis, non in pulchritudine, non in prio corpore erat, ſed in ſolo Deo figebatur, & inde habuit nullo poſſe tentationum ariete feriri. Ait enim D. Ambr. lib. de Fuga ſæculi, cap. 9. *Pulchrè animã effudit Suſanna, vt in eam non poſſent ea porare incendia corporis, mortis formidines, vitæ cupiditates.* Sapienter pia fœmina cor ſuum, animam ſuam, & ſibi, & mundo eripuit, illamque in Deum totam effudit, quo factum eſt, vt nihil corporis, nihil mundi illam pertingerent. Fœlix qui ſic ſe mundo eripit, & ſe ſuper aſtra conſtituit; nõ timebit ſibi âterræ vaporibus, non à formidinibus hoſtium, non ab illecebris mundi; ſed omnia ſecura habebit, & firma in Chriſto. Infeliciſsimus ille ſeruus dum theſaurũ ab hoſte abſcondit, perditionem incurrit, Matth. 25. & cur qui tam anxiè abſcõdit theſaurum, perditionem inuenit? Ait ipſe: *Timens abij, et abſcondi talẽtum tuum in terra*: abſcondit in terra, cur nõ periret? Vtinam abſconderet in Chriſto, & haberet omnia in tuto. Philippus Abb. lib. 3. in Cant. cap. 11. *Longè iſtè fœlicior, ſi labori huic operam non dediſſet: ſi terram lutulentam molli negligentia non fodiſſet; ſi auaro domino duplicato fœnore reſpondiſſet, et abſcondi ſic in petra meruiſſet.* Hæc tota fœlicitas, quòd in petra Chriſto abſconderet theſaurum ſuum; in quo ſolo haberet omnimodam firmitudinẽ; quando extra Ieſum quidquid eſt, labile eſt, & ruinæ labat addictum. Hinc Matth. 27. vbi Ieſus crucifixus erat: *Prætereuntes blaſphemabant eum, mouentes capita ſua.* Et meritò, mouebant capita ſua, oſtendentes, quàm iam labarent ad ruinam, qui abalienabantur à Chriſto, in quo tota eſt hominis ſecuritas. Vt dicat Diu. Auguſtin. Pſalm. 41. *Ideò enim, & caput agitabant, quia vero capiti non inhærebant.* Soli qui Ieſu inhærent, ij minime timent firmitudini ſuæ. Huc trahe dict. 1. tom. lib. 4. cap. 1. §. 17. & alibi.

Dan. 13. Matt. 25. Phi. Ab. Matt. 27. Auguſt.

Ioann. 10. Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eũ. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Iudæi, de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu homo cum sis, te facis Deum. Respondit eis Iesus; nonne scriptum est in lege vestra, ego dixi, dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, &c.

§. XI.

Hostilis, diabolicique furoris est, etiam de magnis, euidentibusq; proximi virtutibus, parum, aut nihil videre.

MVlta dicuntur opera bona à Iesu facta, & Iudæis ostensa; Iudæi autem lapidibus armati clamant: *De bono opere non te lapidamus, sed de blasphemia*; de bono, inquiunt, opere, non de bonis operibus; licet enim multa essent à Iesu bona ostensa; ipsi quasi de vno solo facto opere loquũtur, dicentes in singulari, de bono opere nõ te lapidamus: Et quãdo multa erant à Iesu virtutũ opera facta, cur, ô Iudæi, non magis dicitis de bonis operibus, non te lapidamus? Manifestissimus in illis apparet diabolicus furor, hostilis affectus, cuius proprium est, aut diminutas, aut nullas proximi virtutes videre. Accipe ex Iob, cap. 1. *Dixit Dominus ad Sathan: Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, et recedens à malo? Cui respondit Sathan, ait: Nũquid Iob frustra timet Deum?* Expende Dei verba, & verba diaboli circa eumdem Iob; Deus Iobum commendat à simplicitate, à rectitudine, à timore diuino, ab innocentia, à singularitate in ijs omnibus; ait enim: *Non est similis ei in terra, homo simplex, & rectus, timens Deum, recedens à malo.* Has tot vitutes euidentissimas, & singularissimas Deus in Iobo pãdit. Quid ad tantas Iobi virtutes diabolus? ipse ait: *Nunquid Iob frustra timet Deum?* Non simplicitatem, non rectitudinem, non innocentiam, non singularitatem meminit, sed tantùm timorem adducit, vt infamet. Pulchrè in presenti, ait Catenæ Græcæ auctor: *Verba profectò hæc diaboli*, nec maligni spiritus, hostilisque furoris possent dari euidentiora verba, aut signa magis clara; quando de tanta virtutum segete, quod minimum poterat esse timoris seruilis, illud solum clamat, nihil videns amplius. Hugo Cardin. *Non fecerat Iob malum, quod argueret Sathan, bonum eius diminuit.* Huc vsque peruenit semper hostilis animus, vt vel notissimas proximi virtutes diminuat, & diminutas esse ostẽdat; vel prorsus puter nullas. Ioann. 5. paralyticus homo, post triginta & octo annos cõsumptos in infirmitate, Christi Iesu opere salutem accepit adeò robustam, vt posset grabatum suum humeris portare. Erat autem Sabbatum cum portabat grabatum; in cuius rei excusationẽ miraculosum salutis opus ipse proclamabat, aiẽs: *Qui fecit me sanum, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.* Cui Iudæi statim: *Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, et ambula?* Expende, quæso; duo enim de Iesu clamabat paralyticus; & opus salutis suæ ab illo perfectum, & sublationem grabati ab illo imperatam. Iudæi autem nihil de bono salutis opere loquũtur, miraculosam sanitatem non vident; solum grabatum in Sabbato portatum attendunt, quod possent calumniari. Sic Iudæi, sic hostiles animi ad etiam euidentissimũ opus bonum proximi sui fiunt talpæ, qui lincei sunt ad malum. Ait D. Athanas. homil. de semente, fatus: *Ille surgens, tulit grabatum suum, & ambulabat; erat autẽ Sabbatum. At Iudæi non viderunt miraculum factum in Sabbato, sed eum, qui grabatum suum baiulabat.* Ecce tibi hostilis affectus proprietatem, lynceus est ad videndos defectus, vel ex vmbra; ad videnda autem præclara facta prorsus est talpa, minimè videns etiam euidentissima virtutis documenta; quæ præ oculis habet. E contra verò, in quo non hostilis, sed amicus affectus est erga proximum; remotissima quæque proximi sui bona facta callet, & in lucem trahit. Post Iobi

Iob 1.

Hugo.

Ioan. 5.

Athan.

Iob. 2. plagam enarratam, ait cap. 2. *Igitur audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites: condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Cumque eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, &c.* A longè vident eum, & non cognoscunt, & tamen eius vicem plorant; si non cognoscunt eum, cur plorant? Cur sic afficiuntur erga eum, ac si hominem cognouissent, & clarissimè vidissent? Planè non cognoscunt ex facie, sed cognoscunt eius virtutes; potuit Sathan sic deformare hominem, vt penitus redderetur suis ignotus; at non potuit facere, vt vel in tanta deformitate, & perditione externæ figuræ, interiores eius virtutes non olfacerent amici etiam remotissimè positi. Ait Origen. Origen. hom. 3. in Iob: *Videntes eum de longè, non cognouerunt eum. Vultum non agnouerunt, sed conscientiam agnouerunt. Faciem non agnouerant, sed sinceritatem agnouerunt.* Proh quàm oculata est amicitia, vt videat virtutes sui proximi! in deformato penitus amici vultu, vel à lõgè recognoscunt virtutum formas.

CAPVT X.

Disputatio de matrimonio, & cœlibatu.

MATRIMONII Facilem dissolutionem cupientibus Pharisęis ostendit Dominus eius perpetuitatem ex ipsis naturæ humanæ primordijs, vbi vni viro vna fœmina creata fuit, quasi iam ex tunc horrens natura, quòd vir ab vna ad aliam transire posset. Naturæ subscripsere diuinæ voces clamantes: *Erunt duo in carne vna*, ne putaretur facilior matrimonij dissolutio, quàm est diuisio vnius indiuidui hominis. Qui vero hanc legẽ condidit Deus per Adamum; illam dispensauit per Moysem Israeliticis populis quasi coactus duritie eorum. Sed vbi abundantior spiritus hominibus datus est, cum legis Mosaycæ abolitione primæua apparuit indissolubilitas matrimonij, vt vel hinc virginitatis, continentiæve flores essent hominibus iam gratiores.

Matth. 19. Accesserunt ad Iesum Pharisæi, tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem suam quacumque ex causa?

§. I.

Libido omnem modum abiurat.

NOn est cur multum laboremus in quærẽda occasione propositæ quæstionis; cum notissima sit voluptuosa Pharisæorum libido, cuius fax nullis nuptijs extinguitur, sed semper ad alias festinat. Isti ergo voluptuosi Pharisæi, vt erant pleni libidine, sic nil aliud mẽte voluebant, quàm si causam inuenirẽt, qua nouas facerent nuptias, prioribus dimissis. Et non contenti causis à lege assignatis, adhuc alias inuestigant, & sic volunt rem disponere, ne vnquam causa deficiat, vt sic semper pateat locus nouæ libidini. Chrysostom. homil. 32. in Matth. *O effrænata lasciuia Pharisæorũ. Interrogauerunt, si ex omnibus causis licet dimittere vxorẽ, sciẽtes, quia modũ nescit libido: sed quãtò magis exercetur, tãtò magis accenditur, nõ leuiter, nec infra terminos vnius coniugij capit libido.* Quo plus eporæ, plus sitiuntur libidinosæ aquæ; nullus modus, nullus terminus non transgressioni patet, vbi ardet libido. Nemo se fallat, & putet se in obtenta aliqua voluptate posse quiescere; insaturabilis est carnalis appetitus: & vbi rem potitur, ad aliam festinat. Prouerb. 30. *Tria sunt insaturabilia, & quartum quod nunquam dicit, sufficit; Infernus, & os vulvæ, & terra*, &c. Septuag. legunt: *Infernus, & amor mulieris*, &c. Qui lasciuum amorem habet, quid habet gehennæ par, & ardentissimæ fornaci, qui in appetendo finem non faciat. Ex quo D. Cyprian. lib. de singul. clericorum, ait: *Quãtò magis antè prouidenda est omni prouisione calamitas fœminarum, cuius cupido si admittitur incipere, nunquã prorsus accipit finem? Cuius comparationem Salomon explicat, dicens: Infernus, & amor mulieris, & terra, quæ non satiatur aquâ, & ignis non dicit, sufficit.* Inter insatu-

Chrysost. Prou 30. D. Cypr.

saturabilia ponitur libidinis affectus inferno proximus, vt ostendatur, quam in nullo ab inferno distet lasciuus, qui de inferni flammis habet, nunquam consumi, nec terminum sibi vllum præfigere, sed semper noua appetere, & ab ijs ad alia transilire. Dum ad fontem Iacob sederet Iesus, Ioann. 4. dicebat mu-
Ioan. 4. lieri Samaritanę: *Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum*: quam proprietatem re cognoscens D. Augustinus in illa medita-
August. tur, quid recipiant homines ex percepta voluptate. Quippe ait lib. quæst. 83. quæst. 64. *De terrena conuersatione hauriunt homines voluptatem, qua precepta iterum in eius appetitum inardescunt, sicut de aqua illa, qui biberit, sitiet iterum*: pari hydropesi tenentur homines ex aqua, & voluptate; vt hydropicus non saciatur aqua, sic voluptas nũquam affert saccietatem, sed sitim acuit. Vndè mone-
Eccles. 9. bat Ecclesiasticus, cap. 9. *Auerte faciem tuam â muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Expende sequelam illam; multi dicuntur se se perdite tradidisse mulieribus, & ex hoc cõcupiscentia quasi ignis exardescit: expectabam, quod qui se perdite tradiderit lasciuiæ, aliquando satiatus hæreret, sed contrarium prorsus accidit, quia nimirũ ex hoc appetitus creuit, & ardentius cœpit noua appetere. Hinc monebat diui-
Deut 17 na lex, Deuteron. 17. *Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius.* Septuaginta in rem præsentem significantius posuerunt: *Vt non discedat cor eius.* Et quò poterit discedere cor hominis traditi pluribus fœminis? Cur non magis dicitur, vt non in illis penitus & irreuocabiliter adhærescat? Non equidem tam timetur, quod lasciuum cor traditũ pluribus fœminis, ibi penitus quasi in salebra hæreat; quàm quod protinus inde ad alias discedat. Quò refero illud D.
Hieron. Hieronymi, lib. 1. aduersus Iouinianũ: *Non hic de meretrice, non de adultera dicitur, sed amor mulieris generaliter accusatur; qui semper insatiabilis est, qui extinctus accenditur, & post copiã rursus inops est.* Vt de copiosis pabulis ignis accenditur, & in immensum crescit, vt maiori pabulo egeat, vt non solum vicinia, sed etiam longè disita petat; sic mulierum amor, de maiori pabulo maius excitat incendium, quod minimè prioribus sit contentum.

Matth. 19. Qui respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc, dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

§. II.

Deus distinctionem posuit maris, & fœminæ, lasciuia omnia confundit, & vniuersos facit esse fœminas.

SVmmus rerum creator vbi hominis opificium aggreditur, quales putas homines condidisse? Ait textus: *Masculum, & fœminam fecit eos*: masculos fecit Deus esse, virilique robore, & virtute pollentes; at vbi lasciuia intrauit, sic vniuersam naturam effœminat, sic viros ipsos conuertit in fœminas, vt vix discerni possent, vel nominum differẽtia. Matth. cap. 14. Ioannis Baptistæ passio-
Matt. 14 nem tractans, sic eius tyrãnos meminit: *Herodes enim tenuit Ioãnem, & alligauit eum; & posuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris sui: Dicebat enim illi Ioannes, non licet tibi habere eam.* Ecce duo luxuriæ mancipia armantur in prædicatorem castitatis, nimirũm, Herodes, & Herodias: nec putes casu factum esse, quod vtrique nomina adeò similia, & pene vna dantur; semper enim lasciuia suos alumnos ad fœminarũ, & nomi-
D. Fulg. na, & naturã trahit. Pro quo D. Fulg. ser. 7. de Ioan. sic ad hos fatur: *Dicite mihi, quid habetis cum Ioanne Herodes, et Herodias, quos ad consortium nominum adduxit impuritas criminum?* Vitæ impuritas, lasciuus animus sic potest validissimos etiam viros effœminare, vt nec vocabulis à fœminis discernantur. Rideat hic Iustinus lib. 1. suum Sardanapalum inter scortorum greges, purpuram colonentem, & muliebri habitu omnes fœmi-

Senec. minas ante cuntem. Rideat Seneca in Hippolyto cantatissimum Herculem, monstris, & feris terribilem, tandem vbi libidinis flammis ardere cœpit:

Natus Alcmena posuit pharetram
Passus aptari digitis smaragdos:
Et dari legem rudibus capillis,
Crura distincto religauit auro,
Luteo plantas cohibente socco.

Quid plura? Rideantur vniuersi gentiles, quos sic lasciuia euirauit, vt dicat D. Athanas. Athanas. de illis, orat. contra idola: *Viri quoque abdicato sexu, nec se amplius mares esse ferentes, mulierum naturam affectauerunt, tanquam ita honorifica, gratáq; matri deorum facturi essent.* Et vtinã hæc potuisset lasciuia in solis gentibus facere, at vereor similia perfecta esse in hominibus fidelibus. De principibus, & magistratribus Ierosolymitanę vrbis loquebatur iuxta Forer. Isai. c. 3. Isai. 3. *Eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum, ibant, & plaudebãt, ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant.* Magistratus carpis, & de fœminis sermonem facis? Equidem ait Forerius, tales ex lasciuia redditi erant magistratus, & principes, vt nec in ornatu, nec in cultu, neque incessu, neque in nomine possent à fœminis discerni. Quàm fœditatem à lasciuia dilapsam in orbem Romanum miratus Saluian. lib. 7. de gubern. ait: Saluian. *Quis credere, aut audire etiam possit, conuertisse in muliebrem tolerantiam viros, non vsum suum tantum, atque naturam, sed etiam vultum, incessũ, habitum, & totum quidquid penitus, aut in sexu est, aut in vsu viri? Adeò versa in diuersum omnia erant, vt cum viris nihil magis pudori esse oporteat, quàm si muliebre aliquid habere videãtur, illic nihil viris quibusdam turpius videretur, quàm si in aliquo viri viderentur.* Huc potest peruenire hominum lasciuia, vt non solùm effœminentur, sed & pudeat illos, viros apparere. Sic lasciuia prorsus mutat homines in fœminas. Oseas cap. 4. Osee. 4. *Ipsi cum meretricibus conuersabantur, & cum effœminatis cõuersabantur.* Qui erãt ij effœminati? Qui ex meretricũ conuersatione mutabantur in fœminas. Vndê Aquila legebat: *Et cum mutatis conuersabãtur.* Vbi D. Hieron. Hieron. *Mutatos, dicẽs, hoc ostendere voluit, quòd suam naturam mutauerint, & de viris facti sint fœminæ.* Sic per lasciuiam viri effœminantur.

§. III.

Omnipotentiæ diuinæ præcipuum facinus, quòd homines casto amore in vnum conueniant.

MEritò Creatoris opus dicit, quòd castè, & sincerò duo sint in carne vna, duo natione, etiã diuersi, sic inter se conueniant, quasi è duobus in vnum penitus confluxerint. Hinc Paul. ad Ephes. 5. notans præfata Dei verba, Ad Eph. 5. inquit: *Propter hoc relinquet homo patrẽ, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Quod duo in vnum confluant, magnum putat abstrusæ virtutis, & potestatis opus; & quàm magnum opus est? *Ego dico, in Christo, & Ecclesia;* quasi dicat: tam magnum illud opus est, vt videatur præcipuum: & præstantius, quod per Iesu potestatem factum est, dũ ex omnibus mundi plagis sibi collegit Ecclesiam. Et quidem non sic splenduit diuinæ potestatis opus in reuocandis hominibus à sepulchro; vt splẽduit in trahendis pluribus diuersis in vnum. Sed præstat in rem præsentem audire Nazianzenum, orat. 42. Nazian. *Quamuis permulta illius temporis miracula fuerint; sol obscuratus, & rursus inflammatus, velum scissum, sanguis, & aqua profluentes ex latere, terra tremore concussa, petræ prærruptæ, mortui resurgentes, signa partim ante sepulchrum edita, quæ quis est, qui pro dignitate laudare queat? Nullum tamen cum salutis meæ miraculo conferendum est, in quo exiguæ cruoris guttæ orbem vniuersum instaurarunt, atque idem quod lacti coagulum, hominibus præstiterunt, in vnũ nos coniungentes.* Ecce tibi præstantissimum diuinæ potestatis opus, quod dissidentes homines in vnum coniunxit. Mortuos in vitam reuocauit, salutes ex ipsa impossibilitate traxit, lumina cœcis indidit; quantula hęc, si cum eo comparentur opere, quod multos, & diuersos homines fecit esse vnum? Sanè quí hoc perficit, vt dissidentes in vnitatem trahat, maius opus facit, quàm si mortuis vitam daret. Pacis enim, & vnitatis seminatio adeò diuinũ opus est, vt nequeat ab omnipotentia diuina separari. Hinc est, quòd vbi omnipotens Dei sermo

dess-

descendentes à regalibus sedibus in terram prosiluit, statim vox Angelorum auditur dicentium, Luc.2. *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus*: cur non antea hæc vox auditur, nisi quia pacis seminatio non potuit nisi cum Omnipotentis aduētu venire simul? D.Bernard.serm.1. de Annunt.ait: *Venturum regem, misericordia, & veritas præuenerunt, sicut scriptum est: Misericordia, & veritas præcedent faciem tuam. Iustitia thronum præparat, secundum illud: Iustitia, et iudicium præparatio sedis tuæ. Pax cum rege venit, vt propheta fidelis inueniatur, qui dixerat: Pax erit in terra nostra, cum venerit.* Et quidem potuerunt ante Omnipotentem Regem venire, & inueniri in terris misericordia, & veritas, & iustitia, aliæq; præstantissimæ virtutes, quæ ab illo missæ, non adeò coniunctam propinquitatem habebāt cum explicita, & manifesta præsentia illius. Verū pacis seminatio non potuit à præsentia Omnipotentis Regis separari, sed vnà venit, & apparuit cum illo; vt hinc appareat, quod sit Omnipotentis opus propriſsimum, illique coniūctiſsimum; imò crediderim in nullo virtutum externarum opere, sic gaudere Dominum, vt gaudet in pacis, & vnitatis facinore. Vndè ad multa alia facientem Martham, ait Dominus Luc. 11. *Turbaris erga multa. Vnum porrò est necessarium.* Vbi D.Bernard.serm. in Assumpt.5. *Erga hæc pluri maturbaris, sed vnū est necessarium. Nisi enim opus tuum in vnitate feceris, Deo, qui vnus est, acceptum profecto non erit.* Vane alia multa opera virtutum implere satagis, si vnitatis, & concordiæ opus relinquis; hoc maximè procura; sine quo cætera omnia, & si maxima, & splēdida, æstimantur nihili. Ioel cap.2. clamat: *Sanctificate ieiunium, vocate cœtū*: non fidens ieiunijs, & virtutibus, quæ cō cordiæ, & vnitati non sunt coniuncta. Id quod eleganter ponderat D.Bernar. serm.4.de orat.& ieiunio, inquiens: *Sanctificate, inquit, ieiunium, vocate cœtum. Quid est enim cœtum vocare? Vnitatem seruare, diligere pacē, fraternitatem amare. Superbus ille Pharisæus ieiunium habuit, ieiunium sanctificauit, quia nimirū, ieiunauit bis in Sabbato, & gratias egit Deo. Sed non vocauit cœtum dicens: Non sum sicut cæteri hominum; ideoque ala vna nitens ieiunium eius non peruenit in cœlū. Vos ergo charissimi lauate manus vestras in sanguine peccatoris, & solliciti estote, vt alas duas habeat ieiunium vestrū, sanctimoniam, scilicet, & pacem, sine qua nemo videbit Deum*, &c. Et ieiunia, & Psalmi, & omnes virtutes eo spectent, non vt diuisionem, & separationem à proximis faciant, sed vt eos sibi magis coniungant, & arctent; ieiunia enim, & Psalmi apud Deum, nihil valent sine vinculo pacis, & vnitatis.

Matth. 9. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumq; dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit mœchatur.

§. IIII.

Deus maximè consulit fœminis coniugatis à sæuitia virorum.

QVi stabile cōiugiū statuerat Deus, vbi ad populum Israeliticum peruenit, legem tulit per Moysem, vt viri datis causis possent vxores suas dimittere. Et cur qui sic stabilitatem coniugij amabat in omnibus, in populo suo illam dispensauit, nisi vt fœminarū consuleret vitæ? Ait enim: *Propter duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores.* Nouit Dominus durissima Hebræorum corda, & quod facile in necem vxorum ruerent: vndè, & si stabilitatē amaret coniugij, tamen dispensauit in populo suo, vt daretur libellus repudij, ne vxores passim timerent vitæ suæ. Ait D. Hieronym. *Cum videret propter desiderium secundarum coniugum primas vxores interfici, maluit indulgere discordiam, quam odia, & homicidia perseuerare.* In sæuissima, & durissima natione non esset cōsultum fœminarum vitæ, nisi permitteretur libellus repudij: vndè Deus ma-

maluit esse diuortia, & coniugiorum dis solutiones, quàm homicidia. Nunquam enim Deus non curat eripere bonas fœminas maritorum sæuitiæ, nec patitur in maritis esse prætextum vllum, quo insidientur vxorum vitis. Iepte ille cantatissimus Israelitarum dux hoc votum fa
Iud. 11. cit Iud. 11. *Quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihiq; occurrerit reuertenti cum pace à filijs Amõ, eum holocaustum offeram Domino.* Hoc eius erat votum; & reuertenti illi prima occurrit vnica, & virgo filia: quàm voto stultè coactus Domino litat. Mirabar, quòd prior filia virgo extra fores domus patri occurrat, & non potius vxor? Virgines filiæ in domus penetrali occultiori teneri à matribus solent custoditæ; matres familiæ, vt omnia tractant, sic propinquiores sunt, vt exteriores audiãt rumores, & expeditiores, vt maritis venientibus occurrant. Cur ergo vxor non prior occurrit Iepte, quàm filia? Cauit hoc Deus, ne vxor prior exiret, eius consulens vitæ, ne inde vêturi mariti exemplum sumerent, quo prætextu sacrificij, & obsequij diuini vxores occiderent.
D. Aug. Huc accedit Diu. Augustin. quæst. 49. in Iudic. inquiens: *An ille coniugem cogitauit: et vt hoc fieret Deus noluit, et vt hoc ne maneret impunitum, ne quis postea id auderet*, &c. Cogitarat forsan Iepte vxorem sibi primò occursuram, quam litare Deo destinauit; sed Deus non id permisit, quinimò vitæ coniugis consulens exire fecit vnicam filiam, vt eius morte castigaretur malus affectus patris in vxorem suam, & posteri non auderent vota vouere vxorum vitis insidiatricia. Et nisi Deus ex tunc fœminarum prospiceret vitæ, quot inuenirentur mariti, qui vellent sacrificare Deo vxores suas? Quot qui vxorum sanguine famã religionis compararent sibi? Absit tantum piaculum à veri Dei disciplina; qui & si aliquando petiuit filium vnicum à parente sibi occidi, quem tamen morti erat erepturus; tamen nec isto modo petijt, vnquam vxorem occidi à marito, neque id passus est manere impunitum.

*

§. V.

Castus amor inconcussibile fundamentum matrimonij.

MEritò designat Dominus fornicationem, quæ possit esse causa diuortij, quo separentur coniuges, & viuat alter sine altera; quippè ait: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem nisi ob fornicationem*, &c. Lasciuia sola est, quæ facit etiam firmissima matrimonij vincula, si non prorsus cadere, saltem labare. Quãdo lasciuia, vel secuta, vel præmissa est matrimonio, & ipsum non diuortia fuit minatum? Huc conueniant coniuges, qui sunt, & qui se coniugio deuouent, & maximè caueant sibi à lasciuo affectu, à fornicationis malo; solus enim est castus amor, qui ex Deo possit omni ex parte inconcussum vinculũ matrimonij fundare. Quò respiciens Paul. 1. ad Corinth. 7. ait: *Si dormierit vir eius cui vult, nubat, tantum in Domino.* Vnum petit in nuptijs maximè obseruandum, vt nimirùm, sint in Domino, hoc est, fundamentum suppo natur sanctum, ne fundamentum sit appetitus voluptatis. Pro quo ait D. Basil. de Vera virgin. *Non vtcumque nubere debet, sed tantum in Domino. Quid est autem in Domino nubere? Non vt vile mancipium voluptatibus carnis ad concubitum pertrahi; sed iudicio, et commodioris vitæ ratione nuptias eligere. Ita fiunt honorabiles nuptiæ, quando rationem coniugij nõ præit obscœna voluptas; sed iacto sancto fundamento, matrimonium necessariò sequi voluptas ipsa concubitus, vnamque carnem duos facere deprehẽditur. Sin autem ita se res habet; coniugium illi peccatum reputabitur, quia pessimum fundamentum voluptatem iecit.* Expende modo, vnde nuptiæ habeant suum incõcussum decorem, nimirùm, ex fundamento illis suppositio. Si obscœna voluptas, si lasciuus appetitus tota causa est, & fundamentũ nuptiarum; ex puluereo, & limoso, & lutulento fundamento, quid citius orietur, quàm ruina, quàm scissiones? Rarò videbis suppositam lasciuiam pro fundamento coniugij, in quo non videas quàm primum, & scissiones, & diuortia, & mille peccatorum occasiones pullulare. Sit autem nuptiarum fun

1. Cor. 7.

D. Basil.

damen-

damentū affectus castus, is valet ex Deo & nuptias æternare, & æternum honorabiles facere. Et quidē affectus castus fundamentum stabile est, & firmissima basis nuptialis perfectionis, & castitatis. Luc.11. *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus expectantibus Dominū suum, quando reuertatur â nuptijs.* Ecce tibi in nuptiarum celebratione, quid in primis mandetur, vel ipsis nuptiarum famulis, nimirūm; *sint lumbi vestri præcincti*, quasi ad stabiliendam, & confirmandam in omnibus fœlicitatem, nullū fundamentum sit potius, quam fundamentum castitatis. Ait enim Philippus Abb. lib.in Cant. cap.16. *Prudens iste artifex discretæ rectitudinis ordinans munimentum, primò velut basim ponit, iacit operis fundamentum: motus fluxus restringere forti cinctorio castitatis, basis quædam est solida, & initium sanctitatis.* Firmissimū sanè, & solidissimum est fundamentum affectus castus, pro quolibet virtutis, & fœlicitatis ædificio æternùm sustentando, & quin in eo, vel scissura pateat, vel ruina timeatur.

Luc. 11.

Phil. Ab.

Matth. 19. Dicunt ei discipuli eius, si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt, & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.

§. VI.

Castitatis propositum, non nisi de magna pugna in perfectum ex Deo ducitur.

QVod ad castitatis propositum attinet, non omnium est, sed illorum, qui à Deo habent magnos in primis de vitijs reportare triumphos, magnas in se ex Deo ostendere virrutes. Perfectum in mundi stadio, vbi hominem video in corporis substantia, statim audio, quod Deus, *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Genes.2. Et cur in faciē hominis spiraculum mittitur diuinum, nisi vt ostendatur, non humanarum esse virium, sed diuini halitus, quòd homo sensus habeat ab omni impuritate immunes? Ait D. Ambros. enarratione in Genes. ad Sabinum: *Nunc intelligo, qua causa Dominus Deus insufflauit in faciē hominis. Ibi enim sensus omnis, ibi sedes, atque illecebra delectationis, in oculis, naribus, auribus, atque in ore, vt sensus nostros aduersus delectationem fortiores faceret.* Armabatur homo aduersus voluptatem, & sic habuit necesse prius ebibere diuinos halitus, quorum fortitudine, de multiplici virtutū triumpho, coronā sibi poneret castitatis. Vix enim ad castitatis coronam accedit, nisi qui penè innumeras Christi virtutes in se priùs ostendit per victorias vitiorum transformatas. Castissimæ Sponsæ dicunt Cant. 4. *Odor vestimentorum tuorum super omnia aromata*: & non multò post additur: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor Libani*: & quidem Libanus idem est, ac candidatio; ne putetur aliquis posse in se ostendere candidum castitatis, nisi priùs omnibus virtutū aromatibus, quibus sepultus fuit Christus, & ipse vitijs moriatur. De quo pulchrè ait D. Ambr. lib.1. de Virg. *Odor, inquit, vestimentorū tuorū super omnia aromata. Et odor vestimentorū tuorum, sicut odor Libani. Vide, quē nobis tribuas virgo processum. Primus enim odor tuus super omnia aromata, quæ in Saluatoris missa sunt sepulturā; et emortuos corporis motus, membrorumque redolet obijsse delicias. Secundus odor tuus, sicut odor Libani. Dominici corporis, integritatem virgineæ florem castitatis exhalat.* Non priùs à casto corpore floridæ exoritur odor castitatis; quā in illo præcedant victoriæ ab omnibus mundi delicijs reportatæ. Mortificationis aromata à Christo mortuo, & sepulto in te descēdant, quibus & tu Christo commoriaris, & tūc iam tibi paratur corona castitatis, quæ non venit, nisi post mille victorias partas. Hinc Psalmi.44. titulus iuxta versionem Aquilæ ait: *Vincenti pro lilijs*; quasi nusquam floreant lilia castitatis, nisi vbi priùs multæ fuerint in nobis per Christū victoriæ reportatæ. Venit enim à Christo, vt in illo, & per illum hostes

Gen.2.

Ambr.

Cant. 4.

Ambr.

Psal.44.

vincamus, & exinde floridi in castitate reddamur. Ex quo D. Paschas. in præsenti monebat: *Multa, dilectissimæ, fortiter fertis, quia sursum, vbi Christus est, radicem cordis fixistis: quoniam aliæ sunt rosæ, quæ Christi sanguine intus pinguescũt, & rubricantur, vt semper floreant: aliæ, quæ in terra radicantur, vt citò floreant, & postmodum arescant sectamini semper virtutes Christi, vt vireant floridæ, augeãturque lilia castitatis.* Expende, quid moneantur in primis sectari, vt ad lilia perueniant castitatis; priùs Christo inhærere debent, de eiusque pinguedine roborari; eiusque virtutes aduersus vitia in se ostendere semper viuidas, semper florẽtes, quo absque dubio castitatis lilijs apparebit coronatus. Venit enim pudicitiæ mirum in modum aucta corona, vbi præcessit ex Christo victorioſus conflictus aduersus omnes corporeas voluptates. Genes. 43. in conuiuio Ioseph: *Maior pars venit Benjamin, ita vt quinque partibus excederet.* Vndè augmẽtum tantum Benjaminicæ partis? D. Ambr. lib. de Ioseph, cap. 10. *Ideò in conuiuio pars eius quintupliciter maior effecta est, quod haberet superioribus anteferri, non solum mentis prudentia, sed etiam militia corporis, et gratia castitatis.* Expende, quàm ponatur vltimo loco post prudentiam mẽtis, post militiam corporis gratia castitatis, cuius præmium sit quintupliciter auctum. Etenim vbi aduersus corporis voluptates fortiter dimicaueris, multasque in te virtutes ex Christo ostenderis, iam peruenies ad auctissimam coronam castitatis.

D. Pasc.

Genes. 43

Ambr.

CAPVT XI.

Disputatio cum Petro, de sedibus.

QVÆ Ad perfectionẽ obtinendam facienda Dominus adolescenti suggesserat, ea à se, suisque condiscipulis facta proponẽs Petrus, quid præmij in cœlis respondeat, sollicitus quærit. Et quid erit præmij omnia relinquenti, & Christum sequenti, nisi vt qui sequutus est in via, sequatur in sede maiestatis, qui sequutus est peregrinantem, sequatur in gloria sedentem? Igitur sedebit Iesus in gloriosa nube, vt iudicet nationes, quæ à mortuis surrexerint; & simul Apostoli in nubibus sedebunt ex suis laboribus coniuncentes reprobos, quòd dignè mereantur pœnam, qui Apostolicis sudoribus non responderunt.

Matth. 19. Tunc respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis?

§. I.

Apostolicæ bonorum omnium renuntiationis præmium supra hominem est, & diuinitati proximum.

PAulò antè audierat Petrus Dominũ promittentem cœlestes thesauros homini, qui omnia reliquisset, cur ergo modo dubitat, dicens: *Quid erit nobis?* Cur non magis ipse auditum præmium explicat cæteris Apostolis? Crediderim hanc dubitationem, non tàm de infirmitate Petri, quàm de præmij magnitudine fuisse exortam; quando Apostolicæ renuntiationis præmium humanam superat cogitationem, supra hominẽ est, & Deitati proximum. Apud Lucam, c. 6. dicitur de Iesu: *Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes spiritu,* &c. Expende, quòd ipse filius altissimi, & ipse altissimus dicitur oculos ad discipulos suos leuare: vndè in tanta potuerunt esse Apostoli altitudine, vt Iesus ad illos videndos oculos leuaret? Ipse ait, dum dicit: *Beati pauperes spiritu,* &c. Ex quo enim Apostoli relinquentes, & abnegantes omnia mundialia Christianam paupertatem sunt amplexati, sic se supra homines erexerunt, sic altitudini diuinitatis approximarunt, vt vel filius hominis non videat illos, nisi oculis leuatis. Aiebat enim Philippus Abbas, lib. de iustitia Clericorum, cap. 42. *Et si huius beatitudinis arcem, ait Iesus, vel non vult, vel non potest turba apprehendere; vos tamen, ô discipuli mei, et velle, et posse video, quorum sicut ordo, ita & sanctitas singularis, qui spa-*

Luc. 6.

Phil. Ab.

spatiosam viam deserentes, districtionem tenetis viæ, & vitæ regularis; vndè & ad videndum eos, oculos depono, quos constat in ima demorari, ad videndum vero vos, oculos eleuo, quos in cœlis gaudeo conuersari. Abnegatio bonorum, paupertas Christiana sic eleuat homines, & supra homines facit, vt ex ea in cœlestibus, imò Deitati ipsi approximari videãtur. De Iacob dicitur Genes. 32. *Traductis omnibus, quæ ad se pertinebant, mansit solus, et ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.* Hic vir, qui luctabatur, filius Dei erat, vt receptissimã tenet sententia Patrum; sed vnde Iacob audet cum filio Dei conferere manus? Cur non magis timet, se se Deo quasi æquare? Omnia abiecerat bona, solus ipse remanserat, ex quo eam assequutus est magnitudinem, qua videretur posse Deo approximare. Ait D. Ambros. lib. 2. de Iacob cap. 6. *Postquam Iacob præmisit omnia sua, solus remansit, et luctatus est cũ Deo. Quicumque enim sæcularia negligit ad imaginem, similitudinemque Dei proprius accedit.* Crede mihi, quò te minus temporalibus dedis, eo magis exaltaris supra te, & Deo accedis. Non facit inopem, & mendicum Christiana pauperies, sed potius ditissimum ostẽdit, & proximum Deo. Apud Luc. cap. 12. *Ait autem ei, quidã de turba: Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Hominem vocat, & hæreditatem diuidendam à se negat; cur Domine non filium, non fratrem, sed hominem mauis vocare eum, cum illi hæreditatẽ negas? Sanè ostendit, quod qui homo est in appetenda hæreditate; in eius abnegatione possit similis Deo fieri. Pulchrè Diu. Augustin. serm. 196. *Homo, ait, qui pro magno habes istam hæreditatem, quid es nisi homo? Volebat illum facere plus, quam est homo. Quid plus volebat illum facere, cui volebat auaritiam tollere? Ego dixi, dij estis: ecce quid eum volebat facere, inter Deos numerare, qui auaritiam non habent.* Vbi cupiditas habendi tollitur ab homine, simul quidquid hominis est, exuitur, & manet quis in ea altitudine, qua fit Dei proximus.

Gen. 32.

Ambr.

Luc. 12.

August.

§. II.

Confusio est, & perditio, non lucrum, quod velis Deum & mundum habere simul.

BEnè omnia mundialia relinquunt Apostoli, vbi Deum sequũtur; quippè aiunt: *Reliquimus omnia, et secuti sumus te:* quòd enim quis simul, & Deum velit habere, & mundum, ad perditionem pertinet, & confusionem, non ad lucrum. Ex quo dicebat D. Bernard. in declamation. *Est interdum videre nõnullos, qui relictis omnibus abrenuntiare sæculo disponentes, cum rectè offerre velint, nolunt diuidere rectè, calliditate humana totos se se diuino committere nutui formidantes, sed reseruantes, nescio quid fermenti, vt totam massam corrumpant.* Et quidem quidquid mundiale reseruatur cum Deo, ad corruptionem, & perditionem omnium maximè inclinat. Et Dei, & mundi non solet fieri vtilis commixtio, sed nociua; vnde cauebat Dominus, Genes. 2. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas. In quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Sed Adã multorum bonorum scientiam habebat, an non sciebat animalium naturas, quibus nomina imponebat? An non sciebat Deum naturæ auctorem? An non sciebat leges coniugij, cum ait: *Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit vxori suæ?* Hæc, & alia plura bona sciebat Adam, cur ergo non permittitur comedere de ligno scientiæ boni, & mali? Quid timeat à ligno scientiæ boni, qui tot, tantaque cum ingenti lucro sciebat bona? Nõ negatur Adæ scientia boni; sed hoc negatur ne simul misceat boni scientiam, & scientiam mali; quando permixtio boni, & mali, magis pertinet ad confusionem, & perditionem. D. Seuerianus in Cat. Lypom. ait: *Esto malum vitauit, vt quid bonũ? Deus enim scientiam boni minimè prohibuit, illãnamque Adam habebat. Nõ cognitionem boni prohibet Deus, sed cognitionem mali, vnà cum cognitione boni, haudquaquã esse vult. Idque ait Paulus: Non potestis bibere poculum Domini, & dæmoniorũ? Nunquid duo prohibuit? Et seruatur: Nõ potestis Deo seruire, & Mammonæ. Ita Deus cognitionem mali Adam percipere noluit, ne cognitioni boni permisceretur.*

D. Bern.

Genes. 2.

D. Seuer.

Suspecta est Deo, imò & inuisa permixtio mali, & boni; quæ frequenter solet vergere in perditionem. Ex quo lumen
Apoc. 3 affero cantatissimo, Apocalyps. loco c. 3. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Vtinam frigidus esses, aut calidus. Sed quia tepidus es, & neque frigidus, neque calidus, incipiam te euomere.* In tepido mixtio est frigoris, & caloris; in quo notatur ille, qui sic amat habere Deum, vt nolit se vitijs prorsus exuere; sed & habens Deum velit seruire mundo, & miscere vtrumque; quæ mixtio celeriorem, & ineuitabiliorem solet afferre ruinã. Notissimus est Dei fauor, in parando cœlesti pabulo Israelitis, Numer. cap. 11. sed & prouidentia qua murmur eorum compescuit, offerés illis coturnicum carnem, vsque ad satietatem.
Psal. 77. Vtrumque meminit Psalm. 77. *Pluit illis mannã ad manducandum, et panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducauit homo; cibaria misit ei in abundantia. Et pluit super eos sicut puluerem carnem: & sicut arenam maris volatilia pennata. Et manducauerunt, et saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo. Adhuc escæ eorũ erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum*, &c. Expende, quod vbi male expetũt, & accipiunt carnes; non differtur Dei ira super illos; sed vel habentes in ore cibum occiduntur. Et grauius quidem crimen fuit idololatriæ ab illis peractum, vbi relicto Deo caput adorauerunt vituli, vt habes Exod. 32. & nihilominus, minimè inter adorandum perimuntur; quin potius lætis acclamationibus, festisque ludis, ingenti populi lætitia res idololatriæ perficitur, nec de illa supplicium sumitur, nisi veniente Moyse, post multos transactos dies. Cur ergo idololatriæ supplicium differtur; & non differtur carnium male expetitarũ supplicium, quin potius in ipsa gula, cum adhuc escæ in ore ipsorum essent, ira Dei ascendit super illos? In vituli adoratione factus est populus omnino frigidus; prorsus à se Dei cultum abiecit, & elegit adorare vitulum. In appetitione carnium tepidus ostendebatur, nõ penitus abijciens Deũ; non penitus cœlestes fauores abijciens, sed simul habere volens, & Deum, & mundum; & cœlestem panem, & carnales delicias; quæ permixtio sic Deo inuisa est, vt vix differat eius supplicium. Ait ad hæc Saluianus, lib. 1. de Prouid. *Quia quotidie mannã edens explere ex illecebris ventris cupit inguium, optata quidem cupiditate saturatur, in ipsa tamẽ saturitate torquetur.* Intolerabilis plane videtur mixtio boni, & mali; quod timeas equè Deum, ac carnales illecebras perdere; quod vel inter edendum cœlestem panem, aut habendum Deum, velis, & mundũ simul habere; habebis forsan, sed vt perdaris; cõfusio enim, & perditio est, velle Deum, & mundum permiscere. Ecclesiast. c. 24. *Tanquã balsamum non mixtum odor meus.* Quæ verba sic in rem præsentem elucidat Gilliber. Abb. serm. 17. in Cant. *Sit tua virginitatẽ oles, si orationum instãtiam, si ieiuniorum abstinentiam; benè oles, et balsamum oles. Si verò impatientiæ adhuc morbo laboras, si vaniloquium, si leuitas, si ardor explendæ propriæ voluntatis, si horum aliquod vnũ in te nominatur, mixtus est iam odor tuus, & non parum balsamum spiras. Modica enim stilla admixtionis peregrinæ totam balsami massam contristat. Periculosa, et pessima mixtura cuiuslibet est, quando vitium virtutis mentitur speciem, & Angelus Satanæ in Angelum lucis se trãsfigurat, et quasi venenum facit balsamum spirare.* Caue mixturam mundi, & Dei, vitij, & virtutis in te velle, quisquis cauere cupis perditionis pericula. Nũquã enim non abominabile erit, quod Deũ, & mũdum in te velis habere simul. Vndè Ezechieli dicitur, c. 16. *Fili hominis notans fac Ierusalem abominationes suas.* Et quas abominationes suas? *Quando nata es, in die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus.* Per vmbilicum infans dum est in vtero de ipso matris pabulo sibi capit, quo possit sustentari: vbi in lucẽ editur, iã per propriũ os, non matris, sed suũ solum proprium cibũ sumit. Erat Israel in vtero matris, cũ erat sub parentibus, & aliis gentilibus; & tunc, eisdem vesceba tur, quibus patres eius, vt infans, qui per vmbilicum matris alimento sustẽtatur. Verum vbi à Deo in lucem fidei vocatus est, tunc natus est Israel, imò in meliorem vitam, & diuiniorẽ renatus; sed vide eius nequitiæ summitatẽ; iam in diuiniorem vitam renatus, & cœlestiũ nutritus pabulo, adhuc non habebat præcisum vmbilicũ, vt simul ore cœlestia traheret, & tractaret, & per vmbilicum simul paternas, & auitas sugeret iniquitates, & idololatrias. Aiebat Theodor. ibi: *Non est præcisus vmbilicus tuus, hoc est, hodie quoq; ab vtero materno impietatis attrahis alimen-*

Saluia.

Eccl. 24.

Gil. Ab.

Ezec. 16

Theod.

alimentum. Nullum excludebat cibum; & dæmoniorum cibum per parentes acceptum trahebat, & Dei cibum sibi traditum obseruabat, quo in summam veniebat iniquitatem. Nec negarim iniquitatem esse deploratam; qua cum malitia, & nequitia permiscere vis Dei sanctitatem. Nequissimus ille Iesu proditor, in eo suam perditionem ostendit, quòd cum nequitia proditionis miscere voluit signa charitatis, dū Iesum fuit osculatus. De quo ait D. Ambr. Psalm. 35. *Quid de Iuda proditore loquar, qui quæsiuit auaritiam, & inuenit sacrilegiū, dicens: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Neque expletus pauperū spoliis, ad plenitudinem criminū grauissimorum crimina ferendo peruenit, pia miscens charitatis sacramenta flagitijs, cū diceret: Quemcumq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Expende, vnde summa eius deploratæ malitiæ sit, nimirùm, quia *pia miscens charitatis sacramēta flagitijs*, vbi cum malitia voluit sanctitatem miscere, & se, & omnia protinus perdidit. Ambr.

§. III.

Quæ à Deo veniunt in magnos viros præmia, nō in præsentibus, sed in futuris sunt posita, & quæ grandi comparanda sunt expectatione.

RElictorum omnium bonorum prēmium non impræsentiarum, non ita tum requirit Petrus, sed cōtentus est illud in posterum expectare: ait enim. *Quid ergo erit nobis?* Non quid sit, sed quid erit, expectat: & laborū, abnegationisque impensas iam faciens, non præsentes fructus requirit, paratus illos, vel in longissimū tempus expectare: Et cur nō magis solicitus est de aliquo prēsentī præmio accipiendo? Cur etiam non inquirit, quid est nobis? Sanè, quæ à Deo pro magnis laboribus parantur præmia, non in præsentibus, sed in futuris sunt posita, vt habeantur post longam expectationem. Vtinam sic omnes fideles saperent; quorum præcipua virtus est, post exanthlatos labores infracta quædam, & longanimis præmiorum futurorum expectatio. Thren. 3. *Bonum est viro præstolari cum silentio salutare Domini.* Ecce tibi præstātissima viri valētia, quòd sciat præstolari; non enim mensuratur animi magnitudo ex possessione, sed ex expectione: quando quod ex Deo est singulare præmium magnis viris, non datur impræsentiarum, sed reseruatur in posterū. Thren. 3.

Ad hæc ait D. Bernard. serm. 67. in Cāt. *Patientem pro iustitia vult me expectare mercedem in posterum, non recipere in præsenti, quòd iustitiæ merces salutare non sæculi, sed Domini sit.* Expēde causam, cur iubeantur magni viri expectare iustitiæ suæ mercedem in posterum, nimirùm: *quòd iustitiæ merces salutare non sæculi, sed Domini sit*; vbi enim Dominus est iustitiæ redditurus mercedem, non de prēsentibus, sed de futuris bonis illam retribuit, quæ veniant post longam expectationem, Genes. 13. dicit Dominus Abrahamo: *Omnem terram, quam cōspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum.* Sic promittebat Deus iusto viro possessionem terræ in præsenti; at si rei exitum spectes, nec minimum terræ illius possedit Abraham, ait enim Act. 7. *Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis, et repromisit dare illi eam in possessionem, et semini eius post ipsum.* Si promisit eam illi, cur non dedit hæreditatem in ea, nec passumpedis? Promisit quidem Deus Abrahamo quasi carnali homini terrenam possessionem; quem videns iustitia, & sanctitate insignem minimè permisit donatum videri à Deo terrenis, sed maiora futurorum bonorū præmia illi retribuit. Ait D. Chrysost. hom. 23. ad Hebr. *Dixit eis, quia dabo vobis præsentia, quoniam videbat eos, magis autem, quia exhibuerūt seipsos maioribus dignos, non eos permisit hæc accipere, sed illa maiora eis tribuit: nobis volens ostēdere, quia maioribus digni sunt. Et enim propterea nepotes eorum terram accipiunt, illi quippe erant terra digni.* Vbi Deus agnouit magnanimos viros, à præsentibus dādis abstinuit, sed quæ in futura asseruantur maiora, retribuit, non enim à Deo veniunt præmia in magnos viros, quæ in præsentibus sint, sed quæ maxima asseruātur in futuris. Sed nec magnanimi viri æstimant bona ex Deo; quæ nulla expectatione acquirantur. Paul. ad Hebr. cap. 11. ait: *Fide Abraham demoratus est in terra repromissionis, tāquam in aliena, in casulis habitando cū Isaac, et Iacob coheredibus repromissionis eiusdē. Expectabat enim fundamenta habētem ciuitatem,* &c. Promissam sibi terram, vt alienam terens, malens aliam expectare, quàm promissam possidere; non curās præsentia

tia ad futura contendebat, ea expectans
Chryſoſt. alacriter: vt dicat D. Chryſoſt. hom. 33. in præſenti: *Illi quidem promiſſionibus in terra factis non attendebant, ſed futurã ciuitatem requirebãt.* Quaſi illud ex Deo accipere æſtimarent, quod longa expectatione poſſent emere. His addendus venit Dauid, qui nactus Saulem ſibi hoſtem dormientẽ, à quo & vitam, & regnũ facilè erripere poſſet, ait. 1. Reg. 26. *Propitius ſit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Chriſtum Domini.* Cur non magis æſtimat occaſionem præripiendi regnum ſibi promiſſum? D. Ambroſ.
1. Reg. 26
Ambr. Apologia 1. c. 6. *Debitum ſibi imperium diu diſtulit, quod ſciebat Deo auctore deberi. Quo ſolo docuit omnes homines, non præripiendum regnum, etiam ſi debeatur, ſed expectandum, vt ſuo tempore deferatur.* Hanc ebibant mentem vniuerſi viri, nec nimis properi, ac præcipites ſint in accipiendis honoribus proprio labori debitis, ſed ſciant dilationem ſuſtinere, ſciant expectare; quando quod Deo auctore debetur, expectatione emitur. Nunquam mihi crede, magnum quid niſi expectare ſciẽtibus aduenit. Pro quo
Idem. aiebat D. Ambr. lib. 2. officer cap. 22. *Delicati iſti, & ambitioſi elegerunt honorabilia, & grata ad tempus, & iucunda. Vbi autem parua proceſſit dilatio, non potuerunt tolerare, ac ſuſtinere.* Tale eſt delicatorum, & ambitioſorum ingenium, quod ad præſentia rapitur; futura etſi maxima parũpendit, & ſub expectatione perit.

Matth. 19. Ieſus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis, & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

§. IIII.

Fieri nequit, vt Dei, quem colis, & ſequeris, forma, & habitus in te non effulgeat.

ECce quales futuri ſunt, qui corde, & animo ſequuntur Chriſtum: *Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis, & vos*, &c. Nõ ſane abſimiles erunt duci ſuo, quam ille ſedem habuerit, quam maieſtatem in ſe oſtenderit, proportione ſeruata oſtendent illi; nunquam, mihi crede, alia forma videbitur in homine, niſi forma Dei, quem ipſe corde, & animo fuerit ſequutus. Hinc illa Ieſu patientis vox Pſalm. 21. *Circumdederũt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me.* Et tauros, & vitulos vocat Iudæos perſecutores ſuos, vt volunt Thodor. Euſeb. Didym. in Cat. Græca. Et cur vituli habentur, niſi ex quo Pſalm. 105. *Fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt ſculptile?* Equidem nõ poterat eadem morum forma non videri inter adoratores, & adoratum numen. Nõ abeſt Auguſt. ſerm. 97. de temp. inquies: *Præcedebat in eremo populum carens ſpiritu vitulus figuratus, vt tali duce demẽs populus vteretur, qualis erat & ipſe delictis effectus.* Et quid aliud ſignaret vitulinus Deus, niſi quod tales erant ſui cultores? Nequit enim fieri, quod in numine adorato non appareat forma, & figura adorantium, & ſequentium illud. Nota eſt illa apud Matth. cap. 20. parabola, in qua depingitur Deus operarios vocans in vineam ſuam. Quid tunc? *Circa vndecimam vero exijt, & inuenit alios ſtantes, & dicit illis. Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Hi, qui ſtantes inueniuntur in foro, putantur fuiſſe gẽtiles, idolorum cultores, nondum efficaciter vocati in vineã Chriſti. Sed cur hi ſtantes, & immobiles proponuntur, niſi quia adorabant Deos ligneos, & lapideos, ex quibus hoc trahere neceſſum habebant, quo & ipſi efficerentur lapidei? Pulchrè D. Paſchaſ. lib. 9. in Matth. *Eos tota die otioſos eſtetiſſe dicimus, quia non in labore legis fuerunt, non in aliqua Dei cultura, ſed male ſtabant otioſi ſuis iuribus decertantes, erecti contra Deum ne crederent. Stabant autem, ac ſi lapides erecti, quos adorabant in Deos, ſimilis eis facti.* Ado-

Pſal 21.

Pſal 105

Auguſt.

Matt. 20

D. Paſc.

rato-

ratores lapidum, eorum repræsentabant immobilitatem; non poterant enim nō videri immobiles lapides, qui lapides adorabant. Fœlices, qui veram Dei adorant maiestatem; ipsam ebibent maiestatem, glorioſoſque ſe ſe cum glorioſo in cœleſtibus ſedibus repræſentabunt. Sequere homo verum Deum Ieſum, & Ieſu aſsimilaberis, vbi glorioſus ille ſederit, & tu ſedebis, ne ab illo abſimilis videaris. Aiebat Sapiens, cap. 4. *Senectus venerabilis eſt non diurna, nec annorum numero computata. Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Mirabar ego vnde poterat eſſe, quod vita immaculata canos etiam in iuuene faceret; dum incido in capit. 7. Danielis, vbi de auctore omnium virtutum humanarum dicit: *Aſpiciebant, donec throni poſiti ſunt, et antiquus dierum ſedit: veſtimentum eius candidum ſicut nix, et capilli capitis eius quaſi lana munda, thronus eius flammæ ignis,* &c. Et quidem vbi Deus noſter ſenex proponitur, & plenus canis, non mirum eſt, quod eum colentes adoleſcētes cani efficiantur, & in numero ſeniorum appareant. Quod meditatus Rupert. ait in cap. 1. Apocalypſ. *Illud tandem ſciendum, quia quiſquis coram iſto cano capite aſſurgit, et candidis eius capillis reuerentiam facit, ideſt, verba eius digne ſuſcipit, propter hoc ipſum, quod verba eius ſuſcipit, et meditatur, ipſe quoque caneſcit, et ſenex meretur appellari, monſtrante ſapientia cum dicit: ſenectus venerabilis eſt, non diurna, neque annorum numero computata. Cani autem ſunt ſenſus hominis, et ætas ſenectutis vita immaculata.* Fœlix, qui ad antiquum dierum reſpicit, eiuſq; adorat maiestatem, deque illius verbis alitur; vel in media iuuentute, minime iuuenis reputabitur, ſed inter ſeniores mundi, inter ſenatores terræ apparebit collocatus. Quis enim de diuini Numinis cultu, & propinquitate ſimilitudinem in ſe non trahit? Huc refer dicta. 1. tom. lib. 2. cap. 3. §. 1.

***

§. V.

Perfecta Chriſti ſequela in cœleſtibus ſedes parit curules, quibus geſtentur perfecti aſſeclæ Chriſti.

SEctatoribus ſuis dicit Dominus: *In regeneratione ſedebitis, et vos ſuper ſedes duodecim,* &c. In quibus verbis non ſolum iudiciarios thronos, ſed etiam ſedes curules ſuſpicor, quibus ſenatores, & Principes vtebantur, ne, ad præſtantiæ, & nobilitatis inſigne, vel gradum pedites perficerent. Hinc præſtantiores ſenatorum dignitates vocabantur curules, vt videre eſt apud Amb. Calep. quoniam, qui curulem magiſtratum, hoc eſt maiorem honorem gerebant, honoris gratia in curiam vehi ſoliti erant curru, in quo ſella erat eburnea, ſupra quam conſiderent. Igitur in cœleſtibus perfectis Chriſti aſſeclis, vt præſtantiſsimos mundi ſenatores decet, ſellæ curulis datur inſigne. Et meritò, qui reptarunt in mundo, vt Chriſti Domini tenerent veſtigia glorioſis in cœlo geſtantur curulibus, nec iam viles pedites viſuntur. Quò reuoco illud Eccleſiaſt. cap. 10. *Vidi ſeruos in equis, et Principes quaſi ſeruos ambulantes ſuper terram.* Quæ mutatio in regeneratione oſtendetur candidiſsimè: vbi, qui modo cum Ieſu non miniſtrari, ſed miniſtrare eligunt, religioſamque amplectuntur ſeruitutem, & ſuper terram repunt; tunc ſublimes curuli bus inter præſtantiſsimos ſenatores videbuntur. Paul. 1. ad Theſſalonicenſ. c. 4. dicebat: *Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei deſcendet de cœlo, et mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur: ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto.* Expende illud, *ſimul rapiemur*, in quibus verbis non nemo ſuſpicatur aliquid ſimile raptui Eliæ, quando hic propheta igneo curru in cœlum raptus eſt. Cui ſubſcribit Pſalm. 44. dicens de virginibus: *Adducentur regi virgines poſt eam.* Et quomodo adducentur virgines Regi? Sanè, vt Apoſtoli rapientur, nō quidē pedibus ſuis, vt plebei deduci ſolent, ſed vt nobiliſsimos ſenatores, & regni æterni primates decet, viuidis Angelo-

Sup. c. 1

Dan. 7

Apoc. 1.

Eccl. 10.

1 ad Theſſalon. 4.

Pſal. 44.

rum curribus,& lecticis, sellisque curulibus. Id quod notabat Eusebius, in Cat. Græca, fatus: *Considerabis verò, quomodo hoc dictum sit de virginibus Apostolica sententia in consilium adhibita, quæ dicit, rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera, et sic semper cum Domino erimus. Non enim ibunt ad regem virgines, sed deducentur, alijs eas ducentibus, nimirum, sanctis Angelis, qui eas sublimes ferant, et in altum euehant.* Virgineus flos, Apostolicus puluis, perfecta sequela Christi, curulis insigne in cœlestibus parturiunt. Qui super terram ambulant in præsenti serui Christi, niueoque pede mundialia decora conculcant; in regeneratione nō ibunt pedites, sed curulibus, lecticisque viuidissimis deducentur sublimes. Sic Luc. 16. *Factum est, vt moreretur mē dicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem diues, & sepultus est in inferno.* De vtriusque sic in rem præsentem philosophatur Chrysostom. hom. 1. de diuite, vbi ait: *Vtrique mortui sunt, illum Angeli, istum pœna suscipiunt: ille portabatur in humeris Angelorum. Tantæ pœnæ repentè delicijs commutantur, vt portaretur ab Angelis, et adduceretur, ne saltem ambulans laboraret. Gaudet vnusquisque Angelorum tantum onus tangere, libenter talibus oneribus præ grauantur.* Sanè vniuersi Angelici spiritus, in currus, in lecticas, in thronos efformantur, vt perfecti Christi assecłæ, nō pedibus seruorum more ambulēt, sed in cœlestibus, vt senatores decet, sellis curulibus sublimes conspiciantur. Sunt equidem Angeli gestatores Christianorum pauperum; vndè Exod. 25. post fabricationem arcæ, subditur statim: *Facies quoque vectes de lignis Sethim.* qui vectes sunt Nysseno Angeli, à quibus vehimur sublimes, fœlices Christi pauperes, qui fuerimus in patria. Ait enim Nyssenus lib. de vita Moysi: *In illo tabernaculo veri vectes nostri & habitant, et sunt, qui ad ministerium mittuntur propter salutis futuros hæredes.* Sunt in cœlestibus quot Angeli, tot vectes, tot curules eburneæ, tot lecticæ, tot currus, quibus Christi assecłæ sublimes vehantur, vt decet senatorum, principumque cœlestis regni præstantiam.

Euseb.

Luc. 16.

Chrysost.

Exod. 25

Nyssen.

CAPVT XII.

Disputatio concilij de Iesu damnando.

ECCE Tibi diuinissima Christi miracula, quid lucrentur ex Primatibus Ierosolymitanis: conueniunt omnes, & Pontifices, & Pharisæi, & vt plura noscunt facinora Christiana, magis propriā accusant tarditatem in Iesu perdendo, metuentes, ne dum miraculorum vi doctrinam suam omnibus persuadeat, rebellio aliqua oriatur aduersus Romanos, quorum armis & templum, & populus Iudæorum extremam incurrat calamitatem. Nihil hi Pontifices metuunt à Iesu veræ religioni, nihil metuunt pietati, aut saluti animarum; nec horum recordantur, sed quidquid de his sit, solū præ oculis habent temporalem reipublicæ statum, quem vehementer timēt casurum, auctore tantorum mirabiliū stante. Quid stultum magis? Interea Cayphas anni illius Pontifex Maximus, ex se nefarissimè Iesu insidians sanguini ea verba profert, quæ ab Spiritu sancto fuerūt etiam composita, vt mors Christi ostenderetur expedientissima ad filios Dei à qualibet mundi ora trahendos, & in salutis ouile congregandos. Quid plura? Statutum hinc manet, quòd Iesus interficiatur.

Ioann. 11. Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi concilium. Et dicebant: Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit.

§. I.

Vbi malitia multorum vna sit, à solo Deo potest deprehendi.

POntificum, & Phariseorum in Iesum conspiratio fit, quæ nihilominus ab Euāgelista collectio cōcilij vocatur; & cur sub honesto, & ciuili cōcilij vocabulo proponitur inhumana, & rabidissima aduersus Deum Pōtificū coniuratio? Nonne patentissima erat Christiani sanguinis

guinis sitis? Nonne clare constabat diuinorum facinorum contemptus? Cur ergo horum conuentus non dicitur, & æstimatur coniuratio, sed adhuc dicitur pro bono religionis concilium? Equidē valet hoc multorum adunata malitia, ne facilè posset ab hominibus cōuinci; vbi enim multorum malitia fit vna, solus Deus potest deprehendere illam. Nota est parabola Regis facientis nuptias filio suo, Matth. 22. exhibitum iam fuerat nuptiale conuiuium, admissi aderant vniuersi conuiuæ, & tunc *Intrauit Rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali*, &c. Mirabar, quod vnus homo sine nuptiali veste ingressus fuisset, & magis mirabar, quod inter tot conspicuos, & fulgentes conuiuas ī nemine dicatur sordidus iste visus fuisse, nisi à solo rege intrante in locum conuiuij. Non laterones assistentes, non circumagentes ministri, sordidum cōuiuam notant, sed solus rex cōspicit illum. Et quomodo potuit latere tot ministros, tot socios conuiuas sordidus vnus? Erat vnus non vnitate indiuidua, sed collectione multorū. Ait enim Hieronym. *Vnus iste, omnes qui sociati sunt, malitia intelliguntur.* Vbi autē multorum malitia, & sordida vita fit vna, nō mirum est, quod possit hominum oculos fugere, & quod nequeat deprehendi nisi à Deo ipso. Huc spectans D. Pasch. lib. 10. in Matth. finit: *Quia malos in cōscientia intus intelligere non omnium est; quoniā humana simplicitas difficilè fraudulentiam simulatæ mentis potest deprehēdere, idcirco hunc malum cœtum peccantium, quorum non erunt peccata obtecta, solus Deus terribilis, & Rex magnus innoniet.* Expende illa, nimirum: *hunc malum cœtum*, &c. Non enim singularis homo, sed malus hominum cœtus erat, qui à solo Deo potuit deprehendi. Quis nosset multorū adunatam malitiam? Quis partialitatis cœtus deprehendat in Republica? Nō homo sed Deus sit, qui adunatas partialitates possit peccati conuincere. Propone tibi ob oculos Iobi tres amicos, de quibus dicitur cap. 2. *Condixerant enim sibi, vt pariter venientes visitarent eum*, &c. Sic inter se adunati, & confœderati venerunt, & audientes Iobum se innocentem prædicantem, pro iusto iudice Deo aduersus Iobum acriter decertant. Quid tunc? Ad illos tandem Dominus, ait cap. 42. *Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos.* Septuaginț. posuere: *Peccasti tu, & duo amici tui.* Non Angelus, non homo, sed Deus manifestat; & cōuincit amicorum peccatum; & cur necessum fuit, vt Deus illud peccatum per se ipsum ostenderet? Cur nō alius, sed Deus ipse illos de peccato arguit? Pulchrè Auctor Cat. Græcæ, ait: *Namq; hominum opinione præclarè fecerunt amici, qui Dei sint causæ patrocinati. Verum tamen diuino incorruptoque iudicio secūs est visum.* Vnum solum Dei iudicium potuisset in amicis confœderatis, & Dei causæ patrocinantibus peccatū deprehēdere. Vbi tantus Dei causæ defendendæ prætextus erat, tantaque amicorum erat adunatio; hominum censura prorsus euanescebat, quin potius pro illis erat totus humanus plausus. Duo senes conuenerant in libidine, & amicitia, Dan. 13. & confœderati inter se sententiam mortis ferunt in Susannam. Illa innocens ad mortem ferebatur, tunc *excitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris, cui nomen Daniel. Et exclamauit voce magna: Mundus ego sum à sanguine huius.* Erant multi sapientes viri in populo, & nullus, nisi puer iste valuit cognoscere duorum coniurationem in Susannam. Cur, quod tot sapientes latuit, vnus puerulus cognouit? In puero fuit Spiritus sanctus, cuius soli diuinissimi oculi potuerunt videre duorum confœderatorum insaniam. D. Ambros. lib. 3. de Spirit. sanct. cap. 8. *Cum Susanna presbyterorum coniurationibus appetita, inflexam populi mentem videret contemplatione seniorum, & omnibus destituta subsidijs, sola inter hostes pudicitiæ suæ conscientia Deum arbitrum precaretur; excitauit Dominus Spiritum sanctū pueri. Qui nisi accepisset Dei spiritum nūquam potuisset deprehendere adulterium libidinis, mendacium fraudis.* Non posset nisi à Deo deprehendi malitia adunata, quæ populares sibi trahit animos. Et quā do multorum malitia adunata apud homines non se facit excusabilem? Iob c. 41. de Leuiatani squammis dicitur: *Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquā separabūtur.* Sept. legūt. *Vir fratri suo agglutinabitur, cōiunguntur, & non auellātur.* Circa quæ verba D. Grego. lib. 33. Moral. cap. 24. *Perversos vnitas corroborat, dum concordat, & tanto magis incorregibiles, quanto vnanimes facit. Tenētes enim se, separari nequeunt; quia eo ad defen-*

Matt. 22

Hieron.

Pascha.

Iob. 2.

Iob. 42.

Exx.

Aut. Græ.

Dan. 13.

Ambr.

Iob. 41.

Exx.

D. Greg.

fensionem tuam vicißim constricti sunt, quo se sibi per omnia similes esse meminerunt. Ecce partialium insigne præclarum: *ad defensionem suã vicißim constricti sunt*, in cuiusque amici, & defensionem errorum, & prædicationem virtutum, sic vniuersi vnanimiter exsurgunt, vt vel aquilinos oculos fallat eorum malitia. Sed nõ fallet diuinos, à quibus deprehenditur, ait enim 1. Reg. 2. *Deus* 1. Reg. 2. *scientiarum Dominus est, & ipsi præparã* Symma. *tur cogitationes.* Vbi Symmacus legit: *Non sunt apud eum prætextus, & excusationes.* Possunt poni ab adunatis, & confœderatis prętextus, & excusationes, quæ valeant apud homines; sed Deus ridebit illos, apud quem nullus prætextus, nec excusatio habet valorem.

§. II.

Dum mutua malorum concordia, & adunatio viget, non potest viuere iustus.

ECce tibi hostiles Iudæorum machinæ, quæ parantur aduersum Iesum; nimirum ait: *Collegerunt ergo Sacerdotes, & Pharisæi concilium*; nec sic infestæ sunt iusto viro hostiles phalanges, vt est infesta reproborum concordia, D. Gre & adunatio. Quò respiciens D. Gregor. lib. 34. Moral. cap. 4. aiebat: *Reproborum quippe vnitas bonorum vitam tanto durius præpedit, quanto ei se per collectionẽ durior opponit.* Nusquam non aduersus iustorum vitam datur collectio, & vnitas impiorum; vbicumque videris duos, aut tres in scelere congregatos, puta ibi exquiri sanguinem iustorum. Psalm. 7. Psal. 7. dicit: *Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns*: in verbo pacis, intelligit Apollinaris cõcordiam, vnitatem peccatorum, vt dicat: *Pacem videns improbitatis sociorum.* Hanc igitur videns Dauid concordiam, & vnanimem societatem impiorum, & irã, & zelo exardet ad Hieron. uersus eos. Sic enim ait Hieronym. *Æmulatus sum contra iniquos.* Et cur nõ magis metuit, quod iniqui non exorbitent à pace? Cur nõ magis gaudet illos, & concordes, & pacificos esse? Nunquã equidem bonus propheta de iniquorum concordia, & pace non suspicatur multa oritura esse aduersus iustos mala. Ambr. Vndè D. Ambros. in præsenti: *Refugiamus ergo pacem peccatorum: conspirant enim aduersus innocentes, coeunt, vt iustos opprimant, viduam exterminent, vel expugnent eius pudorem.* Huc tendunt omnes impiorum conuentus, vt nullus iustus stare possit: & quo alio tendere posset impiorum collecta manus, quàm vt iustum adoriatur? Iob 1. *Chaldæi fece* Iob. 1. *runt tres turmas, et inuaserunt Camelos.* &c. Ecce tibi conglomerata Chaldæorum agmina de multis aliorum gregibus, vnum Iobi gregem petunt, & mactant; & cur vnum Iobi gregem mactãt? In Chaldæis illis omnes mali spiritus erant adunati, & confederati, à quorum confœderatione vnus iustus timet, non Origen. est cur timeat alius. Pulchrè Origen. lib. 1. in Iob, fatur: *Vniuersa potentia, atque exercitus, et omnes dæmonum cateruæ, simul illic conuenerunt, et pariter se aduersum beatum Iob armauerunt, vniuersum mundum despexerunt, tantũ vt Iob superarent, vtpotè, quia nõ erat ei similis alius in toto mundo.* Vbi collecta impiorum omnium malitia, & adunata visebatur; non miror, quod solus iustus requireretur ad mortem, nullus ex toto orbe, nisi Iob iustus, qui viam virtutis in offenso pede terebat, ad mortem petebatur, vbi simul conueniebant impiorum exercitus armati. Nec aliter melius iusti vitæ consulitur, quàm si impiorum colligationes diuidantur. Hinc Paulus in Indæorum concilium vocatus, vt de Christiana prædicatione se purgaret, Actor. Act. 23. 23. *Sciens, quia vna pars esset Sadducæorũ, altera Pharisæorũ, exclamauit in concilio, viri fratres: Ego Pharisæus sum filius Pharisæorum, de spe, et resurrectione mortuorum, ego iudicor. Et cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos, et Sadducæos, et soluta est multitudo*, &c. Nec aliter iustus viueret, nisi in concilio impiorum dissensiones disseminaret. Pro quo eleganter D. Gregor. lib. 34. Mo D. Greg. ral. cap. 4. ait *Cum in duas partes tumultuantium multitudo diuiditur, Paulo via ereptionis aperitur, quia quem turba persequentium vnita constrixerat, diuisa laxabat. Eripiuntur ergo iusti, dum diuidũtur iniusti; et electorum vota ad perfectũ perueniunt, dum reproborum agmina per discordiam confunduntur.* Tunc salus applaudit viro iusto, cũ malignãtiũ aduna ta phalãx diuiditur, & scinditur: ex quo volens Daniel sanctissimæ Susannæ ser Dan. uare vitam, hinc incipit, cap. 13. *Separate eos ab inuicẽ procul, et iudicabo eos:*

quasi

quaſi oſtẽderet, quòd vix poſſet ſaluari vita iuſti, niſi intercedat malignantium diuiſio. Dum enim malignantes vniti ſunt, iam in ianuis eſt interfectio iuſti. Apud Lucam, cap. 23. *Sprevit autem Ieſum Herodes cum exercitibus ſuis, cumq; illuſiſſet, indutum veſte ſplendida remiſit ad Pilatum, & facti ſunt amici interſe ſe Herodes, & Pilatus, in eodem die.* Et quæris, quis medius interceſſerit, vt Pilatus, & Herodes fierent amici? Quis eorum animos ſic pacauit, ſic concordauit? Diabolus fuit, qui hanc fecit amicitiam, ſciẽs nullam machinam aptiorem poſſe inueniri, quæ perimat Ieſum iuſtum, quàm ſi impij homines iungantur amicitia. Ait Theophylactus ibi: *Vide quãm diſcrepantia congreget diabolus, ſolùm vt Chriſto mortem præparet. In vnã enim conſpirationem copulat, & conciliat inimicos.* Hanc diabolus manum armat, nimirùm malignantium amicitiam, qua poſita putat, minimè poſſe iam Chriſtum viuere.

Luc. 23.

Theoph.

§. III.

Non magni æſtimãda eſt multorum iudicum auctoritas in damnatione proximi, in quo ſola, quæ damnentur, exquiruntur.

SAcerdotum, ſapientumque concilium colligitur; quis tantorum hominum iudicium, ſententiamque nõ ſanctã exiſtimet? Qui viderit illos remiſſioni, & veniæ omnẽ aditum occludere, & ſolùm quod damnationis erat, velle audire. Huc ſpectant verba illa: *Quid facimus?* quaſi omnia remiſſa, & temperata vellent à cauſa Ieſu excludere, vndè D. Auguſt. tract. 49. ait: *Plus miſeri homines cogitabant, quomodo nocerent, vt perderẽt.* Omnis veniæ locus interdicebatur; quidquid poterat facere ad remiſſionẽ ſuſpectum habetur, & prorſus dimittitur; illud ſolum admittitur, quod poteſt perditioni deſeruire. Iudicium hoc licet à ſacerdotum, ſapientiſſimorumque hominum cenſura veniat, habẽdum eſt iniquum; quæ enim ſapientum multitudo probari poteſt, omnem remiſſionis locum prorſus excludens? Præclarè D. Bernard. epiſt. 257. Pontificem Max. Eugenium affatur in cauſa cuiuſdam Philippi, ſine vlla remiſſione dãnati à pluribus iudicibus. *Philippus noſter, cum ſe exaltauit, humiliatus eſt, cum ſe humiliauit, non eſt exaltatus, quaſi vtrumque pariter Dominus non dixiſſet: Rigor eſt, ſed ſine diſpenſatione. Iudicium, ſed ſine miſericordia. Multi (quod negandum nõ eſt) ſic menſurauerunt; ſed nullus ita ſibi voluit mẽſurari. Capax eſt veſter Apoſtolatus rei vtriuſque: & zeli, ſcilicet, & miſerationis. Et honor quidem maieſtatis iudicium diligit; ſed abſit, vt ad præiudicium manſuetudinis.* Non negat ſanctus pater iudicium illud de multorum, ſapientiſſimorumque iudicum calculo, & ſententia veniſſe, ſed tunc non magni æſtimãda eſt multorum ſententia; quãdo nullus eſt, qui in ſe non haberet illam iniquam. Da mihi vel vnum hominem, qui iniquum non putet ſibi omnem remiſſionis locum intercludi; qui dum minimè datur, nihili æſtimanda eſt plurimorum auctoritas in ferendo abſque omni pietate iudicio. Et meritò Bernardus humanitati mauult ſtare, quàm multorum auctoritati. Sanè Achitophelis ſapiẽtia in dandis cõſilijs cantatiſſima erat: hic conſilium dedit Abſaloni aduerſus Dauidem, ne permitteretur viuere, ſed ſtatim perderetur, quod conſilium, & Abſalon, & omnes ſenes Iſrael probauerunt. Dicit enim textus 2. Reg. 17. *Placuit ſermo eius Abſalon, & cunctis maioribus natu Iſrael.* Huc peruenerat Dauidis calamitas; à regno pulſus ſolus, vel cum paucis deliteſcebat. Qui eum ſpoliauerat Abſalon potentiſſimus degebat in throno; ingenti exercitu circumdatus, habẽs & ſapientes, & fortes Iſraelitas ſecum; quorum calculo Dauidis mors petebatur. Inter hos vnus Chuſai pro Dauide ſtabat, de quo ibi dicitur: *Et dixit Chuſai ad Abſalonem: Non eſt bonum conſilium, quod dedit Achitophel hac vice.* Vndè hic audet Achitophelis conſilium ſic infamare, præcipuè cũ ſciat illud, & Regi, & maioribus natu probatum? Cur nõ magis veretur occurrere tantorum virorum auctoritati? Cur non magis æſtimat ſententiam à ſapientiſſimis latam, pro qua totus Iſrael erat in armis? Sed & cur non diſcerptus eſt à tãto milite, vbi ſic audet venerandum omnibus conſilium carpere? De illo pulchrè D. Chryſoſt. in Pſalm. 7. fatur: *Cum Chuſai ſtaret, nõ vbi multitudo hominũ, ſed vbi erat virtutis præſidiũ, auxiliũ Dei ad ſe traxit. Id dico, vt nos quoque & ſi ſint imbecilli, à quorum parte ſtatius, illorum partes*

D. Bern.

2. Reg. 17.

Chryſoſt.

tes tueamur, licet sint potents, qui faciũt iniuriam, societatem illorũ fugiamus. Vitium ergo, et si secum habeat vniuersum orbem, est omnium maximè imbecillum. Non dubitauit Chusai sapientissimorũ, fortissimorumque consilium contemnere, & reprobare; vt suus locus daretur humanitati; & quia non multitudini cessit, sed pro virtute decertauit, Dei auxilium ad se traxit. Vt hinc discamus nos stare pro virtute, etiam si vniuersus orbis contra reclamet. Non auctoritas, non sapientia, non multitudo damnantium æstimanda est; sed sententiæ virtus, & humanitas: vbi hæc non inueniuntur, cætera nihil valent.

Ioann. 11. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.

§. IIII.

Præcipua ad trahendos homines esca non in vita, sed in morte Iesu erat.

SVltissimi scripturarum interpretes, plurimum valere putabant, quod Iesus viuus, & immunis maneret, vt omnes in Iesum crederent. Non equidem si dimitteretur, sed si non dimitteretur, sed occideretur, hoc efficeret, vt in sui fidem omnes impelleret. Dicebat ipse Ioann. 12. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.* Nulla esca placidior, & gratior, & efficacior ad trahendos homines posset inueniri, quã si pro eis appareret Iesus occisus. Senis Isaaci affectum capere cupiens Rebecca vocat filium Iacob, & ait Genes. 27. *Nunc ergo fili mi acquiesce cõsilijs meis: & pergens ad gregem, affer*, &c. Dum patris imperio Esau ibat ad campum, vt aliquid venaretur patri; Iacob à sapientissima matre, & consultissima in greges mittitur, vt inde adducat, vnde patris affectum sibi citiùs acquirat. Sed cur dum venatio expetitur, de mansuetis gregibus prætendit Iacob gratiores parari parenti cibos? Mysterium erat venturi Christi, qui sicut ouis ductus ad victimam, & occisus humanos erat affectus capturus sibi. Pro quo D. Ambros. lib. 2. de Iacob, cap. 2. inquit: *Acceßit ad oues Iacob, & attulit innocentiæ partus, vel sacræ prophetiæ munera: quia Patriarchæ cibum nullum credidit dulciorem esse, quam Christum qui sicut ouis ad occisionẽ ductus est, et sicut agnus ad victimam.* Non sic dulcescit Iesus palato hominum, vt dulcescit pro nobis occisus; dum sic proponitur ad se vehementissimè alicit humanos gustus. Quod vt explicaret aiebat Matth. 13. *Simile est regnum cælorum grano sinapis*, vt enim sinapis granum, dum conteritur, obtusos hominum gustus acuit, vt ferantur auidius ad cibos; sic Iesus contritus, & concisus fastidia depulit humana, & se maiori auiditate ab omnibus fecit inquiri. A quo non longè abest Chrysolog. serm. 98. inquiens: *Christus velut granum sinapis in hortum virginei corporis missus, orbe toto crucis in arborem creuit, ac tantum dedit fructus sui saporem, cum teritur passione, vt quidquid est vitale, suo saporaret et cõdiret attactu.* Nec est facile inuenire, qui noscens Christũ crucifixũ, ad illũ auidè currere fastidiat. Sic se cõdiuit passione, sic condiuit Dominus omnia sua, vt nihil videatur gratius, nihil persuasibilius, quàm Christus occisus. Hinc aiebat Sponsa, Cantic. 2. *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* Quæ verba ponderans D. Ambros. de malo pendenti à ligno, sic ait serm. 5. in Psalm. 118. *Christus ergo affixus ad lignum, sicut malum pendens in arbore, bonum odorem mundanæ fundebat redemptionis, quæ peccati grauem deterſit fœtorem, et vnguentum potus vitalis effudit. Tãquam malũ, inquit, in lignis syluæ, ita cõsobrinus meus in medio filiorum, eo quòd super prophetas intima corda hominum verborũ suauitate mulcebat.* Nullus propheta, nullus vates, nullus orator sic suauitate orationis mulcebat hominum corda, trahebatque; vt Iesus affixus ad lignum. Quot plagæ, tot ora suauissima ad persuadendum, quot plagarum ora, tot hami ad capiendum, tot retia ad verrendum mare mundi, & congregandos humanos pisces. Occisus est Iesus, & totus mundus vadit post ipsum, & omnia illi subijciuntur. Aiebat Isaias, cap. 10. *Suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum iuxta plagam Madian, in petra Oreb, et virgã suã super mare, et leuabit eam in via Ægypti.* Expende, qualia retia tendat in mari, vt

omnia

omnia sibi subijciat, nimirum, *virgam suam super mare*; hoc est, crucem suam super mare exaltauit, & omnia terræ ma-
D. Aelr. risque subiecit sibi, D. Aelredus, apud Tilmamni allegorias, inquit. *Gratias tibi Domine Iesu, qui exaltasti virgam tuã super mare, prosternens crucis tuæ virtuti superbiam sæculi, Principatus, & potestates ei subijciens. Vere crux tua premit fluctus sæculi, persecutionum sedat tempestates, & mitigat tentationum procellas.* Nunquam se efficacior ostendit Iesus ad omnia subijcienda, quam vbi apparuit suffixus cruci.

§. V.

Suspecta est æternæ saluti sapientia, quæ tota terrenis bonis comparandis inhæret.

ECce tota ratio timoris, quo tenentur sapientissimi, & prudentissimi isti Mosaicæ legis magistri, videlicet; *venient Romani, & tollent locum nostrum.* Nullum illis studium, nulla cura, de religione, de animarum salute, de vita æterna, de abolitione peccatorum; sed totum studium erat, de locis, de oppidis, de hortis, de vinetis, ne miremur, quòd sapientia adeò inhærens terrenis bonis, in mille animarum præcipitia de-
Eccl. 2. cidat. Aiebat Ecclesiastes, cap. 2. *Sapientis oculi in capite*, per hoc explicans insigne veræ, & securæ sapiẽtiæ, quod eius oculi non in calcaneum, nõ in terram, sed in capita, in sublimia ferãtur, & æterna. Econtra de reproba serpentis pru-
Gen. 3. dentia dicit Gen. 3. *Tu insidiaberis calcaneo eius.* Compone modo mundi sapientiam, & cœli sapientiam vtraque oculos habet, illa quos figat in capite, quos figat in altis, & æternis bonis: hæc quos figat in calcaneo, quos figat in imis & terrenis, & quid de calcaneo eliciat, nisi dogmata cõtraria vitæ æternæ? Huc
D. Niss. pulchre aspicit D. Nissenus, hom. 5. in Ecclesiastem fatus: *Vides istos acres in hac vita versatos, ac versatiles, quos nos vocamus iuris peritos: quãm facile efficiant, vt liceat facere iniuriam, testibus, patronis, libellis, iudicum obseruantia, vt et malum faciant, & sumant suplicium? Quis non eorum miretur subtilitatem, & versatile ingenium? Sunt tamen isti cæci, si conferantur, cum illo oculo, qui ea, quæ supra sunt, aspicit, qui est in capite eorum, quæ vere sunt. Plane sunt cæci, qui suum ornant calcaneum: propterea enim, quod ea, quæ infra sunt, aspiciunt, sibi ipsis imprimunt dogma peccati.* Vix aliud hauritur commodum ex terrenis bonis, vbi mens tota circa illa versatur, quàm dogma peccati. Quantalibet sit ingenij perspicuitas, & acies, dum tota imbibitur temporalibus tractatibus; dum circa terrena componenda, & cõparanda toto conatu versatur, nequit fieri, quod ad diuina, & animæ salutaria non obtenebretur, & in dogmata veniat saluti æternæ contraria. Hinc Ecclesiastici, cap.
Eccl. 27. 27. *Homo sanctus in sapientia manet sicut Sol, nam stultus sicut Luna mutatur.* Propone tibi ob oculos Solem, & Lunam, in quorum lucis discrimine manifeste videbis causam, vndè veri sapientes sapientiores fiant, & prorsus stulteſcant sapientes mundiales. Sol omni parte lucidus, & sursum, & deorsum suæ lucis mittit radios, vt nesciat terrena illuminare, quin simul cœlestium sublimia luce tangat. Econtra Luna minime ex omni splendet parte: quin potius pro parte superiori totius expers lucis facie ad terras conuersa, indè sic splendet, vt solas terras illuminet. Quo factum est, vt sæpe penitus obscuretur, & nigris immergatur sub vmbris. Quid plura? Ecce tibi veri sapientis, reprobæque sapientiæ discrimen; ille & sursum, & deorsum lucidus, & Sol manet in perpetuas æternitates: hic de parte superna nullum exhibens lumen, sed totus ad terram conuersus necessum est, quod patiatur, & tenebras, & obscurationem Lunæ. Pro
August. quo eleganter D. Augustin. epist. ad Ianuarium, cap. 5. fatur: *Quis est ergo ille stultus, qui tanquam Luna mutatur, nisi Adam in quo omnes peccauerunt? Anima quippe humana recedens â Sole iustitiæ, ab illa, scilicet, interna contemplatione incommutabilis veritatis, omnes vires suas in terrena conuertit, et eo magis, magisq; obscuratur in interioribus, ac superioribus suis: et lux illa ingenij ad inferiora vergit, mutatúrque in deterius, ad exteriora progrediens terrena sapiendo.* Et quidem, qui omnes vires suas ad terrena conuertit, non miror, quod indè tenebras sibi trahat, & obscuritatem. Adamo
Gen. 3. hæc fuit antiquitus sententia Gen. 3. *In laboribus comedes ex terra cunctis diebus*

vitæ tuæ: quasi diuina sententia illum obligaret, vt laboraret terram, circaque terrenos labores versaretur: ex quo educit acutè Tertul. lib. 2. in Mar. totam pene infirmitatem generis humani. Ait enim: *Quid mirum. Si homo redhibitus materiæ suæ, et in ergastulum terræ laborandæ relegatus, ipso opere prono, et denexo ad terram, vsurpatum ex illa spiritum mundi vniuerso generi suo tradidit?* Ad terram deiectus, quid ex terra traheret, nisi illum spiritum terrenum, & obscurum, quo totum genus suum infirmaret.

Tertul.

§. VI.

Qualis quis est in alios, tales putet inueniendas sibi creaturas

STultè sibi metuũt Iudæi à Romanis, si dimittant Iesum viuere; non enim si dimittant, sed si mactent Iesum, timere debent Romanorum iram: quando qualis quis est in alios, talis solet cæteras creaturas, sibi inuenire. Propone tibi ob oculos ex Dan. cap. 14. Danielem ipsum, & Satrapas Chaldæos; hi crudelissimi in Danielem, omni conatu eius internecionem procurant: ille mansuetissimus nihil mali aduersus hostes suos molitur. Quid tunc? Mansuetissimus Daniel, opera Satraparum ad famelicos leones mittitur: *Et ecce Daniel, sedens in medio leonum.* Sed & ipsi hostes eius ad eosdem leones mittuntur, ait enim: *Porrò illos, qui perditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum, et deorati sunt in momento coram eo.* Ecce tibi leones apud Danielem mansueti degũt, apud Satrapas Chaldæos feralissimi; illi parcunt, hos perdunt: & vndè tantum hoc in feris discrimen? Quis fecit easdem feras in vnum mansuetas, in alios rabidissimas? Hoc fecit, & Danielis mansuetudo, & Satraparum rabies, fiunt enim tales creaturæ cuique, qualis est ipse. Quò expectans D. Chrysost. hom. 57. in Gen. *In Daniele imitabantur ouium mansuetudinem, et naturæ oblitiscebantur; in istos autem ferociam suam declarabant.* Equidem, vel ferocientes, vel mansuescentes leones declarabant, quid erat in singulis, nimirum in Daniele, & Satrapis: in Daniele mansueto, parcenti hostibus suis, leones mansuescebant, & parcebant cibo: in Satrapis crudelibus, sitientibus sanguinem iusti, ferociebant leones ipsi, & illos festinarunt glutire. Caue homo tibi, tales enim tibi fient vniuersæ creaturæ, qualis tu inuenieris fuisse. Genes. 19. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, et Gomorrham sulphur, et ignem à Domino de cælo.* Expende, quòd dicatur Dominus pluisse ignem; sane pluuia solet ignem extinguere, & datur à Deo pluuia in ardoris refrigerium, in remedium ignis. At Sodomitæ miseri, dum ardent, pluuiam inueniunt, sed in pluuia prorsus contrariam pluuiæ inueniunt naturam; quando ab illa non refrigerantur, sed magis accenduntur. Sed non miror, pluuia enim naturæ suæ obliuiscitur aduersus illos, qui obliti fuerunt propriam naturam, vt abirent in libidines. Ex quo dicebat D. Chrysost. hom. de Adam, & Sodomitis: *Erat autem iusta retributio his, qui naturæ subuerterant legem, fœminas in masculis quærentes, vt inuertatur et eis naturæ ordo, et fiat eis naufragium ex igne, quasi ex aqua. Fiebat enim ignis eructans imbrem, imber caminum manans, flamma in flumen soluebatur, et pluuia flammã reaccendebatur*: Qui contrarij extiterant naturæ, in nullo non offendebant mutatam creaturarum naturam, vt medijs talibus contrarietatibus citiùs perirent.

Daniel.

Chrysost.

Genes. 19.

Chrysost.

§. VII.

Non vera fides, sed perfidia defectionem à Principe parit.

VAnè metuunt Iudæi ne credentes in Christum defectionem faciant à Romanis, quo tota Iudæa pereat sub Romanorum armis. Huc spectant illa Iudæorum verba: *Omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem.* Omnes, aiunt, credent in eum, & defectionem à Cæsare molientur: hic erat Iudæorum prætextus, hic metus, ne per fidẽ Christi, defectionis suspicio daretur Romanis. Sed nũquã, mihi crede, vera Christi fides defectionẽ à Principe suasit; hoc nõ fideiue-

ræ, sed perfidiæ manifestum insigne est, quę nescit vereri vllam potestatem. Accipite ex Ioann. 7. perfidos Iudæos de Christo Iesu philosophantes. *Nunquid vere cognouerunt Principes, quia hic est vere Christus? Sed hunc scimus vnde sit, Christus autem cum venerit, nemo sciet, vnde sit.* Expende, quod hi se ipsos ostendunt persuasos, quod Principes cognouerint Iesum esse verum Messiam. Quid indè? An cum videant Principes Iesu subscripsisse, quiescunt, & Principum diffinitionem amplexantur? Minime, quin, & contra Principum sententiam rationes proponunt, & à Principibus deficere parant. Pulchre ibi D. Chrysost. hom. 49. in Ioan. ait: *O malitiam! O pertinaciã! Non sequuntur Principum sententiam, sed aliam corruptam afferunt propriæ stultitiæ cõsentaneam. Scimus hunc, inquiunt, vnde sit.* Huc conueniant Principes, & notent, qui sint, qui audeant Principum sententias contemnere; non sane, qui veræ Christi fidei operam nauant, sed qui inscitiæ propriæ nitentes, non in fidem, sed in perfidiam abeunt. Non à veris fidelibus, sed à perfidis contemnuntur sententiæ Principum, & defectiones parturiuntur. Do vnicum Diu. Ambr. in prologo ad 1. lib. de Spiritu sancto aientem. *Etiã Constantinopolis iam Dei verbum recepit, & euidentia meruit diuini documenta iudicij. Etenim quando venena Arrianorum suis fouebat inclusa visceribus, bellis finitimis inquieta, murus armis circumsonabat hostilibus. Postea vero, quãm fidei exules abdicauit, hostem ipsum, quem semper tremere consueuerat, deditum vidit, supplicem recepit, morientem obruit, sepultum possidet.* Ecce tibi, quid pariat, aut fides, aut perfidia Reipublicæ; perfidiæ comites sunt arma hostilia, defectiones ciuium, bella durissima: vbi autem vera fides Christi accedit, abeunt omnia illa, pax alma viget, & obedientia Principum. Quam obedientiam persuasit Iesus mundo adhuc in vtero existens: de quo ait Luc. cap. 1. *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis ::: & ibant omnes, vt profiterentur singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem, & Ioseph à Galilæa ::: vt profiteretur, cum Maria vxore prægnante.* Non patitur Iesus, quod parentes morentur in exhibendo obsequio Cæsari Augusto, vt hinc pateat, quàm sit proprium Christianæ fidei obsequium præstare Principibus. Ex quo dicebat D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 48. *Descriptus est Dominus, cum vtero gestaretur, et censum Cæsari pependit: hinc videlicet velut lata lege nobis indicens, vt ei, qui imperium tenet, obediamus, modo nihil ad pietatem detrimenti afferat. Quæ igitur ipse Deus noster, subita per dispensationem, et consilium paupertate, docuit, candido animo imitemur, nec pauperum obtentu tributum pendere detrectemus.* Hæc monet, hæc docet fides Christi, non vt deficiamus, sed vt obsequium exhibeamus, etiam Ethnicis Principibus.

§. VIII.

Romana Ecclesia à cruce, & morte Christi. Vbi quod sola crux valeat cohibere regales animos.

MAle etiam putabant Iudæi, quod si dimitteretur Iesus liber, venirent Romani in locum suum; non enim si dimittitur Iesus, sed si morti datur, si cruci affigitur, Romani Synagogæ locum occupant, quando Ecclesia Romana in Christi viuifica cruce nititur. In cruce erat Iesus Ioann. 19. & videns Mariam, & Ioannem astantes cruci, dicit Mariæ: *Ecce filius tuus*, & statim dicit etiam discipulo, *ecce mater tua*: nec solũ ijs verbis dabat Dominus Mariæ filium, & Ioanni matrem; sed insuper ostendebat, vndè fidelium mater Romana Ecclesia surgeret, & sub quo signo tantæ matris filij parturiuntur, nempè sub signo crucis. Ex quo eleganter D. Ambr. lib. 7. in cap. 9. Lucæ, inquit: *Dicat & tibi de patibulo crucis Christus, ecce mater tua. Dicat & Ecclesiæ, ecce filius tuus. Tunc enim incipis esse filius Ecclesiæ, cum in cruce victorem videris Christum. Nam, qui crucem scandalum putat, Iudæus est, Ecclesiæ filius non est. Qui crucem stultitiam putat, Græcus est ille. Est autem Ecclesiæ filius, qui crucem triumphum putat, qui crucẽ Christi triumphantis agnoscit.* Non sic radiauit Roma sub Aquilis, vt Romana Ecclesia radiat sub cruce: crux est, quæ verã Ecclesiam Synagogæ suffecit, & Synagogã contriuit. Quo respiciens Cant. 8.

Dominus dicit Ecclesię ex gentibus crediturae: *Sub arbore malo suscitaui te; ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Quae verba sic Ecclesiae aptat D. Iustus Orgilitanus: *Sub arbore malo, ò Ecclesia, suscitaui te. In odorifero crucis patibulo, vbi ego occubui, illic te à peccatorum interitu suscitaui, quando te credentem signo crucis praenotare praecipio. Ibi corrupta est mater tua. Vbi tu per meam mortem suscitari meruisti, ibi per suam impietatem Synagoga capta est, quãdo, crucifige, clamabat.* Crux Christi erigitur, & ecce suscitatur Ecclesia Romana, totius orbis mater, & Synagoga contrita cadit. Et quidem sola crux Christi posset sistere impietatẽ Romanam. Hoc signum maternae gloriae agnoscat Romanae Ecclesiae filius, & praeoculos habeat, si velit à cupiditatum praecipitio, à peccatorum morte suscitari, & in gloriam eleuari. Zachar. cap. 14. aiebat: *In illa die erit, quod supra fraenum equi est, sanctum Domino.* Quam prophetiam refert Diu. Ambrosius ad Helenae facinus; de qua dicitur, quod inuenta cruce Christi clauum eius apposuit fraeno equi imperialis Constantini tunc tenentis clauum Orbis Romani. Sed cur Christi clauus fraeno imperialis equi infigitur? Vt ostenderetur Principum appetitus, & libidines nullo alio posse detineri, & coerceri, nisi proposito, sibi ob oculos Passionis Christi simulachro. Pulchrè D. Ambros. de Obitu Theodosij, circa finem: *Sed quaero, quare sanctum super fraenum, nisi vt Imperatorum insolentiam refraenaret, comprimeret licentiam tyrannorum, qui quasi equi in libidines adhinnirent, quod liceret illis adulteria impune committere? Quid ergo aliud egit Helenae operatio, vt fraena dirigeret, nisi vt Imperatoribus sancto dicere spiritu videretur: Nolite fieri, sicut equus, et mulus: sed in chamo, et fraeno maxillas eorum comprimeret? Prona enim potestas in vitio ferebatur, et more pecudum vaga se libidine polluebant, restrinxit eos crux Domini, et reuocauit à lapsu impietatis.* Vna Christi passio ob oculos posita posset potentes homines ad continentiam reuocare.

D. Iust.

Zach. 14

Ambr.

***

Ioan. 11. Vnus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis. Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat.

§. IX.

Eo deueniunt peccata, & perfidia hominum, vt caecitatem faciant, qua saluti necessaria non videantur.

Merito in salutis rebus ignorantiae accusantur sapientissimi Hierosolimitani, quibus dicit Caiphas, *vos nescitis quicquam, &c.* Solet enim, & perfidia, & peccata in eam caecitatem, etiam sapientissimos trahere, qua minime videant, sibi ad salutem necessaria. Hinc 4. Reg. 6. Syrorum exercitus petebat Samuelem sanctum ad necem, qui orauit ad Dominum, vt percuteretur exercitus caecitate, qua percussus sequabatur Elisaeum, donec introiret totus in hostilem, & sibi infensissimam ciuitatem, in qua sese iam mactandos cogitarent. Vndè potuit tanta caecitas obuenire hominibus, vt ipsi sese in ciuitatem hostilem darent? Sane haec caecitas est communis, & perfidis, & peccatoribus hominibus, qui videntes nõ vident, nec sibi cauent ab hostilibus iaculis, D. Ambr. de Obitu Theodosij, ait: *Rogauit Elisaeus, vt percuteret Deus eos caecitate, et percussi sunt, et introierunt in ciuitatem, quo ingrederentur, nequaquam videntes. Audistis certe, quia vbi perfidia, ibi est caecitas. Merito ergo caecus erat exercitus infidelium.* Nescit perfidia non parere caecitatem; vt qui à veritate recedunt, sic caeci fiant, vt nullum caueant periculum perditionis aeternae; nullum videant salutis suae remedium. Et vtinam haec caecitas in solis inueniretur infidelibus, sed, quod indignius est, etiam fidelem hominem peccata sua eò caecitatis impellunt, vt communem omnibus salutis fontem prorsus nesciat. Apud Iudic. cap. 2. dicitur: *Surrexerunt*

Ambr.

Iudic. 2.

runt alij, qui non nouerunt Dominum, & opera, quæ fecerat cum Israel. Ex Hæbræo sic: *Surrexit alia generatio post illos quæ Dominum, & opus, quod fecerat Israeli, non cognouit.* Origines autem legit: *Surrexit generatio alia, quæ non cognouit Iesum, et opera, quæ fecit magna.* Et quidem Iesu filij Naue opera præstita Israelitis adeò clara erant, adeò illustria, vt viderentur in nulla generatione posse obliterari. Sed & opera nostri Iesu filij Dei, quod sanguine suo nos redemit, quod ad regnum vocauit, quod salutis viam patentissimam fecit; hæc, inquã, Iesu opera, quis nesciat? Et tamen surgit in nobis generatio, quæ penitus nos cæcet, ne Iesum, ne tantum salutis fontem videamus. Et quæ est ista generatio? Hæ sunt cogitationes malæ, peccata ipsa, quæ nos faciunt obliuisci vniuersi remedij salutaris. Ait Orig. hom. 2. super Iud. *Generatio illa, quæ non cognouit Dominum Iesum, ista est malarum cogitationum, et pessimarum cupiditatũ, quæ procedit ex corde. Ista est generatio, quæ non recognoscit Dominum Iesum, neque opus magnum, quod fecit in Israel. Vides, quia peccatores eo vsque perueniunt, vt et opus illud magnum, et præclarum, quod fecit Dominus obliuiscantur, quod crucifixus est pro peccatis nostris.* Huc potest peruenire malitia peccati, vt tantam afferat menti humanæ cæcitatẽ, quæ vetet meminisse operis tanti. Eò homines impellunt peccata quotidiana, vt videãtur prorsus obliti esse, quòd Christus Iesus pro illis crucifixus est, quod omnem suum effudit sanguinem, vt illos à peccatis lauaret.

Origen.

Origen.

§. X.

Vt plectantur homines, omnes faciunt creaturæ, vt saluentur homines, vnus facit Iesus.

NOn à Caipha, sed à Spiritu Sancto illud verissimum dicebatur, nimirum, *Expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gẽs pereat.* Et quidem vnus est homo Deus Iesus, qui pro hominibus possit stare, qui salutaris nobis sit; qui autem homines perditioni dedant, multi sunt, sunt creaturæ vniuersæ. Apud Isaiam dicit Dominus, cap. 63. *Torcular calcaui solus, & de gentibus nõ fuit vir mecum.* Quod manifeste apparuit, vt notat D. Athan. vbi fugientibus discipulis ipse solus in mortem ibat pro mundi salute. Quippe ait Athan. quæst. 110. *Est vero omnino solus. Nam solus ipse Christus pro nobis mortuus est, non Angelus, vel senex aliquis, sed ipse Christus seruauit nos, Petrus namque Christum negauit, et ipso passionis tempore cæteri quoq; Apostoli dedêre se in fugam.* Ecce tibi, vt omnes Apostolos permittit à se fugere, & ipse solus in crucem pergit ob mundi salutem. Longe aliter Matth. 19. facit, tunc enim Apostolis dicit. *Cum venerit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis, et vos iudicantes duodecim tribus.* Quin & Sapient. 5. dicit: *Induet pro thorace iustitiam, et accipiet pro galea iudicium certum: sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem diram iram in lanceã, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Vbi in iudicium venit, secum admittit vniuersas creaturas, nullum deesse patitur discipulum, vbi autem ad saluandos per mortem homines accedit, solus ipse manens, Apostolos omnes abire permittit. Cur Domine tot vocas socios, vt iudices, & vt salues, sic solus existis? Ad puniendos homines, quævis apta est creatura, & sic vniuersæ assumuntur: ad saluandum nulla valet creatura, solus id potest Iesus verus Dei filius. Propone tibi ob oculos mulierem adulteram adductam ad Christum accusantibus vniuersis Pharisæis, vbi autem loquitur Iesus: nescio, quid misericordiæ significans Ioann. 8. *Audientes, vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus. Et remansit solus Iesus, et mulier in medio stans.* Vbi iudicium legis expetebatur, multi aderant accusatores, multi iudices; ad verbum Iesu omnes discedunt, & solus Iesus voluit relinqui. Et cur solus voluit relinqui? Non agebatur iam res iudicij, sed veniæ, sed salutis; vbi autem venia danda reis, & salus peccatoris procuranda erat, ne periret, nullus alius dignus, qui interueniret, nisi solus Iesus, vt qui solus fecit, ne homines in perditionem irent. D. Ambr. lib. 7. epist. 58. *Denique discedentibus illis remansit solus Iesus et mulier in medio stans. Donaturus peccatum, solus Iesus remanet, sicut ipse ait. Ecce venit hora, et iam venit,*

Isai. 63.

Athan.

Matth. 19.

Sapient. 5.

Ioann. 8.

Ambr.

vt dispergamini vnusquisq; in sua, & me solum relinquatis. Non enim legatus, neque nuntius, sed ipse Dominus saluum fecit populum suum. Solus remanet, quia nũ potest hoc cuiquam hominum, cum Christo esse commune, vt peccata condonet. Punire norunt creaturæ, & plectere, & accusare; vbi ad veniam, & salutem dandã venitur, non creaturæ, sed Iesus est, qui
Dan. 7. solus nouit tanto operi incũbere. Dan. 7. ait: *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum eius candidum, quasi nix, capilli capitis eius, quasi lana munda::: millia millium ministrabant ei, & decies millia centena millia assistebant ei, iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Hæc dum meditor, sta-
Apoc. 4. tim incido in illa, Apocal. 4. vbi dicit Ioannes se vidisse obsignatum librum: *Et nemo poterat in cœlo, nec in terra, neq; subtus terrã aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum, quia nemo inuentus est dignus aperire librum, nec videre illum. Et vnus de senioribus dixit mihi, ne fleueris. Ecce vicit leo de tribu Iuda aperire librum, &c.* Ecce tibi apud Danielem, libri aperiuntur absque vlla difficultate; vbi enim sedenti in throno millia millium ministrant, statim forsan ab illis apparẽt aperti libri: verum apud Ioannem liber obsignatus est, quem nullus potest aperire, nisi solus agnus occisus. Cur Danielis libros omnes aperiũt, & Ioannis librum, nemo valet aperire, nisi agnus Christus? Quis liber erat iste?
Rupert. Rup. lib. 4. ibi: *Nemo illorum poterat sperare de semetipso, quod tantum, tamq; diuinum poßet exequi salutis mundi negotium.* Ioãnis liber pertinebat ad salutem mundi; quàm exequi nemo alius poterat, nisi agnus occisus, nisi solus Iesus Christus; Danielis libri pertinebant ad iudicium, & peccatorum supplicium, pro quo præstando validissimæ, etiam sunt creaturæ.

Ioan. 11. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius prophetauit. Quod Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.

§. XI.

Christus Dominus per mortem suam arctiori vinculo hominum animas traxit, & sibi vniuit.

ECce tibi, quò spectabat mors Christi, nimirum, *vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*, vt sibi humanos animos aggregaret, vniret. Nũ quam enim efficacius traxit homines, nec arctius, sibi vniuit Christus, quam vbi apparuit moriens pro illis. Id quod notans D. Greg. lib. 6. Moral. cap. 12. in-
D. Greg. quit: *Cum Sacerdotes populi mũdum post Iesum ire cernerent; vt ab illo vim tantæ concursionis abscinderent, finire eius potentiam morte conati sunt dicentes: Expedit, vt vnus homo moriatur, ne tota gens pereat: Sed redemptoris mors ad coniunctionem sui corporis, ideſt, Ecclesia voluit, non ad separationem.* Stultus erat conatus, qui morti tradebat Iesum, vt percusso pastore, dispergerentur oues eius, & in diuersa irent. Non enim ad dispergẽdum, sed ad magis congregandum suum gregem Christi Domini mors valuit.
Leuit. 1. Accipe legem Leuit. cap. 1. *Si autem de auibus holocausti oblatio fuerit Domino: de turturibus, & pullis columbæ offeret eam sacerdos ad altare: & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris: vesiculam vero gutturis, & plumas proijciet prope altare ad orientalem plagam, in loco, in quo cineres effundi solent. Confringetq; ascellas eius, & non secabit, neque ferro diuidet eam.* Itaque ad oblationẽ secari guttur auiculæ præcipitur, non penitus abscindi, quinimò maxime cauetur, ne quid in ea penitus diuidatur, abscindatur. Nec immerito id cauebatur, quando illa oblatio figura erat Iesu occisi, à quo etiam mortuo membra eius non separabantur, sed magis illi cõiungebantur; & ipse illis adhærebat amplius. De quo D. Greg. lib. 6. Mor. cap.
D. Greg. 12. ait: *Per legem turturis in figura nostri sacrificij, secari guttur præcipitur, & non penitus abscindi, vt & post mortem corpori caput inhæreat, quia mediator Dei, & hominum, ideſt, caput nostrum, & vere mediationis hostia, vnde pro nobis mortẽ pertulit, inde nobis verius inhæsit.* Vinculum fuit Christi Domini Passio, quo penes in

separa-

ſeparabiliter, & Deus hominibus alligatur, & homines Deo. Quòſpectans Dominus aiebat, Cant. 7. *Dixi; Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius:* expẽde illud verbum, *apprehendam*, hoc eſt, non leuiter, & perfunctorie capiam palmæ fructus, ſed apprehendam, vt qui fortiter tenet fugientem, ne poſsit elabi. Sic ex quo Ieſus crucem aſcendit, ita fortiter tenuit electos ſuos, vt nequaquã ab illo poſsint in æternum abſcedere. Ante mortem etiam ſuos tenebat, ſed ex Matth. 26. ſufflantibus paſsionis ventis, Matth. 26. *Relicto eo fugerunt*: vel parum reflante turbine, à Ieſu longe facti fuere. Verum vbi Paſsio Chriſti interceſsit, ait vnus eorum ad Rom. 8. Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculũ? an perſecutio? an gladius?* Qui vel leui turbine autea exſufflabantur à Chriſto, poſt eius crucem, ſic agglutinati ſunt illi, vt nulla tempeſtate, nulla vi poſsint diuidi. D. Ath. Quòd notans D. Athan. hom. de ſemente, ait: *Fugerunt quidem â viuo, ſed ita vt pro eodem crucifixo mortem appetant.* Sic illos ſibi adſtrinxit gluten Dominicæ crucis, vt non permitteret amplius illos ſeiungi.

CAP. VLTIM.

De tributo, de mandato maximo, & Reſurrectionis ſtatu.

IER Confligit Dominus, cũ inimicis ſuis, ter triumphat de illis: primò ex imagine, & inſcriptione numiſmatis cõuincit pendendum Cæſari tributum, vt dependi Principi, etiam Ethnico obedientia debet à fidelibus, in ijs, quæ Deo non contradicunt. Ad hæc obmutuere Phariſæi, & Herodiani, hoc eſt. Herodianæ fautores ambitionis: ſed inſurgũt Saducæi vaniſsimi, & reſurrectioni mortuorum irridentes mulierem ſeptemviram in medium producunt, & cui ê ſeptem in ſtatu reſurrectionis copulandam viro perquirunt? Hos ſecundò etiam de triumphat Dominus, vt qui nihil nõ carnale ſapiant, nec magnalia Dei percipiãt, qui minime Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob vocaretur, niſi ſanctorum horum ſpiritus modo fœlices viuerent. Et quis credens animarum æternitatem, corporum reſurrectionem ambigere? Vna erat antiquitus circa animarum æternitatem, & corporis reſurrectionem difficultas, & ſic per illam, hanc euidenter Dominus ad hominẽ (vt aiunt dialectici) confirmat. Vt certũ eſt, quod manent hominum ſpiritus poſt hanc vitam, ſic certum eſt, quôd homines reſurgent non amplius morituri, & indè ſicut Angeli prorſus erũt à nuptijs liberi. Nõ enim aliter Deus ad ſuæ gloriæ titulos, hunc adderet, quòd vocaretur Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, quandoquidem funditus perditi, & redacti ad nihilum ſubditi, non gloriam, ſed calamitatem oſtenderent in Principe. Vix hæc confirmat Dominus, & ecce tertiũ certamen inſurgit, de mandato maximo, & de Chriſto, mandatum maximum in dilectione Dei conſtituitur, & Chriſtus Dauide ſuperior eſſe conuincitur.

Matth. 22. Phariſæi conſilium inierunt, vt caperent eum in ſermone. Et mittunt ei diſcipulos ſuos, cum Herodianis, dicentes. Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo, non enim reſpicis perſonam hominũ. Dic ergo nobis, quid tibi videtur: licet cenſum dari Cæſari, an non?

§. I.

Palatini, Auliciquè, eò ſpectant, vt auſcultent, quæ deferant, & geſtent verba, quaſi delationibus ſuſurrijſq; viuant.

VBi Phariſæi nituntur Ieſum capere in ſermone, mittunt diſcipulos, cũ Herodianis, vt interrogent de ſoluendo tributo; nunquam antea videbis Phariſæos Herodianis vſos, niſi cum vo-

lunt capere in ſermone Chriſtum; quia ad ſermones expiſcandos, deferendos aulici, & palatini viri omniũ ſunt præſtantiſsimi. Quis cogeret Herodis Regis laterones, & veneratores ad Chriſtum ire, niſi meſcati eſſent captura ſperata ſermonis, quem geſtarent, & ſolicite deferrent Principi? Sanè hæc eſt aulicorũ cõditio, & natura, eò aduolare, vbi auſcultent, quod deferant, & delationibus viuant. Ad hæc aiebat, Eccleſiaſtes cap. 10. *In cogitatione tua Regi non detrahas, et in ſecreto cubili tui ne maledixeris diuiti: quia aues cœli portabunt vocem tuã: et qui habet pennas, annuntiabit ſententiam.* Expende quam periculoſum ſit detrahere Regi; etenim *aues cœli portabunt vocem tuam*: quæ cœli aues ſic erunt verborum auſcultatores, & geſtatores, niſi aulici homines? Ij magis garruli, quam aues, eo ſemper aduolant, vndè verba geſtare, & deferre Regi poſſent. Apud Dan. cap. 4. Rex Babylonius ſui imperij effigiem in arbore magna, & procera vidit delineatam: *Et in ramis eius conuerſabantur volucres cœli*: ecce Regiæ arboris extenſiſsimos ramos volucres cœli tenent, hoc eſt, garruliſsimi aulici, & palatini, qui auibus loquatiores, & velociores huc, illucquè diſcurſant, vt auſculta tis ſermonibus incumbãt delationibus. Ait enim ſapiẽter Lyra in præſenti: *Per volucres intelliguntur garruli, et mendaces ad alta tendentes, quia tales ſolent eſſe Principibus laterales.* Quę auis magis garrula, quam viri aulici? Qui & in aere volitant, & altitudini inſidiantur, & mendacijs paſcuntur, & delationibus hinc indè collectis vitam agunt. Proh miſeri Reges, qui harum infeſtarum auium, & garritus obſeruatis, & volatus! De Manaſſe Rege dicitur. 4. Reg. 21. quod inter multa alia mala, quæ fecerat, *& obſeruabat auguria*: Quòd refert Tilmannus in allegorijs ad auium volantiũ obſeruationem: vel quod idem eſt, ad leuiſſimorum aulicorum adulationes. Quid magis ridiculum, quam totam fortunam imperij cõſtituere in auium garritu, dextro ſiniſtrove volatu? Ridemus ſanè totum Romanum auſpicium felicitatis ab auibus volãtibus, garriẽtibusve deſumptum; ſed non ſolis hæc vanitas fuit Romanis; cuncti mundi Principes, & Chriſtiani aruſpices ſunt, dum aulicorum leuiſſimos obſeruant garritus, & eorum fidunt delationibus, & mendacijs. Quid vanius in Principibus? Sunt enim infeſtiſsimæ, & ſiniſtræ aues iſtæ, nunquam non mala audiunt, nunquam non mala nuntiant. De eorum auribus pulchre dicebat Tacitus relatus à noſtro Pineda, in Eccleſiaſtem, cap. 10. *Quod inſtar cucurbitularum peſsimum è carne humorem educentium, peſsimos aliorum ſermones ad ſe trahunt. Sicut quibuſdam in vrbibus portæ quædã nefandæ, et triſtes ſunt per quas educuntur, qui â carnifice necandi ſunt, et ſordes, atque piacula, nihil autem caſtum, et ſacrum per eas intrat, aut exit.* Et vtinam ij hoc ſolum haberent, quòd nihil non malum viderent, & nuntiarent; ſed inſuper habent hoc peſsimum, quod in eorum ore ſemper mala maiora, quàm ſunt, apparent. Accipe de Niniue pœnitentia famam ad Regem delatam; ait enim, Ion. 3. *Peruenit verbum ad Regem Niniue, et ſurrexit de ſolio*: Nihil explicatur Regi narratum, ſed ſolum dicitur peruenisſe ad illum verbum; porro quia peruenerat ſimplex rei, vt erat, narratio. At 2. Reg. 13. vbi Amnon primogenitus Dauidis occiditur: *Fama peruenit ad Dauid, dicens: percuſsit Abſalon omnes filios Regis, et non remanſit ex eis ſaltem vnus.* Ibi ſimplex verbum rei, vt erat ad Regẽ, peruenit: hic ſic creſcit fama, vt vnius occiſio, non vnius, ſed multorum videatur; quia ibi virtutes, hìc crimina narrabantur, & fallar, ſi quando crimina non multo maiora, quàm ſunt, Principibus, iudicibuſque deferantur. Vndè nolo debere illud prudentiſsimum conſilium, quod præbet Imperatori Dion. lib. 52. *Quoniam auſcultatores, et exploratores habere te oportet, quorum ope omnes imperij tui res cognoſcas, ne quid cuſtodia, aut emendatione indigens te fallere poſſet, memento non omnino ſtatim, quæ ab eis referuntur, credenda: ſed diligentem conſiderationem adhibendam eſſe::: Quod ſi enim tardius fidem adhibueris, nullo tuo magno id fiet damno, feſtinando autem fieri poteſt, vt peccatum aliquod irreparabile admittas.* Nunquam non damnoſa eſt facilitas credendi proximi crimina, quando etiam prudentes, & religioſos delatores poſſunt latere circunſtantiæ plurimæ, quæ proximum excuſent.

§. II.

§. II.

Ille ſolus verax debet haberi, qui nihil æliud reſpicit, quam Deum.

EXpẽde conexionem porpoſitionũ; nimirum, *verax es, viam Dei in veritate doces, non eſt tibi cura de aliquo*: quaſi cum ſollicitudine, & cura de aliquo, quod non ſit Deus, nequeat inueniri homo verax, qui viam Dei in veritate doceat. Et ſane; vt materialis oculus, cum eſt aliquo humore in pupillà infectus nequit res repreſentare, vt ipſæ in ſe ſunt, ſed iuxta humoris, quo pupilla inficitur, colorem; ſic homo cupiditate temporali infectus minime ſincerum, & verum iudicium feret de rebus, ſed in omnibus cupiditati ſeruiet. Omnes exuat affectus, omnes curas de temporalibus exuat, & vno impleatur Deo, qui verax cupit eſſe, & viam Dei in veritate docere. Cõponite modo Petrum Chriſti Apoſtolum, cum ipſo Petro: nimirum Petrum ancillæ reſpondentem, Matth. 26. cum Petro Ieſu reſpondente Ioann. 21. Vbi ancillæ reſpondet, quam intrepide mẽtitur, & negat ſe nouiſſe Ieſum: *At ille negauit coram omnibus, dicens; neſcio quid dicis.* Verum vbi Ieſu reſpõdit, ſe ipſum cauẽs ait: *Domine tu omnia ſcis, tu ſcis, quia amo te*: & interrogatus, ſi amaret plus alijs, de alijs prorſus ſiluit. Vndẽ Petrus, tam cautus in ſermone? Vndẽ ſic hæret, nequid neſciens dicat, qui antea ſolebat, tam intrepide mentiri? Sane modo nihil in corde ſuo, in deſiderio ſuo habebat, niſi ſolum Deum, niſi ſolum Ieſum, & ex quo ſolum Deũ reſpicit, habet veritati ſequendæ cautiſ ſimè inſiſtere. Ait D. Aug. ſerm. 24. de Sanctis. *Noluit iterum eſſe mendax, ſufficeret ei teſtimonium perhibere cordi ſuo, non debuit eſſe iudex cordis alieni. Verax ergo Petrus, an verax in Petro Chriſtus? Quando autẽ voluit Dominus Ieſus Chriſtus deſeruit Petrum, et inuentus eſt homo Petrus; quando autem placuit Domino Ieſu Chriſto, impleuit Petrum, et inuentus eſt Petrus verax.* Expende, quid fecit Chriſtus, vt veracem redderet diſcipulum: ait ibi, *impleuit Petrum*, ſic ipſe impleuit Petrum, vt nihil aliud caperet Petrus, quam Chriſtum, ex quo verax inuenitur. Niſi enim quis adeo ſit Deo plenus, vt non capiat in ſe reſpectum aliquem temporalẽ, non poterit verax denotari. Vndẽ ſapienter Ioann. de verbo Dei ait, cap. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Prius eam plenitudinẽ diuinarum gratiarum aſſeruit, quæ omnem excluderet temporalitatem, vt ſic addere poſſet, & plenitudinem veritatis. In illo inueniri poteſt plena veracitas, qui Deo plenus nihil curat, imò nec capit aliud. In quo autem mundiales curæ ſunt, & affectus tẽporalitatis, nec notitia inuenietur veritatis. Pilatus homo mundialis, nil minus reſpiciens, quàm Deum ait Ioan. 19. *Quid eſt veritas?* Vbi Theophilatus ait: *De veritate interrogauit, quid ſit? Forme enim inter homines abolita erat, et ignorabatur ab omnibus.* Dum enim homines ſeruiunt affectibus, & cupiditatibus, temporalibus, quaſi neceſſum eſt, vt longiſsime ab illis veritas abſit. Huc reuoca dicta, tom. 3. lib. 15. ca. 8. §. 13. & lib. 24. cap. 2. §. 7.

Matt. 26

D. Aug.

Ioan. 1.

Ioan 19.

Theophi.

§. III.

Solam veram religionem comitatur ſtudium circa licitas actiones cognoſcendas, diſtinguendas.

IN ijs peſsimis Phariſæis aliquid oſtenditur, quod in ſolis veræ religionis ſectatoribus cernitur; nimirum queſtio illa propoſita circa licitum in re tributi inueniendum; quærunt enim à ſapientiſsimo magiſtro: *Licet cenſum dari Cæſari, an non?* Nunquã enim quæſtiones hæ, de licitis inueniendis in actione humana agitãtur ab eis, qui extra veram religionem degunt. Vel ex hoc capite mihi euidentiſsime patet vera Romana religio, in qua ſimiles quæſtiones crebeſcunt, an liceat, hoc, vel illud; nihilq; fieri ab homine poteſt, quod diligenti examine non exaretur, perque doctiſsimos magiſtros ad amuſsim tractetur. Et Catholicorum hominum tenax liciti conſcientia, & indagatrix recti, tot quotidie libros extorquet à Magiſtris, vt pene orbem repleãt. Sanè in Anglia, & Holandia, & Germania Luterani ſunt mercatores ditiſsimi, ſed qui quærat, & diſputet, de cõtractibus licitis, de reſtitutione facienda, nec vllus inuenitur, nec magiſter;

gister, nec plebeius. Audiui à sapientissimo Patre nostro in Germania agente, nullum vnquam Luteranum hominem quæsiuisse de licito alicuius actionis; nullus est apud has pestes magister, qui de moralibus curet doctrinam, nec de cauendis illicitis sit sollicitus. Pulchrè de Manichæis matrimoniũ abiurãtibus aiebat D. Gaudentius, tract. 8. *Quod Manichæis perditis adeò displicet matrimoniũ constitutum: illis ego ob immunditiam suã puto, non vtiq; rem nuptiarum displicere, sed legem, quæ non multas fœminas vni viro, neque vnam fœminam multis viris, sed etiam vnam fœminam vni viro cõiungit.* Non persequebantur Manichæi matrimonium propter amorem virginitatis, sed propter odium honestæ temperantiæ, quam afferebat matrimonium Christi. Sic similiter de omnibus hæreticis dici potest, quòd persequuntur Ecclesiam Romanam, & omnia sacramẽta diuina, non propter amorem veritatis, sed propter odium moralis disciplinæ. Et vnà cũ Romana Ecclesia omne studium, & curam in quærendo, quid liceat in singulis actionibus, abijciunt. Luc. 6. antequã Dominus hominis manum aridam curaret, ait ad Scribas, & Pharisæos: *Interrogo vos, si licet Sabbathis benefacere, an malè? Animam saluam facere, an perdere?* Et Marcus, cap. 3. ait. *Illi autem tacebant,* Ecce tibi garrulissimi aliàs homines, vbi ad quæstiones accedunt de licitis operibus faciendis, prorsus obmutescunt. Quod notans D. Athanas. hom. de semente, ait: *Cum nugandum est, magnas nugas dicunt: cum calumniandum, altissimè vociferantur: tolle, tolle, homo iste hæc & illa designauit: cum autem quæritur, bene, ne an malè facere liceat, silent.* Hoc est hæreticorum ingenium; pro Grammaticorum particulis, prostruendis calumnijs, contentionibus altissimè vociferantur: cum autem quæritur, bene, ne, an malè facere in conscientiæ foro liceat? prorsus silent: quasi ad illos nulla honestatis cura pertineat.

D. Gau.

Luc. 6.

Marc. 3.

D. Ath.

Matth. 22. Cognita autem Iesus nequitia eorum ait. Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi nummisma cẽsus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: cuius est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis; Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei Deo. Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt.

§. IIII.

Parua Dei ira peccatoribus in præsenti exhiberi solet, quæ nisi proficiat, ingentem, & ineuitabilem furorem parit.

QVi flagello sumpto mensas nummulariorum in templo subuertebat, nunc in subdolos tentatores, & insidiatores eius vitæ iratus, solùm ait; *Quid me tentatis hypocritæ?* Non gladio, non fulmine, non flagello, sed verbulo solo ferit eos, quos nouit suæ vitæ rabidissimè, impudentissimèque insidiari. Cur Domine non magis iraseeris in homines pessimos? Cur cum tibi cognita est adeò magna illorum malitia, in eos ostendis iram adeò paruam? Parua quidem ostenditur Dei ira, sed quæ nisi proficiat, & magnam, & prorsus in comportabilem iram trahet. Sic paruæ iræ diuinæ, cum non proficiunt, in durissimas, & ineuitabiles iras commutantur. Exod. 7. dicit: *Tulitq; Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Expendi quale telum assumat Aaron aduersus potentissimum, & nefarissimum, & obduratissimum Pharaonẽ, nimirum; *tulit Aaron virgam.* Simplici, & parua virga armatur aduersus Pharaonem: & quid metuat nefarius Rex virgã aduersus se strictam? Cur non magis ei igneus gladius ostenditur? Est in parua illa virga, non paruum maximi damni argumentum: quando non proficiens virga secũdùm se, in horribilem draconem conuertitur, qui effugi nequeat. Ad hæc D. Bruno, apud Tilmannum, in Allegorijs fatur: *Venit Moyses ad Pharaonem non cum gladio, sed in virga. Vndè si pœnitere voluisset, facilem ad ignoscendum Deũ per hoc cognoscere poterat. Sed quia pœnitere noluit, in colubrum virga conuertitur, vt maioribus dignus supplicijs, maioris*

Exod. 7.

D. Bruno.

correctionis tormenta se expectare intelligat. Et ideò, qui virga non corrigitur, draconi, ideſt, Diabolo traditur. Huc peruenit ira Dei parua à peccatoribus contempta; virga mutatur in draconem, & leuis calamitas, quæ leui manu poterat amoueri, ſi non amoueatur, eam calamitatem excitat, quæ funditus miſeros perdat. Aiebat Pſalm. 17. *Aſcendit fumus in ira eius, et ignis â facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Pſal. 17. Expende diuinæ iræ præludium, nimirum *aſcendit fumus in ira eius*: non ignis, non flamma vorans, ſed fumus aſcendit perterrefaciēs: ſed quantum malum eſt, quòd fumus aſcendat? Sanè parua ira eſt aſcenſio fumi, ſi ſecundùm ſe conſideretur: at ſi aſcenſio fumi contemnatur, deſpiciatur, horrenda, & irreparabilia poſt ſe affert incendia. Amica eſt perturbatio à fumo aſcendente orta, dum non cōtemnitur, at contempta flammarum vortices offert nullo modo effugiēdos. Rem adhuc illuſtro militari exemplo; ſolent vigiles, & ſpeculatores, vbi hoſtiles exercitus aduentare cernunt, fumos excitare, quibus commonefaciunt ſuos de periculo imminenti. Cùm fumi aſcendunt, commouentur vniuerſi, turbantur, ſed de turbatione fumi, hoc educunt emolumentum, quòd ad arma confugiunt, & fortiter hoſtiles incurſus propellunt. At ſi dum fumus aſcendit, deſpiciūt ſignum, rati nihil eſſe præterea, quid tunc? Hoſtes accedunt, æra tonant, & fulgurant, imò ardentibus plumbis fulminant vniuerſa. Eu quàm damnoſè fumi ſignum contemnitur, cui neceſſum eſt, vt horrēda fulmina ſuccedant. Aſcendit equidem fumus in ira Dei; eam Dominus aduerſus nos calamitatem excitat, quæ nō magna eſt, ſed parua; verùm nulla calamitas à Deo, vt parua conténenda: ſunt enim paruæ calamitates fumoſa ſigna eleuata à Deo, poſt quæ, ſi contemnātur, innumeri malorum exercitus venient, qui nefarium peccatorem in carbones, & fauillas conuertant. *Sic aſcendit fumus in ira eius*, & poſt hæc; *ignis â facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt â Deo.* Poſt fumum contemptum ineuitabiles reſtant flammæ: & tota magnitudo integra pœnarū. Quò aſpiciens Pſal. 74. ait. *Calix in manu Domini, vini meri, plenus mixto, et inclinauit ex hoc, in hoc, veruntamen fæx eius non eſt exinanita.* Pſal. 74. Ecce tibi iræ diuinæ calix inclinatur, & aliquid ſui effundit, ſed tamen, quod acerbiſimum eſt, hoc non exinanitur, imò integrum ſemper manet in omni acerbitate ſua. Et cur dum aliquid effunditur irę, maior acerbitas cōſeruatur integra, niſi vt ſciatur, quia contemptor paruæ iræ, totam irarum plenitudinem in ſe recipiet? Ait D. Nazian. orat. de Plaga grandinis: *Ex ſeueritate quidem gratiam ijs inclinat, qui metu erudiūtur, et ex parua calamitate concipiunt, ac morum correctionem parturiunt, fœcem autem, hoc eſt, id quod in ira extremum eſt, aſſeruat, vt eam totam in illos effundat, qui benignitate minimè ſanantur, imò obdurātur.* Nazian. Qui ex parua calamitate morum correctionem parturiunt, gratiam inueniunt, & inclinationem diuinam; vbi autem ex parua calamitate nihil proficiunt, quod extremum eſt, & ſummum in diuina ira, ſibi aſſeruatum patiuntur. Væ qui ad paruā Dei iram non expaueſcit, nihil enim grauius eſt, quàm vel in paruis imminentia magna non præſentire. Vt dicat Nazian. vbi ſupra: *Grauia quidem hæc ſunt, ac pluſquam grauia, quandiu præſentia ſola moleſtiam afferunt, nec atrocioris plagæ ſenſus mœrore adhuc animum pulſat.* Nazian. Pluſ quā graue eſt nullo atrocioris plagæ imminentis ſenſu pulſari, quandiu huius temporis leuioribus moleſtijs afficimur: & quòd in leui moleſtia, non diſcamus cauere magnam, quæ imminet.

§. V.

Regius ſplendor inde commendatur quòd tributa non ſint nimia, & exceſſiua.

NOn otioſè, vt notat D. Chryſoſt. in re tributi vſus eſt Dominus verbis illis: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, non ait, *date*, ſed notanter dixit, *reddite*: vt innueret, vndè magis debeat commendari regius ſplendor, nimirum ex eo, quòd ad debiti menſuram tributū velit exigere. Ne quid exceſsiuum, aut nimium expectet, ſed iuxta id quod ipſe præſtat Princeps, ſperet reddi ſibi â ſubditis. Illa erat Nabuchodonoſoris gloria, Dan. 4. *Magna arbor, et fortis, et proceritas eius contingens cœlum: aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ. Folia eius pulcherrima, et fructus eius nimius, &c.* In folijs arboris laudatur pulchritudo, in fructu non laudatur, cur cū Dan. 4.

Regiæ

Regiæ arboris folia pulchra dicantur, eiusdē fructus minime dicitur pulcher, sed nimius? Arboris Regiæ fructus, sunt vectigalia, & tributa à populis reddita, quę vbi nimia sunt, & excessiua nullum regium decorem desinunt perseuerare.

Theod. Ad hæc Theodoretus fatur: *Polia vocat decus illud, quod conspiciebatur in veste, et throno, et Regijs, et scutatis, hastatis, satellitibus, ac stipatoribus corporis. Fructum vero, tributum, quod vndiq; ei afferebatur. Idcirco autem, multum fructum, non autem pulchrum dixit, neq; enim iuste impositum erat.* Non pulchritudo, sed dedecus apparuit, vbi tributa nō ad mēsuram debiti exigebantur; vt vectigalia Principi soluta excessiua sunt, nec iure debentur, sic accipientem deturpant; quando tota Regia pulchritudo in eo stat, quōd vltra, sibi debita non requirat amplius. Hinc de Rege Christo aiebat Psaltes: *Dominus regnauit, decorem indutus est, induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se.* Ante fortitudinem Regiā, decorem, & pulchritudinem induere Rex noster curauit, & vt fortis ad debellandos hostes, sic decorus, & pulcer ad alliciendos animos apparuit. Sed vndè sic pulcher, vt fortis ad debellādos hostes, nisi quia nihil iniuste accepit, nihil vnquam supra mensuram debiti, sibi tyrannice postulauit? Do Augustinum, in

Augustin. Psalm. 44. pulchrè fantem: *Pulcher ergo Rex noster in cœlo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentū, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens. Ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehendes iniustum.* Cū iniuste ablatis cadit tota pulchritudo Regis: quæ tunc stat, cum nihil à subditis exigit, nisi ad debiti mensuram, quæ in principibus sumitur, non pro pompa regalis familiæ: sed pro indigentia vera communis muniminis. Vndè Habacuc

Habac. aiebat Principibus, cap. 2. *Sic erit vir superbus, et non decorabitur: qui dilatauit, quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors, & non adimpletur: et congregauit ad se omnes gentes, et coaceruauit ad se omnes populos. Nunquid non omnes isti super eum parabolam sument, et loquelam ænigmatum eius: et dicetur, væ ei qui multiplicat non sua? Vsque quo, et aggrauat contra se densum lutum?* Hæc posteriora, sic

Theophi. sonant ex Græco apud Theophilactum: *Et solide ponderosum reddit colli sui ornamentum.* Expende in primis illud superbissimi Regis, & gentes, & populos sub se habentis insigne; *non decorabitur*: à nationibus à populis adoratus, totus inter frequētissima Regna aureus effectus, nullum decorem exhibebit, nullam pulchritudinem. Quin potius in illum populares blasphemiæ, dicteria, satyræ, carmina famosa vndique insurgent. Cur hoc? Quia multiplicat non sua, quia nō iuxta mēsuram debiti exigit tributa, sed solide ponderosum reddit colli sui ornamentum; exigit non pro debiti muniminis Regnorum, sed pro ambitiosi ornatus sui, & splendoris cumulo, Theo- Theophi.
philactus, ait: *Hæc canent lamentantes Babylonium: væ qui nihil se decētibus manum injecit: et colli sui ornamentum, siue onus imperij sui grauius constituit subditis suis, quod grauia tributa, et vectigalia imponat.* Quot Satyras, quot famosa poemata, quot turpes inscriptiones, quot libros plenos iniurijs excitat in se, qui nulli decēti operi pro Regni munimine manus imponens, ornatus sui ambitionem extollens noua in dies vectigalia, noua indicit tributa? Quam regaliter aiebat Athalaricus Rex Præfecto Siracusano apud Cassiod. 10. var. 24. inquiens: *Prima* Cassiod.
fronte pro reparatione murorum pecuniæ diuersis prouincialibus dicuntur extortæ, cū tamen nulla ex inde surrexerit promissa constructio. Hoc si constat admissum, aut muri exinde pro eorum munimine cōstruantur, aut vnusquisque recipiat, quod ei probatur incompetenter ereptum. Nimis enim absurdum est, spondere munitiones, & dare ciuibus execrabiles vastitates? Quæ mens regalior? Quæ considera tio Regis dignior?

§. VI.

Dei spiritus non effigiebus, & adumbratis imaginibus, sed veris, & solidis virtutibus nititur.

MErito Dominus à Dei donis, Cæsaris donaria distinguit, quia hæc de Cæsaris adūbrata imagine valorem videbantur recepisse. Non enim, quæ Deo debentur, de adumbratis figuris, & imaginibus, sed de veris, & solidis virtutum operibus valorem accipiunt.

Mun-

Mundialibus tyrannis dentur figuræ, dẽ tur imagines, & apparentiæ; at qui velit dare Deo, quod ſuum eſt, omnes ablegeт à ſe apparentes figuras, veriſq; & ſolidis inſiſtat virtutibus. Iacob Gen. 31. ſententia mortis damnat domeſticum ſuum apud quem idolorum Labani inuentæ fuerint imagines; Quid tunc? Labanus tota ſedulitate in Iacobi domo ſuorum idolorũ perquirit figuras, quæſitas nullas inuenit, *ſic deluſa ſollicitudo quærentis eſt.* Vanè enim in domo Iacob quæruntur imagines, quãdo, qui Dei impletur ſpiritu, non figuris, non imaginibus, ſed veris, & ſolidis virtutibus nititur. Ait D. Amb. lib. de fuga ſæculi, cap. 4. *Virtutibus velut gradibus, quibuſdam mens Iacob aſcendit in cœlum, et Dei ſecreta cognouit, et confirmatus eſt, et repletus, vt Labã ſcrutans domum eius, nihil apud eum inane, nihil vacuum reperiret, nulla ſimulacra, nullam effigiem vanitatis. Non enim apud eũ erat imago, ſed veritas: non effigies ignaua, ſed ſolida forma iuſtitiæ, et veræ virtutis expreſsio intelligibilis.* Hoc ſolum inueniri debet in domo iuſti, quod veri, ſolidiq́ue eſt expreſsiuum; quidquid in ſola imagine, in ſola apparentia tranſit, longe abeſt ab homine pleno Dei virtute. Cauebat lex diuina, Deuth. 33. apud Amb. in exhortation. ad virgines: *Date Leui veros eius, date Leui ſortes eius*: quaſi ab eis, qui Deo, & Ieſu Sacerdotum Principi ſacrati ſunt, prorſus excludat quidquid fictũ, & apparens ſit: & ſolùm permittat eſſe ſolidum, & verum. Date, ait, Leui veros eius; quaſi dicat, non fuco aliquo, ſeù apparẽti ſimulacro, ſed vera, & natiua forma virtutum vigeat, qui ſummo ſacerdotum Principi Ieſu offerendus eſt. Sic D. Amb. ibi: *Date ergo vero illi Leui, illi ſacerdotum Principi, vero Aaron, vero Melchiſedech veros eius, quales ipſe condidit, non quales ſæculi huius vſus efficit; vt opus ſuum in vobis integrum recognoſcat.* Nihil Deo, & huius mundi figuræ commune: in mundo quidquid præterit, figura eſt, imago eſt inanis, apud Deum ſoliditas, & veritas in pretio ſunt: euanidas fugiamus figuras, & ſolidas, & veras Deo offeramus virtutes, quales ab illo in nos profectæ ſunt. Hinc enim cenſentur, qui habent in ſe Dei ſpiritum, Prouerb. 11. dicit: *Impius facit opus inſtabile: ſeminanti autem iuſtitiam merces fidelis*: Ex Hæbræo legitur. *Impius facit opus mendacij: ſeminanti autem iuſtitiam merces veritatis.* In impio nihil ſolidum inuenitur, nihil non apparens, & mẽdax: in iuſto autem, iuſtitiam colẽte, ad Deũ ſpectante, ibi merces veritatis, vt qui ſolis veris, & ſolidis nititur. Ex quo Caietanus ibi fatur: *Experientia quotidiana teſtatur, quòd impij opera falſitatis plena ſunt, vtpote fallacia fraudis, et doli copiã ſecum ferentia. Contra vir ſeminans iuſtitiam verbis, et factis, ſtipendium ſibi, et alijs parit veritatis.* Nec vana eſt hominis iuſti notio, quòd vmbras abigat, quòd minimè in ſe admittat inanes rerũ imagines, ſed ſolùm ſciat in ſe repræſentare veritates. Quò reſpexit Dominus, Cant. 5. oculos ſponſæ aſſimilans colũbis, *quæ lacte ſunt lotæ.* Et cur lotæ lacte? Rem tradit notiſsimus in hac re Niſſe. hom. 13. in Cant. *Res omnes, quæ humidæ naturæ ſunt, ad ſimilitudinem ſpeculorum ob læuitatem ſuperficiei faciunt, vt inſpicientium in eas viciſsim ex ipſis imagines reluceant. In ſolo autem lacte huiuſmodi ſimulacrorum expreſsio locum non habet. Quo fit, vt hæc oculorũ Eccleſiæ ſit laus, quod nihil, quod non ſubſiſtat, nihil vanũ præter ipſam rerum veritatem repræſentent.* Sic ablegantur à iuſtis omnes euanidę imagines, & ſolum quod verum eſt & ſolidum in illis commendatur. Ad hæc addenda ſunt dicta tom. 3. lib. 14. c. 17. §. 21.

Gen 31.

Amb.

Deut. 33

Amb.

Prou 11

Hebr.

Caiet.

Niſſen.

§. VII.

In mundialibus nihil ſolidum, & verum, ſolæ apparentiæ bonorum, & euanidæ imagines.

CÆſaris imagines in denarijs notatas, Cæſari tradi iubet Dominus, vt cui proprium erat, nihil habere, nihil poſsidere in veritate, ſed in imagine. Quidquid enim apud mundiales auditur, aut viſitur non ſolidum bonum eſt, ſed inane, & velut boni quædã effícta imago, ex inſcriptione nota, non ex veritate. Omnes illæ vrbanitates, & nobilium cultus, quibus præſtantes viri extolluntur, prædicantur, nihil de veritate habent, ſed de pictura, & ambientiũ arte. Hinc Dominus aiebat Luc. 22. *Qui poteſtatẽ habent benefici vocantur.* Expẽde, non dixit, quòd benefici ſint, ſed quòd benefici vocãtur, quidquid enim de illis prædicatur: non de veritate, ſed de fictione venit ambientium, & adulã-

Luc. 22.

D. Bern. tium. D. Ber. ser. 3. de Ascens. *Quam pauci euadunt, quibus non dominandi libido dominetur? Hinc est, quod benefici vocantur, qui potestatem habent, hinc quod laudatur peccatum in desiderijs animæ suæ. Potentibus siquidem omnes adulantur.* Beneficentia Principum nõ veritas est, sed fictio adulãtium; est meretricia quædam prodigalitas cum beneficentiæ inscriptione afficta ab illis, qui ambiũt. Solum sunt in mundialibus spectra quędam, & simulacra bonorum, cum virtutum inscriptionibus profectis ab arte adulandi. Dicebat Abacuc, cap. 1. *Et facies hominis, quasi pisces maris.* Non absimiles sunt homines piscibus in profundissimo pelago habitantibus, sed merito piscibus assimilãtur homines, de illis enim ait Nazianzen. Carm. ad virgines.

Abacuc.

Nazian.

Vt Sol in nitidis, Phæbeq́, et sidera Lymphis,
Piscibus irradiant, quamquam non illa, sed vmbras,
Vanaq́ prospiciũt veri simulacra remoti,
Lætãturq́ vmbris, et imagine lucis inani.

Videmus quidẽ cęlestia astra in aquis, tanquam in speculis repræsentari, adeò vt mare secum videatur habere Solem, Lunam, & stellas, ad quas currunt pisces tanta astrorum pulchritudine delectati: & imaginibus, simulacrisq́ue astrorum, altiora, verioraq́; ignorantes prorsus gaudent. Sic homines in mundiali pelago, velut pisces nantes ad solas currunt imagines, & simulacra, nihilquè lucidum, & præclarum in illis apparet, quod verum sit, & solidum, sed innane verorum simulacrum. Merito dicebat Paul. 1. ad Cor. 7. *Præterit figura huius mundi:* quidquid enim in mũdo visitur, figura solum est, & inane simulacrum; quod mundialissimus Regum Salomon fassus fuit illis verbis Ecclesiast. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Ex quibus ait D. Chrys. epist. ad Eutropium: *Hunc versiculum, si saperent, qui in potestate sunt, in parietibus omnibus, et in vestibus scriberent, in foro, in domo, in ianuis, in ingressibus: et ante omnia in conscientijs suis, vt semper eum oculis cernerent, & corde sentirent; quoniam quidem multæ sunt rerũ facies, multæ imagines falsæ, quæ decipiunt incautos.* Imagines sunt, & inania simulacra, quæcumq́; ad gloriam faciunt mundanam. Vnde sapiens Rex Dauid, Psal. 38. clamabat: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorũ, qui est, vt sciam, quid desit mihi.* Sic sanctissimus Rex sollicitus erat, vt sciret numerum dierum vitæ temporalis. Absit: imò sciens in temporalibus nihil esse solidum, nihil verum, sed omnia in imagine transire, notanter petit scire *numerũ dierum, qui est:* hoc est, qui vere sit, qui non in imagine pertranseat, sed in veritate maneat, & existat. De temporalibus iam nouerat, quod in potẽtatibus octuoginta anni soleãt prętercurrere, sed quia eos nõ tam dies, quàm dierum imagines putat, illum diẽ scire cupit ęternitatis, qui & vere est, & vere existit. Adhęc D. Amb. lib. 1. officior. cap. 48. *Dies illos requirit vitæ æternæ, qui sunt, non qui prætereunt, vt cognoscat, quid sibi desit, quæ terra sit repromissionis, perpetuos fructus ferens, quæ prima apud Patrẽ mansio, quæ secunda, quæ tertia, in quibus pro ratione meritorũ vnusquisq́ quiescit. Illa ergo nobis expetenda, in quibus perfectio, in quibus veritas est. Hìc vmbra, hìc imago, illic veritas.* Misere fallitur, qui in mũdialibus aliud, quam vmbras, quã imagines putat esse; tantum tollantur larualia bonorum simulacra, & nihil prorsus remanebit. Vndê erat ille clamor propheticus, Psal. 72. *Domine in ciuitate tua imagines illorum ad nihilum rediges.* Non dicit ipsos destruẽdos tyrannos, & à gloria eliminandos, sed tantũ eorũ imagines, quia si mũdialibus laruales figuræ auferãtur, nihil eorũ manet. A mũdo fugiat, & ad Deũ confugiat, qui à laruali figura amat recurrere ad veritatẽ. Ps. 36. *Spera in Domino, et fac bonitatẽ, et inhabitaterrã, et pasceris in diuitijs eius.* Vbi Hieron. *Et Pasceris veritatem.* De Deo enim solum venit, quod homo, & veris, & solidis pascatur. Vide lib. 17. §. 14.

1. Cor. 7.

Eccle. 1.

Chrysost.

Psal. 38.

Am. 1.

Psal. 72.

Psal. 36.

Hier.

Matt. 22. In illo die accesserunt ad eum Saducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogauerunt eum, dicentes: Magister, Moyses dixit, siquis mortuus fuerit, non habẽs filium, vt ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semẽ fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres: & primus vxore ducta defunctus est: & non habens semen, reliquit vxorem

vxorem suam fratri suo. Similiter secundus, & tertius, vsque ad septimum. Nouissime autem omnium, & mulier defuncta est. In resurrectione ergo, cuius erit de septem vxor? Omnes enim habuerũt eam.

§. VIII.

Spes præmij, & supplicij metus continent homines in virtute.

AVdaciores, & impudentiores apparent Sadducæi isti, quàm Pharisæi fuère; illi per se tentare Iesum erubescentes, & discipulis, & Herodianis rem committunt, Sadducei autem nihil erubescunt, sed ipsi audacissime accedunt; in quibus enim non erat resurrectionis, nec immortalis vitæ fides, non miror, quod impudentiores, & audentiores inuenirentur: quando spes æterni præmij, vel supplij metus solet homi-
Matt. 13 nes in virtute continere. Matt. 13. *Simile est Regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.* Nec immerito euangelica prædicatio sagenæ comparatur, vt homines ad cœlestes virtutes trahat, & extrahat ab amarissimo mari peccati. Sunt enim in sagena duo funes; alter inferius quasi reptat; superius secus supernatat: quibus gubernata sagena, orbat piscibus mare, & littora facit piscibus redundare. Quid plura? Dum ij quasi duo funes tenduntur, alter, qui ima tangat, nimirum metus suppliciorum æternorum; alter, qui de sublimi feratur, videlicet spes cœlestis thesauri, fallar, nisi homines ad virtutes sequendas, & amplectendas ca-
D. Pasc. piantur. Aiebat D. Paschas. lib. 7. in Matth. *Trahitur hæc sagena duobus cõnexa funibus per medium hoc mare, â summo vsq; deorsum extensa sursum siquidem spe super omnes fluctus sæculi vehementer erecta, & firmata: deorsum vero vsque ad ima timore diuini iudicij demersa.* Quis sagenam Dei fugiat ijs timoris, & spei æternorum funibus tractam? Vel quis, & supernam coronam, & infernam flammã
Ose. 14. videns non in virtute cõtineatur? Oseæ 14. ait Dominus: *Ero quasi ros Israel, germinabit sicut liliũ, et erumpet radix eius, vt Libani.* Duo ponit, quæ maxime faciebant ad commendationem Israelis, & quæ illi accidebat ex gratia diuina, nimirum quod instar lilium sese attolleret versus cœlũ: & quod sicut radix proceræ arboris Libani, sese in ima deprimeret. Dum enim homo ad cœlestes coronas videndas attollitur, & in ima suppliciorum demergitur, & in fructu, & in securitate procerissimas arbores æmulatur, quæ iacto ad cœlum vertice, & radicibus in ima iactis, fructuum plenæ ridẽt tempestates. Ab hæc D. Hieron. in præ- D. Hier.
senti aiebat: *Cum creuerimus in domo Domini, mittemus radices sicut arbores Libani, quæ quantum in auras consurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, vt nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant.* Et vertex in astra sublatus, & radix inferne demersa conferunt arbori aduersus tempestatem firmitatem; sic homo vbi spectet superna, timeatque inferna immobilis à virtute manebit. Liceat hanc similitudinem ex Vir- Virgilio
gilio etiam mutuare, qui Ænæid. 4. fatur.

Et veluti annosam valido cum robore quercum
Alpini Boreæ, nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant: it stridor, & altæ
Consternunt terram concusso stipite frondes,
Ipsa hæret scopulis: & quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice ad Tartara tendit.
Haud secus, &c.

Itaque radix ad Tartara tendens, & vertex ad Æthera faciunt arborem sic hærere immobilem, vt nulla violentia possit deturbari; ne minorem immobilitatem à virtute putemus esse in homine, qui simul scit hæc duo in se repræsentare, nimirum, quod & alta cœlestium præmiorum mente teneat, & simul quasi radicem mittat vsque ad Tartara, damnatorum supplicia contemplatus.

§. IX.

Resurrectionis certissima, fides coniugijs debet ponere modum.

DE septenis imperatis nuptijs à diuina lege arma sumunt aduersus re-

surrectionē inimici resurrectionis, nec miror quòd homines ignorantes, & carnalissimi impingerent ad hūc scopulū: & quod toties iteratæ nuptiæ à malè sanis oculis absconderent lucidissimum diem resurrectionis. Fides enim resurrectionis ex se, & nuptijs, & coniugali licentiæ solet ponere modum: imò incorruptum, & virgineum statum repræsentare. Nullis ferè verbis exprimitur resurrectionis status, quæ incorruptibilitatē non sonent, & nuptias ablegent. Ait D. 1. Pet. 1. Petrus, in 1. epist. 1. *Benedictus Deus, et pater domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam per resurrectionē Iesu Christi ex mortuis. In hæreditatē incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conseruatam in cœlis in vobis.* Ecce resurrectio Christi gloriosa, nobis communicanda, quid proferat, nimirum hæreditatem incorruptibilem, incōtaminatam, & immarcescibilem: quasi nihil sit in fœlicissimo illo resurrectionis statu, quod virgineum decus non afD. Hier. ferat. Ad hæc D. Hieron. lib. 1. aduersus Iouinian. ait: *Vbi incorrupta prædicatur hæreditas, et immaculata, et immarcescibilis, et præparata in cœlis, et in tempus nouissimum reseruata, et spes vitæ æternæ, quando non nubent, neq; nubentur, ibi alijs verbis virgininitatis priuilegia describuntur.* Totum sanè, quod est illius glorioss simi resurgentium status, puritatem, integritatem, & virginitatē halat; nec vix sinitur mens humana pudicitiam, & integritatem non meditari, vbi resurrectionis statum præ oculis habet. Quod idem 1. Pet. 1. Petrus asserebat epist. 1. c. 1. aiens: *Qui per Iesum fideles estis in Deo, qui suscitauit eum à mortuis, et dedit ei gloriam, vt fides vestra, et spes esset in Deo. Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, &c.* Expēde ad quid dicat nobis proposita Iesu à mortuis resurrectionem, nimirum, vt spes nostra esset in Deo, animas castificantes; quasi castitas interna in primis veniat in mentē omnibus spectantibus, & sperantibus statum resurrectionis. Quò etiam spectat Ioan. epist. 1. Ioan. 1. cap. 3. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est.* D. Augusti. August. ibi tract. 4. legit: *Et omnis, qui habet hanc spem in eo, castificat se, sicut et ille castus est.* Quæ est tanta spes, qua homo se castificat, & in castitate curat assimilari Iesu? Illis verbis explicat, *cum apparuerit, similes ei erimus*, quæ Tertul. li. de resurrect. carnis, explicat de apparitione glorioſa Christi in regeneratione, quam Christo similem omnes beati cōsequentur. Et quidem quicumque hanc spem habet, quod vbi Christus gloriosus apparuerit à mortuis excitatus, similiter, & ipse apparebit; nil prius intendit, quā castificare se ipsum, vt incorruptionem, & integritatem corporis illius fœlicissimi status æmuletur. Resurrectionis gloriam promittens discipulis suis dicebat Dominus Matth. 26. *Non bibam de hoc* Matt 26 *genimine vitis, donec bibā illud nouum vobiscū in regno patris mei.* Ecce vobis promittit nouum vinum bibendum in regno patris: & quale hoc vinū nouum erit? Proh Deus immortalis vinū nouum propinas tuis discipulis? In vino est luxuria, vt testatur Salomō, cur ergo vinum tuis promittis? Vide quale vinum promittat, ait enim Augusst. quæst. in Euang. 43. Augusti. *Quid enim aliud nouum vinū, nisi immortalitatem renouandorum corporum intelligere debemus? Quod cum dicit vobiscum bibam: etiam ipsis resurrectionem corporū ad induendam immortalitatem promittit.* Non qualecumq; vinum promittit, sed vinum quod referat corporū resurrectionem, vbi autem in vino corporum resurrectio exprimitur, non luxuriam, sed castitatem, sed puritatem, sed virginitatem generat tale vinū. Huc refero verba D. D. Hier. Hier. lib. 1. ad Iouin. *Hoc est vinū, quod cum ebriauerit adolescentes, et puellas, statim virginitatem sitiunt, et in crapulam castitatis eructant, et expletur illud vaticinium Zachariæ: Quid est bonum eius, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* Sane de calore noui huius musti expressi in prelo crucis, quod corporum renouationem, & immortalitatem figurat, quisquis habet, & castimoniam, & virginitatem sitit: quod si nuptiali thalamo virginitas fuerit amissa, status resurrectionis maxime cōtradicit secūdis nuptijs. Quod argumentū bene attigit Tert. Tertull. in malo, lib. de Monogamia: vbi inquit: *Si autem in illo æuo, neque nubent, neque nubentur, sed erunt æquales Angelis: non ideò, non tenebimur coniugibus defunctis, quia non erit restitutio cōiugij. At quin eo magis tenebimur, quia in meliorē statū destinamur, resurrecturi in spiritualecōsortiū, agnituri tā nos metipsos, quā nostros.* Tenetur quis ab alio cōiugio abstinere, vbi

scit

scit coniugem, & viuum, & diuitem ab Indis rediturũ, & non probro dem, quod sciat quis cõiugem in cœlesti Regno inueniendum quatuor dotis gloriæ insignem, & nihilominus det operam nouis nuptijs?

§. X.

Durissima ea lex, quæ cogit in secundas nuptias.

MOysis legem adducunt, isti tanquam præstantissimam, quæ defuncto marito sine liberis, cogebat vxorem in secundas fratris defuncti abire nuptias. Quid durius? Sane incomportabile iugum putabatur ab Apostolis lex Moysis, & vel solo ex isto capite incomportabile iugum erat. Quis non durus, & ferreus absolutũ à vinculis cogat iterum ire in vincula? Quis alligatus catena vna, amet alligari pluribus? Iacob præstantissimus vir dum sub patrui Labani seruitio premitur, soliusRachelis amabat nuptias, sed circũuenitur à Labano priusLiæ nupsit, Gen. 29. vt postmodum etiam traheretur in Rachelis amplexus expetitos. Ecce prudẽtissimus vir fit bigamus: sed hoc illi accidit non ex propria electione, sed ex dolo, & circumuẽtione Heri durissimi. Ex quo sapiẽter D. Hieron. lib. 1. aduersus Iouinian. inquit: *Si autem duas bigas vxorum, & concubinarum habuit Iacob, & non vult aduersarius acquiescere, lippientem Liam deformem, atq; fœtossam Synagogæ typum prætulisse. Rachel vero pulchram, et diu sterilem, Ecclesiæ significasse mysterium, sciat eo tempore hoc feciſſe Iacob quando erat inter Assyrios, et in Mesopotamia Labã durissimo Domino seruiebat.* Expende quã do Iacob trahitur ad duplices nuptias, quando Laban durissimo domino seruiebat: nisi enim de durissimi domini tyrãnica circumuentione prudẽs homo nõ cogeretur secũdas nuptias experiri. Sed & Iacobo maior Abraham auus eius, & fide, & iustitia insignis, sed etiam duabus nuptijs; de eius fide dicitur Gen. 15. *Credidit Abrahã Deo, et reputatum est illi ad iustitiam.* Quanta fides hæc Abrahami? quanta iustitia? Et tamen hic tantus bis accessit ad nuptias, sed expende, quid cum secũdis nuptijs accipiat. Equidem post prædicatam viri fidem, & iustitiam, cap. 15. statim cap. 16. dicitur, quod Sara dixerit marito suo, quòd acciperet ancillam in coniugem secundam. Quid tunc? Vix secũdas amplexus est nuptias Abrahã, & statim, cum illis accipit præceptum de circumcisione durissimum, sic habes Gen. 17. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, &c.* Ne quis sit probus, qui cum secundis nuptijs durissimã non incurrat seruitutem. Ex quo nõ male ponderabat. Tertul. lib. de Monogamia: *Quando credidit Abraham Deo, et deputatum ei in iustitiam? Opinor adhuc in Monogamia, quia in circumcisione nondum. Quod si postea mutatus est in vtrũq; et in digamiam per ancillæ cõcubinatum, et in circumcisionem per testamenti signaculum: si posteriorem Abraham patrem sequeris, vt digamum, recipe, et circũcisum.* Non est separabilis in Abraham durissima lex de circũcisione, & secundæ nuptiæ; dum nõ intelligitur circumcisus, nec intelligitur secundo nuptus: quia non poterant secundæ nuptiæ venire, nisi vel de præcepto durissimo, vel cum illo.

Gen. 15.

Gen. 17.

Tertull.

Matth. 22. Respondens autem Iesus ait illis. Erratis, nescientes scripturas, neq; virtutem Dei. In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo, dicente vobis. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viuentium. Et audientes turbæ mirabantur in doctrina eus.

§. XI.

Non ab vna sola, sed à multiplici virtute Deus in nobis exprimitur.

MInus videtur de beatis asserere Iesus, quã asseruerat Ioãnes eius discipulus; Iesus dicit, quod in resurrectione erũt *sicut Angeli Dei*: Ioãnes asserit, quod erũt sicut Deus, quippe ait. 1. epist. 3. *Cũ apparuerit, similes ei erimus?* Cur

ergo Dominus vult à Ioanne vinci in extollendis beatis, illos Angelis, & non Deo comparans? Nonne potuisset de illis dicere, quod erunt sicut Dij? Cur hoc præteriens Angelis solùm illos facit similes? Agebat Dominus de vna tantũ beatorum virtute, nempè de abstinentia à coniugio, in vna autem sola virtute non Deus exprimitur, sed in virtutum segete multiplici. Moysi dixerat Dominus
Exod.7. Exodi, cap.7. *Ecce cõstituite Deum Pharaonis*; Moysem adhuc in vita mundi constitutum Deum facit vero, & inefabili Deo assimilat, & beatitudinis, immortalitatisq; candidatos, non Deo, sed Angelis vocat similes? In ijs vnam virtutem ponderabat, in Moyse multiplicem attendebat virtutem, de cuius multitudi
Ambr. nis vbertate Deus constituitur, D. Amb. lib.1.de Abel, cap.2. ait: *Etenim victor passionum omnium, nec vllis captus sæculi illecebris, qui omnẽ istam secundum corpus habitationem cœlestis puritate conuersationis obduxerat, mentem regens, carnem subijciens, et regia quadã auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est: ad cuius similitudinem se perfectæ virtutis vberta te formauerat.* Expende ex quo ad Dei similitudinem in se formandam peruenit, qua Deus diceretur, nimirum *perfectæ virtutis vbertate*, non enim singularitas, sed vbertas virtutũ facit, quod quis ad similitudinem Dei efformetur. Huc
Apoc.14 spectat illud Apoc.14. vbi sic: *Et vidi, et ecce agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, et nomen patris eius scriptum in frontibus suis::: Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum, quocumq; ierit*: Non solum cõtentus est dicere de hoc glorioso choro, quod nõ sunt coinquinati, quòd virgines sunt, sed insuper illud ad magnã illorum virtutum vbertatem ostentandam, quod *sequuntur agnum, quocumq; ierit*. Nulla ad virtutem via arrepta fuit ab agno, in qua hi aliqualem nõ fecerint gradum. Et cur necessum fuit hoc de purissimis, & minime coinquinatis virginibus explicare? Dictum fuerat de illis, quod nomen agni, & nomen patris agni haberent scriptum in frontibus suis, adeò vt vel ex nomine Deo prorsus viderentur assimilari, ideò necessum fuit illos non ab vna, sed a multis virtutibus commẽdare. Pro
Nazian. quibus cecinit Nazianz. de lauro virginitatis.

Acchorus ingens
Carpere quẽ nequeas, regẽ lætissimo ambit
Cœlestis, studioq; omni Deus esse laborans,
Christifer, atq; crucis sernus, mũdiq; rudẽtis
Contemptor, tota meditans cœlestia mẽte.

Itaque ingens virginum chorus, dum Deus esse laborat, & Deo assimilari, omne suum studium impendit, nec contentus est virgineo candore radiare, sed insuper purpuram crucis amplectitur, mũ dialiaque omnia abijcit, mẽteq; tota ad cœlestia fertur. Ex quo D. Pascas. in Psal. D. Pasc.
44. ait: *Vndè necessum est respondeat virgo dotis titulo, respondeat moribus sponso; mente atq; actu asserat cœlestem vitam per naturam, quàm consequuta est per gratiã, et sequatur agnum, quocumq; ierit. Sequitur autem virgo agnum quocumq; vadit, ita tamen si concordiam virtutum teneat. Quoniam Christus Dei virtus, & Dei sapientia, principium est omnium viarum. Ideò, qui post eũ ire festinat, et sequi vult, quocumq; abierit, debet primum mentis in corruptionem seruare, atq; carnis, deinde cæterarum virtutum vias ingredi, charitatisq; mẽbra omnia custodire.* Nec sibi quis blãdiatur de similitudine agni, nisi multiplici virtutũ vbertate radiet. Vnde D. D. Zen.
Zeno Veronẽsis, ser. de Pudicitia, fatur: *Deum patrem vos, et habere, & possidere monstratis, cum pudicitiam, inqua Deus habitat, non dicam, diligitis, sed luculentis moribus adornatis.* In quo non sola pudicitia, sed alijs virtutibus adornata irradiat, in ipso patet diuina prosapia. Huc trahe dict.3.tom.lib.15.cap.1.§.17.

§. XII.

Quò quis à curis carnalibus separatior, & alienior, eo magis quietam, & suauem ducet vitam, vt possit dici angelica.

VBi à nuptijs prorsus dicuntur homines abstineri, ne nubant, neq; nubantur, statim illud sequitur, *sed sunt sicut Angeli Dei*, hoc est, vita est illis dulcis, suauis, angelica. Aiebat D. Ambr.
Amb. in Exortation. ad virg. *Quæ non nubunt, et qui vxores non ducunt, sicut Angeli in terris sunt, vt tribulationem carnis non sentiant, seruitutem ignorent, à mundanæ cogitationis ableuentur contagio, diuinis rebus mentem intendant: vt tamquam exuti corporis infirmitate,*

non

non quæ hominis sunt, sed quæ Dei sunt, cogitent. Hæc sunt prærogatiua illorum, qui à carnis operibus se alienant; quod seruitutes ignorent, & tribulationes, & perpetua suauitate perfusi degant, quasi angelicam suauitatẽ in vita æmulentur.

Cant. 5. Cant. 5. *Dilectus meus candidus, et rubicundus*: & post alias eius enumeratas perfectiones, tãdem sic desinit: *Guttur eius suauissimũ, et totus desiderabilis.* Et Vndè tantam suauitatem in gustu compararet, nisi ex eo quod purissimo virginitatis candore pulchresceret? Ait D. Hieron. lib. 1. in Iouinian. *Fratruelis meus cãdidus in virginitate, rubicundus in martyrio. Et quia rubicundus; et candidus, gustus eius dulcedines, et totus concupiscentia.* Vbi rubori additur candor, vbi martyrio apponitur virginitas nihil in gustu apparet insuaue, nihil non dulce, & desiderabile. Vix est vnde possit aliud sentire, quàm suauitatem gustus virginei. De virginibus est illud elogium Apocal. cap. 14. *Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit.* Et quo ibit Agnus, nisi ad vbera matris, à quibus candidissimas hauriás dulcedines, quarũ virgines participes erunt? Aiebat Aug. lib. de Sancta Virginitate: *Quo putamus Agnum ire? In quos saltus, et prata? Vbi credo sunt gramina gaudia, non gaudia sæculi huius vana, nec gaudia qualia in illo Regno Dei cæteris non virginibus, sed â cæterorum omniũ gaudijs sorte distincta, gaudia virginum Christi.* Nescit Agnus ducere virgines suas ad vana gaudia, ad gaudia communia, sed ad lectissima gramina, ad dulcissima vbera ducet, à quibus innumeras suauitates possint haurire. Merito ait Psal. 44. *Adducentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi. Afferẽtur in lætitia, et exultatione*: quasi hoc sit proprium status virginei, quòd in illo, nec gradus fiat, nisi in exultatione, & lætitia. Quo circa D. Chrysost. in præsenti fatur: *Vide hìc dictum Apostolicum resplendere; et illam enuntiationem offendi etiam in propheta. Quænam autem ea est? Tribulationem carnis habebunt, quæ nubunt. Quemadmodum autem illæ afflictionem, ita hæ lætitiam, et exultationem. Illæ enim filios, et maritum, et domum, et famulos, et cognatos, et generos, et soceros, et nepotes, liberorum multitudinem, eorundemq; vel defectum, vel orbitatem curare cogũtur. Virgo autem crucifixa, et â præsentibus liberata, et curis ad hanc vitam pertinentibus effecta superior, et Euripo traiecto in cælum quoties suspiciens, fruitur gaudio spiritus, perfunditur exultatione.* Omnes amaritudines vanæ vt in nuptijs erumpunt, sic longissime effluũt à virginibus; quæ nihil nisi dulce, & lætum nouerunt haurire. Benè D. Amb. lib. 1. de Virg. aiebat: *Digna virginitas, quæ apibus comparetur, sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apes, nescit concubitus, mella componit. Ros quoque virginis est sermo diuinus: pudor virginis est intemerata natura. Partus virginis, fœtus labiorum, expers amaritudinis; fertilis suauitatis.* In toto virginitatis, siue otio, siue negotio, nihil videbis non suaue, non floridum: vt & virginum, sicut apicularum labores in dulcedine compingenda sint positi.

Ambr.

§. XIII.

Virginitas promptissima est ad omnia Dei obsequia percurrenda.

QVi à nuptijs prorsus abstinẽt, iam *sunt sicut Angeli Dei*, & promptι, & veloces, vt sine impedimentis currant, quocumque Deus vocat. Habes de virginibus, Apocal. 14. *Hi sequuntur Agnum, quocumq; ierit.* Hoc de solis virginibus asseritur, quod current, quod ibunt, quocumque Deus vocet. Sed etiã de alijs, & sanctissimis, & promptissimis id dici non potest? Respondet Diu. Aug. lib. de sancta virginit. *Sequũtur Agnum cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiserunt, non quocumque ille ierit, sed quousque illi potuerint.* In cæteris ad vocem Dei sequendam, spectari debet, quid ipsi possint iuxta impedimẽtorum rationẽ, in virginibus, eo ipso, quod virgines sunt, nõ dubitatur de eorum, & potestate, & promptitudine, & facilitate ad omnia. Vt à se omnia impedimenta virginitas ablegat, sic de se non permittit dubitari, quod expeditissime potest currere ad quæcumque munera obeunda, ad quæ Deus vocarit. Moysem euntem ad visionem ardentis rubi vox impedit, dicens Exod. 3. *Ne appropries huc: solue calceamentum de pedibus tuis.* Solutio enim calceamẽti, apud antiquos Israelitas ritus erat renuntiandi debitis ex lege, nuptijs: neque Moyses potest peruenire, quo vocabat eum magna Dei visio,

Aug.

Exod. 3.

sio, nisi prius quasi nuptijs renuntiet.
D. Hier. De quo D. Hieronym. lib. aduersus Iouinian. 1. ait: *Moyses cum vidisset visionem magnam, et Angelum, siue Dominũ loquentem in rubo, nequaquam valuit ad eum accedere, nisi soluisset corrigiam calceamenti sui, et abiecisset vincula nuptiarum.* Nuptijs renuntiet, & lacteam virginitatis viam arripiat, qui velit facilis, & expeditus omnia Dei obsequia obi-
Isai. 19. re. Isaias cap. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, et ingredietur Ægyptum.* De quo D. Amb. in Exhort. ad virg.
Amb. *Nubem itaquè Mariam dixit, quia carnem gerebat; leuem, quia virgo erat.* Nescit virgo salubri leuitate non pollere, qua facilis, & prompta sit, vt vel à minimo Dei flatu excitata currat ad obsequium diuinum. Quod in nube leui ex-
Nazian. plicabat Isaias, id explicat Nazianz. in naui leui fatus in Carmine de laudibus virginitatis.

Vtq; per exiguam venti vis parvula puppim
Incitat, expansis velis maria alta secantem,
Aut etiam remis pulsa, per æquora cursu
Fertur: at ingentem non fert leuis aura carinam,
Quæ nisi pergrauibus ventis agitata quiescit.
Sic etiam innupti, quoniam leuioribus æuum
Traijciunt pedibus, leuiore videntur egere
Numinis æterni auxilio, afflatuquè minore.

Propone tibi ob oculos ingentem Lusitaniæ nauem Indicorum opibus grauem, & nuntijs ferendis aptam, & expeditam nauiculam: illam ventorum furor vix mouet: hanc vel minimus auræ sibilus citissimam, in quem voluerit portum defert. Sic innupti, sic virgines adeò expediti sunt, adeò à terrena grauedine liberi, vt vel ad minimum Dei afflatum, totum mundi fretum transcurrant, & in altum virtutum sese deducãt. Ad virginẽ sponsam erat vox illa Cant.
Cant. 4. 4. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano*: circa quæ verba D. Amb. in Exhor-
Ambr. tation. ad virg. ait: *Virgo est illa, quam vocat Iesus, cui & dixit: Ades huc â Libano sponsa, ades huc â Libano, transibis, et pertransibis. A principio fidei non solum transit virgo, sed etiam pertransit, quæ festinat ad sponsum. Trãsit sæculum, pertransit ad Christum.* Expeditissima est virginitas, & ad omnia virtutum decora facilè excitatur, & facilè currit.

§. XIIII.

Virginitas, & castitas, ipsa sibi, & alijs tutela est, & defensio.

NOn grauabor tandem credere innuptos Angelis similes in eo quòd & ipsi tutelam exhibeant: est castitas prò muro, & defensione sibi, & alijs
Ad Gal. 5 cęterarum virtutum. Paul. ad Galat. cap. 5. ait: *Fructus autem spiritus est: Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Expende quo loco castitas ponatur, nẽpe in fronte ipsa, quasi pro defensione, & tutela cęterarum, vt dicat D. Hieron. lib. 1. aduer-
D. Hier. sus Iouinian. *Omnes spiritus virtutes, quasi solidum fundamentum, & sublime culmen, continentia sustentat, et protegit.* Et quanta sit hæc castitatis tutela, & protectio, testatur Susanna, quam nudam, & solam in horto duo procacissimi iudices aggrediuntur; potestate erãt ipsi armati, & Susannà nuda, nec tamen potuit ab illis deuinci, vt testatur Dan. cap. 13. Sed vndè tenera puellà tam dira potestatis, & mortis tela euasit immunis? Videbatur bona fœmina in congressu, & sola, & nuda, sed erat inexpugnabili castitatis muro munita. Quippe ait
D. Zeno. D. Zeno Veronen. serm. de Pudicitia: *Susannam, cum aduerterent muro castitatis in paradisi solitudine circumseptam, aggrediuntur.* Erat Susanna nuda, & sola sed eius castitas extitit pro muro, quo vti diquè circumsepta â rabidissimis hostiũ incursibus euasit libera. Murus est castitas, quæ hostium conatus exsibilet.
Cant. 4. Hinc Cant. 4. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Sed cupis scire, quàm sit conclusus hortus iste, cui assimilatur sponsa? Conclusus sanè est non leui aliqua sepe, sed muro castitatis, vbi enim castitas est, & murus est, qui protegat, & defendat virtutes a-
Ambr. lias. D. Amb. ibi: *Hortus clausus, quia vndiquè vallata est muro castitatis. Habet igitur murum suum virginitas aduersus mundi huius turbines, & ideò septo diuinæ munita protectionis, nullis sæculi flabris inquietatur.* Vix potest intelligi castitas,

stitas, quæ non sit pro inexpugnabili muro ad se, & alias virtutes tutandas. Floreat in te castitatis amor, & custodiam, & tutelam, & murum habes, sub quo vix poteris expugnari; imò arma habes, quibus hostes vsque ad internecionem per-
Cant. 3. sequaris, Cant. 3. dicit: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi, vnius cuiusque ensis super fœmur suum.* Expende, validissimæ lectuli Salomonici custodiæ ex quo cõmendentur, nimirum ex ense super fœmur posito; in quo est gladius ad carnis illecebras amputandas, ipse & fortissimus custos, & defensor est Dei populi.
Iudic. 3. Audio enim Iudic. 3. suscitatum à Deo sui populi saluatorem Aod, de quo aduersus pinguissimum Englon insurgente dicitur: *Extendit Aod sinistram manum, et tulit sicam de dextro fœmore, infixitque eam in ventre eius.* Vix gladius positus super fœmur aduersus voluptuosas illecebras scit vacuus esse, quin hostes prosternat, virtutes defendat. Vndè
D. Hier. aiebat D. Hier. aduersus Iouinian. lib. 1. *Qui in circuitu Salomonis sunt, gladium habent in fœmore, sicut Aod ille iudex, qui interfecit hostem pinguissimum, et totum carni deditum, omnes amputans voluptates.* Quasi tota protectio, & defensio virtutum populi, non tam ab alio, quàm ab amore castitatis descenderet.
Ambr. Id quod notãs D. Ambr. in exhortat. ad virg. ait. *Multas fœminas scriptura diuina in lucem euexit, palmam tamen publicæ salutis solis virginibus dedit. In veteri testamento terra, ac mari clausum populũ Hæbræorum virgo per maria pedes perduxit. In Euangelio auctorem mundi virgo generauit.* Stat ergo virginitas, & castitas pro communi salute, vt quæ Dei populum, & populum virtutum ab hostibus protegat, & faciat esse liberum.

§. XV.

Bona funditus perdita non gloriam, sed deiectionem, sed calamitatem ostendunt in possessore.

NVlli dubium esse potuit, quòd ad commendationem gloriæ suæ Dominus Exod. 3. dixerit: *Ego sum*
Exod 3. *Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob.* Ex quo euidenti ratione proponitur à Christo Domino resurrectio mortuorum. Etenim si Abraham, Isaac, & Iacob, funditus essent consumpti, qualis esset diuinæ gloriæ cõmendatio, quòd diceretur Deus eorum? Quis Rex vnquam glorioſos titulos, sibi affixit ex perditis Regnis? Sanè perditorum bonorum memoria non gloriã, sed calamitatem ostendũt in possessore. Notissimum perspice Adami Principatum, & gloriam, cum & sui, & paradisi erat Dominus. In immensum eius augebant gloriam subiecta animalia imperio, subiecti appetitus rationi; totus hic dominatus euanuit, in nihilum prorsus abijt. Quid tunc? Ereptus paradisus, dominatus funditus perditus potuit inde ad gloriam Adami reuocari in memoriam? Absit; quin imò nihil illi calamitosius, quã recordari fuisse illorum dominum. Pul-
Cla. Mar. chrè canebat Claudius Marius, lib. 2. in Gen.

Heũ quibus hæc spectant oculis, quo pectore cernunt,
Quorum animis Paradisus inest, quæ causa doloris
Vna subest, dum cunctorum iam plena malorum
Se pandit facies longe tristissima, post tot
Delicias paradisi tuas, et amœna locorum
Gaudia fertilium; quorum vanissima præsens
Semper adest, tristesque animos idæa fatigat.

Amissi, & funditus perditi boni idæa, quem non fatigat? Vanus esset, & ridiculus Princeps, qui inter inanes ideas amissorum Regnorum iactaretur, & de perditis rebus ostẽtaret solos gloriarum titulos. Titulus enim sine re, & idæa sine substantia non gloriæ, sed calamitatis efferunt signa. Hinc Ezechiel. 28. di-
Ezec. 28 cit: *Leua planctum super Regem Tyri, et dices ei. Hæc dicit Dominus Deus. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et decore. In delicijs paradisi Dei fuisti; omnis lapis pretiosus operimentum tuũ, sardius, topazius, et iaspis, chrysolitus, et onyx, berrillus, et sapphirus, &c.* Quis ditior, quis felicior hoc Rege? Omnia pretiosa, & pulchra illi attribuuntur: & paradisus, & pretiosi lapides, & diuitiæ vniuersæ ostẽduntur apud illũ, & nihilominus iubetur Propheta illũ flere, & lamẽtari tanquam omnino calamitosum, &

infœlicem? Et cur lachrymis dignus, qui tot bona habebat, qui tot fruebatur paradiſi delicijs? Nota ipſa verba, & lamenti rationem facilè percipies: quippe ait; *In delicijs paradiſi Dei fuiſti*: nō modò es, ſed fuiſti: bona, autem quæ fuerunt, & non ſunt, calamitoſum deſignant poſſeſſorem, & infelicem. Similiter enim calamitatem ſuam lugebat ille apud Virgilium: *Fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens gloria Teucrorum.* Lugendus ſemper, & non prædicandus ille, cui bona fuerunt, dum cogitur manere ſine illis.

Virgil.

§. XVI.

Quò quis Deo iunctior, eò magis viuentibus inclinatur.

NOn eſt Deus mortuorum, *ſed viuẽtium*, nec vult alicuius mortẽ, ſed omnium vitam; adeò vt vel ex hoc ſingulariter appareant Dei propinqui, qui eius gaudent ſpiritu, ſi gaudeant magis in creaturis viuis. Duorum primorũ fratrũ ingenia, dum notat ſcriptura, ait Gen.4. *Fuit Abel paſtor ouium, et Cain agricola.* In Abel Dei ſpiritus, in Cain ſpiritus reprobi mundi vigebat; hic totus incepit meditari agriculturam, quo modo ſemina ſepeliat in terra, & ipſe ſe ſepeliat, cum ſeminibus. Abel in viuidis gregibus poſitus, nihil meditabatur, quod non halaret vitam, quod pulchrè cecinit Claudius Marius, lib.2. in Gen. vbi ſic inquit.

Gen.4.

Cla.Ma.

At vino gaudere lucro dignißimus Abel
Collibus in nudis, et ſicci germine campi
Innocuas paſcebat oues.

Mortua ſemper abnuit ſpiritus Dei, & in quocũquè ſit illum facit magis gaudere viuis. Vndè ad adoleſcentem, qui diuino iam plenus ſpiritu in ſequelam Ieſu ire volebat, ſic ipſe præcipit Chriſtus. *Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Matth.8. Mortuos vocat eos in quibus vita extincta erat, & eos in quibus diuinæ fidei ſpiritus erat nullus. Ij vt Dei ſpiritu carent, ſic mortuorum incumbunt ſepulchris, & qui Dei ſpiritu cæpit impleri, mortuos caueat, & ſola meditetur viua. Adhæc D. Hilar. canone.7. in Matth. in fine: *Mortua mortuis officia ſunt relinquẽda, vt mortui ſepeliãtur â mortuis, quia per fidem viuos viuo oportet adhibere.* Non meminerit mortuos, qui in Dei fide viuit, ſed vt totus impletus viuido ſpiritu, ſic ſolis gaudeat viuis. Quid Dei ſpiritui, & mortuo? Puto quod vt ex viuorum cõſortio Dei ſpiritus, ſic ex mortuorum amicitia oſtendatur ſpiritus malignus. Et quidem Luc.8. dicitur: *Occurrit vir quidam è ciuitate, qui habebat Dæmonium iam multis temporibus, et veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.* Ecce tibi vbi maneant, qui maligno implẽtur ſpiritu, nimirum, *in monumentis*, ſemper ſpiritus nequam amat mortis vicinia, & proprię malignitatis coactu ad mortuos feſtinat. Aiebat D. Baſil. Sel. orat. 23. *Cum ipſe eſſet Dæmonum domicilium, pro domicilio habebat monumenta, vt et habitans, et vna habitatus, mortuos inter habitare cogeretur.* Mortuorum ſocius eſt aduerſarius ſpiritus, vt diuinus ſpiritus totus fertur ad vitam.

Matth.8.

D.Hila.

Luc.8.

D. Baſi.

Matth. 22. Phariſæi autem audientes, quod ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, conuenerunt in vnum, & interrogauit eum vnus ex eis legis Doctor, tentans eum, Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege?

§. XVII.

In quo eſt dolus nulla eſt pars Dei.

SApienter ab Euangeliſta dicitur hic legis Doctor, *vnus ex eis*, nimirum vnus ex eis, qui conuenerant aduerſus Deum, & aduerſus Chriſtũ eius, qui enim in dolo accedebat, vt tentaret, omnia in ſe ex Dei aduerſarijs habebat, nihil quod ad Dei partem veniret. Et quæ eſſe poſſet conuentio Dei cũ dolo? Sap. 1. *Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet ficτum*, vel ſicut legit D. Hieron. ad cap. Iſaiæ.63. *Sanctus ſpiritus diſciplinæ fugiet dolum*: Non poteſt inueniri, & dolus, & Dei ſpiritus; da hominem dolo-ſum, fraudulẽtum, ſimulatorem, & nihil in eo dabis, quod ad Deum pertineat. Ad ſimulatorem accedẽtem ad ſe dixit Ieſus, Luc.9. *Vulpes foueas habent, et vo-*

Sap.1.

D.Hier.

Luc.9.

lucres

lucres cœli nidos vbi requiescant: filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Expende cõnexionem, *vulpes habent foueas, & filius hominis non habet, &c.* Non equidem potest esse, quod vbi vulpium sunt foueæ, vbi vulpinæ astutiæ, & doli, & simulationes, ibi aliqua sit pars Christi. Quod notans D. Amb. lib. 4. in Luc. ait: *Etenim dominante versutia, cum simplicitati nullus sit locus, nulla potest in affectibus singulorum diuinitatis esse possessio.* Dum totus in simulatione, & versutia, & dolo es, misere falleris, si putas te aliquid habere, quòd possit in Dei partem venire; nulla potest esse diuinitatis possessio, in quo dominatur versutia. Vt dicat Prouerb. 14. *Filio doloso nihil erit boni*: nihil erit cum doloso animo, quod vere bonum sit, quod ad Deũ bonitatis auctorem pertineat. Vnde Ecclesiastici, cap. 2. *Væ duplici corde, et labijs scelestis, et manibus malefacientibus, et peccatori terrã ingredienti duabus vijs.* Non sine væ, & maledicto habetur duplex cor, ex quo incipis habere cor, & cor, incipis exponi maledictis. Et cur duplex cor sequitur pene irreparabilis maledictio? Vbi in te incipit esse cordis duplicitas, incipis in toto à Diabolo possideri, in nullo à Christo. Id notabat D. August. tract. 7. in Ioannem, inquiens: *Væ duplici corde, qui in corde suo partem faciunt Deo, partem faciunt Diabolo. Iratus Deus, quia fit ibi pars diabolo, discedet, & totum diabolus possidebit.* Nunquam duplicitas cordis alium Dominũ nouit habere, nisi Diabolum, nihil in illa inueniri potuit, quòd veniat ad partem Domini, cui placet sola candidissima simplicitas. Aiebat enim Salomon. 1. Paralip. 29. *Scio Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas. Vndè et ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc.* Vt Deo accederet, illud in primis curauit, nimirum duplicitatẽ animi, simulationem omnem exuere, & candidam simplicitatem induere, Deus enim nõ ponit partem suam, nisi in candidissimis, & simplicibus, Cant. 1. *Ego flos campi*; de quo D. Amb. ait: *Ecce alium locum, in quo solet dominus diuersari, imò non in vno, sed in pluribus. Ego, inquit, flos campi: quia patentem simplicitatem puræ mentis frequentat.* Vbi simplicitas est, & omnis simulatio abest ibi, & Dei frequentia cernitur. Qui ad dolosos, & fictos, neque vt eos puniat, venit, Isaiæ, cap. 1. *Væ Assur, virga furoris mei, et baculus ipse est in manu eorum indignatio mea. Ad gẽtem fallacem mittam eum, et cõtra populum furoris mei mandabo illi, &c.* Sic ibi Dominus, verum Gen. 18. ad Abrahã, dum ipse Dominus iret castigaturus Sodomam, dicit: *Clamor Sodomorum, et Gomorrhæorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, et videbo, &c.* Expende, quod ad Sodomam nõ veretur Deus descendere, imò ipse illo accedit: & ad populum furoris sui, ad populum Israelitem peccantem minime vult accedere, sed Assyrios aduersus illũ mittit. Cur Domine, qui ad Sodomitas, illos castigaturus accedis, ad populũ tuum rebellem, nõ accedis, sed carnifices mittis? Ipse explicabat dicens: *Ad gentem fallacẽ mittam*, vel vt Caldęus dicit: *Ad cætũ hypocriticũ, &c.* Adeò est execrabilis Deo fallacia, & simulatio præ omnibus alijs sceleribus; adeò sunt illi exosi fallaces, & simulatores, vt neque ad supplicium velit esse apud illos. Huc respicit illud Hierem. Thren. 4. *Maior facta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subuersa est in momento, et non cæperunt in ea manus.* Idest, non creatæ manus cæperunt in ea, sed Deus ipse eius supplicio instabat, quia Sodoma nõ sub dole, & simulate peccabat, Iudęi autem, vt pulchre notat D. Thomas, simulatores erant, & dolosi, ex quo Sodomis fuere Deo magis execrabiles.

Ambr. Prou. 14 Eccl. 2. August. 1. Pa. 29 Cant. 1. Ambr. Isaiæ 1. Gen. 18. Hiere. 4. D. Tho.

§. XVIII.

Non tam sapientes, quam simplices Deo probantur.

NE putes magnum, quod legis doctor Iesum conueniat, & illum vocet Magistrum, & de maximo mandato interroget; omnia hæc simulate, & duplici animo faciebat: & vbi simulatio est, & duplicitas, totus Doctoratus splendor vilescit, non enim sapientes, sed simplices sunt Deo in pretio, Luc. cap. 2. *Pastores loquebantur ad inuicem: transeamus vsque Bethleem, et videamus hoc verbum, quod factum est, sicut Dominus ostendit nobis.* Verbum diuinum Patris, pastoribus exhibetur, non mundi, nec legis Doctoribus, quia non sapientia, sed simplicitas est, in qua viget Dei verbum. Id quod notabat D. Ambr. lib. 2. inquiens: *Non*

Luc. 2. Amb. 1.

Non gymnasia choris sapientum referta, sed plebem dominus simplicem requisiuit, quæ phalesare audita, et fucare nesciret. Simplicitas enim quæritur, nõ ambitio desideratur. Tota scholarum sapientia, tota Doctorum pompa â Deo reijcitur, vbi in ijs simplicitatem non inuenit. Nõ sic sapientiæ ebibendæ incumbat, vt simplicitati acquirẽdæ, quisquis amat Deo esse gratus, & propinquus. Pro quo D. Pet. Pet. 1. epist. cap. 2. clamabat: *Quasi modo geniti infantes rationabile, et sine dolo lac concupiscite.* Clemens Alex. legebat, *verbale lac*, putabat enim ibi vocari homines ad Verbi diuini participium. Sed qui vocantur ad tantum verbum hauriẽdum? An sapientes mundi? Soli vocantur infantili simplicitate insigniti, non quasi modo in sapientum album relati, sed quasi modo geniti infantes omnis doli expertes ad lac incitantur, vt vel ex simplicitate vocatorum demõstretur in lacte illo propinari Verbum diuinum. Vix Deus verbum apparuit nostra mortalitate indutum, & vt se Deum ostenderet, vel in stabulo, permittit sibi offerri infantium innocentium victimas. Ait Matt. 2. enim Matth. 2. *Herodes mittens occidit multos pueros, &c.* Pro nato paruulo puero multi pueri litantur, quis non credat Deum puerum illum, cuius primæ victimæ selectiores, & charissimæ, non tam ab alio, quàm à simplicitate commendãtur infantili? Aiebat D. Ambr. lib. 2. in Ambr. Luc. *Deinde infantes occidi iubet. Cui alij nisi Deo talis victima debebatur?* Satis Deus esse monstratur, Deique verbum pulsio ille stabulum implens vagitibus, quando in propinquioribus sibi victimis, nihil magis, quàm infantilem simplicitatem requirit.

§. XIX.

Fraus, & dolus non potest abscondi.

AD Iesum legis Doctor accedit, non paruum religionis, & pietatis præseferens specimen, dum Magistrum vocat, dum de æstimatione diuinorum mandatorũ quærit, & nihilominus dicitur à Matthæo, quòd accesserit tentans. Quomodo inter tot externa signa religionis potuit subdolus Doctoris animus patere; nisi quia hæc est natura doli, & fraudis, quæ abscõdi nequeat? Prouerb. 10. dicitur: *Qui ambulat simpliciter, ambulat cõfidenter: qui autem depranat vias suas, manifestus erit.* Septuag. *Qui autem detorquet vias suas, cognoscetur.* Qui subdole, & tortuose agit, non potest nõ manifestus patere; multa simulet, pietatis magna signa prætendat, tamen fraus, & dolus internus cognoscetur. Vafrissimum, & callidissimum Iulianum in religionis rebus nemo non nouit: dum imperium ambiebat, multis pietatis operibus, etiam constructis martyrum tẽplis, se pium, & religionis amatorem simulabat. Quid tunc? De illo Nazianz. orat. 3. Nazian. *Nec impietatis fraudem prorsus secum ipse solus meditari poterat. Quin potius, quemadmodum ignem in materia latentẽ, etiam si nondum in luculentam flammam attollatur, emicantes tamen scintillæ quædam, aut fumus è profundo subindicant, &c.* Nullus, mihi crede, est qui subdole agat, vt alium supplantet, qui secum ipse solus possit continere doli meditationem: non sic tormentarius pũluis per secretos cuniculos iniectus, dum accenditur, omnia rumpit, & in ruina murorum sese prodit; vt dolus, & fraus se se nititur prodere in victoria. Quis dolosus, & vafer adeò sui compos extitit, quod non amauerit plausus ex acumine, & prospe ritate supplãtationis? Ex quo vel omnibus eius membris loquentibus manifestissimus omnibus manet animus fraudulentus, & dolosus. Et quando ipse tacuerit, ipse se dolus prodit mille signis: vt ignis, qui sub multo ligno absconditur, licet non in flammam exurgat, tamẽ nunquã nõ fumat, & vel scintillulam proijcit, vndè se se in manifesto ponit. Hanc Nazianzeni mentem explicatius ponit Elias Cretensis ibi: *Dolumq; apud se premere, ac sustinere nõ poterat, verũ quemadmodum ignis in imis lignis occultatus, etsi nondum in ingentem rogum attollatur, vt omnibus conspicuus fiat, tamen post fumum, ac scintillas eas, quæ illinc emittuntur se se suboslendit.* Elias Cret. Mirum erit, si aliquis dolosus, & fraudulentus aliquando latere sciuerit; si doli, & fraudes non se se manifeste prodiderint. Ait Paul. 1. ad Corinth. 3. *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: cõprehendam sapientes in astutia eorum.* Vocat astutiam, calliditatẽ sapientiã huius mundi, & hanc dici, haberi, & reputari apud Deum stultitiam. Et cur tota calliditas, & astutia humana vocatur à Deo stulti-

1. Cor. 3.

stultitia? Iam assignat rationem, nimirum, quia *scripium est, comprehendam sapientes in astutia*, quia certum est, quod nulla astutia, nullus dolus, nulla vafricies erit, quæ non deprehendatur; & manifesta sit. Quæ ergo sapientia stultior, non solum apud Deum, sed & apud homines, quæ illa, cuius technæ, & laberinti patentissimi sunt, & peruij omnibus passim hominibus? Et sane quos noui in calliditate, & vafricie nominatissimos, hos à prudentibus viris vidi propter notos dolos, habitos stultissimos, D. Cy-
D Cypr. prianus, lib. 1. epist. 3. ait: *Hæc est frater vera dementia non cognoscere, & nescire, quod fallaciæ non diu fallunt.* Nõ solum stultus, sed & amens à Cypriano habetur, ille, qui putat dolos posse diù occultari.

Matth. 22. Ait illi Iesus. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.

§. XX.

Verus Dominus nil sic æstimat, sibi dependi à subditis, quam amorem.

SVmmi Dei, veriquè Domini lex nil prius, & principalius debebat requirere à sursubditis, quàm amorẽ. Hoc est primum, & præcipuum in vero Domino studium, quod ametur à subditis.
Chrysost. Pro quo aiebat D. Chrysost. serm. 6. de Passion. *Deitatis autem non est voluntas hæc noua. Antiquæ legis prima vox hoc quæsiuit. Diliges, inquit, Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua: quia vera dominatio est ipsa, quæ amore imperat, non timore: quæ per affectum sibi, et corpora subdit, et corda, quæ amando non inuitam, sed voluntariam sibi instruit seruitutem.* Expende ab illis verbis; *Quia vera dominatio est illa, quæ amore imperat, &c.* In nullo sic ostenditur verus Dominus, quàm in eo, quod primus, & præcipuus sui imperij scopus eo tendat, vt alliciat sibi amorem subditorum. Magnus Abraham, cum vixisset apud Hetheos, sic ad illos loquitur Gen. 23. *Aduena sum, et peregrinus apud vos, date mihi ius sepulchri vobiscum.* Cui statim viri respon derunt; *Audi nos Domine, Princeps Dei es apud nos.* Septuaginta legunt: *Rex à Deo tu es in nobis.* Sanè vt pulchre notat ibi Chrysost. Abrahã, nec palmum terræ illius possidebat, sed peregrinus, & extraneus erat, & tamen terræ illius incolæ Abrahamum, vt Regem suspiciebãt. Vndè conijciunt Regem ibi à Deo constitutum esse illum, qui extraneus erat, & totius dominij terreni apparebat expers? Sic Abraham tenebat omnium, corda, sic in singulis eorum sui amorem incitabat, vt ex hoc capite solo, quamuis alia deerant, verus Princeps, & Rex videretur, vera enim dominatio, & naturalis illa est, non quæ ceruices ad iugum, sed quæ corda hominum amore trahit. Et qui sic animorum dominatur, etiã inter extraneos, quasi proprius rex habetur, vt è cõtra qui non amatur, sed timetur, inter suos habetur quasi extraneus. Id quod pulchre asserebat Ferran
Ferrand. dus Diaconus, in Parenetico ad Regnũ; regul. 7. fatus: *Gubernationi autem, reipublicæ securitati, saluti concordiæ plus prospicitur, quando dux optimus amari eligit, non timeri. Dux amabilis murus est patriæ. Qui vero metuendus apparet, omnes subditos facit infideles, facile timet proditionem, facilius patitur, extraneus viuit inter suos.* Nullus magis naturalis Princeps, etiam si sit inter extraneos, quàm qui amorem sui allicit: vt nullus magis extraneus, licet inter suos agat, quàm qui magis timeri gandet. Huc reuoca dicta tom. 2. lib. 6. cap. 7. §. 7.

§. XXI.

Qui in cauenda legum trasgressione, non Dei amore nititur, sed respectu aliquo alio temporali, ipse tandem ad legum transgressionem deuenit.

Ecce

ECce tibi fulcra firmiſsima, quibus nitaris, ſi leges obſeruare cupis: in amoris diuini flãmas euola, & à nulla tranſgreſsione legis time. Fortiſsimi illi Salomonici lectuli cuſtodes, aduerſus omnes timores gladio armabantur,
Cant. 3. dicitur enim Cant. 3. *Vniuſcuiuſq; enſis ſuper fæmur ſuum propter timores noctur nos*. Et qualis enſis timores expelleret, niſi enſis amoris? Equidem datum eſt fortiſsimis hominibus, quod ſub Dei amore viuant: quo muniti liberi à lapſibus
Richard. prætercurrunt. Ait Richard. Victor. *Deſuper fæmur habent milites Chriſti amoris gladium, propter timores nocturnos, id eſt, propter occultos peccandi lapſus, quia ſi non amant, propter ignorantiam, et cæcitatem in multis deliquunt*. Nequit non delinquere in multis, qui Dei amore ad obſeruantiam non trahitur; ex hoc amore habet homo, quod poſsit præcauere lapſus, quod longe ſit à trãſgreſsione legali. Vbi enim amore diuino duceris, valde à lapſu confirmaris; ſi autem non Dei amore, ſed quouis alio temporali affectu, & reſpectu ducaris, fallar, niſi turpiter labi relinquaris. Quis ignoret zelum Regis Saulis aduerſus Magos, & Ariolos? Sic 1. Reg. 28. *Noſti quanta fecerit Saul, et quomodo eraſerit Magos, et Ariolos de terra*. Hoc virtutis facinus fecit Saul in ſacris literis cãtatiſsimus: ſed qui ſic Magos iuſto zelo perſequebatur, tãdem eò deuenit, vt Magam ipſe perquireret, quam conſuleret, ſic enim ait hoſtium metu perterritus: *Quærite mihi mulierem habentem Pythonem, et vadam ad eam, et ſciſcitabor per illam*. Quid miſerius? Magorum perſecutor, ad Magam fœminam ipſe confugit, reſponſum ſalutis quæſiturus. Vndè ad tantam miſeriam deuenit, quod Magorũ fiat ſocius, & amicus, qui illorũ erat acerrimus perſequutor? Cur Deus permiſit Saulem ſociari Ariolis, quando illius ope vſus omnes exterminarat Ariolos? Exterminarat Saul Magos, & Ariolos non ex Dei amore: ſed ex amore temporali, quẽ habebat, ad conſeruationem regni ſui: & ideò merito permittitur deuenire in malum, quod non Dei amore, ſed temporalis commoditatis vitauerat ſtudio. Ait
Iuſtin. Iuſtinus martyr, in reſpõſione ad quæſt. 52. *Suſtulit autem Saul ventriloquas, vt ea ratione Deum ſibi reconciliaret, quo ſententiam abrogaret, quæ Saulem regno abdicauerat, non ille quidem ventriloquarum impietatem odio proſequens, ſed regnum amans. Et quia non admiſit Deus intẽtionem eius, eum deſeruit, vt egeret eis, quas non bona intentione ſuſtulerat*. Huc conueniant, qui in cauendis legũ tranſgreſsionibus, fugiendiſq; peccatis, temporali prætextu, reſpectuque feruntur, & timeant ad illa eadem peccata, & legum tranſgreſsionem deuenire, quæ nõ fugiunt, quia Deum amant, ſed quia amant ſua. A Dei enim amore pendet legum obſeruatio, adeò vt ſi ab hominis corde abſit Dei amor, vix poſsint ibi conſiſtere aliæ virtutes. De quo habes tom. 3. lib. 15. cap. 7. §. 7.

§. XXII.

Cordis affectus vix poteſt ire ad creaturas, ſine damno.

NIhil cordis, aut animæ permittitur aliò, quàm ad Deum ire, dum iubemur Deum diligere, *ex toto corde, et in tota anima*: totum cordis affectũ Deo demus, qui volumus quietam ducere vitam: qui enim, vel paruus, affectus it ad creaturas, nunquam non magnas moleſtias incurret. Abrahamo dicebat Dominus Gen. 22. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, et vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum, &c.* Immolandus Iſaac ex patre petitur, & cum immolandus petitur, ſimul explicatur, quod ſit vnigenitus Abrahamo filius, & quod eũ diligat. Quid neceſſum eſt dilectionem patris erga filium exprimere? Cur inter tot dolores explicatur, quod Abraham filium immolandum diligat, niſi vt notetur, quod vbi dilectio eſt tendens ad creaturas, nõ poſſunt, non vehementiſsimi dolores venire? Orig. hom. 8. in Gen. ait: *Eſto Domine quia commemoras de filio patrẽ, addis, et chariſsimum, quem præcipis iugulari. Sufficiat hoc ad ſupplicium patris. Addis rurſus, et quem diligis. Sint, et in hoc parenti triplicata ſupplicia*. Quot oſtenduntur amoris paterni ad filium acceſsiones, tot ſupplicia, tot augmenta dolorum oſtenduntur, implicat enim, quod affectus cordis feratur ad creaturas, & quod omni tormento maneat immunis. Si quis affectus prorſus liber à pœna poſſet ire ad creaturas, maxime eſt affectus cordis diuini. Sed accipite, quid de diuino amore tradat Ioann. Apocal. 1. *Di-*
Gen. 22.
Orig.
Ioann. 1.
lexit

lexit nos, et lauit nos in ſanguine ſuo. Lauit, inquam nos, non aqua, ſed ſuo pretioſo ſanguine, & vitam, & ſanguinem profudit, vt nos lauaret. Vndè hoc neceſſe fuit? Potuiſſemus faciliori mundari lauacro, quis fecit, vt Ieſus ſibi adeò damnoſum lauacrum nobis applicaret? inſinuant verba præpoſita, *dilexit nos*, ex quo ſuum amorem Dominus extendit ad creaturas, tot vitæ ſuæ traxit damna. Pulchre aiebat Chryſoſt. hom. 6. de Paſſ. *Chriſtus intrat carnis iniuriam, ſubit contumelias paſſionum, pœnarum genera percurrit, mortem ſuſcepit peramaram: quia damnari voluit, qui, quod fecerat, ſic amauit.* Qui Deum æternaliter ſummo in gaudio dilexit (dilexerat enim ſe perſonæ diuinæ ab æterno immenſis exundantes gaudijs,) vbi ad creaturam ſuam amorem extendit, pericula ſtatim, & labores voluit exantlare; damnari, puniri, mori voluit, qui, quod fecerat, ſic amauit. Neſcit amor, qui ad creaturas tēdit, dolorum, & afflictionum non trahere tempeſtates. Hoc in ſe Dei filius expertus, ſimiliter affirmat de ſuo patre, Ioan. 3. fatus. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Idem fuit in patre diuino amorem ſuum ad creaturas extendere, & quaſi pati filij orbitatem. Quod notans D. Amb. lib. 1. de Iacob, cap. 6. ait: *Pulchro verbo vſa eſt ſcriptura, vt Dei patris erga te pium propoſitū declararet, qui morti pro te totum obtulit. Quod in patre fuit, nihil ſibi ipſi reliquit; totum pro te obtulit. Conſidera affectum patris. Quod pietatis eſt, quaſi morituri filij ſuſcepit periculū, quaſi orbitatis hauſit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis, Tantum fuit Domino ſtudium tuæ ſalutis, vt prope modo de ſuo periclitaretur, dum te lucraretur. Ille propter te diſpendia noſtra ſuſcepit.* Vt amorē ad creaturas habuit, & ſimul diſpendia ſuſcepit; quippe neſcit amor creaturarum, vel in Deo eſſe ſine imagine damni. Quando autem amor iſte tēporalis in corde corruptibili ardet, quis numeret diſpendia eius, quis percenſeat, quæ glutit mala? Sichem pro amata Dina, ſic ad fratres eius dicebat Gen. 34. *Augete dotem, et munera poſtulate, et libenter tribuā, quod petieritis, &c.* Vbi D. Chryſoſt. ait. *Vide iuuenem prompte omnia promittentem, vt puella potiretur. Hæc enim pernicioſa affectio omnia ſuſcipienda capto perſuadet, donec in inferni profundum ducat.* Nec miror, quod infernus glutiatur, vbi affectus temporalis in corde creaturarum exurgit. Iſaias cap. 14. de Angelo ait: *Qui dicebas in corde tuo: in cœlum conſcendā, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Altitudinem appetiuit, & ima inferni tenuit, quòd dolēdū eſſet, ſi illi inſcio accideret tantum malum: ſed quod mireris magis, vbi cæpit amare altitudinē, ſimul vidit præcipitium, ſed amor temporalis totum illud præcipitiū fecit glutiri. D. Auguſt. quæſt. 113. de vtroque ait: *Quoquo enim modo deſiderium ſuum implere vult, et damnari: furore enim plenus minus putas damnari eſſe, quam non explere auiditatem erroris.* Proh rabidiſſimum affectum creaturarum; qui dum non ceſſet, etiam inter omnia tormenta inferni velit viuere.

Hęc de Chriſto Domino ſelectiora ex Teſtamento Nouo collegi, vtinā ei gloriosa, & animabus vtilia cedant; ego autem ne mens, nec animus, nec calamus, aliud, quam Chriſtum cernant, hoc deinceps curabo, vt celebriores eius imagines ex Veteri Teſtamento legam, quibus pro Ieſu trophæis Chriſtianas etiam virtutes appendam.

LAVS, DEO VIGINIQVE MATRI, ET PARENTI, IGNATIO.

INDEX LOCORVM SCRIPTVRAE.

EX GENESI.

Cap. 1.

IN Principio creauit Deus cœlum, & terram. fol.291. 97. & 418.

Terra autem erat inanis, et vacua. fol.419.

Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, fol.105. & 481.

Protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, fol.5.

Germinet terra herbam virentem, fol.46. & 69. & 439.

Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile, &c. fol.88.

Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, et vniuerſis volatilibus. fol.89.

Faciamus hominem ad imaginem, et ſimilitudinem noſtrã, fol.29.79.84. & 501.

Præſit piſcibus maris, et volatilibus, fol. 303.

Cap. 2. Creauit hominem Deus ad imaginem, et ſimilitudinem ſuam, maſculum, & fœminam, &c. fol.73.

Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inſpirauit, &c. fol. 61. & fol.195.

Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. fol.593.

Plantauerat Dominus paradiſum voluptatis â principio, in quo poſuit hominem, fol.84.

Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum. fol.168.

Nomen vni Phiſon, ipſe eſt, qui circuit omnem terram Euilat, vbi naſcitur aurum. fol.170.

Et tulit Deus eum, et poſuit eum in paradiſo voluptatis. fol.72. & 490.

Immiſit Dominus ſoporem in Adam, cûmque obdormiſſet, tulit vnam coſtam, &c. fol.6. & fol.161. & 176.

Ædificauit Dominus Deus coſtam, quã tulerat de Adam in mulierem. fol. 132.

Hoc nunc os ex oſſibus meis, et caro de carne mea, hæc vocabitur virago, &c. fol.160. & 416.

De ligno ſcientiæ boni, et mali, ne comedas. fol.513. & 555.

Quacumque die comederis ex ea, morte morieris. fol.145.136. & 157.

Erat autem vterque nudus, Adam ſcilicet, et vxor eius. fol.76.

Cap.3. Quocumque die comederitis ex eo, aperiẽtur oculi veſtri, et eritis ſicut Dij, ſcientes bonum, et malum, fol. 410. & 157. & 112.

Cûm audiſſent vocem Domini deambulantis, in paradiſo ad auram poſt meridiem. fol.358. & 518.

Abſcondit ſe Adam, et vxor eius â facie Domini Dei, in medio ligni, &c. fol.152. 360. & 456.

Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Euam, eo quod eſſet mater cunctorum viuentium. fol.307.

Puluis es, et in puluerem reuerteris, et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Euam. fol.197.

Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes. fol.464.

Nunc ne fortè mittat manum ſuam, et ſumat de ligno vitæ, et comedat, fol.89.

Tu inſidiaberis calcaneo eius. fol.605.

In laboribus comedes ex terra cunctis diebus. fol.605.

Cap.4. Fuit autem Abel paſtor ouium, Cain agricola. Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain, &c. fol.157. & fol. 96. & 156. & 626.

Abel obtulit de primogenitis gregis ſui, fol.157.

Poſſedi hominem per Deum. fol.420.

Sed & Seth natus eſt filius, quem vocauit Enos; iſte cæpit innocare nomen Domini. fol.50.

Ero vagus, et profugus, &c. fol.569.
Nonne si benê egeris, recipies; si autem malê, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, tu dominaueris. fol.543.
Cap.6. *Videntes filij Dei filias hominũ.* 96.
Gigantes erant super terram in diebus illis, postquã enim ingressi sunt filij Dei, &c. fol.135.
Finis vniuersæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate â facie eo, et disperdam eos cum terra. fol.136.
Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. fol.541.
Cap.7. *Ex omnibus animalibus mundis tolles septena, et septena.* fol.65.
In articulo diei illius ingressus est Noe, & Sem, &c. fol.405.
Multiplicatæ sunt aquæ, et eleuauerunt arcam. fol.440.
Cap.8. *Egrediebatur, et non reuertebatur.* fol.46.
Venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ, &c. fol.584.
Ædificauit altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocaustum super altare, fol.147. & 491.
Nequaquam maledicam terræ propter homines, sensus enim, et cogitatio, &c. fol. 454.
Cap.9. *Dixit Dominus ad Noe, et ad filios eius cum eo: Ecce ego statuam peccatum meum.* fol.107.
Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos, et ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum tâm in volucribus, &c. fol.130.
Quod cùm vidisset Cham pater Chanaã, verecunda scilicet patris sui esse nudata, nuntiauit duobus fratribus, fol.152.173. & 219.
At Sem, & Iaphet pallium imposuerunt humeris suis, et incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui, folio. 204.
Dixitque, Benedictus Dominus Deus Sem. fol.285.
Terror vester, et tremor sit super cuncta animantia terræ, & super omnes volucres cœli, cum vniuersis, quæ mouentur super terram, &c. fol.38.
Cap.12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, et de domo patris tui.* fol.23.
Egressus itaque Abraham, sicut præcepit ei Dominus. fol.239.
Cap.13. *Dixitque Dominus ad Abraham, postquam diuisus est ab eo Lot.* fol.173.
Erat autem Abraham diues valdè in possessione auri, et argenti. fol.185.
Ascendit ergo Abraham de Ægypto, ipse, & vxor eius, & omnia, quæ habebat, et Loth cum eo ad Australem plagam: Erat autem diues valdè Abraham in possessione auri. fol.530.
Cap.14. *A filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas, ego ditaui Abraham.* fol.126.
Cùm audisset Abraham captum videlicet Loth fratrem suum, numerauit, &c. fol.60. & 234.
Leuo manus meas ad Dominum meum excelsum possessorem. fol.238.
Cap.15. *Generatione autem quarta reuertentur huc.* fol.261.
Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. fol.620.
Cap.17. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum.* fol.621.
Cap.18. *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, quid si ibi fuerint viginti?* fol.85.
Afferam pusillum aquæ, & lauentur pedes vestri, &c. fol.575.
Festinauit in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: accelera, tria sata simile commisce. fol.234.
Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum. fol.324.
Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio. 260. et 180.
Cùm ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam. fol.175. et 329.
Clamor Sodomorum, et Gomorrhæorum multiplicatus est, &c. fol.216. et 627.
Cap.19. *Recordatus est Deus Abraham, et emisit Loth ê media subuersione.* folio.230.
Igitur Dominus pluit super Sodomam, et Gomorrham sulphur. fol.341. 440.535. et 606.
Respicienſque vxor eius post se, conuersa est in statuam salis. fol.372.
Cap.20. *Vbi ille argenteos dedit fratribus, hoc erit in velamen, &c.* fol.81.
Cap.21. *Abraham autem plantauit nemus in Bersabeth, & inuocauit ibi nomen Dei sui.* fol.285.
Cùmque consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum. fol.267.
Cap.22. *Tolle filiũ tuũ vnigenitum, quem diligis, &c.* fol.239. & 630.
De nocte consurgens strauit asinum. folio.133.

Cùm alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum, folio. 292.

Dixit ad pueros suos, expectate hîc cum asino, &c. fol.329.

Cap. 23. *Det mihi speluncam duplicem, quam habet, &c.* fol.274.

Dabo pecuniam pro agro, suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum, folio. 284.

Princeps Dei es apud nos. fol.629.

Cap. 24. *Puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, & bibam; & illa responderit, bibe, quin & camelis tuis, &c.* folio. 8.

Igitur Rebecca, et puella ipsius ascensis camelis secutæ sunt virum. folio. 24.

Pone manum tuam super fœmur meum, vt adiurem te, &c. fol.327.

Cap. 25. *Et vendidit primogenita sua, & sic accepto pane, & ædulio, comedit, & bibit, et abijt parui pendens, &c.* folio. 129.

Quibus adultis factus est Esau gnarus venandi, et vir agricola, &c. fol.208.

Cùm adorarent eum fratres sui, folio. 209.

Cap. 26. *Et venerunt pueri Isaac, et nuntiauerunt ei de puteo, quem foderunt, et dixerunt, &c.* fol.295.

Orta autem fame post terram, abijt Isaac ad Abimelech Regem Palæstinorum in Gerara, apparuitque ei Dominus, folio. 186.

Profectusque Israel, cum omnibus, quæ habebat, venit ad puteum iuramenti, folio. 558.

Cap. 27. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.* fol. 74.

Nunc ergo fili mi, acquiesce consilijs meis, et pergens ad gregem, affer, &c. folio. 604.

Frumento, et vino stabiliui eum, et tibi post hæc, fili mi, vltra quid faciam, fol. 185.

Sume arma tua pharetram, et arcum, et egredere foras, cûmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum. fol.208. & 514.

Cap. 28. *Dormiuit in eodem loco, viditque in somnijs scalam stantem, &c.* folio. 498.

Angelos ascendentes, et descendentes, folio. 578.

Iacob profectus venit in Mesopotaniam. fol.179.

Erexit lapidem, fundens oleum desuper. fol. 127.

Cap. 29. *Non est in loco nostro consuetudinis, &c.* fol.484.

Cap. 30. *Rursus Lia concipiens peperit sextum filium, et ait: Dotauit me Deus dote bona.* fol.364.

Cap. 31. *Die, noctuque æstu vrgebar, et gelu, fugiebatque somnus.* fol. 165.

Leua oculos tuos, et vide vniuersos masculos ascendentes super fœminas, varios, maculosos, &c. fol.483.

Cap. 32. *Ecce vir luctabatur eum eo vsque manè, et cûm prænaluisset Iacob, dixit ei Angelus.* fol.193.

Ecce vir luctabatur cum eo. fol. 499.

Iacob quoque abijt itinere, quo cæperat; fueruntque ei obuiam Angeli Dei, quos cûm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc, fol.483. & 498.

Cap. 34. *Augete dotem, et munera postulate, et libenter tribuam,* fol. 177. & 631.

Cap. 35. *Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum, consumptusque est ætate.* fol.144.

Consumptus ætate mortuus est, et appositus est ad genus suum. fol.432.

Dederûntque ei omnes Deos alienos, quos habebant, &c. fol.444.

Cap. 37. *Ioseph cûm sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis,* fol. 312.

Miseruntque eum in cisternam veterem, fol.537.

Extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis. fol.209.

Triginta argenteis. fol.527.

Increpauit eum pater suus, et dixit. Nûc ego, et mater tua, et fratres tui adorabimus te. fol.417.

Cap. 38. *Non fuit in loco isto meretrix,* fol. 441.

Cap. 39. *Relicto in manu eius pallio, fugit, et egressus est foras.* fol.200.

Cap. 41. *Vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluuium, de quo ascendebant septem boues pulchræ.* folio. 183.

Erat ibi puer Hebræus eiusdem ducis mîlitum famulus: cui narrantes somnia, &c. fol. 531.

Confiteor peccatum meum: iratus Rex, &c. fol.522.

Cap. 42. *Ioseph erat Princeps in terra Aegypti, atque ad eius nutum, &c.* folio. 229.

Meritô hæc patimur, quia peccauimus in fratrem, &c. fol.486.

Cap. 43. *Ingressusque est Ioseph in domum suam, obtuleruntque ei munera.* folio. 229.
Maior pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet. fol. 594.
Et mirabantur nimis sumptis partibus, quas ab illo acceperunt. fol. 237.
Sederunt coram eo primogeniti iuxta primogenita sua. fol. 461.
Cap. 44. *Egressus continuit se, & ait, ponite panes.* fol. 324.
Quos scrutatus incipiens à maiori vsque ad minimum. fol. 462.
Scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus. fol. 494.
Cap. 47. *Et nos, & terra nostra tui erimus, eme nos in seruitutem regiam.* folio 163.
Si inueni gratiam in conspectu tuo pone manum tuam in fœmore meo, & facies mihi misericordiam, &c. fol. 357.
Cap. 48. *Extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris, &c.* fol. 270.
Do tibi partem vnam extra fratres tuos, &c. fol. 441.
Cap. 49. *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, decorus aspectu, filiæ discurrerunt super murum.* fol. 272.
Nõ auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est. fol. 317.
Effusus sicut aqua non crescas, quia ascendisti cubile patris tui. fol. 111.

Ex Exodo.

Cap. 1. *Erant igitur omnes animæ eorum, qui egressi sunt de fœmore Iacob.* folio 132.
Filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, &c. folio. 228.
Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos. fol. 469.
Cap. 2. *Ingemiscentes filij Israel propter opera vociferati sunt.* fol. 457.
Quare dimisistis hominem? Vocate eum, vt comedat panem. fol. 468.
Cap. 3. *Solue calceamentum pedum tuorum; locus enim, in quo stas, terra sancta est.* fol. 92 & 623.
Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius. fol. 198.
Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non comburebatur. fol. 139. 154. 461. & 544.
Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahã. Deus Isaac, Deus Iacob. fol. 625.
Cap. 4. *Cùm esset in itinere in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* 101. & 421.
Quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. fol. 547.
Cap. 7. *Tulitque Aaron virgam corã Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* fol. 614.
Cùm dixerit vobis Pharao, attendite signo, dices, tolle virgam. fol. 297.
Vocauit Pharao sapientes, & maleficos, fol. 304.
Ecce constitui te Deum Pharaonis, fol. 622.
Immittamque manum meam super Aegyptum, & ducam exercitum, & populum meum Israel de terra Aegypti, per iudicia maxima. fol. 387.
Cap. 9. *Videns autem Pharao, quòd cessasset pluuia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum.* fol. 20.
Cap. 12. *Decima autem die mensis huius tollat vnusquisque agnum.* fol. 224.
Sic autem comedetis illam, renes vestros accingetis, &c. fol. 146. & 517.
Ego Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem. fol. 135.
Factũ est in noctis medio, percussit Deus omne primogenitum. folio. 48. & fol. 130.
Tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas fol. 71. & 268.
Vrgebantque Aegytij populum de terra exire velociter. fol. 247.
Cap. 13. *Cùm introduxerit te Dominus in terram Chananæi, sicut iurauit tibi, & patribus tuis, & dederit tibi eam, separabis omne, quod aperit vuluam, &c.* fol. 397.
Cap. 14. *Liberauitque Dominus in die illa Israelem de manu Aegyptiorum.* folio 133.
Reuersæ sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis. fol. 135 & 223.
Diuisa est aqua, ingressi sunt filij Israel per medium maris. fol. 176.
Cap. 15. *Ibi constituit ei præcepta, atque iudicia, et ibi territauit eum.* fol. 37.
Cap. 16. *Sedebamus super ollas carnium.* fol. 132.
Dimiserunt quædam ex eis vsque manè, et scatere cæpit vermibus. folio. 189.
Nomen eius Man, quod erat quasi semen coriandri. fol. 191.

Cap.

Cap. 17. *Cûmque leuaret Moyses manus, vincebat Israel.* fol. 50. & 304.
Cap. 18. *Venit ad me populus quærens sententiam Dei.* fol. 518.
Cap. 20. *Omne opus tuum non facies in ea,* fol. 508.
Cap. 22. *Captum à bestia non comedent;* folio. 250.
Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi. fol. 174.
Cap. 23. *Non suscipies vocem mendacij,* folio. 42.
Cap. 24. *Ascendit in montem; et fuit ibi quadraginta diebus, &c.* fol. 244.
Cap. 25. *Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est.* fol. 433.
Cap. 31. *Custodiant filij Israel pactum,* folio. 510.
Cap. 32. *Proiecit de manu tabulas, et confregit.* fol. 296.
Cerno, quôd populus iste duræ ceruicis sit; dimitte me, vt irascatur, &c. fol. 286. & 526.
Arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, et contrinit vsque ad puluerem. fol. 144.
Peccastis peccatum maximum: ascendam ad Dominum, si quomodo quiuero eum deprecari. fol. 230.
Est locus apud me, et stabis supra petram. Cûmque transibit gloria mea, &c. fol. 495.
Cap. 33. *Non indicas mihi, quem missurus es mecum, præsertim cûm dixeris, noui te ex nomine.* fol. 94.
Cap. 34. *Cûm descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quôd cornuta esset facies.* fol. 206. & 520.

Ex Leuitico.

Cap. 1. *Si autem de auibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, et pullis columbæ, offeret eam Sacerdos ad altare: & retorto ad collum capite, ac rupto, &c.* fol. 610.
Cap. 10. *Arreptisque Nadab, et Abiu, filijs Aaron thuribulis, posuerunt ignem, & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, &c.* fol. 335. 534. & 535.
Cap. 16. *Postquam emundauerit sanctuarium, et tabernaculum, &c.* fol. 48.
Cap. 19. *Non eris criminator, neque susurro.* fol. 34. & 552.
Cap. 21. *Sex annis seres agrum tuum, et sex annis expectabis vineam.* fol. 235.
Cap. 22. *Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem, &c.* fol. 150.
Cap. 26. *Daboque vobis cœlum desuper, sicut ferrum; et terram æneam.* fol. 388.

Ex Numeris.

Cap. 3. *Ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti, sanctificaui mihi, quidquid primo nascitur.* fol. 549.
Cap. 10. *Nubes quoque Domini super eos erat per diem, cûm incederent.* folio. 359.
Cap. 11. *In mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique, et cepæ.* fol. 257.
Descenditque Dominus per nubem, et locutus est. fol. 165.
Sedens, et flens iunctis sibi pariter filij Israel, ait, quis dabit nobis ad vescendum carnes? fol. 54.
Domine mi, prohibe eos. fol. 360.
Nunquid manus Domini inualida est? fol. 53.
Vulgus quippê promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagrauit desiderio carnium. fol. 391. & 371.
Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quia senes sunt, &c. fol. 7. & 532.
Cap. 12. *Ecce Maria apparuit candens lepra sicut nix.* fol. 544.
Cap. 14. *Dimisi iuxta verbum tuum: viuo ego, et implebitur gloria Domini vniuersa terra.* fol. 8.
Omnes, qui numerati estis â viginti annis, et suprâ, et murmurastis contra me, non intrabitis terram, &c. folio. 348.
Cap. 20. *Auditer rebelles, et increduli, num de petra vobis aquam poterimus eijcere?* fol. 86. & 574.
Cap. 21. *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, et posuit eum pro signo, &c.* fol. 388.
Et tædere cœpit populum itineris, et laboris, locutusque est contra Dominum, &c. fol. 335.
Cap. 22. *Dixitque Deus ad Balaam, noli ire cum eis.* fol. 328.
Veni igitur, et maledic populo huic, quia fortior me est. fol. 41.
Ne cunctaris venire ad me: paratus sum honorare te. fol. 487.
Cap. 23. *Dominus autem posuit verbum in ore eius.* fol. 17.

Qui iratus iurauit, dicens, si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Ægypto. fol.12.
Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet ducem Moab. fol.70.
Moriatur anima mea morte iustorum, fo. 355. & 404.
Cap. 24. *Surrexitque Balaam, et reuersus est in locum suum. Balac quoque via, qua venerat.* fol.245.
Cap.25. *Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, &c.* fol.212.
Quod cùm vidisset Phinees filius Eleazari, &c. fol.539.
Fornicatus est populus cũ filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia, fol. 180.
Cap.27. *Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, &c.* fol.151.
Tolle Iosue filium Num, virum, in quo est spiritus, &c. fol.154.
Cap.33. *Profecti igitur de Ramasse mense primo, quinta decima die mensis primi.* fol.107.
Profectique de mari rubro, castrametati sunt in deserto Sim. fol.37.
Transierunt ad campestria Moab supra Iordanem contra Ierico. fol.346.

Ex Deutheronomio.

Cap. 1. *Quod iustum est, iudicate, siue ciuis sit ille, siuè peregrinus.* fol.311.
Cap.4. *Non est alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes, &c.* folio. 252.
Cap. 8. *Ne postquam comederis, et satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, et habitaueris in eis, &c.* fol.392.
Cap. 10. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit â te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, &c.* fol.464.
Cap.17. *Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, nec declinet in partem dexteram, vel sinistram, vt longo tempore regnet.* fol.219.
Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius. fol.589.
Cap.19. *Reddent ei, sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui, vt audientes cæteri timorem habeant.* fol.48.
Cap. 21. *Si videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam: radet cæsariem, et circumcidet vngues.* fol.579.
Cap. 23. *Non ingrediens manzer, id est, de scorto natus.* fol.115.
Sicut aquila prouocat ad volandum pullos suos. fol.268.
Cap. 27. *Si audieris vocem Dei tui, vt facias, atque custodias.*
Maledictus homo, qui facit sculptile, et conflatile abominationem Domini, &c. fol.444.
Cap. 28. *Et erit pendens vita tua.* fol. 298.
Cap. 32. *Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum.* fol.14. & 5.9.
Impinguatus est, incrassatus est dilectus, et recalcitrauit. fol.396.
Cap.33. *Lætare, Zabulon, in exitu tuo, et Isachar in tabernaculis tuis. Populos vocabunt, &c.* fol.364.
Apparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia. fol.445.
Cap. 34. *Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab.* fol.291.
Fleueruntque ei filij Israel. fol.356.
Et non cognouit homo sepulchrum eius vsque in presentem diem. fol.528.

Ex Iosue.

Cap.2. *Fateor, venerunt ad me; sed nesciebam, vndè essent, cùm porta claderetur.* fol.36.
Deus vester in cælo, et in terra. fol. 441.
Tollensque mulier viros, abscondit. fol. 471.
Cap.3. *Steterunt aquæ descendentes in locum vnum, ad instar montis intumescentis, &c.* fol.417.
Cap.4. *Præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo, &c.* fol.537.
Cap. 5. *Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco.* fol.578.
Cap.9. *Susceperũt igitur de cibarijs eorum, et os Domini non interrogauerunt,* folio. 320.
Cap.10. *Stetit itaque Sol in medio cœli, et non festinauit occumbere.* fol.301.
Steterunt Sol, et Luna, donec vlciscerentur segens de inimicis. fol.96.

Ex libro Iudicum.

Cap. 1. *Surrexerunt alij, qui non nouerunt Dominum, et opera, &c.* folio. 608.
Cap. 2. *Ascenditque Angelus Domini de Galgalis.* fol.578.

Cap.3. Extendit Aod sinistram manum, & tulit siccam de dextro fœmore, infixitque eam in ventre eius. fol.625.
Cap.4. Si veneris mecum, vadam; si nolueris venire, non pergam. fol.293.
Cap.6. Ponam hoc vellus lanæ in area, si ros in solo vellere fuerit, &c. 462.
Cap.7. Dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas. fol.517.
Cap.8. Dixitque ad Zebee, & Salmana: quales fuerunt viri, quos occidistis in Thabor? fol.64.
Cap.9. Erat autem turris excelsa in media ciuitate, ad quam confugerant simul viri, ac mulieres, &c. fol.344.
Conduxit sibi viros inopes, & vagos, folio.530.
Cap.11. Qua visa scidit vestimenta sua, & ait: Heume, filia mi, decepistime. fol. 353.
Mitte me, vt duobus mensibus circum eam montes, & plangam, &c. fol.355.
Quicumque primus fuerit egressus, &c. fol.592.
Cap.13. Concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus. fol.255, & fol.158.
Quidquid ex vinea nascitur, non comedat; vinum, & siceram non bibat. fol. 302.
Caue ergo, ne bibas vinum, ac siceram, nec immundum quidquã comedas, quia concipies, &c. fol.18. & 391.
Cap.16. Ferrum nunquam ascendit caput meum, quia Nazaræus, id est, consecratus Deo sum de vtero matris meæ. fol. 292.
Rupit vincula, quomodo si rumpat quis filum de stupa tortum sputamine. fol. 542.
Qui adductus è carcere ludebat ante eos, feceruntquè eum stare ante duas columnas. fol.568.
Cap.18. In diebus illis non erat Rex in Israel. fol.243.

Ex Ruth.

Cap. 1. Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus. fol. 549.
Quæ eleuata voce flere cœperunt, & dicere: tecum pergemus ad populum tuum. fol.181.
Facta est fames in terra, abijtque homo de Bethleem Iuda, vt peregrinaretur, &c. fol.184.
Ne vocetis me Noemi, id est, pulchram, &c. fol.196.
Ipse vocabatur Elimelech, &c. folio 474.
Cap.4. Moabitidem vxorem Mahalon in coniugium sumo, vt suscitem nomen defuncti, &c. fol.324.

Ex.1.Reg.

Cap. 1. Vsquequò ebria eris; digere paulisper vinum, quo mades. fol.214.
Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam. fol.442.
Ego commodaui eum Domino. fol.246.
Pro puero isto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam. fol.287.
Dedit illi Deus, vt conciperet. fol.315.
Deus Israel det tibi petitionem tuam. fol.158.
Vade in pace, et Deus Israel det tibi petitionem tuam. fol.66.
Cap.2. Et abijt Elcana in Ramatha in domum suam: puer autem erat minister, &c. fol.407.
Cap.4. Cùmq; ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum, &c. fol.218.
Cap.5. Dagon solus truncus remansit. fol. 506.
Flebat pauor mortis in singulis vrbibus. fol.572.
Cap.6. Facite plaustrum nouum, &c. fol 257.
Porrò Betsamitæ metebant triticum in valle, et eleuantes oculos suos, viderũt arcam, et gauisi sunt, &c. fol.164.
Cap.9. Ego sum videns, ascende ante me in excelsum, vt comedas fol.288.
Cap.10. Et applicuit tribum Beniamin, et cognationes eius, et cecidit cognatio, &c. fol.317.
Cap.14. Dixitque populus ad Saul: Ergo ne Ionathas moriturus. fol.247.
Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia morieris, Ionatha. fol.108.
Gustans gustaui in summitate virgæ in manu mea paululum mellis. fol.106.
Ascendit autem Ionathas manibus, et pedibus reptans, et armiger eius post eum fol.428.
Cap.15. Conuersus est Samuel, vt abiret, Saul autem apprehendit summitatem, &c. fol.62.
Sine me, & indicabo tibi, quæ locutus sit ad me Dominus nocte. fol.522.
Peccaui, quia prævaricatus sum sermonẽ Domini, et verba tua timens populum. fol.59.
Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui. fol.146.

Pro eo, quòd abiecisti sermonem Domini. fol.244.
Melior est obedientia, quàm victima, & auscultare, magis quàm offerre adipem. fol.246.
Siccine separat amara mors? fol.355.
Cap.17. *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, et veniebat leo, &c.* fol.154.
Cap.19. *Fixum est, quod locutus sum; tu & Siba dividite possessiones.* fol.35.& 313.
Cap.20. *Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid.* fol.326.
Si custoditi sunt pueri à muliere; manducabunt. fol.344.
Cap.23. *Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset.* fol.254.
Cap.24. *Cùm præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum* fol.249.
Saul exurgens de spelunca, pergebat cepto itinere, &c. fol.504.
Vox ista tua fili Dauid? fol.28.
Erat ibi spelũca, ad quam ingressus Saul, vt purgaret ventrem, &c. fol.498.
Cap.25. *Ipse est filius Belial, ita vt nemo posset ei loqui.* fol.153.
Ne ponat Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal, &c. fol.134.
Cap.26. *Et dixit Dauid ad Abisai, ne interficias eum.* fol.107.
Cap.28. *Cras autem tu, & filij tui mecum eritis.* fol.412.
Nosti quanta fecerit Saul, & quomodo eraserit Magos, & Ariolos. fol.630.
Cap.29. *Scio, quia bonus es in oculis meis, sicut Angelus Dei.* fol.235.
Cap.30. *Potes me ducere ad cuneum istum.* fol.314.

Ex 2.Reg.

Cap.3. *Noluit bibere, sed libauit eam Domino.* fol.305.
Hæc sunt nomina fortium Dauid. Sedens in cathedra sapientissimus, &c. fol.350.
Cap.6. *Dauid percutiebat in organis armigatis, & saltabat totis viribus.* folio 346.
Cap.7. *Quis ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea, quia adduxisti me hucvsque?* fol.64.
Cap.12. *Iratus enim indignatione Dauid aduersus hominem illum, dixit ad Nathan, &c.* fol.98.
Peccaui Domino; dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoq; transtulit peccatum. fol.59.
Cap.13. *Noluit contristare spiritũ Amon filij sui, &c* fol.431.
Fama perueuit ad Dauid, dicens: Percussit Absalon filios Regis. fol.612.
Cap.14. *Quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, vt non superset viro nomen.* fol.361.
Quare cogitasti huiusce modi rem contra populum Dei, & locutus est Rex verbum istud, vt peccet, & non reducat eiectum suum? fol.539.
Cap.16. *Dimitte eum, vt maledicat; Dominus enim præcepit.* fol.248.
Egredere, egrede vir sanguinum. fol.252.
Tetenderunt ergo Absalon tabernaculum in solario. fol.242.
Cap.17. *Placuit sermo eis Absalon, & cũctis maioribus natu.* fol.603.
Non est bonum consilium, quod dedit Architophel hac vice. fol.603.
Cap.18. *Fuit autem ibi prælium dispersum superfaciem omnis terræ.* fol.314.
Desiderauit autẽ Dauid, & ait: O si quis mihi daret, &c. fol.501.
Cap.22. *Ascende, & dabit eam Dominus in manu Regis.* fol.522.
Cap.23. *Noluit bibere, sed libauit eã Domino.* fol.488,& 540.

Ex 3.Reg.

Cap.3. *Mortuus est autem filius mulieris huius nocte, dormiens quippè oppressit eum.* fol.33.
Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, &c. fol.446.
Cap.4. *Habitabatque Iuda ex Israel absque timore.* fol.275.
Cap.6. *Aedificauit parietes domus intrinsecùs tabulatis cedrinis, &c.* fol.296.
Cap.10. *Beati viri tui, & beati serui tui, ij qui stant coram te.* fol.278.
Cap.13. *Cùmque planxissent eum, dixit ad filios suos, cùm mortuus fuero, sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei, &c.* fol.404.
Cap.17. *Surge, & vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi; præcepi enim mulieri viduæ. &c.* fol.124.
Viuit Dominus, non erit per hos annos ros, &c. fol.59.
Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantùm pugillus capere

pere poteſt farinæ, &c. fol.184.& 145.
Hydria farinæ non deficiet, fol.421.& 428.
Cap.19. *Dereliquerunt pactum Domini filij Iſrael, altaria tua deſtruxerunt, fol. 276.*
Cûmque veniſſet, et ſederet ſubter vnam Iuniperum, petiuit animæ ſuæ, vt moreretur, &c. fol.263.
Timuit Elias, et ſurgens abijt quocumq; eum ferebat voluntas. fol.10.
Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, &c. fol.159.
Cap.21. *Da mihi vineam tuam accepta pecunia. fol.417.& 419.*

Ex 4. Reg.

Cap.1. *Obſecro, vt fiat ſpiritus tuus duplex in me. fol.532.*
Cap.2. *Ecce currus igneus, et equus igneus, & aſcendit Elias, &c. fol. 272.443.& 449.*
Si videris me, quando tollar à te, erit tibi. fol.56.
Obſecro, vt fiat in me duplex ſpiritus tuus. fol.385.
Cap.4. *Cûmque veniſſet ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius, folio. 283.*
Aſcendit autem, et collocauit eum ſuper lectum hominis Dei. fol.470.
Cap.6. *Et aperuit Dominus oculos pueri, et vidit, et ecce mons plenus equorum, fol. 237.*
Orauit Eliſæus ad Dominum, et dixit, percute iam gentem hanc cæcitate, folio. 252.
Apertis oculis vidit puer currus, & equos. fol.503.
Cap.10. *Protegam vrbem hanc, et ſaluabo eam propter me, et propter Dauid, folio. 230.*
Cap.13. *Mortuus eſt ergo Eliſæus, et ſepelierunt eum: latrunculi autem de Moab venerunt, &c. fol.45.*
Cap.19. *Factum eſt in nocte illa, venit Angelus Domini, et percuſſit, &c. folio. 220.*
Cap.21. *Et obſeruabat auguria. fol.612.*
Cap.25. *Et clauſa eſt ciuitas, atque vallata vſque ad vndecimum annum Regis Sedeciæ, &c. fol.230.*

Ex 1. Paralip.

Cap.4. *Omnia vaſa fecit Salomoni Hiram pater eius in domo Domini. fol.254.*
Cap.22. *Non poteris ædificare domum nomini meo. fol.517.*
Cap.29. *Scio Deus meus, quòd probes corda, et ſimplicitatem diligas, vnde & ego in ſimplicitate, &c. fol.627.*

Ex 2. Paralip.

Cap.2. *Miſi ergo tibi virum prudentem, et ſcientiſſimum Hiram patrem meum, folio. 254.*
Cap.21. *Et fecit malum coram Domino, et noluit Dominus perdere domum Dauid propter teſtamentum, &c. fol.229.*

Ex 2. Eſdræ.

Cap.4. *Et reuerſi ſumus omnes ad muros, vnuſquiſque ad opus ſuum. Et factum eſt in die illa media pars iuuenum faciebat opus. fol.115.*

Ex lib. 3. Eſdræ.

Cap.1. *Miſit Rex Ægypti ad Ioſiam, dicens: Quid mihi, et tibi eſt Rex Iudæ? &c. fol.413.*
Cap.4. *Et non meminerunt, cûm elaboraſſent amicitiam. fol.302.*
Et accipit homo gladium ſuum, et vadit in viam facere furta, homicidia, &c. folio. 178.

Ex 4. Eſdræ.

Cap.2. *Ideoque vobis dico, gentes, quæ auditis, et intelligitis; expectate paſtorem veſtrum. fol.27.*
Væ tibi Aſſur, qui abſcondis iniquos penes te. Gens mala, memorare, quid fecerim Sodomæ, &c. fol.456.
Cap.3. *Nunquid meliora fecit Babylon, quâm Sion, aut alia gens cognouit te, præter Iſrael? fol.294.*
Cap.8. *O Domine, ſi non permittis ſeruo tuo, vt oremus coram te; et des nobis ſemen cordi, &c. fol.349.*
Cap.11. *Vidi hominem, et ecce aſcendebat de mari aquila, &c. fol.502.*
Cap.18. *Hoc paſcha Saluator noſter eſt, et refugium noſtrum; cogitate, &c. folio. 296.*

Ex Tobia.

Cap.1. *Contigit autem, vt quadam die fatigatus â ſepultura veniens in domum ſuam, &c. fol.236.*

Cap.5.

Cap.5. Cordis eius particulam si super carbones ponas. fol.32.
Cap.12. Me duxit et reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit: vxorem ipse me habere fecit: et bonis omnibus per eum repleti sumus. fol.548.

Ex Iudith.

Cap.2. Factum est verbum in domo Nabuchodonosor Regis Aegyptiorum, vt defenderet se. fol.282.
Cap.16. Erat autem populus iucundus secundùm faciem Sanctorum,&c. folio 173.

Ex Esther.

Cap.3. Solus Mardochæus non flectebat genua. fol.485.
Cap.7. Suspensus est itaque Aman in patibulo. fol.415.
Cap.8. Iudæis autem noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium, &c. fol.173.
Cap.10. Fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas, &c. folio.70.
Paruus fons, qui creuit in fluuium, Esther est. fol.30.

Ex Iob.

Cap.1. Erant pecora eius ouium septem millia. &c.
Et fuit possessio eius septem millia ouiũ, & tria millia camelorum. fol.234. & 31. fol.232.
Et opera magna illi erant in terra. folio 30.
Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo. fol.426.
Extende paululùm manum tuam, tange cuncta, quæ possidet. fol.16.
Numquid Iob frustrà timet Deum? fol. 587.
Sit nomen Domini benedictum, folio 294.
Irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio. folio 126.
Numquid considerasti seruum meũ Iob, quòd non sit ei similis, &c. fol.205.
Cap.2. Nudus egressus sum de vtero matris meæ. fol.157.
Cùmque eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum. fol.588.
Cap.3. Quare non in vulua mortuus sum, & egressus ex vtero, &c. fol.220. & 354.
Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, &c. fol.202.
Cop.5. Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus. folio 141.
Cap.6. Quæ priùs nolebat tangere anima mea tunc præ anguia cibi mei sunt. folio. 57.
Cap.7. Dies mei velociùs transierunt, quam à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque vlla spe. fol.144.
Cap.8. Super aceruum petrarum radices eius densabuntur. fol.268.
Cap.10. Memento, quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nonnè sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Vitam, & misericordiam tribuisti. fol.541.
Cap.13. Numquid Deus indiget vestro mẽdacio, vt pro illo loquamini dolos? Nũquid faciem eius accipitis? fol.521.
Cap. 14. Hemo natus de muliere breui viuens tempore. fol.265.
Cap.15. Congregatio hypocritæ sterilis, & ignis deuorabit tabernaculum eius. folio. 325.
Cap.18. Tenebitur planta illius laqueo, & exardescet contra eum sitis. fol.373.
Cap.19. Vsquequò affligitis animam meã, & atteritis me sermonibus? fol.568.
Nempè etsi ignoraui, mecũ erit ignorantia mea, &c. fol.337.
Cap.20. Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ. fol.528.
Cap.25. Neque enim quis existimet, quòd dilatio sit piratis. fol.216.
Cap.28. Sapientia verò vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium eius. fol.90.
Tempus posuit tenebris, & vniuersorum fines ipse considerat, lapidem quoque caliginis, et vmbram mortis, &c. folio. 170.
Cap.29. Causam, quã nesciebam, inuestiganam. fol.381.
Dicebam, in nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. fol.266.
Iustitia indutus sum: & vestiui me sicut vestimento, & diademate, iudicio meo. fol.244.
Quando erat omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei, &c. fol.170.
Cap.30. Comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ, et cineri, &c. fol.259.
Cap.31. Si contempsi subire iudicium cũ seruo meo, et ancilla mea. fol.251.

Si abſcondi quaſi homo peccatum meum. *fol.*322.

*Cap.*33. *Abominabilis ſit ei in vita ſua panis, & animæ illius cibus antè deſiderabilis.* *fol.*55.

Reſpiciet homines, & dicet; peccaui. *folio.*321. & 389.

*Cap.*35. *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt; & eiulabunt propter vim brachij tyrannorum. Et non dixit,* &c. *fol.*554.

*Cap.*36. *In manibus abſcondit lucem.* *fol.* 515.

*Cap.*37. *Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimè, quaſi ex ære.* *folio.*97.

*Cap.*38. *Mittes fulgura, & ibunt, et reuertentia dicent tibi, adſumus.* *fol.*236.

*Cap.*39. *Numquid per ſapientiam ſuã plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad Auſtrum.* *fol.*56.

*Cap.*41. *Halitus eius prunas ardere facit.* *fol.*573.

*Cap.*42. *Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meũ Iob,* &c. *fol.*229.

Ex Pſalmis.

1. *In cathedra peſtilentiæ non ſedit.* *folio.*489. & 571.

2. *Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecûs decurſus aquarum.* *fol.* 195.275. & 299.

3. *Dormiui, & ſoporatus ſum, & exurrexi.* *fol.*354.

4. *Signatum eſt lumen vultus tui ſuper nos.* *fol.*80.

A fructu frumenti, et vini, et olei, &c. *fol.*228.

Quoniam tu, Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. *fol.*143.

Vſquequò diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. *fol.*187.

Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona? *fol.*453.

6. *Erubeſcant, et conturbentur omnes inimici mei; conuertantur, & erubeſcant.* *fol.*308.

7. *Deus iudex iuſtus, fortis, & patiens, numquid iraſcitur per ſingulos dies?* *fol.*109.

9. *Non eſt Deus in conſpectu eius, polluuntur viæ eius omni tempore.* 101.

Parauit in iudicio thronum ſuum. 250.

10. *Quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem?* *fol.*34.

11. *Propter miſericordiam inopum, & gemitum pauperum non exurgam,* &c. *fol.* 252.

13. *Dixit inſipiẽs in corde ſuo, nõ eſt Deus.* *fol.*554.

17. *Aſcendit fumus in ira eius, & ignis â facie eius exarſit.* *fol.*615.

18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* *fol.*545.

23. *Poſuiſti nos in opprobrium vicinis noſtris ſubſannationem, et deriſum his,* *folio.*43.

26. *Vnam petij â Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Dñi,* &c. *fol.*409.

28. *Afferte Domino filij Dei: afferte Dño filios arietum.* *fol.*487.

30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti,* &c. *fol.*83.

Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. *fol.*50.

Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, *fol.*503.

33. *Accedite ad eum, et illuminamini.* *fol.* 102

Guſtate, et videte, quoniã ſuauis eſt Dominus. *fol.*21.

Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius. *fol.*19.

35. *Homines, et iumenta ſaluabis, Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam, Deus.* *fol.*383.

36. *Nouit Dominus dies immaculatorum.* *fol.*50. *et* 549.

Spera in Domino, et fac bonitatem, et inhabita terram, et paſceris in diuitijs eius. *fol.*118.

38. *Notum fac mihi, Domine, finem meum.* *fol.*50 & 618.

Et peregrinus ſicut omnes patres mei. *folio.*584.

39. *Multiplicati ſunt ſuper numerum.* 332.

Non reſpexit in vanitates, et inſanias falſas. *fol.*350.

43. *Tota die verecundia mea contra me eſt, et confuſio faciei meæ,* &c. *fol.*221.

44. *Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuũ.* *fol.*111.

Adducẽtur Regi virgines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi. *fol.*25.345. & 623.

Omnis gloria eius filiæ Regis ab intûs in fimbrijs aureis. *fol.*141.

50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco,* *fol.*544.

51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* *fol.*110.

52. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* *fol.*557.

54. *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* fol.12.
58. *Conuertentur ad vesperam; famen patientur, vt canes.* fol.57. & 373.
60. *Vt reddam vota mea de die in diem.* folio.197.
61. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* fol.16.
62. *In terra deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto, &c.* fol.11.
64. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* fol.72. & 306.
In stillicidijs eius lætabitur germinans. fol.353.
67. *Domini, Domini exitus mortis.* folio 331.
Qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem. fol.449.
Si dormiatis inter medios cleros. folio 506.
68. *Pauper, & dolens ego sum.* fol.109.
Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus, filijs matris meæ. fol.32.
Mane floreat, et transeat, &c. fol.13.
Infixus sum in limo profundi, &c. folio 182.
70. *Non cognoui litteraturam.* fol.151. 571. et 579.
72. *Deus, iudicium tuum Regi da.* fol. 465.
Et dixerunt, quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso? fol.557.
73. *Vt quid auertis manum tuam, et dexteram tuam de medio sinu tuo vsque in finem.* fol.114.
74. *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto, &c.* fol.615.
75. *Ab increpatione tua, Deus, dormitauerunt omnes.* fol.193.198.280. & 384
76. *Dedit ærugini fructus eorum, et labores eorum locustæ, &c.* fol.193.
79. *Excita potentiam tuam, et veni,* folio, 558.
85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* fol.265.
89. *Sæculum nostrũ in illuminatione vultus tui.* fol.528.
91. *Iustus vt palma florebit.* fol.354. et 379.
92. *Dominus regnauit, decorem indutus est, &c.* fol.215. et 362.
93. *Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* fol.557.
98. *Honor Regis iudicium diligit.* fol.98.
Deus, tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes. fol.104.
103. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus.* fol.502.
105. *Stetit Phinees, et placauit, et cessauit quassatio.* fol.459.
106. *Omnem escam abominata est anima eorum.* fol.55.
Numquid Sion dicet homo. fol.68.
Fiat habitatio eorum deserta, &c. folio 338.
Qui descendunt mare, in nauibus facientes, &c. fol.508.
109. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* fol.292.
115. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* fol.210.
118. *Iudica Domine, iudicium meum, et libera me.* fol.110.
Aspice in me, et miserere mei, secundũm iudicium diligentium nomen tuum, folio.44.
Dormitauit præ tædio anima mea; confirma me in verbis tuis. fol.53.
In quo corrigit adolescẽtior viam suam. fol.256 & 258.
Secundũm verbum tuum, Domine, mihi tribue intellectum. fol.361.
119. *Quomodo cantabimus in terra aliena?* fol.276.
Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est. fol.382.
121. *Lætatus sum in ijs, quæ dicta sunt mihi.* fol.406.
127. *Filij tui sicut nouellæ oliuarum, &c.* fol.334.
130. *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt.* fol.214.
131. *Ego autem quasi oliua fructifera in domo.* fol.290.
136. *Si oblitus fuero tui, Hierusalem, obliuioni detur dextera mea.* fol.400.
138. *Quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, &c.* fol.137. et 516.
Non est occultatum os meum à te, &c. fol.504.
140. *Oleum autem peccatoris non impinguet capat meum.* fol.306.
141. *Libera me de persequentibus me, quia confortati sunt super me.* fol.305.
144. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* fol.53.
147. *Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* fol.168. et 191.

Ex Prouerbijs

Cap.3. *Lignum vitæ est ijs, qui apprehendunt eam.* fol.33.
Cap.15. *Non dixeris, peccaui, & quid accidit*

dit mihi triſte, altiſſimus enim eſt patiens redditor. fol.110.
Cerua chariſſima gratiſſimus hinnulus, &c. fol.520.
Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum. fol.17.
Iniquitates ſuæ capient impium, et funibus peccatorum ſuorum conſtringetur. fol.372.
Cap.6. *Laqueus enim fortis viro propria labia, & capitur verbis oris ſui. folio 322.*
Paululùm dormies, paululum dormitabis, &c. fol.185.
Vſquequò piger dormies? Quando cõſurges de ſomno tuo? &c. fol.377.
Cap.7. *Statim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam. fol.82. & 535.*
Cap.9. *Mulier clamoſa, plenaque illecebris, et nihil omninô ſciens. fol.152.*
Cap. 10. *Stultus per riſum operatur ſcelus. fol.187.*
Fons vitæ in manu iuſti, &c. fol.333.
Deſiderium ſuum iuſtis dabitur. Quaſi tempeſtas tranſiens, &c. fol.480.
Cap.11. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt. fol.7.*
Salus autem, vbi multa conſilia. fol.174.
Impius facit opus inſtabile, ſeminanti autem iuſtitiam merces fidelis. fol.617.
Cap. 12. *Non inueniet fraudulentus lucrum. fol.189.*
Cap.14. *In multitudine populi dignitas Regis, in paucitate plebis ignominia. folio.228.*
Miſericordia, & veritas præparauit bonum. fol.469.
Vbi plurimæ ſegetes, manifeſta eſt fortitudo bouis. fol.207.
Filio doloſo nil erit boni. fol.627.
Cap. 16. *Vir impius fodit malum, et in labijs illius ignis ardeſcit. fol.407.*
Cap. 17. *Animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. fol.353.*
Cap.18. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit. fol.321.*
Cap.19. *Multi colunt perſonam potentis, et amici ſunt bona tribuentis, &c. folio.313.*
Cap.20. *Ei, qui reuelat myſteria, et qui ambulat fraudulenter, et dilatat labia. fol.42.*
Cap.24. *Per agrum hominis pigri tranſiui, et per viam viri ſtulti, &c. fol.177.*
Cap.25. *Gloria Regum, inueſtigare ſermonem. fol.381.*
Cap.26. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios. fol.35.*
Cap. 29. *Qui delicatè â pueritia nutrit ſeruum ſuum, poſt eã ſentiet eum contumacem. fol.23.*
Cap.30. *Verba congregantis filij vomentis. Viſio, quam locutus eſt vir, cum quo eſt Deus. fol.4.*
Tria ſunt inſaturabilia, & quartum, quod nunquam dicit, ſufficit. Infernus, et os vuluæ, et terra. fol.588.
Tria ſunt difficilia mihi, et quartum penitùs ignoro, viam aquilæ, &c. fol.38. et 178.
Stellio manibus nititur, et moratur in domibus Regum. fol.531.
Cap.31. *Non timebit domui ſuæ â frigoribus niuis, omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus. fol.244.*
Guſtauit, et vidit, quia bona eſt negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius, &c. fol.379.

Ex Eccleſiaſte.

Cap.1. *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. fol.618.*
Ad locum, vndè flumina exeunt, reuertuntur. fol.95.
Stultorum infinitus eſt numerus. folio 348.
Vbi multæ ſunt opes, multi et comedunt eas. fol.228.
Non eſt priorum memoria, ſed neque eorum quidem, quæ poſteâ futura ſunt, erit recordatio, &c. fol.450.
Quid habet ampliùs homo de vniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub Sole. fol.263.
Generatio præterit, generatio aduenit; terra autem in perpetuum ſtat. folio. 264.
Vniuerſa vanitas, et afflictio ſpiritus. folio.571.
Cap.2. *Multam habui familiam, armenta quoque, &c. fol.31.*
Sapientis oculi in capite. fo.605.
Cap.3. *Vidi ſub Sole in loco iudicij impietatem. fol.313.*
Cuncta fecit Dominus bona in tempore ſuo, et mundum tradidit diſputationi eorum. fol.200.
Cap.4. *Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas. fol.11.*
Conſiderans reperi aliam vanitatem ſub Sole. Vnus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, &c. fol.383. 452. & 469.

Cap. 5. Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub Sole, diuitiæ conseruatæ in malum. fol. 17. & 102.
Vbi multæ sunt opes, multi comedunt eas fol. 333.
Et omnis homo, cui dedit Deus diuitias, potestatemque. fol. 386.
Cap. 6. Omnis labor hominis in manu eius, sed anima illius non implebitur. folio. 33.
Cap. 8. Quasi vmbra transeant, qui non timent Dominum. fol. 389.
Cap. 9. Nec velocium esse cursum, nec fortium bella, &c. fol. 129.
Cap. 10. Qui transfert lapides, affligetur in eis. fol. 257.
Pretiosior est sapientia, et gloria, parua & ad tempus stultitia. fol. 114.
Væ tibi, terra, cuius Rex puer est, & cuius Principes manè comedunt, &c. fol. 279.
Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam, hic enim animam suam venalem habet. fol. 16.
Aues cœli portabunt vocem tuam, folio. 172.
Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne admiseris, fol. 101. & 435.
Labor stultorum affliget eos, qui a nesciunt in vrbem pergere. fol. 264.
Cap. 11. Mane semina semen tuum, et vespere, &c. fol. 505.
Cap. 12. Ibit homo in domum æternitatis suæ. fol. 322.
Verba sapientum, quasi stimuli, et quasi claui in altum defixi. fol. 361.

Ex Canticis Canticorum.

Cap. 1. Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino, fol. 83. 119. 122. & 201.
Oleum effusum nomen tuum, fol. 53. 503. & 519.
Adolescentulæ dilexerunt te. fol. 577.
Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, et abi, &c. fol. 222.
Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes, fol. 160. 259. & 433.
Ego flos campi, et lilium conuallium, fol. 527. & 625.
Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te. fol. 315.
Nolite me considerare, quòd fusca sim; quoniam decolorauit me Sol. fol. 22.
Trahe me post te, & curremus in odorem vnguentorum. fol. 377.
Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, fol. 540.
Filij matris meæ pugnauerunt contra me. fol. 545.
Cap. 2. Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, et fructus eius dulcis. folio. 21.
Dilectus meus mihi, et ego illi, &c. fol. 343. 493. & 546.
Donec adspiret dies, et inclinentur vmbræ. fol. 550.
Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi, soror mea, &c. fol. 239.
Ascendam in palmam, et apprehendam fructus. fol. 493.
Oculi tui sicut columbæ. fol. 502.
Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus. fol. 238. & 604.
Ego flos campi. fol. 497.
Surge, amica mea, soror mea, et veni; columba mea in foraminibus. fol. 166.
Surge, propera, amica mea. folio. 343.
Cap. 3. In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea, folio. 260. & 504.
Per vicos, et plateas quæram, &c. fol. 155.
Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: Numquid, quem diligit anima mea, vidistis? fol. 21.
Surgam, circuibo ciuitatem per vicos, et plateas, &c. fol. 345.
Ferculum sibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, &c. fol. 79. & 520.
Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus, folio. 195. 196. & 471.
En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes, &c. fol. 625.
Vniuscuiusque ensis super femur, &c. fol. 630.
Cap. 4. Surge Aquilo, et veni Auster, folio. 37.
Sicut vitta coccinea labia tua, fol. 336. & 519.
Venter tuus sicut crater tornatilis non indigens poculis. fol. 60.
Fons hortorum, puteus aquarum viuentium. fol. 438.
Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, fol. 67.
Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano. fol. 624.
Hortus conclusus es, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, fol. 79. et 624.

Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, fol.342.
Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum. fol.352.
Odor vestimentorum tuorum super omnia aromata. fol.593.
Cap. 5. Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, &c. fol.12. & 303.
Vox dilecti mei pulsantis. fol.361.
Crura illius columnæ marmoreæ. folio. 32.
Bibite, & inebriamini charissimi. folio.21.
Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ distillauerunt, &c. fol.146.
Veni in hortum meum, soror mea sponsa, fol.429.
Dilectus meus candidus, et rubicundus, fol.493. & 623.
Aperi mihi, soror mea, propinqua mea, perfecta, &c. fol.567.
Cap. 6. Sicut cortex mali punici genæ tuæ, absque eo, quod intrinsecùs latet. folio. 73.
Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicauerunt, &c. fol.475.
Sexaginta sunt Reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum, &c. fol.78. 186. & 473.
Egredimini, et videte, filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, &c. folio. 357.
Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, &c. fol.470.
Auerte à me oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt. fol.473.
Cap.7. Quàm pulchri gressus tui in calceamentis. fol.5. & 75.
Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, fol.147.
Surgam, et circuibo ciuitatem per vicos, et plateas. fol.12.
Ego dilecto meo, et ad me conuersio eius, &c. fol.24.
Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. fol.494.
Venter tuus aceruus tritici, vallatus liliis. fol.74.
Oculi tui sicut piscinæ, &c. fol.333.
Ascendam in palmam, apprehendam fructus eius. fol.425. & 611.
Cap.8. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto? fol.342.
Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, &c. fol.407.

Ex Sapientia.

Cap.1. Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum. fol.626.
Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, &c. fol.140.
Manibus, et verbis accersunt illam, fol. 457.
Cap.2. Venite ergo, et fruamur bonis, quæ sunt, et vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter, vino pretioso, &c. folio. 395.
Circumueniamus iustum, quoniam inutilis. fol.571.
Cap.4. Consummatus in breui explenit tempora multa. fol.270.
Ætas senectutis vita immaculata. folio. 51.
Quàm pulchra est casta generatio cum claritate. fol.79.
Cap.5. Induet pro thorace iustitiam, et accipiet pro galea iudicium. fol.245.
Cap.6. Horrendè, et citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in ijs, qui præsunt. fol.102.
Clara est semper, & nunquam marcescet sapientia, & facile videtur, &c. folio. 547.
Cap.9. Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, et terrena inhabitatio deprimit. fol.113.
Cap.12. Misisti antecessores exercitus tui vespas, &c. fol.212.
O quàm bonus, et quàm suauis est, Domine, spiritus tuus in omnibus, fol.557.
Cap.16. Angelorum esca nutriuisti populum tuum. fol.51.

Ex Ecclesiastico.

Cap.1. Plenitudo sapientiæ est, timere Deum, & plenitudo à fructibus illius, omnem domum illius impleuit, &c. fol. 386.
Cap.2. Væ duplici corde, et labijs scelestis, & manibus malè facientibus, et peccatori terram ingredienti duabus, fol.627.
Qui timent Dominum, inquirent, quæ bene placita sunt ei: qui diligunt eum, replebuntur, &c. fol.446.
Cap.18. Miseratio Domini circa proximum suum. fol.322.
Memento paupertatis in tempore abundantiæ, &c. fol.232.
Cap.24. Quasi balsamum non mixtum odor meus. fol.36.
Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. fol.60.

Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris. fol.347.
Quaſi palma exaltata ſum in Cades. folio.66.
Species mulieris exhilarat faciem viri ſui, & ſuper omnem concupiſcentiam, &c. fol.67.
Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inſpiciam omnes dormientes, &c. fol. 169.
Qui implet quaſi Phiſon ſapientiam, & ſicut Tigris in diebus nouorum. fol. 101.
Cap.27. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut Sol, nam ſtultus ſicut Luna mutatur.* fol.605.
Cap.42. *Melior eſt iniquitas viri, quã mulier bene faciens.* fol.292.
Cap.49. *Et Ioſeph, qui natus eſt homo, Princeps fratrum, &c.* fol.223.

Iſaias.

Cap.1. *Audite, cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt: Filios nutriui, &c.* fol.221.
Reſtituam iudices tuos, vt fuerũt prius. fol.167.
Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, &c. fol.307.
Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, &c. fol. 190.& 523.
Super quo percutiam vos vltrâ addentes prænaricationem. Omne caput languidum. fol.47.
Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. fol.73.
Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur in Aegyptum. folio.88.
Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus, ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea. fol.627.
Cap.2. *Et iudicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres.* fol.254.et 28.
Dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, et ſuper omnes naues. fol. 508.
Et ſuper omnes cedros Libani. fol.570.
Cap.3. *Princeps verò ea, quæ ſunt digna Principe cogitabit, et ipſe ſuper Duces.* fol.5.
Cap.4. *Lignum fumigans non extinguet.* folio.121.
Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem. fol.398.
Cap.5. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filij olei, &c.* fol.297.
Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis, &c. fol.372.
Væ, qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, &c. fol.183.
Et eleuabit ſignum in nationibus, et ſibilabit eum. fol.331.
Cap.6. *In anno, quo mortuus eſt Rex Ozias. vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.* fol.246.et 206.
Quæ ſub ipſo erant, replebant templum. fol.574.
In manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. fol.580.
Cap.7. *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emanuel.* fol.339.
Cap.8. *Antequam ſciat puer vocare patrẽ, aut matrem, auferetur fortitudo Damaſci.* fol.254.
Cap.9. *Quoniam omnem ſtolam congregatam dolo, et veſtimentum, &c.* folio. 221.
Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, et Nephtalim, &c. fol.277.
Delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidum, &c. fol.169.
Paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis. fol.67.et 448.
Cap.10. *Computreſcit iugum â facie olei.* fol.351.
Viſitabo ſuper fructum magnifici cordis Regis, &c. fol.389.
Suſcitauit ſuper eum Dominus exercituum flagellum, iuxta plagam Madiã, fol.604.
Cap.11. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, &c.* fol.120.
Vitulus, et leo, et ouis ſimul morabuntur, et puer paruulus minabit eos. folio.250.
In die malorum ne immemor ſis bonorũ, quoniam facile eſt coram Deo in die obitus, &c. fol.143.
Cap.12. *Hauritis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* fol.465.
Cap.13. *Vlulate, quia propè eſt dies Domini: quaſi vaſtitas â Domino veniet. Propter hoc omnes manus diſſoluentur, &c.* fol.92.
Ego mandaui ſanctificatis meis, et vocaui fortes meos in ira mea. fol.105.
Super montem caliginoſum leuate ſignũ. fol.424.et 437.
Cap.14. *Omnes Reges gentium vniuerſi in gloria, &c.* fol.322.
De radice colubri egredietur regulus. folio.32.

Qui dicebas in corde tuo, in cœlum conscendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, &c. fol.631.

Cap.19. *Dominus miſit in medio eius ſpiritum vertiginis, &c.* fol.4.

Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum. folio. 624.

Cap.21. *Babylõ dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum, &c.* fol.324.

Ad me clamat ex Seir. Cuſtos quid de nocte? fol.19.

Cap.22. *Figam illum paxillum in loco fideli, &c.* fol.361.

Et vocauit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad caluitium, &c. fol.392.

Cap.24. *Calamum quaſſatum non confringet.* fol.106.

Cap.26. *Afinibus terræ laudes audiuim⁹, gloriam iuſti; ſecretum meum mihi, &c.* fol.172.

Concepimus, & quaſi parturiuimus ſpiritum ſalutis. fol.442.

Cap.28. *Ponam iudicium in ſpem; at miſericordia mea in ſtateris.* fo.225.

Manda, remanda; expecta, reexpecta, modicum ibi. fol.266.

Hi quoque præ vino neſcierunt, præbrietate errauerunt. fol.302.

Cap.31. *Et cadet Aſſur in gladio non viri, & gladius non hominis vulnerabit eum.* fol.322.

Cap.33. *Diſſipatæ ſunt viæ; ceſſauit tranſiens per ſemitas; irritum factum eſt pactum.* fol.322.

Cap.36. *Namquid ad Dominum tuum, & ad te miſit me Dominus meus, vt loquerer te verba iſta, &c.* fol.188.

Cap.41. *Conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus populorum.* folio 162.

Cap.44. *Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam per ſtirpem.* fol.285.

Cap.45. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum. Aperiatur terra, &c.* fol.492.

Verè tu es Deus abſconditus. fol.52.

Cap.46. *Poſuit me ſicut ſagittam electam.* fol.298.

Cap.48. *Scio enim quia præuaricans præuaricaberis, & transgreſſorem ex vtero vocaui te.* fol.8.

Cap.49. *Leua in circuitu oculos tuos, et vide, omnes iſti congregati ſunt, &c.* fol. 363.

In manibus meis deſcripſi te; muri tui coram oculis meis. fol.515.

Cap.50. *Corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus, faciem meã non auerti, &c.* fol.236.

Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, &c. fol.384.

Cap.52. *Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem.* fol.306.et.170.

Solue vincula colli tui, captiua filia Sion. fol.491.

Cap.54. *Et in iuſtitia fundaberis.* fol.15.

Ego ſternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in ſaphiris, &c. fol.14.

Cap.55. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas.* fol.5.

Quare appenditis argentum, et non in panibus, &c. fol.264.

Cap.57. *Hæc dicit excelſus, & ſublimis, habitans æternitatem: & ſanctum nomen eius in excelſum.* fol.57.

Cap.58. *Et vocaberis ædificator ſepium.* folio.295.

Frange eſurienti panem tuum, egenos vagoſque induc in domum tuam, &c. folio.397.

Cap.60. *Aperientur portæ tuæ iugiter die, ac nocte, &c.* fol.61.

Surge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini, &c. fol.475.

Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, et adorabunt veſtigia pedum. fol.581.

Cap.61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quòd vnxit, &c.* fol.120.

Cap.62. *Habitabit iuuenis cum virgine, et habitabunt in te filij tui, &c.* fol.363.

Cap.63. *Torcular calcaui ſolus.* folio. 609.

Cap.64. *Alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ, & peccata noſtra abſtulerunt nos.* fol.456.

Cap.65. *Ecce ſerui mei comedent, &c.* fol. 288.& 192.

Hieremias.

Cap. 1. *Priuſquam te formarem in vtero, noui te; et ante quam exires, &c.* fol.340.

Cap.2. *Super eum rugierunt leones, et dederunt vocem ſuam.* fol.113.

Adamaui quippè alienos, et poſt eos ambulabo. fol.417.

Cap.11. *Oliuam vberem pulchram vocauit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ grandis, &c.* fol.366.

Mittamus lignum in panem eius. folio. 568.

Cap. 15. *Si separaueris pretiosum â vili, quasi os meum eris.* fol.508.

Cap.22. *Terra, terra, audi sermonem Domini: hæc ait Dominus, scribe, &c.* folio.325.& 538.

Hæc dicit Dominus ad Ioachim filium Iosiæ, Regem Iuda: Non planget eum, &c. fol.400.

Cap.23. *Nolite audire verba Prophetarũ, qui decipiunt vos; visiones cordis sui loquuntur.* fol.513.

Cap.31. *Vox in Rhama audita est, ploratus, et vlulatus multus, &c.* fol.268.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et seminabo domum Israel, et domum Iuda semine hominum, & semine iumentorum. fol.383.

Cap.48. *Date florem Moab.* fol.373.& 393.

Threni.

Cap.2. *Matribus suis dixerunt, vbi est triticum, et vinum? Cum deficerent quasi vulnerati in via.* fol.12.113. & 144.

Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Hierusalem. fol.30.

Repulit Dominus altare suum; maledixit sanctificationi suæ; tradidit in manus inimici, &c. fol.403.

Cap.3. *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua.* fol.271.et 492.

Cap.4. *Paruuli petierunt panem, & non erat, &c.* fol.56.et 190.

Maior effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum. fol.13.

Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. Adhæsit lingua, &c. folio 118.

Ezechiel.

Cap.2. *Et vidi, & cecidi in faciem meam, et audiui vocem loquentis, & dixit ad me: Fili hominis, sta super pedes tuos, &c.* fol.14.

Cap.3. *Dixit ad me: Fili hominis, vade ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos, &c.* fol.7.

Cap.9. *Non parcat oculus vester, neque misereamini.* fol.217.

Cap.10. *Et vidi, & ecce quatuor rotæ iuxta Cherubim.* fol.446.

Cap.14. *Si autem & pestilentiam misero super terram illam, et effudero indignationem meam, &c.* fol.309.

Cap.16. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, & saturitas.* folio.26.

Cap.23. *Insaniuit super eos concupiscentia oculorum suorum, et misit nuntios ad eos.* fol.186.

Cap.24. *Mortua est vxor mea ad vesperam, et feci manè sicut præceptum, &c.* fol.364.

Cap.28. *Tu Cherub extensus, et protegens posui te in monte sancto Dei, &c.* folio.85.

Leua planctum super Regem Tyri, & dices ei: Hæc dicit Dominus Deus. Tu signaculum similitudinis, &c. fol.625.

Cap.34. *Væ pastoribus Israel, quia pascebant semetipsos, non gregem, &c.* fol. 164.

Cap.37. *Dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus.* fol.497.

Daniel.

Cap.1. *Et constituit Rex annonam per singulos dies de cibis suis, et de vino vnde bibebat ipse.* fol.426.

Cap.2. *Tibiæ autem ferreæ pedum, quædã pars ferrea, quædam autem fictilis.* fol. 282.

Cap.3. *Effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem, &c.* fol.210.

Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, &c. folio. 414.

Angelus autẽ Domini descendit cũ Azaria, et sociis eius. fol.440.

A me ergo positum est hoc decretum, vt omnis populus tribus, et lingua, quæcumque locuta fuerit, &c. fol.448.

Cap.4. *Quamobrem Rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosinis redime, &c.* fol.225.

Tu es Rex, qui magnificatus es, et inualuisti, et magnitudo tua creuit. fol. 389.

Post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, fol.139. 451.et 574.

Magna arbor, et fortis, et proceritas eius contingens cœlum: folia eius pulcherrima et fructus nimius. fol.615.

Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, et florens, &c. fol.373.

Ex hominibus abiectus est, et fœnum, vt bos comedit. fol.419.

In ramis eius conuersabantur volucres cæli. fol.612.

Cap.7. *Prima quædam leæna & alas habebat aquilæ; aspiciebam, donec euulsæ, &c.* fol.263.

Aspiciebam, donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit, et libri aperti sunt. fol.610.

Cap.10. *Noli metuere, Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, &c.* fol.369.

Cap.13. *Postquam senes locuti sunt, erubuerunt serui vehementer.* fol.431.

Angustiæ sunt mihi vndique. fol.502.

Cap.11. *Circumdedit me Ephraim negotiatione sua, et in dolo domus Israel,* folio. 579.

Cap.12. *Chanaam in manu eius statera dolosa calumniam dilexit.* fol.543.

Pascit ventum, sequitur æstium, &c fol. 582.

Cap.13. *Loquente Ephraim, horror inuasit Israel, & deliquit in Baal,* folio. 86.

Adducet Dominus ventum vrentem, de deserto ascendentem, et siccabit venas eius. fol.159.

Consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres, &c. fol.406.

Cap.14. *Israel germinabit sicut lilium, et erumpet radix eius, vt libani, ibunt rami.* fol.290.& 619.

Ioel.

Cap.1. *Computauerunt iumenta in stercore suo, demolita sunt horrea, &c.* fol. 262.

Gens enim ascendens super terram meam fortis, et innumerabilis, &c. fol.9.

Cap.2. *Mittam vobis frumentum, et vinum & repletemini.* fol.192.

Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca, fortitudo mea magna, &c. fol.192.

Sanctificate ieiunium, vocate cætum, folio.591.

Scindite corda vestra, et non vestimenta, fol.195.

Amos.

Cap.6. *Væ, qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ; optimates, capita populorum, &c.* fol.393.& 485.

Nihil patiebantur super contritionem Ioseph. fol.483.

Væ, qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterij, sicut Dauid, putauerunt se habere vasa cantici, &c. folio. 396.

Ionas.

Cap.2. *Et peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio.* fol.17.& 225.

Præparauit Dominus piscem grandem, &c. fol.140.

Pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium descendi. fol.169.

Cap.3. *Et cæpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, &c.* fol.124. 156.267.& 522.

Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, &c. fol.199.

Peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit. fol.612.

Naum.

Cap.1. *Deus æmulator, et vlciscens Dominus, et habens furorem.* fol.109.

Dominus patiens, et magnus fortitudine, & mundans non faciet innocentem, fol. 199.

Sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum, &c. fol.426.

Cap.3. *Custodes tui quasi locustæ.*

Abacuch.

Cap.1. *Facies hominis, quasi pisces maris,* fol.618.

Ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram, & velocem, ambulantem super latitudinem, &c. fol.491.

Cap.2. *Vsquequò aggrauat contra se densum lutum?* fol.616.

Cap.3. *Ficus enim non florebit, et non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ,* fol.94.

Domine, audiui auditionem tuam, et timui; Domine, opus tuum in medio annorum. fol.194.

Custodiui, & expauit venter meus à voce orationis labiorum meorum. folio. 215.

Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan, &c. fol.573.

Sophonias.

Cap. 1. *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est, & velox nimis, &c.* folio. 382.
Cap. 4. *Iudices eius lupi vesperi,* fol. 250.

Zacharias.

Cap. 4. *Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam.* fol. 238.
Iusti duo filij olei, splendoris, qui assistunt dominatori. fol. 468.
Cap. 5. *Ecce talentum plumbi portabatur, et ecce mulier vna sedens in medio amphoræ.* fol. 101.
Cap. 7. *Factum est verbum Domini ad me, dicens: Loquere ad omnem populum, et Sacerdotes.* fol. 117.
Cap. 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, &c.* fol. 405.
Cap. 11. *Benedictus Dominus Deus, quia diuites facti sumus.* fol. 164.
Vlula abies, quia cecidit cedrus. fol. 208.
In illa die erit; quod supra frænum equi est sanctum Domino. fol. 608.

Malachias.

Cap. 1. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* fol. 348.
Cap. 2. *Dominus testificatus est inter te, et vxorem pubertatis tuæ, &c.* fol. 417.
Cap. 3. *Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis.* fol. 382.

Ex 1. Machabæorum.

Cap. 5. *Faciamus, & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare aduersus gentes.* folio. 350.
Cùm appropinquauerit Iudas, et exercitus eius ad torrentem aquæ, si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere, &c. fol. 377.
Cap. 6. *Et vidit Eleazar filius Saura vnam de bestijs loricatam loricis Regis, &c.* fol. 501.

Ex 2. Machabæorum.

Cap. 2. *Ambierat Iason frater Oniæ summum sacerdotium, adito Rege, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, &c.* fol. 436.

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæus.

Cap. 1. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.* fol. 281.
Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. fol. 38.
Ioseph autem cùm esset iustus, et nollet eam traducere, &c. fol. 309. & 552.
Booz autem genuit Obed ex Ruth. fol. 180.
Cap. 2. *Apertis thesauris suis, obtulerunt ei aurum, thus, et myrrham.* fol. 398.
Inuenerunt puerum cum Maria. fol. 582.
Occidit multos pueros. fol. 490.
Fuge in Ægyptum, & esto ibi. folio. 533.
Cap. 3. *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei cœli.* fol. 105. 213. & 418.
Dic, vt lapides isti panes fiant, fol. 352. & 399.
Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, folio. 427. & 487.
Cap. 4. *Relictis retibus, et patre, secuti sunt eum.* fol. 80.
Venite, faciam vos fieri piscatores hominum. fol. 23.
Mitte te deorsum. fol. 586.
Cap. 5. *Beati, qui lugent, quoniam consolabuntur.* fol. 57.
Pater noster, qui es in cœlis. fol. 63. & 74.
Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis. fol. 71.
Panem nostrum quotidianum. fol. 287. & 276.
Lex, et Prophetæ vsque ad Ioannem, folio. 306.
Ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. fol. 575.
Audistis, quia dictum est: Diliges proximum, et odio habebis inimicum tuum? Ego autem, &c. fol. 309.
Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et proijce abs te. fol. 400.
Cap. 6. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* fol. 111. & 309.
Si quis vult venire post me, abneget, &c. fol. 296.
Considerate lilia agri, quomodo crescant. fol. 342. & 362.
Non potestis Deo seruire, et mammonæ. fol. 392.

Cap.8. *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, et Occidente venient, et recumbent, &c.* fol.326.
Ibi erit fletus, et ſtridor dentium. fo.338.
Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos, &c. fol.511.
Et cùm veniſſet transfretum in regionẽ Geraſenorum, occurrunt ei duo habentes dæmonia. fol.119.130.& 573.
Veniſti ante tempus torquere nos. fo.382. 436.497.& 573.
Cùm introiſſet Capharnaum Ieſus, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet, &c. fol. 171.& 416.
Nõ inueni tantã fidem in Iſrael. fol.422.
Cap.9. *Acceſſit retrò, & tetigit fimbriam, &c.* fol.367.
Nemo mittit commiſſuram panni, &c. fol.496.
Cap.10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum.* fol.69.
Cap. 11. *Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos, &c.* fol.115. & 256.
Tu es, qui venturus es? fol.116.
Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. fol.270.& 439.
Venite ad me omnes, qui onerati eſtis, et reficiam vos. fol.525.
Cap.12. *Abijt Ieſus per ſata Sabbatho, &c.* fol.2.& 211.
Nũquam ex te fructus naſcatur. fol.106.
Quicumq; dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, &c. fol.318. & 555.
Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? fol.420.
Ita erit filius hominis in corde terræ. fol. 505.
Non legiſtis, quid fecerit Dauid? f.585.
Cap.13. *Alia ceciderant in petroſa, vbi non habebant terram multam.* fol.22.
Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, &c. fol.226.& 378.
Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito. fol.216.
Grano ſinapis. fol.604.
Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, et in tempore meſſis dicam, &c. fol. 175.
Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ, &c. fol.358.& 619.
Super ſeminauit zizania in medio. fol. 376.
Cap. 14. *Deſcendens Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquas.* fol.316.
Ablegauit eum, et poſuit in carcerem, folio.310.415. & 589.
Volo, vt des mihi in diſco caput Ioannis, fol.426.
Cap.15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, et dare canibus.* fol.106.
Miſerere mei, Domine, fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur, fol. 568.
Miſereor turbæ, quia iam triduò ſuſtinent me. fol.213.
Non enim manus lauant, cùm manducant. fol.182.
Fiat tibi ſicut vis. fol.409.
O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi, &c. fol.422.& 446.
Cap. 16. *Sunt quidam de his ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant,* fol.56.
Et portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam. fol.231.& 585.
Tu es Chriſtus Filius Dei viui, &c. folio.452.
Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam, &c. fol.296.
Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Reſpondens autem Ieſus, dixit ei, &c. fol.203. & 359.
Beatus es Simon Bariona. fol.557.
Cap.17. *Aſcendit Ieſus in montem, et transfiguratus eſt.* fol.23.
Aſſumpſit Ieſus Petrum, et Iacobum, &c. fol.205.
Et reſplenduit facies eius ſicut Sol; veſtimenta autem eius facta ſunt alba, ſicut nix. fol.251.
Bonum eſt, nos hìc eſſe. Faciamus, &c. folio.118.
Neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum, fol.176.
Ecce vox de nube, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus. fol. 418.
Cap.18. *Egreſſus autem ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis, &c.* fol.44.
Vbi ſunt duo congregati in nomine meo, ibi ſum. fol.174.
Neceſſe eſt, vt veniant ſcandala, fo.281.
Da eis pro me, et pro te. fol.359.
Expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria. fol.264.
Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui nec Deum timebat, &c. fol.480.
Veſpere autem facto, obtulere Ieſu multos. fol.530.
Cap.19. *Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regna cœlorum.* fol.31.& 166.

Sede-

Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. fol. 44. 428. *et* 609.
Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. fol. 240.
Cap. 20. *Non eſt meum dare vobis.* fol. 87. *et* 506.
Vidit alios ſtantes in foro otioſos. folio 240.
Tertia die reſurget. fol. 567.
Ecce aſcendimus Hieroſolymam, et Filius hominis tradetur Principibus, &c. fol. 122.
Dic vt ſedeant duo filij mei, vnus ad dexteram, alius ad ſiniſtram. fol. 149.
Qui portauimus pondus diei, et æſtus. folio. 352.
Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi, adorans, &c. fol. 367.
Domine, vt aperiantur oculi noſtri. folio 409.
Cap. 21. *Intrauit Ieſus in templum Dei, et eijciebat omnes ementes, et vendentes, &c.* fol. 308.
Generatio mala, et adultera. fol. 366.
Cap. 22. *Intrauit autem Rex, vt videret diſcumbentes, et vidit ibi hominem,* folio. 491.
Cap. 23. *Væ vobis, Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, et ornatis monumenta, &c.* fol. 271.
Cap. 24. *Cùm videritis abominationẽ ſtantem in loco ſancto, &c.* fol. 452.
Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret vſque in Occidentem, &c. fol. 346.
Duo erant in agro, vnus aſſumetur, folio 348.
Vſque ad diem, in quo intrauit Noe in arcam, et non cognouerunt. fol. 393. *et* 394.
Duæ molentes in mola vna, vna aſſumetur. fol. 402.
Ligatis manibus, et pedibus mittite eum in tenebras, &c. fol. 48.
Super pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. fol. 447.
Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnũ â conſtitutione mundi. Diſcedite â me maledicti, &c. fol. 239 *et* 402.
Et ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. fol. 343.
Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit. fol. 420.
Timens abij, et abſcondi talentum tuum in terra. fol. 586.
Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam? fol. 13.
Conſtituerunt ei triginta argenteos. fol. 527.
Spiritus quidem promptus eſt, caro autẽ infirma. fol. 132.
Conuerte gladium tuum in locum ſuum, omnes enim, qui acceperint gladium, &c. fol. 45.
Non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud nouum, &c. fol. 62.
Etiamſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquã ſcandalizabor. fol. 273.
Potuit vnguentum iſtud venundari multò, et dari pauperibus. fol. 453.
Hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. fol. 223.
At ille negauit coram omnibus. fol. 613.
Accepit Ieſus panem, benedixit, acfregit, deditque diſcipulis, &c. fol. 300.
Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. fol. 143.
Siſilius Dei es, deſcẽde de cruce. fol. 449.
Abiens laqueo ſe ſuſpendit. fol. 569.
Cap. 27. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet, pœnitentia motus, &c.* fol. 15 *et* 196.
Abiens laqueo ſe ſuſpendit. fol. 314.
Velum templi ſciſſum eſt, &c. fol. 493. *et* 538.
Ieſus autem iterũm clamans voce magna emiſit ſpiritum, &c. fol. 9. *et* 527.
Poſtquam autem crucifixerunt eum, diuiſerunt veſtimenta, &c. fol. 201.
Prætereuntes autem blaſphemabant eũ: ſimiliter & Principes Sacerdotum, illudentes, &c. fol. 194.
Sanguis eius ſuper nos. fol. 529.
Cùm guſtaſſet, noluit bibere. fol. 332.
Plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius. fol. 457.
A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt, &c. fol. 493.

Marcus

Cap. 1. *Venit fortior me poſtme, cuius non ſum dignus procumbens ſoluere calceamenta, &c.* fol. 359.
Cap. 4. *Num lucerna accenditur, vt ſub modium ponatur?* fol. 391.
Cap. 5. *Quid mihi, & tibi, Ieſu fili Dei altiſſimi?* fol. 167.
Neque catenis iam quiſquam poterat eum domare, &c. fol. 573.
Cap. 6. *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam, &c.* fol. 128.
Etiamſi dimidiũ regni petieris. fol. 343.
Cap. 7. *Inde exurgens Ieſus, abijt in fines Tyri, & Sydonis: & ingreſſus domum.* fol. 87.

Cap.8. *Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos, mitte nos in gregem, fol.40.*

Cap.9. *Non enim sciebat, quid diceret, folio.25.*

Et quidam surgentes, testimonium ferebant aduersus eum, dicentes. fol.36.

Cap.10. *Cæpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum ire Hierosolymam, &c. fol.39.*

Cap.14. *Poterat vnguentum istud venundari plusquàm trecentis denarijs. folio.453.*

Cap.15. *Erat autem hora tertia, cùm crucifixerunt eum. fol.310.*

Venit Ioseph ab Arimathia, nobilis Decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei, &c. fol.330. et 556.

Et angariauerunt quemdam Simonem, &c. fol.451.

Lucas

Cap.1. *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis, &c. fol.607.*

Post hos dies concepit Elizabeth. folio. 325.

Vt facta est vox salutationis tuæ, &c. fol.503.

Elizabeth impletum est tempus pariendi, &c. fol.51.

Et celabat se mensibus quinque. folio 168.

Missus est Gabriel à Deo in ciuitatem, &c. fol.340.

Spiritus sanctus superueniet in te, &c. fol.460.

Aue gratia plena. fol.460.

Cap.2. *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt oportet me esse. fol.2.*

Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, fol.591.

Missus est Angelus Gabiel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth. fol.215.

Homo iste iustus, et timoratus, expectãs consolationem. fol.583.

Et venit in templum. Et cùm inducerẽt, &c. fol.583.

Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum. fol. 265.451.479.494.576. et 543.

Magnificat anima mea Dominum. fol. 206.

Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis, super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit, &c. fol.580.

Pastores loquebantur ad inuicem; transeamus vsque Bethleem. fol.27.

Cap.3. *Paleas autem cõburet igne. fol.47.*

Contenti estote stipendijs vestris. fol.463.

Venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitẽtiæ in remissionem peccatorum. fol.487.

Cap.4. *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. fol.87.*

Multæ viduæ erant in diebus Eliæ, quando clausum est cœlum. fol.548.

Ostendit Iesu omnia regna orbis terrarum in momento, &c. fol.323.

Cùm autem Sol occidisset, omnes qui habebant infirmos, &c. fol.503.

Cap.5. *Exi â me, Domine, quia homo peccator sum. fol.508.*

Cap.6. *Exit Iesus in montem orare, et erat pernoctãs in oratione Dei, &c. fol.380.*

Si licet Sabbathis benefacere, an male? fol.614.

Eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes, &c. fol.594.

Cap.7. *Misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, &c. fol.124.*

Vt cognouit, quòd accubuisset Iesus in domo Pharisæi, &c. fol.423.

Fides tua te saluam fecit. fol.387.

Adolescens, tibi dico, surge, &c. fol.360.

Intrani in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lacrymis, &c. fol.421.

Tunc confitebor illis, quia nunquã noui vos. fol.551.

Cap.8. *Tetigit fimbriam vestimenti eius. fol.21.*

Cum gaudio suscipiunt verbum, &c. folio.22.

Quod tibi nomen? Et ille dixit: Legio, folio.41.

Occurrit Iesu vir quidam, qui habebat dæmonium, &c. fol.457. et 626.

Et cùm egressus esset Iesus ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium. fol.87.

Rogabant Iesum, ne imperaret illis, vt in abyssum irent. fol. 90.

At ille surgens increpuit ventum. fol.99.

Iesus autem tenens manum eius, clamauit. fol.191.

Sine mortuos sepelire mortuos suos. folio.412.

Qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, nec in domo manebat, sed in monumentis. fol.582.

Præceptor, bonum est nos hìc esse; faciamus hìc tria tabernacula, &c. fol.299.

Erat

Erat mulier in ciuitate peccatrix. folio. 341.
Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos. fol.489.
Factum est, dum oraret, species vultus Iesu altera, et vestitus eius albus, &c. fol.547.
Vulpes foueas habent, et volucres cœli nidos. fol.626.
Cap.10. *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima.* fol.68. et 482.
Maria optimam partem elegit, quæ non, &c. fol.378.
Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo, fol.85.
Plagis impositis abierunt seminiuo relicto. fol.569.
Si quid ampliùs erogaueris, cùm rediero, reddam tibi. fol.240.
Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit, et ait, &c. folio.273.
Samaritanus autem quidam iter faciens venit, secùs eum, & videns eum, misericordia motus. fol.126.
Protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait, curam illius habe. fol.203.
Et alligauit vulnera eius, et infundens, &c. fol.204.
Cap.11. *Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis cuius, et condemnabit eos, &c.* fol.278.
Qui vestrûm habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniã amicus meus venit de via ad me, &c. folio 408. et 553.
Cùm immundus spiritus exierit, perambulat, &c. fol.542.
Turbaris erga Plurima. Porrô vnum est necessarium. fol.591.
Sint lumbi vestri præcincti. &c. folio 593.
Cap.12. *Destruam horrea mea, et maiora faciam, &c.*
Anima habes multa bona, posita in annos plurimos. fol.582 et 572.
Quid faciam, quia non habeo, quô congregem fructus meos? fol. 16. et 226.
Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus attulit, &c. fol.25.
Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro, &c. fol.30.
Ignem veni mittere in terram, quid volo, nisi vt accendatur. fol.573.
Cap.13. *Domine, dimitte illam et hoc anno, vsque dum fodiam circa illam.* fol. 212. et 437.
Ite, ostendite vos Sacerdotibus. fol.345.
Quôd si dicat seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere, &c. fol.302.
Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis, &c. fol.316.
Habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo: et erat inclinata. fol.468.
Cap.14. *Iuga boûm emi quinque, et eo probare illa.* fol.52.
Exi citô in plateas, & vicos ciuitatis, et pauperes, ac debiles, &c. fol.147.
Cœperunt simul excusare. Primus dixit, villam emi, &c. fol.179.
Cùm facis prandiũ, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, &c. fol.466. et 504.
Cap.15. *Omnia consumpsit viuendo luxuriosê.* fol.123.
Dissipauit substantiã suam, &c. fol.419.
Adolescentior filius peregrê profectus est in regionem longinquam. fol.258.
Congregatis omnibus adolescentior. fol. 300.
Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, &c. fol.222. et 224.
Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, &c. fol.268. et 537.
Adducite vitulum saginatum, et manducemus, et epulemur, &c. fol.268.
Indignatus nolebat introire. fol.280.
Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. fol.309. et 147.
Cùm autẽ adhuc longê esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus, &c. fol.161.
Accurrens cecidit super faciem eius. fol. 162.
Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, &c. fol.375.
Cap.16. *Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* fol. 276.
Vocauit illum, et ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem, &c. fol.327.
Accipe cautionem tuam, et sede citô, scribe, &c. fol.542.
Sed et canes veniebant, et lambebant vlcera eius. fol.58.
Factum est autem, vt moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis. fol.163.
Pater Abraham, miserere mei. fol.368.
Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. fol. 368.
Cap. 17. *Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit et in diebus filij hominis.* fol.455.
Cap.18. *Ecce ascendimus Hierosolymã, et con-*

consummabuntur omnia, quæ dicta sunt &c. fol.121.
Pharisæus stans hæc apud se orabat: Domine, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri, &c. fol.210.228.et 423.
Publicanus â longe stans, nolebat oculos leuare, &c. fol.211.
Dixit autem Iesus ad quosdam, qui in se confidebant, &c. fol.241.
Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, &c. fol.319.
Cap.19. Quærebat videre Iesum, quis esset, et non poterat. fol.29.147.et 449.
Ingressus Iesus perambulabat Iericò, et ecce vir nomine Zachæus, &c. fol.62.
Cæpit eijcere ementes, et vendentes. fol. 370.
Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum. fol. 227.
Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario. fol.256.
Cap.21. His autem fieri incipientibus, respicite, et leuate capita. fol.283.
Cap.22. Qui potestatem habent, benefici vocantur, &c. fol.617.
Ecce introeuntibus vobis in ciuitatẽ, occurret homo amphoram aquæ portans. fol.89.
Et tecum paratus sum in carcerem, et in mortem ire. fol.382.
Et ipsi cæperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Facta est autem contentio inter eos, quis eorũ videretur, &c. fol.276.
Quando misi vos sine sacculo, et sine pera, et sine calceamentis, numquid aliquid defuit? fol.127.
Desiderio desideraui hoc pascha, &c. folio.142.
Egressus foras fleuit amare. fol.407.
Cap.23. Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum, &c. fol.269.
Hodiè mecum eris in paradiso. fol.325.
Spreuit autem Iesum Herodes cum exercitibus suis, &c. fol.603.
Apprehenderunt Simonem quemdã Cyrenensem venientem de villa, &c. folio.299.
Spreuit Iesum Herodes cum exercitu. fol.168.
Pater, dimitte illis, non enim sciũt, &c. fol.196.
Cap.24. Accepit panem, et benedixit, ac fregit, ac porrigebat illis, et aperti sunt oculi eorum. fol.397.

Ioannes.

Cap.1. In propria venit, et sui eum non receperunt. fol.89.
Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. fol.558.
Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti â Patre. fol.68.et 613.
De plenitudine eius omnes accepimus. folio.532.
Non est potestas nisi â Deo. fol.87.
Verbum caro factum est, et habitauit in nobis. fol.449.
Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes, et Leuitas ad Ioannem. fol.19.
Tu quis es? Ego vox clamantis in deserto. fol.116.
Ipse est, qui post me vẽturus est, fol.359.
Stabat Ioannes, et discipuli eius duo, et aspiciens Iesum, &c. fol.359.
Lex per Moysem data est, gratia, et veritas per Iesum Christum. fol.547.
Cap.2. Quid mihi, et tibi est, mulier? fol. 10. et 203.
Cap.3. Illum oportet crescere, me autẽ minui. fol.116.
Spiritus vbi vult, spirat, et vocem eius audis, et nescis vndè veniat, aut quò vadat. fol.260.
Sic Deus dilexit mundum, vt filiũ suum vnigenitum daret. fol.375.459.460.et 507.
Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi stat, et audit eum. fol. 384.
Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. fol.631.
Cap.4. Cibus meus, vt faciam voluntatem Patris mei. fol.56.
Omnis, qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum. fol.589.
Aqua, quam ego dabo ei, fit in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. folio 223.et 442.
Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam. fol.445.
Ego misi vos metere, quod vos non laboratis, alij laborauerunt, &c. fol.264.
Videte regiones, quia albæ sunt ad messem. fol.342.
Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petijsses ab eo, &c. fol.410.et 423.
Cap.5. Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum? fol.587.
Cap.6. Nonne ego vos duodecim elegi, et vnus è vobis diabolus est? fol.275.

Cap.7. *Manifesta te ipsum mundo.* fol.507.
Ego non ascendam ad diem festum hunc. &c. fol.510.
Numquid verò cognouerunt Principes, quia hic est verè Christus? Sed hunc scimus, &c. fol.607.
Cap.8. *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum.* fol.140.et 186.
Ego dæmonium non habeo. fol.367.
Qui sequitur me, nõ ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. fol.383.
Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. fol.454.
Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, et ingredietur, et egredietur, &c. fol.429.
Remansit solus Iesus, et mulier, &c. fol.609.
Cap.11. *Abraham exultauit, vt videret diem meum.* fol.20.
Infremuit spiritu, et turbauit se, &c. folio.10.
Statim prodijt, qui fuerat mortuus. folio.52.
Lazare, veni foras, et statim prodijt, qui fuerat mortuus. fol.326.
Vbi posuistis eum? fol.327.
Martha ergo vt audiuit, quia Iesus venit, occurrit, &c. fol.131.
Lachrymatus est. fol.504.
Cap.12. *Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi, &c.* fol.103.et 251.
Ego si exaltatus fuero, omnia traham. folio.300.
Cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simoni Iscariotæ. fol.223.
Cap.13. *Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli hæsitantes, de quo diceret.* fol.38.
Cùm accepisset ille buccillam, continuò exiuit; erat autem nox. fol.550.
Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. fol. 4.et 142.
Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. fol.481.et 505.
Cap.14. *Princeps huius mundi, et in me non habet quidquam.* fol.570.
Cap.16. *Modicum, et iam non videbitis me, et iterùm modicum, &c.* fol.119.
Cap.17. *Pater, venit hora clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* fol. 465.
Cap.18. *Sinite hos abire, vt compleretur sermo, quem dixit, &c.* fol.46.et 138.
Regnum meum nõ est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset, &c. fol.76.
Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, et percussit Pontificis seruum, fol.212.
Qui est ex veritate, audit vocem meã; dicit ei Pilatus: Quid est veritas? fol.411.
Percussit Pontifices seruum, et abscidit auriculam eius. fol.432.
Cap.19. *Ecce Rex vester, illi autem clamabant: Tolle, crucifige.* fol.435.
Et ex illa hora suscepit eam discipulus in sua. fol.80 et 158.
Mulier, ecce filius tuus. fol.80.347.370. 474.et 607.
Stabat iuxta crucem Iesu mater eius, et soror matris, &c. fol.301.
Quid est veritas? fol.613.
Exit ergo Iesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum, et dixit eis Pilatus: Ecce homo. fol.209.
Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: noli scribere, Rex Iudæorum. folio.210.
Exiuit iterum Pilatus foras, et dicit eis: Ecce aduco vobis eum foras. fol.242.
Nos legem habemus, et secundum hanc legem debet mori. fol.429.
Et cùm accepisset acetum, dixit, consummatum est. fol.531.
Cap.20. *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas: et affer manum tuam, et mitte in latus meum, &c.* fol.166.
Mulier, quid ploras? fol.341.
Nisi videro fixuras clauorum, &c. fol. 494.
Cap.21. *Dixit Iesus Simoni Petro: Simon Ioannis diligis me plùs his? Etiam Domine, tu scis.* fol.44.et 273.
Simon Petrus cùm audisset, quia Iesus est, tunica succinxit se. fol.159.
Domine, tu omnia scis, tu scis, quia amo te. fol. 613.

Acta Apolorum.

Cap.1. *Et conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederẽt, sed expectarent promissionem, &c.* fol.84.
Nubes suscepit eum ab oculis eorum. folio.449.
Hic Iesus, qui assumptus est â vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. fol.283.
Viri fratres, oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus. fol. 338.
Præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. fol.275.
Cap.2. *Possessiones, et substantiam vendebant, et diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat, &c.* fol.398.

Cap.4. *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia.* fol.399.
Cap.5. *Cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* fol.217.et 337.
Quin vtique conuenit vobis tentare spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum. fol.92.
Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. fol.175.
Cap.6. *Non est æquũ, nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.* fol.3. et 226.
Cap.7. *Lapidabant Stephanum inuocãtem, et dicentem, &c.* fol.274.
Video cælos apertos, et Iesum stantem â dextris, &c. fol.71.
Cap.8. *Tunc Simon et ipse credidit: et cum baptizatus esset, adhærebant, &c.* fol. 332.et 365.
Pecunia tua tecum sit in perditionẽ. fol. 371.
Cap.9. *Vt portet nomen meum coram Regibus.* fol.351.et 499.
Cap.10. *Iesum â Nazareth quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute, &c.* fol.5.
Corneli, mitte viros in Ioppem, et accersi Simonem, &c. fol.165.
Vidit cælum apertum, et descendens vas quoddam velut linteum, &c. fol.338.
Cap.13. *Tunc constanter Paulus, et Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui, &c.* fol.350.
Cap.17. *Præteriens vidi simulachra vestra, inueniet aram, in qua scriptum erat,* Ignoto Deo. fol.523.
Cap.25. *Vis Hierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari?* fol.480.
Cap.26. *Opto apud Deum, vt in modico, & in magno, non tantûm te, sed et omnes, &c.* for.69.
Cap.28. *Et ille quidem excutiens bestiã in igne, nihil mali passus est.* fol.233.

Epistola Pauli ad Romanos.

Cap.1. *Inuisibilia Dei â creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* fol.148.
Euanuerunt in cogitationibus suis, &c. fol.513.
Cap.2. *Qui reddet vnicuique secundũ opera eius; iis quidem, qui secundûm patientiam, &c.* fol.89.
An diuitias bonitatis eius, et patientiæ, et longanimitatis contemnis. fol.109.
Non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio. fol.730.
Cap.5. *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, &c.* fol.504.
Cap.6. *Si enim cõplantati facti sumus, similitudini mortis eius, &c.* fol.452.
Cap.8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, &c.* fol.122.
Diligentibus Deum omnia cooperantur in bõnum. fol.387.
Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum, &c. fol.278.
Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens, &c. fol.386.
Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiscit, et parturit, &c. fol.287.
An angustia? An fames? An nuditas? &c. fol.585.
Cap.9. *Optabam ego ipse anathema esse.* folio.161. et 551.
Cap.10. *Idem Deus omnium dines in omnes, qui inuocant illum.* fol.8.
Ego ad æmulationem vos adducam in nõ gentem, &c. fol.424.
Cap.11. *Iudæorum delicto, salus est gentibus, vt illos æmularentur.* fol.424.
Cap.12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illũ, si sitit, potum da illi, &c.* fol.27.et 223.
Spiritu feruentes, Dño seruientes. fo.47.

1.ad Corinth.

Cap.1. *Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare.* fol.3.
Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, &c. fol.529.
Cap.2. *In fame, et siti, frigore, et nuditate, &c.* fol.127.
Dei sumus adiutores, Dei agricultura estis. fol.207.
Cap.3. *Qui autem cum vxore est, sollicitus est.* fol.355.
Sapientia huius mundi stultitia est. fol. 628.
Cap.4. *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat.* fol.37.
Laboramus operantes manibus nostris. fol.127.
Nam si decẽ millia pædagogorũ habeatis in Christo; sed non multos patres. fo.472.
Cap.7. *Circumcisio nihil est, et præputium nil est, sed obseruantia, &c.* fol.149.
Foris gladius, intûs timor. fol.176.

Si dormierit vir eius, cui vult, nubat, tã tùm in Domino. fol. 592.
Cap. 9. *Nam si euãgelizauero, non vt mihi gloria.* fol. 233.
Cap. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* fol. 288.
Tentatio non vos apprehendat, nisi humana, fidelis autem Deus. fol. 40.
Cap. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* fol. 148. et 288.
Cap. 12. *Scio huiuscemodi hominẽ (siue intra corpus, siue extra corpus nescio) quoniam raptus, &c.* fol. 172.
Vnicuique datur manifestatio spiritus, &c. fol. 125.
Cap. 13. *Charitas nunquã excidit.* fol. 123.
Audio scissuras esse inter vos, nam oportet et hæreses esse. fol. 38.
Cap. 15. *Et resurrexit tertia die, et visus est Iacobo, deinde plusquam quinquies mille fratribus.* fol. 357.
Primus homo de terra terreus, &c. fol. 440.

2. ad Corinth.

Cap. 1. *Despondi enim vos vni viro, &c.* fol. 540.
Cap. 3. *Nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam, &c.* fol. 447.
Cap. 4. *In virga veniam ad vos, an in charitate, et spiritu mansuetudinis?* fol. 119.
Cap. 6. *Qui parcè seminat, parcè et metet; qui seminat in benedictionibus, &c.* folio. 6.
Ait enim Isaias: Tempore accepto exaudiui te, et in die salutis audiui te: Ecce nunc tempus acceptabile, &c. fol. 260.
Cap. 8. *Altissima paupertas eorum abundauit in delicijs, &c.* fol. 403.
Cap. 10. *In carne enim ambulantes, non secundùm carnem militamus.* fol. 293.
Cap. 11. *Ministri Christi sunt? Et ego, vt minùs sapiens dico, plùs ego, &c.* fol. 236.
Cap. 13. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus.* fol. 97.
Cap. 15. *Nouissima autem inimica destruetur mors.* fol. 145.

Ad Galatas.

Cap. 2. *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* fol. 451.
Cap. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.* fol. 307. et 129.
Cap. 5. *Fructus autẽ spiritus est: Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* fol. 624.
Cap. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, &c.* fol. 293.
Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini. fol. 283.

Ad Ephesios

Cap. 1. *Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis.* fol. 316.
Cap. 4. *Hoc igitur dico, et testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui,* folio. 405.
Cap. 5. *Propter hoc relinquet homo patrẽ, et matrem, &c.* fol. 590.
Cap. 6. *Honora patrem tuum, et matrem, quod est præceptum primum, &c.* fol. 486.

Ad Philippenses.

Cap. 2. *Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus.* fol. 120. et 150.
Propter quod et Deus exaltauit illum, et dedit illi nomen, quod est, &c. fol. 112.
Hoc enim sentite in vobis, quod in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset. fol. 236.
Cap. 4. *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra.* fol. 484.

Ad Colossenses.

Cap. 2. *Donans nobis omnia delicta delens, quòd aduersus nos erat chirographum.* fol. 456.
Cap. 3. *Induite vos ergo, sicut electi Dei sancti, et dilecti viscera misericordiæ.* fol. 44.

1. ad Thessalonicenses.

Cap. 4. *Ita, & Deus eos, qui dormierunt &c.* fol. 356.
Cap. 5. *Ab omni specie mala abstinete vos.* fol. 214.
Eis repentinus superueniet interitus, fol. 393.

2. ad Thessal.

Cap. 3. *Quoniam si quis non vult operari, non manducet.* fol. 263.
Cap. 4. *Et nos, qui viuimus, qui residui sumus, nõ præueniemus eos, &c.* fol. 266.

1. ad

1. ad Timotheum.

Cap. 3. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, filios habentem subditos cum omni castitate.* fol. 517.
Non neophytum, &c. fol. 570.
Cap. 5. *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere.* fol. 218.
Si quis autem suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, fol. 281.
Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habentur. fol. 487.
Cap. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli,* folio. 16.
Est autem quæstus magnus pietas cũ sufficientia: nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, &c. fol. 428.
Cap. vlt. *Diuitibus huius sæculi præcipe,* folio. 466.

2. ad Timotheum.

Cap. 1. *Scio, cui credidi, et certus sum, quia potens est Deus depositum meum seruare.* fol. 274.
Cap. 3. *Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis peruenientes,* folio. 496.
Cap. 4. *Cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* fol. 274.

Ad Titum.

Cap. 2. *Argue cum omni imperio.* folio. 99.

Ad Hebræos.

Cap. 4. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris,* fol. 121.
Cap. 11. *Propter quod et ab vno orti sunt, et hoc emortuo, tanquam sydera cœli in multitudine, &c.* fol. 279.
Fide Moyses grandis factus, negauit, se esse filium filiæ Regis Pharaonis, &c. fol. 444. et 448.
Fide Raab meretrix, non perijt cum incredulis. fol. 471.
Cap. 13. *Beneficentiæ autem, et communionis nolite obliuisci.* fol. 432.

Ex epist. Iacobi.

Cap. 1. *Patientia, opus perfectum habet,* folio. 353.
Cap. 3. *Quæ autem desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, &c.* fol. 262.
Lingua constituitur in membris nostris, et inflammat rotam natiuitatis, &c. fol. 336. et 430.

1. Petri.

Cap. 1. *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem, &c.* fol. 620.
Animas nostras castificantes in obedientia, &c. fol. 620.
Cap. 4. *Tempus est, vt incipiat iudicium â domo Dei.* fol. 217.

2. Petri.

Cap. 2. *Canis reuersus ad vomitum,* folio. 217.
Ciuitates Sodomorum, et Gomorrhæorum in cinerem redigens euersione damnauit. fol. 455.
Quibus iudicium iam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat. fol. 534.

Ex 1. Ioannis.

Cap. 1. *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.* fol. 215.
Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, mendacem facimus Deum. folio. 551.
Cap. 3. *Qui facit iustitiam, iustus est,* folio. 384.
Omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se. fol. 620.
Cap. 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum, non ad mortem, petat, et dabitur ei vita.* fol. 318.
Omne, quod natum est ex Deo, vincit mũdum: et hæc est victoria, &c. fol. 446.

Iudæ epistola.

Cap. 1. *Subintroierunt quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium, impij, &c.* fol. 182.

Apocalypsis.

Cap. 1. *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis homo, &c.* fol. 329.
Ego Ioannes frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, &c. fol. 330.

Qui dilexit nos, et lauit nos â peccatis nostris in sanguine suo, fol.25. 323. 529. & 630.

Alpha, et Omega. fol.331.

Cap.2. *Hæc dicit, qui habet rompheam, folio.536.*

Cap.3. *Angelo Ecclesiæ Sardis scribe, fol. 197.*

Habes panca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt. fol.362.

Sto ad ostium, et pulso. fol.397.

Cap.4. *In conspectu sedis, tanquam mare vitreum simile crystallo.* fol.181.

Ecce ostium apertum in cœlo, et vox prima, quam audiui. fol.205.

Nemo poterat in cœlo, neque in terra, neque subtûs terram aperire librum, folio. 610.

Cap.5. *Et vidi, et ecce in medio throni, et quatuor animalium, et seniorum agnum stantem, &c.* fol.445.

Cap.10. *Et vidi alium Angelum descendentem de cœlo, amictum nube, et iris in capite.* fol.502.

Cap.16. *Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, et eos, qui vicerunt, &c. fol. 181.*

Cap.14. *Hi sequuntur agnum, quocumque ierit.* fol.623.

Cap.18. *Reddite illi, sicut & illa reddidit vobis; et duplicate duplicia, secundùm opera eius.* fol.49.

Cap.20. *Et descendit ignis â cœlo, et deuorauit eos, et diabolus, qui seducebat eos, missus est, &c.* fol.100.

Cap.21. *Vidi ciuitatem Hierusalem nouã, descendentem de cœlo, â Deo paratam, &c. fol.364.*

Ostendit mihi ciuitatem Hierusalem descendentem de cœlo, et habentem claritatem Dei. fol.449.

INDEX

INDEX RERVM.

A.

ABIECTA mundi elegit Deus ad magnorum instrumenta. fol. 314.

Absentia.

Absentiam Dei, qui non sentit, periculosè viuit. fol. 260. Frequentissima est in hac vita. fol. 259.

Abundantia.

Rerum temporalium egestatem parit. fo. 128. In illa nulla Dei memoria. Abundantia virtutum in mortis tẽpore maximè lucere debet. fol. 141. Abundantia nimia rerum plùs solet obesse virtuti, quàm omnia mala. fol. 394. Abundantia omnis in Iesu pane viuo, & vero. fol. 191. Abundantia summa omnium bonorum in B. Trinitatis notitia. fol. 553.

Acceptatio personarum.

Acceptatio personarũ propria hominũ. fol. 64.

Acus.

Acus perforatus Christus est in passione, fol. 166.

Accusatio.

Accusationes non facilè, aut sine exploratione admittendæ, fol. 35. Accusatio ex carnali prætextu facta nunquam nõ mendax. fol. 552.

Accusator.

Accusatores ampullatis verbis crimina tollentes, veritatẽ obnubilant. fol. 43. Illis non credendum. fol. 42. & 218. Accusatores pessimi reprehẽsibile attendunt, nó quod excusat factum. fol. 429. Accusatores iustorum diabolici sunt. 479. Accusatores ex tẽporali prætextu mendaces sunt. fol. 552.

Acumen.

Acumen in sermonibus circa turpia periculosissimum. fol. 187.

Adamus.

Adamus præstantissimus hominum, quia nudus. fol. 76. Vnde impudens, & rusticus in Deum fuerit. fol. 152.

Adamas.

Adamas durissimus simul, & mollissimus. fol. 118. Illi comparantur Sacerdotes iniqui. fol. 118.

Administratio.

Administratio recta est, quæ etiam sine dignitate defendi potest. fol. 251.

Admonitio.

Admonitio sancta malè audit apud mundiales homines. fol. 302.

Adolescens, Adolescentia.

Adolescens, qui bona sua meretricibus impendisse gloriatur, tintinnabulo similis. fol. 83. Illius vitę ignotę. fol. 179. Illi difficillimum in Dei seruitio perseuerare. fol. 257. Omnipotentis virtute opus habet. fol. 258. Adolescentia ad virtutes capessendas apta. folio 271.

Adulator.

Adulatores cauendi. fol. 366.

Aduersa.

Aduersa non debent prosternere animũ. fol. 282.

Aedificium.

Aedificium bonis operibus constructum inexpugnabile. fol. 116.

Aeternitas.

Aeternitatem non anni faciunt, sed virtus. fol. 271.

Aetas.

Aetas tenera aptissima ad virtutẽ. fo. 271.

Affectus.

Affectus, qui cũ cibis ingeritur, rarò, aut nunquam tollitur. fol. 144. Affectus æternorum longè excedit carnalẽ mortificationem. fol. 149. Carnalis homines facit procaces, & rusticos. fol. 152. Fastidium generat quæsitarum rerum. fol. 167. Totum hominem rapit. fol. 177. Puerilis est. fol. 279. Circa pecunias, caueatur ab eo, qui quærit regnũ Dei, fol. 284. Cœlestis lætitiam generat. fol. 168. Regius est. fol. 279. Iuxta cuiusque affectum res colorẽ induunt. fol. 199. Ex affectu circa quærendam animarum salutem spirituale apparet augmentum. fol. 293. Terrenis affecti-

bus liber fructum paſsionis Chriſti experitur. fol.299. Ab affectibus internis venit pretium operibus externis. fol.73. Affectuum humanorum intima penetrat Chriſti paſsio. fol. 298. Affectus creaturarum non habet ſtabilitatem.fol.500. Affectus carnales impellunt ad difficilliora. fol.501. Affectus ad creaturas nunquam ſine damno.fol.630.

Afflictio.

Afflictio, qua cogitur homo conuerti ad creaturas,& non adDeum,dolenda,folio.369.

Agricultura.

Agriculturæ diuitiæ non ſic nocent. folio.31.

Agnus.

Agnus cur Deo charus?fol.157.

Alacritas.

Alacritas in virtute.fol.353.

Altus.

Alta Dei proſpicere, non verò humilia, periculoſum.fol.148.

Amaritudo.

Amaritudo virtutis Chriſti paſsione dulceſcit.fol.58.

Ambitioſi, Ambitio.

Ambitioſi ebrio vomenti ſimiles.folio.4. Stultiſsimi,ibidem. Ambitio carnifex animarũ.435. Aulicorũ quæ? fol.436.

Amator.

Amator virtutis ſibi ſimiles familiares facit. folio. 68. Meretricius infamis bellua. fol.82. Amator virtutis fiat omnia.fol.315.Amicitiæ iura ebrij nõ ſeruant. fol.302. Mundanæ deficiunt. folio.122.

Amicus.

Amicus Chriſti neſcit in illo conſiderare ignominiam carnis ſine diuinitate.fo. 116. Amicorum errores quàm aliter colorantur,ac alij.fol.430.

Amor.

Amor omnia rapit.fol.177.Omnia ſuperat. fol.407. Carnalis morte crudelior. fol.177. Homines longiſsimè facit diſtare à Deo,& illos facit ruſticos. folio. 179.Amor ſeruilis Deum alijs ſeuerum amat; filialis verò Deum propitium cunctis exoptat.fol.44. Amor auri inſatiabilis.fol.32.Diuitiarum,naturę leges rumpit,&ipſa tartara ſollicitat.fol. 169.Verbum Dei in corde obruit. fol. 15. Creaturarum etiam in Chriſto laborioſus.fol.25. & 450. Temporalitatum comitatur gemitus. fol. 25. Subditorum amorem quærit verus Dominus.fol.629. Amor Dei benignitatem in ſubditos parit.fol.44. Eius incendio caſtitas cuſtoditur.fol.79. Vincit affectus hominum, etiam vehementiſsimos. fol. 169. Vel leuiter guſtatus nos maximè accendit. fol.60. Amor Dei Reges facit homines, amor temporalium adulterinos.fol.279.Amor ſuperiorum noſtram famem ad virtutem acuit.fol.56. In fine vitæ opulẽtiſsimus in nobis ardeat. fol.141. Amor principatus rabidiſsimus carnifex. fol.435. Amor caſtè homines in vnum iungens à Deo omnipotenti venit. fol.590. Amor caſtus coniugij fundamentum ſtabile.fol.592.Dei amor facit nos in Crucifixum reſpicere, & pro illo difficultates ſubire. fol.556. Amor cum timore venit à Dei ſpiritu.fol.463.

Angeli.

In homines efficaciſsimi. fol.92. Terribiles vultu in peccatores.fol.93. Miniſterium ſuum erga homines implent.fo. 91. Eorum gloria punire nocentes. folio.91. Eos ſibi infenſos dolebunt reprobi. fol.92. Illorum præſtantia, vndè.fol.293.

Anguſtia, Vide Labor.

Anguſtiæ lucem afferunt.fol.419.

Anima.

Animæ decor in occultandis virtutibus. fol. 10. Animarum ſaluti omni cura ſtudendum. fol.2. Ea ab opportunitate medicinæ pendet.fol.46. Et eſt diuitiæ Dei. fol. 161. Animarum perditio eſt Eccleſiaſticorum auaritia.fol.370. De animarum ſalute non deſperandũ.fol. 289. Illarum mortem inducunt verba blandientia.fol.366. In Chriſti vulneribus omnia bona habent.fol.166. Animæ ſpirituales ſunt,quæ facilè carnalia relinquũt.fo. 132. Qui perfectioni ſtudent, non deterreantur ab animarũ negotio, ſecuritatis propriæ prætextu. fol.508.Fœlicis hominis anima eſt,quę omnia mundialia ſupergreditur,& vni Deo nititur.fol.586.

Animus.

Animus patiens egeſtatem neſcit. fol.27. Carnalibus inhærens bruteſcit. fo.131. Ingenus grauiſsimum habet confuſionis nota perfundi. fol.221. Quò magis ſeruilis, eò ineptior ferendæ cruci. fol.329.

Animoſitas.

Animoſitas in virtute quærenda. folio. 377.

Antiquitas.

Ab illa ſola qui gloriantur ſtulti, fol. 271. Non illa veram excellentiam præſtat, ſed merita virtutum, fol. 270. Antiquitati doctrinæ non nimis deferendum, vt nouis ſuus honor negetur, fol. 44. Antiquos vel in ſapientia, vel in virtute æquare, ſumma laus, fol. 270.

Apetitus.

Appetitus carnales facilius ſuperãtur, vbi eſt reſurrectionis meditatio. fol. 353.

Apoſtoli.

Sub veteri lege ſteriles, ſub cruce Chriſti fertiles, fol. 137. Non ad vnum populum, ſed ad totum orbem mittebantur, fol. 7. Eorum cultura aliquibus in ruinam fuit, fol. 138. Apoſtolicæ paupertatis præmium ſupra homines, fol. 594.

Aqua.

Auſpicatiſsima hominibus, fol. 88. Curan te omnes creaturas benedicatur? fol. 88. Eius excellentia, fol. 89. Bona in homines, fol. 89. Aquarum obſequia vt Deus gratificat, fol. 105.

Arcanum.

Arcanum nullum in terris, fol. 172. Arcanum ſeruare, generoſi pectoris eſt, fol. 172.

Ardor.

Ardor maximus rerum ſpiritualiũ, Chriſtianorum gloria eſt. fol. 149. Ardores voluptatum ſuperare, præſtantiſsimæ virtutis eſt, fol. 272. Ardor ſciendi eô tendat, vt capiatur Deus, fol. 579.

Argutiæ.

Argutiæ laſciuorum, audientium aures inceſtant. fol. 188.

Argumentum.

Argumentum diuinæ poteſtatis, conuerſio peccatoris, fol. 139.

Arma.

Arma efficaciſsima cõtra diabolum, oculi vigilantes, fol. 32.

Aſpectus.

Aſpectus Dei procliuis eſt in noſtra bona opera, fol. 199.

Aſperitas.

Virtutẽ firmat, fol. 23. Immatura nocet, fol. 46. Diuina nõ ruinam, ſed ſalutem in ſupplicijs intendit, fol. 140. Nulla in menſa Euchariſtiæ, fol. 288. Aſperitas ſola infœlices excitat, fol. 496.

Attalus.

Attalus Rex potentiſsimus Cartagine occiditur, fol. 220.

Aſſiduitas.

Aſſiduitas virtutis ne faſtidium generet, petendum à Deo, fol. 55.

Auctoritas.

Auctoritas multorum iudicum non æſtimanda, vbi ſolus apparet rigor in proximi damnatione, fol. 603.

Auaritia.

Auaritia Iudæorum vndè proueniat. fol. 145. Muliebris maxima, fol. 169. Eius affectus vehementiſsimus, fol. 169.

Auiditas.

Auiditas immedicabile malũ, fol. 17. Naturas rerum immutat, fol. 20.

Augmentum.

Augmentum vitæ ſpiritualis, qui intendunt, illuſtriora virtutum opera exerceant, fol. 378. Augmenta donorũ Dei transfert Deus ad feruentes, fol. 289. Maxima in Euchariſtia, fol. 289. Augmenta ſalutis multa in Ieſu conſpectu, fol. 449.

Aula, Aulici.

Aulicis nulla quies in adeptis dignitatibus, ſemper ad nouas enituntur, fol. 4. Illorum ambitio, vt omnia regalia ſecreta ſe noſſe fingant, fol. 436. Aulici id ſolùm æſtimant, quod Regi placet, 521. Eò ſpectant, vt auſcultẽt, quæ deferant, delationibus, ſuſurrijſque viuentes, fol. 611.

Aurum.

Homines à cœleſti regno excludit. fo. 31. Ad fouendam auaritiam aptiſsimum fol. 31.

Auſteritas.

Auſteritas in pœnitentes ſolet eſſe intolerabilis, fol. 224.

Authoribus virtutum Deus maximè fauet, fol. 205.

Auxilium.

Efficax ſibi ſemper paratum qui putat, fallitur, fol. 258. Auxilium ſanctorum obſequijs comparandum. fo. 367. Non iuuat, vbi deficit miſericordia in egenos, fol. 368.

B.

BAlan auri cupidine captus Deo reſiſtit, fol. 17.

Baptiſmus.

Baptiſmus laſciuiæ opponitur, fol. 440. Eius fons intrinſecus manet in animo, fol. 441.

Barbaries.

Barbaries maxima reum inauditũ dãnare, fol. 42.

Benedictio.

Benedictione Dei adimplebitur, qui profectus ſuos non ſibi, ſed Deo adſcribit, fol. 286.

Beneficium.

Beneficium ingens eſt filio, quòd parentes ſanctos habeat. fol. 134. Beneficia pro-

proprium Dei ſemen, fol. 5. Regiũ animum indicant, fol. 5. Dei naturã à ſeruili diſtingunt, fol. 5. Vel parua ingentem meſſem reddunt, fol. 6. Amittuntur, dum euulgantur, fol. 25. In plures, non in vnam effundenda, fol. 6. Vni collata pereunt, fo. 6. Deum illuſtrant, fol. 8. Diuina, etſi parua certiſsimam faciunt ſpem magnorũ, fol. 83. Non inordinatè donãda, ſed pro meritis, fol. 87. Filij Dei propriè vbique quærũt egentes, fol. 118. Communicata beant hominem, fol. 131. Principaliùs in propinquos egentes conferenda, fol. 281. Plurima conferuntur in Euchariſtia, f. 289. A Deo accepta firmiſsima, fol. 291. Cõferũtur à Deo media cruce Chriſti, fol. 297. Magna conferũtur ijs, qui de Deo magna credunt, fol. 421. Frequentibus petitionibus ſunt extorquenda, fo. 423. Collata indignis, ſpem excitare dignis debent, fol. 423. Diuina malis mortem, bonis vitam afferre ſolent, fol. 138. Plurima præcedunt Deum in nos venientem, fol. 146. Inter ipſas contumelias magis elucent, fol. 194. Magnum Dei beneficium eſt, videre in alieno capite, quid caueas, fol. 317. Et quòd vnus è multis, Dei amore dignus habearis, fo. 348. Beneficiũ Dei pignus eſt ad aliud, fol. 201. Quòd voceris, quando in te habes ſopitos humanos affectus, fol. 358. Quòd filiali ducaris ad Deum affectu, fol. 383. Quòd Deum præ oculis ſemper habeas, fol. 300. Beneficiorum diuinorum proprium eſt, quòd ad proximos ſe extendant, fol. 385. Sub beneficiorum titulis maiora odia nutriunt ferales homines, fol. 499. Beneficijs Deus hominum vota præuenit, fol. 147. Beneficijs aliquem ad vitam trahere, diuinum eſt, fol. 162. Beneficia ſpiritualia eò magis creſcunt in vnoquoque, quò ipſe citiùs illa alijs communicat, f. 531.

Beneficus, Beneficentia.

Benefici Dei filij, fol. 29. Deo pleni, fol. 8. Illis debentur imperia, fol. 5. Beneficos qui perſequuntur, plectentur, fol. 313.
Beneficentiæ Dei maxima gloria, omnibus opitulari, fol. 8. Beneficentiæ opera plena lucris, fol. 5. Illius quantũ habes, tantum deitatis, fol. 28. Per illam facilè omnes homines trahuntur ad ſalutem, fol. 162. Per illam Deus de nobis triumphat, fol. 163. Maximè relucet in Euchariſtia, fol. 288.

Benignitas.

Benignitatem nulli negare, propriũ veri Dei, fol. 8. Benignitas, & beneuolentia in proximos, proprium filij Dei, fol. 44. Priùs adhibenda peccatori reducendo, quàm rigor, fol. 162. Omnia veluti emit, fol. 163. Benignitatis diuinæ fines latiores ſunt, quàm dominij, fol. 459.

Bonitas.

Bonitatis diuinæ imber poſterioribus bonis obſcurat priora, f. 123. Bonitas Dei ſuauiſsima in Euchariſtia, fol. 288.

Bona.

Bona non duratura malis cõtingunt, fol. 15. Nulla ſine examine accipienda, fo. 24. Erogata magnos faciunt, fol. 29. Meretricibus data ſeruos faciunt, fol. 82. Et duplicem mortem accipiunt, fol. 83. Quæ à Deo non veniunt, indigna homine, folio. 125. Quæ à peccato ſummam afferunt cladem, fol. 126. Omnia creata mille defectus patiuntur, fo. 126. Sponte Deo offerenda, vt qui ab inuitis auferre poteſt, fol. 133. Ex affectu carnali parta faſtidium pariũt, fol. 167. Ex affectu cœleſti quæſita, gaudijs plena, fol. 168. Rapinis habita non ſatiant, fol. 186. Laſciuia obtenta infamem deſinunt, fol. 183. Terrena nihil omninò ſunt, fol. 266. A Deo accepta ſtabilia, fol. 291. Omnia in vno Ieſu, fol. 306. Cum Maria, & Ieſu omnia ſimul, fol. 346. Quò magis propria, eò citiùs deſpiciuntur ab hominibus, fol. 416. Bona naturæ rationalis eò ſecuriora, quò remotiora à terris, folio. 379. Illa tibi propria ſolùm habes, quibus vteris in Dei obſequium, fol. 287. Fœliciſsimè habes, quæ vides multis proficere, fol. 333. Bonis deficientibus credere, ſtultitia eſt, fol. 133. Bonis alienis carere, vera fœlicitas, fo. 76. Bonorum cauſam eſſe alijs vera fœlicitas, fol. 130. Bona funditùs perdita non gloriam, ſed calamitatem notant, fol. 625. Bonorum omnium plenitudo in Chriſto habetur, fo. 559.

Bona æternæ, & cœleſtia.

Bona cœleſtia nobiles faciunt, fol. 279. Illorum lucrum in proſecutione illuſtrium operum, fol. 378. Illorum ſpes reddit animos à moleſtia liberos, folio. 405. Sola poſſunt humana corda implere, fol. 419. Cœleſtium comparatione

ne vilia ſunt terrena omnia, fol. 447.

Bona temporalia, et terrena.

Penuriam alunt, fo. 127. Ablegant Deum ab humana mente, fol. 128. Orationi nocent, fol. 128. Obliuionem æternorum faciũt, fol. 129. Suos amatores obdurant, fol. 20. Sunt vmbræ, fol. 26. Quò magis veriſimilia; eò citiùs veritatem occultant, fol. 68. Sunt ſolùm figurata, fol. 68. & 617. Facilè relinquenda, fol. 132. Animalibus propria, fol. 131. Impendenda ſunt ſaluti animarum, folio. 161. Deum faciunt amitti, fol. 209. Vt tranſmitti debeant in vitam, fol. 231. Implicant nos, fol. 280. Relicta fructiferam tibi faciunt crucem, fol. 299. A Deo beneficò veniunt, vbi proximis communicantur, fol. 386. Impios non tàm ornant, quàm deſignant perditioni, fol. 393. Plùs obſunt virtuti, quàm omnia mala, fol. 394. Illis qui immergitur, nec requieſcit in ſepulchro, fol. 400.

Bonorum temporalium amore infeſtat gemitus, & dolor, fol. 25. Illorum fœlicitati aſſueti ancilè non labuntur, fol. 26. Illorum vmbra diabolus homines imponit, fol. 27. Illorum amatores, mendaces, fol. 151. Eorum aſſeclæ vanitas, fol. 151. Illorum iacturam facere ob maiora lucra comparanda, prudentia eſt, fol. 226.

Bonis temporalibus nimium fidentes ſub ipſo Dei lumine magis cæcutiunt, fol. 20. Illis non excuſamur; quominùs Deum vocantem ſequamur, fol. 147. Cum his ſeruire diabolo, cum quibus poſſemus æternitatem comparare, inexcuſabile malum eſt, fol. 148. Bonis terrenis inhærens ſapientia ſuſpecta ſit ſaluti, fol. 605.

Bonus.

Bona opera certiſsimum virtutis teſtimonium, fo. 18. Bonorum conſortium peccatoribus vtiliſsimum, fol. 45.

Brutum.

Brutis ſimiles ſunt, qui terrenis immorantur. fol. 262.

C.

Calamitas.

Calamitates non frangant vires animi, fol. 283.

Caliginem erroris qui recipiet ſub Ieſu, deploratus eſt. fol. 550.

Cantus.

Cantus, & ſymphonia auſpicium regni, fol. 280. Cantibus impudicis gaudere, quaſi ſtercore ſatuari, fol. 188.

Caro, Carnalis.

Caro Chriſti pignus certiſsimum poſſidendi totum Spiritum ſanctum, fol. 84. Carnis voluptates facilius relinquuntur, vbi corporum reſurrectio perſuatur, fol. 353. Carnalium voluptatum ardorem qui vincunt, glorioſiſsimè triũphant, fol. 272. Carnali affectu quæſita mox faſtidium pariunt, fol. 168. Carnalia bona pecudibus propria, fol. 131. Ab ſpiritualibus facilè relinquuntur, folio. 132. Carnales veritatis luce carent, fol. 128. Audaces, & nullius reuerentes, fol. 152. Carnales affectus impellunt ad difficiliora, fol. 501. Carnalis concupiſcentia à Ieſu ſolo vincitur, folio. 539. Carnalia deſerat, qui angelicam vitam ducere velit, fol. 622.

Caſtigatio.

Caſtigatio in alios ſit moderata, fol. 211.

Caſtitas.

Caſtitas non niſi de magna pugna coaleſcit. 593. Ipſa ſibi, & alijs tutum aſilum, fol. 624. Promptiſsima ad omnia Dei obſequia percurrenda, fol. 623.

Caſtitas exterior ſine interiori nullius apud Deum pretij, fol. 74. Rara virtus, folio. 78. Vera, quæ ob cœleſtem amorem conſeruatur, fol. 79. Conſeruatur charitate, fol. 79. Sine charitate vilis eſt, fol. 79. Illa pretioſa, quæ nihil præter Deũ admittit, fol. 80. Nundinatiua eſt, quæ impudicis oculis patet, fol. 81. Vbi caſtitatis in amore eſt, vix eſt fames, f. 184. Cœleſtis gloriæ imago, fol. 339. Comes conſtantiſsimæ fidei, fol. 340. Regna magnificat, fo. 342. Proximos cœlo deſignat, fol. 342. Diſponit ad Euchariſtiam, fol. 343. Illuſtriſsimum eſt humanæ naturæ decus, fol. 362. Facit hominem totum ſpiritualem, fol. 442.

Cauſæ.

Cauſam inauditæ partis iudicare, barbarum eſt, fol. 218. & 517.

Cenſor.

Cenſores nimij errorum proximorum, in grauiora ſinuntur ruere, fol. 211. Cenſores aliorum careant culpa in ſe, fo. 516.

Cham.

Cham impudentiſsimus, & ruſticus. 152.

Charitas ad victorias armat, fol. 63. Virginitatis eſt ornamentum, fol. 79. Chriſtiana vberibus cõparatur, fol. 123. Omnia fit, vt omnia factum Deum inueniat, fol. 315. Illi nullum eſt impedimẽtum diſtantiæ, fo. 407. Charitatem proximorum, qui diuidit, ſimilis inferno eſt,

eſt.fol.406. Charitas proximos in vnũ trahẽs,de Dei poteſtate venit. fol.590. Charitas facit nos in Crucifixum reſpicere, & pro illo pati.fol.556.Charitate in proximos fulgeat, quiſquis ad Euchariſtiam accedit.fol.335.

Chriſtus.

Chriſtus prima hominis perfectio. fol. 560. Inde probatur Deus, quòd nulli non auxiliatur.fol.8. Egregia opera humilitate obducit.fol.10. Vbi pertingitur, omnis ab illo diuinitatis ſuauitas hauritur.fol.21. Quia creaturas amauit,doloribus afficitur.fol.25. Dũ Stephano ſubuenit, Patri ſe oſtendit æqualem. fol.45. Filius Dei oſtenditur in hominum ſubuentione.fol.45. Contritus in cruce, guſtum ad labores excitat,fol.58. Ab vtero affectum noſtrũ prædatur.fol.61.Nunquam maior, quã vbi minimus. fol.71. Hominẽ facit ſua præſentia ſupra cœlum præſtantẽ. fol. 97. Nullum prætermiſit locum, quo non penetraret,vt egentibus beneface ret.fol.118. Sicut in magnitudine, ita & in humilitatis vilitate omnes ſuperat.fol.120. Mundi Dominus antè per pœnam, quàm per gloriam cognitus. fol.121. Per paſsionem infinitudinem ſuæ ſapientiæ oſtendit.fol.121. Neſcit finem in benefaciendo.fol.122.Per Euchariſtiam omnes mortis dolores oppreſsit. fol.143. Chriſtus acus eſt,vulnera foramina,per quæ ad bona ingredimur. fol.166. Suas dumtaxat oues curat.fol.167. Nil non aggreſſus pro nobis.fol.169. Quaſi æmulatione vincit hominum auaritiam in quærendis animabus.fol.170. Omnia facit vnum.fo. 177.Inde Dei Filius declaratur.fo.177. Panis viuus omnibus abũdans.fol.191. Scit vel inter iniurias ignoſcere,& benefacere.fol.194. Abſolutiſsimè exple uit perſonam ſerui, fol. 236. Sua morte pulchram Prophetarum mortibus inuexit coronidem. fol.305. Efficaciſsimus eſt pro hominibus. fol. 307. Suauiſsimus erga pudicos.fol.344. Haberi non poteſt ſine Eccleſia.fol.345. Salutaris hominibus de Mariæ conſortio. fol.346. Eò manifeſtior homini, quo homo magis ſe abſcondit propter illum.fol.358.Maius eſt, quòd trahat homines in ſalutem animæ, quàm in vitam corporis glorioſi abeat ipſe. folio 316. Solus valet ad ſalutem. fol.609. Per mortem ſibi omnes vniuit,fo.610. Chriſti patientia certiſsimum ſignum diuinitatis. fol.248. Eius triumphum ſalus peccatoris inueterati potiſsimè illuſtrat. fol. 267. Eius diſcipuli diſcant neminem iudicare.fol.38. Eius vulnera famem ad virtutem excitant. fol.59. Eius crux virtutes firmat. fol.62. Eius humanitas eſt fons.fol.70. Diuinitatis theſauros,& occultat,& manifeſtat,folio.70. Eius opera diuinitatẽ halabant, fol.72. Eius diuinitas non turpatur ſub carnis ignominijs. fol.116. Eius diuitijs potiturus,omnia relinquat. fo.128. In eius genealogia non numerãtur ex malis parentibus mali filij.fo.135. Eius vulnera foſſam offerunt, in qua à Dei ira abſcondamur. fol.137. Eius crux animæ fructus facit, & maturat.fol.137. & 138. Eius œconomia, quæ? fol.140. Chriſti dies eſt, vbi gladius, qui affligat,ſed non macter. fol.141. Eius vulnera nobis omnia porrigunt bona.fol. 165. Eius erga homines amor, maior quàm auaritiæ humanæ ardor. fol.169. Eius laus nõ ab extrinſeco ornatu, ſed ab ipſa nuditate maior.folio.201. Eius præſentia vt fugat dæmones. fol.214. Eius liberalitas,& ſuauitas [illegible] in Euchariſtia. fol.288. Eius mortis memoria ſuauiſsima. fol.288. Eius propriſsimum eſt,benefacere hoſtibus ſuis. fol. 309. Eius innocentia innotuit mundo, amodo, quo in illam lata eſt ſententia mortis. fol.310. Eius ſeruos, qui offendit,celerem ex Deo trahit ruinam.fol. 327. Ad eius corpus ſumendum virtutum ornatus præcedat.fol.334. Eius nomen, qui non exaltare curat,in glorius erit.fol.350. Chriſti humilia manifeſta erant ſigna diuinitatis,fol.494. Chriſti virtus eſt,quòd ſciamus cedere hoſtilibus iris,fol.498. Chriſti ſequẽla in cœlis parit curules.fol.599.

Chriſto Domino gratiùs videtur eſſe inter ſuos homines, quàm ſine illis in cœlo.fol.374. Ei qui adhæret, amat ardentiſsimè,quòd alijs communicetur. fol. 344. Ei, vndè veniat neceſsitas omnia ſubeundi. fol.236. Ei ſoli, qui nititur, omnibus abundat.fol.127.

Chriſtum quiſquis habes,nil timeas, omnibus abundas.fol.185.Eum, qui amat, neſcit ſolas in eo ignominias conſiderare. fol.116. Eum cogitanti nihil inſuaue eſt in mundo.fol.56.Eum decuit omnia infamia ſubire. fol.120. Vltra Chriſtũ nil eſt,quòd requiras. fol.306. In Chriſto plurima elucent ſuauitatis argumenta. fol.120. In Chriſto crucifixo,

fixo omnium bonorum fontes aperiũtur, f.529. Christum nescit, qui nescit pauperum miseri, fol. 575. In Christo Iesu omnium bonorum plenitudo, f.559.

Christianus.

Christianus sæpè vincitur ab Ethnicis in carnis maceratione, f. 149. Peccans est pirata, f.217. Celeriùs supplicio mulctatur, fol. 216. Christianæ disciplinæ culmẽ, nõ tam in verbis, quã in operibus consistit. Christiani vita designat, qualis erit mors, f.527. Salutem non gustare sub Christo infœlicissimum est, f.550.

Cibus.

Cibus cœlestis ignitus carbo, f.223. Per cibos mala firmantur, f.145. Cibus quamuis dulcis, & spiritualis sui fastidiũ assiduitate generat, f.55. Cibus Eucharisticus nutrit omnes spes salutis, f.191. Cibus, potusvè cœlestis, nos quasi cogit ad gratias Deo habẽdas, fo.223. Aut extorquet gratitudinẽ, aut infert exitum, fo.223. Cæcitas mentis vbi expellitur, panis cœlestis odoratur, f.189.

Cœlum, cœlestia.

Cœlum petentibus quæuis onera leuissima, f.163. Extra cœlum, qui aliquid suum esse putat, diábolus est. 373. Cœlum vbi clauditur, statim in terra calamitates apparẽt, f.417. Ad cœli viam amissam difficilis recursus, f.114. Cœlestia sunt homini quasi propria, cætera vt aliena, fo.275. Cœlestia via paucos habet nobiles, f.280. Cœlestis, qui cogitas, Deum in te sublimiorem facis, fo.206. Cœlestis est, qui de proximorũ profectu gaudet, f.173. Cœlestis viæ desertores in mũdiali latitudine pereunt, f.113. Cœlestium bonorum fastidium cauendũ, f.55. Cœlestium memoria pellit virtutum fastidia, f.55. Imò nos accendit ad virtutẽ, f.56. Cœlestia bona verè bona, f.68. Cœlestia dona, quãuis minima homines ad maxima quæque muniunt, fo.63. Cœlestibus adhærentes syderibus comparantur, f.279 Cœlestia, & sublimia aspiciat, qui Deum quærit habere, fol.558.

Cogitatio.

Cogitatio in Deũ eleuata securitatis plena, ad terrã abiecta ruinæ proxima est, fo.112. Cogitatio rerum cœlestium virtutis fastidia discutit, f.55.

Cognatus.

Cognati despiciendi pro Deo, f.414. Eorum miseria subleuãda potiùs, quàm aliorum, fol.281.

Cognitio.

Cognitio magna Dei, & confessio hominẽ reformat, & infirmam salutem euehit, fo. 451. Cognitio Dei secum trahit omnes operationes virtutum, fol.546.

Comitas.

Comitas nulla in lasciuis, fol.152.

Communicatio.

Communicatio bonorum propria discipulã Christi, fol.131.

Compunctio.

Compunctionem cordis sequitur auidissima virtutis fames, f.57. Conatus ad virtutem nunquam langueſcant, fol.97.

Contio, Contionator.

Contiones audire nunquã non salutare, fol. 360. Contionator laudes quærens humanas periclitatur, fol.366. Vrbanè eloquens fructũ impedit, fo.261. Obscurè loquitur, vt fallat, f.261. Forensi eloquentiæ studẽs pernitiosus, f.261.

Concordia.

Concordia maxima patrantur, f.176. Eã quæ turbat totus fit inconstans, fol.114. Dum malorum concordia, & adunatio viget, non potest viuere iustus, f.602. Vbi multi mali in vnum concordant, solus Deus potest eorum malitiam noscere, f.600.

Concupiscentia.

Concupiscentia carnalis hominem totũ rapit, f.177. A Deo distare hominem sic facit, vt penitus ignoretur, vbi sit, f.178. Carnalis, non tam ab alio, quam à Iesu vincitur, f.539.

Conditio.

Conditio humana est, vt illa magis despiciãtur, quæ magis sunt propria, f.416. Conditio suauissima Dei in Eucharistia, f.288.

Confessio, Confessarius.

Confessio peccatorum vbi deficit, ineuitabile supplicium timendum, fo.337. Confessarius non sit nimis rigidus in imponẽdis pœnitentijs, f.224. Confessio de lapidibus facit Dei filios, fol.536.

Congregatio.

Nulla est adeò sancta, quæ reprobos non admittat, fol.332.

Coniux, Coniugium.

Coniugatorum sollicitudines crescunt in mortis articulo, f.335. Coniugatis fœminis vt Deus consulit, f.591. Coniugij fundamentum firmum castus amor est, fol.592. Secundum coniugium durum, fol.621.

Conscientia

Conscientia mala mortem citissimam putat, f.281. Conscientia proprij sceleris deuincit hominem, qui brutus non est, ne similia in alijs puniat, fol.538.

Consideratio.

Consideratio humanarum rerum efficax ad fugiendum peccatum, fo.401. Consideratio iudicij diuini à nocendo retrahit, fol. 170. Mortis consideratio aufert omnem vindictæ memoriam, fol.107.

Consortium.

Cõsortio iustorum plurimùm peccator proficit, fol.45.

Consuetudo.

Consuetudo inueterata in vitio, trahit hominem in perditionem, f. 371. *Consultatio.*

Ad virtutem capessendam necessaria, f. 24.

Contemplatio.

Contemplatio vulnerũ Christi Domini certissima solet esse salus animæ, fol. 137.

Contentio.

Contentiosi homines Euriporum mutabilitati similes, fo. 114. Contentiones internæ fidelibus omni bello atrociores, fol. 176.

Continens.

Continentium statui singularis ornatus est multitudo filiorum spiritualium, f. 363.

Contritio, contritus.

Contritionis vis eximia, f. 195. Gustum excitat ad virtutes capessendas, f. 52. Contritus virtutum operibus satiari nequit, f. 57.

Contumelia.

Contumeliæ non parua fuerunt passionis Christi pars, f. 568. *Conuiuia.*

Conuiuia lauta malitiam diuitiarum excedunt, f. 32. In quibus adest Deus, non patiuntur pauperẽ iacere, f. 395. Cõuiuia lauta aptiora persequendo, quam sequendo Christo, fo. 426. Suspecta sint euangelicis ministris, f. 427. *Conuersatio.*

Conuersatio cũm hominibus Christo Domino charissima, f. 374. Sæcularis contagiosa, f. 159. *Conuersio.*

Cõuersio peccatoris omnes Dei labores pro illo exactos compensat Deo, f. 139. Argumentũ diuinæ potentiæ æquè, ac resurrectio mortuorũ, f. 139. Superat omnẽ philosophiæ cognitionẽ, f. 139. Ad illam verbũ Dei validissimum est, f. 411. *Cor.*

Amore diuitiarũ vacuum mœroris nihil patitur, fol. 16. A diuitijs possessum non sinit sentiri verbum Dei, f. 17. Iniquum virtutẽ vulgat, f. 9. Lapideũ est per sacrilegos iocos vana loquentibus, f. 178. Terrenis irretitum nõ admittit sermonem cœlestium, fo. 302. Castũ nullius in se admittit effigiẽ nisi Christi, fol. 80. Sola excelsa meditans peribit, f. 148. Cordis affectus bonos Deus præ omnibus æstimat, fo. 47. Cordis vitia vbi expugnantur, externi actus boni faciles, f. 444. A corde exeunt quæ hominem inficiunt, f. 491. *Corona.*

Eò pretiosior, quò nõ vltra coalescit, sed meritis acquiritur, f. 88. *Correctio.*

Correctio mansueta correctionem parit, fo. 119. immatura nociua ægro, fol. 46.

Creatura, Creator.

Creatoris sola manus producit cuncta perfecta, f. 53. Nescit malis tradere suas creaturas, ipsę per se ruunt, f. 1. Suũ opus reparare gaudet, f. 167. Creaturas sibi similes effi cit, f. 69. Creaturarũ amor etiã in Christo pœnas luit, f. 25. Infringit homines, fo. 25. Creaturarũ opus ab initio non potest esse perfectũ, f. 53. Creaturæ omnes suã gloriã homini deferunt, f. 97. Qui à creaturis solis ditatur infœliciſsimus, fol. 125. Illis aliquid deberi miseria est, f. 126. Earum conatus plerũq; irriti, f. 126. A creaturis damnabiliter emendicas Dei dona, f. 410. Creata omnis prouidẽtia defectuosa, f. 126. Creaturarũ affectus nõ habet stabilitatẽ, f. 500. Creaturæ ad amorẽ non excitãtur, nisi ex præguſtato amoris lucro, f. 546. Creaturæ vniuersæ deficiunt, solus Iesus indefeciẽs est, f. 548. Creaturas tales tibi inuenies, qualis tu alijs es, f. 606. Creaturæ ad supplicium hominibus inferendum valent, Iesus ad salutem, f. 609. *Crimen.*

Crimina licèt sint clara, auctoris tamẽ iudiciũ Deo tribuamus, f. 38. Crimina exaggerantes mendaces, f. 43. Aliquãdo dissimulanda, f. 43. Ibi periculosissimẽ patiantur, vbi alij virtuti student, f. 175. Crimina dũ puniunt iudices, humanitatis verbis vtantur, f. 336. *Criminator.*

Teterrima Reipublicæ pestis, f. 34. Pigmẽtarijs similes, f. 36. Aliorũ culpas verbis extollunt, f. 42. Componunt mendacia veritatibus, f. 36. *Crudelitas.*

Vino augetur, f. 301. Crudelitas mali Sacerdotis eximia, f. 117. Struthioni similis, f. 118. Crudelitas in proximos misericordia compensatur, f. 225. In egentes cognatos causa est perditionis, f. 485. *Crux.*

Vt valet animos regales cohibere, fol. 607. Crux Christi nobiles animos requirit, fo. 329. Ob oculos posita valet ad capessendam virtutẽ, f. 137. In sterili anima fructus maturat, f. 157. Animæ robur est, & perseuerãtia, f. 138. Securã virtutibus præbet sedẽ, f. 62. Rapuit sibi hominũ corda, f. 298. Figenda intimo corde, vt salutaris sit, fo. 298. Adse trahit corda humana, f. 299. Tũc fructuosa cũ corda terrenis vacua intrat, f. 299. Valet homines ad gloriam perducere, f. 299. Securissima sanctorum munitio, f. 295. A cruce Dñi exempla virtutũ, & miracula, f. 295. In cruce Christi decet gloriari, f. 283. Ab illa malorũ abolitio, f. 437. Crucis opprobriũ thronum exaltat, f. 448. Dei filios signat, f. 448. In ea omnium bonorum fontes, f. 529. Ab illa Romana Ecclesia, f. 607. *Cultura.*

Cultura fidei hominem auget, f. 253. Culturæ fidei incũbunt Hispanorũ arma, f. 255.

Cupiditas.

Cupiditas diuitiarũ verbũ Dei suffocat, fol. 16. Facit homines arescere, f. 20. Stultissima

ma sitis, f.4. Eius adimpletio pro suplicio peccatoribus est, f.229. *Cura.*
Cura de bona fama habenda diligentissimè, fol.214. Cura animarum virtutis mensura est, fol.293. *Curiales.*
Curiales gestatoriæ in cœlis obueniunt perfectis affectis Christi, fol.599.

D.

DAmnati eisdem rebus punientur, quibus delectabuntur, f.47. Rauidissimo desiderio videndi Deum cruciabuntur, fol.373. *Damnum, damnare.*
Dãna sua peccatores diligũt, f.52. Alijs illata in auctores deuoluuntur, fo.48. Propria dãna Deus dissimulat, aliena seueriſsimè punit, f.136. Dãna maiora patitur regnum pace longa, quam bello, f.281. Semel illata nescit corrigere diabolus, f.304. Inebitabilia sunt quando deficit cõfessio, f.337. In damnando aliquem semper est periculum, in condonando rarò, f.219. Damnari reum inauditũ tyrannis barbarissima est, f.42.218.& 517. *Decus.*
Decus magnum humanæ naturæ est virginitas, fol.362. *Defectus.*
Defectus proximorum nõ amplificandi, fol.42. Non soli spectandi, f.116. Vt medẽdi, f.204. Illos nõ curat occupatus in se, f.210 Eorum censor nimius maioribus irretitur, f.211. Et superbit, f.276. *Deliciæ.*
Fugiendæ à bono Principe, dum tempus est restaurandæ Reipub. f.323. Mundanæ nõ valẽt saturare humana corda, f.419. Inter delicias virtuti proxima ruina. f.26. Delictis in puniẽdis abstineant iudices à cõtumeliæ verbis, fol.336. *Deipara.*
Mater est prædestinatorũ, f.364. De eius cõsortio apparet Christus hominibus salutaris, f.346. De illa prosiliunt virginũ chori, f.347. Vnica post Christũ homines regenerat, fol.472. Sic Deo placuit præomnibus, vt illan Deus habens, non mirum, si cæteras derelinqueret. fol.473. *Demon.*
Illius incursus non superatur, vbi non adest animositas, f.377. Vt nobis malefaciat, vel immundissima loca intrat, f.119. Demonium est, qui sic superbit, vt virtutum honorem sibi præripiat, fol.569. *Deploratus.*
Deploratus est, qui in delicijs habet duricies sæculares, f.157. Qui absq; vllo laboris pretio Deum vellent, f.582. Deploratus est, qui sub Iesu maiores sentit errorum caligines. f.550. *Desidia.*
Desidia contẽptum, & de Deus parit. f.10. Desidia in puniendis delictis pernicibsa iudicibus, f.243. *Desiderium.*
Desiderium vehemens spiritualium vincit omnes passiones carnis, f.149. Carnale in bonis adeptis illico fatũdit, f.168. Desiderium animarum salutis magnum est argumentum virtutis, f.293. *Desertum.*
Deserti auræ salutares, fol.159. *Despicio.*
Despici Deum vocantem ab alijs nõ ferunt sancti. 325. *Detractor.*
Detractores indigni sunt, qui accedant ad Eucharistiæ mensam, fol.335. *Deus, vide Christus.*
Deus, & munus non possunt haberi simul, f.595. Deus à seruo per beneficia distinguitur, f.5. Vel parua cumulatissimè remunerat, f.6. Et munificus, & munificos facit, f.8. Abest à corde diuite, f.17. Quærentibus manifestus, f.20. Neminẽ vltra vires tentari permittit, f.40. In tentationibus iudex, hostium arma temperat, f.41. Talione torquet peccatores, f.49. Magna per nos operatur, f.50. Nõ agnoscit dies impiorũ, f.51 Irascitur virtute fastidientibus, f.54. Mortuus vita mortaliũ est, f.59. Quo minor nobis, eò gratior, f.60. Vel leuiter gustatus in sui amorẽ nos accẽdit, f.60. Factus homo nostrorum affectuũ depredatur, f.61. Non aliquibus, sed omnibus sua bona largitur, f.64. Nũquã maior, quam in humanitate, f.70. Visibilia bona inuisibilibus stipat. 72. Non extrinseca, sed intrinseca æstimat, f.73. Nescit parua donare, fol.73. Nequit in benefaciẽdo sistere, f.84.& 123. Neminẽ à suis bonis excludit, f.89. Tũc misericors, cũ irascitur in hac vita, f.104. Electos corripit ne pereant. 105. Prõptissimè miseretur illius, qui aliquando fuit iustus, f.105. Patictia lucratur peccatores, f.108. Deus nos esurit, f.109. Punit iniuriatores hominũ, f.111. Curat dilectionem inter homines, f.111. Nescit nisi pluribus benefacere, f.130. In puniẽdis peccatis aliorum damna potissimè respicit, f.136. Aptissima medicamina hominum saluti aptauit, f.140. Curat ne sibi, quàm diabolo minus seruiamus, f.151. Vel inter iram ad benefaciendum promptus, f.153. Nescit irasci, quin simul benefaciat, fol.153. Viles personas non excludit à sua gratia, fol.154. Vel in plateis illustris apparet, f.155. Nulli labori parcet, vt vel minimũ peccatorem saluet, fo.157. Totam familiã illius amat, quĩ à primis annis illi seruit, fol.158. Misericordiam præmittit rigori, fol.161. Deus nõ aliena, sed sua opera fouere gaudet, fo.166. Vincit amore nostri vehemẽtissimos homi-

hominũ erga lucra affectus, fol. 169. Quasi æmulatione vincit hominum auaritia in quærendis animalibus, fol. 170. Vnũ virtutis studiosum pro ingenti multitudine habet, f. 173. Iudicat de operibus nudè sumptis, fo. 199. In benefaciendo sistere nescit, donec se totum dedat, fol. 201. Nõ solùm sanat vulnera, sed & tegit, ne videantur, fol. 204. Præcipuè fauet primoribus in aliqua virtute, fol. 205. In nobis vt crescer, fol. 206. Sinet in maiora cadere eos, qui carpunt nimis proximi delicta, fol. 211. Offenditur in suorum donorum publicatione, fol. 216. Erga misericordes, vt totus occupatur. fol. 226. Fauet operantibus supra debitum, fol. 238. Ex quo iudex, seuerus, fol. 244. Gloriam secũdùm merita tribuit, fol. 235. Tolerabilius põdus nobis imponet, quàm mundus, fol. 257. Raro sui copiam facit, fol. 259. Obseruandus in occasu, vel in recessu, fol. 260. Possessio nostra, fo. 276. Accumulat dona illis, qui eius gloriam quærunt, fol. 285. Tantam habet potestatem, quanta est benefaciẽdi facultas, fol. 286. Deus, quę confert, firma sunt, fol. 291. Deus dum se eripit hominis oculis, cum in magno sinit discrimine, fol. 300. De reiectaneis nobiles gloriæ titulos facit, fol. 314. Inuidos vt flagellat, fol. 318. Eò magis exaltat hominem, quò ille se se magis humiliat propter Deũ, fol. 358. Honoribus afficit, quos filios experitur, fol. 383. Vel inter seueritates in malos tenerescit in bonos, fol. 388. Miseretur misericordium, fol. 397. Solus potest saturare humana corda, ne fameſcant, fol. 419. Fauet illis, qui de ipso magna credũt, f. 421. Deus ipse putatur mentiri à mendacibus hominibus. fo. 551. Deus à raris negatur esse, fo. 554. In tantum censetur esse, in quantum suos aspicit. f. 557. Per multas virtutes exprimendus, fol. 621. Deus à vita. 626. Non vmbris, sed veris, & solidis gaudet, fo. 616. Deus, & veritas simul, fol. 565. Dei natura benefacere, fol. 5. & 29. Dei gratia fultus omnẽ dæmonis rabiam vincit, fol. 40. Dei spiritu aguntur, qui misericorditer magis, quam seuerè tractant subditos, fo. 44. Dei est, quòd in nobis gratia eius oriatur, fol. 49. Eius opera ab initio perfecta, fol. 53. Eius studium alios sibi similes reddere, fo. 69. Eius, vel vmbra in nobis existẽs ipsum obligat, vt se totũ nobis dedat, fol. 84. Eius diuitiæ patientia, fol. 109. Dei patientia grauissimam minatur hominibus pernitiẽ, nisi resipiscant, fol. 109. Dei prouidentia sola perfecta est, fol. 126. Eius seueritas in præsenti non perdit, fol. 139. Sola Dei sublimia nõ scrutanda, fo. 148. Dei marsupiũ, peccatoris pœnitentia, fo. 16. Eius fortitudo benignitas, fol. 162. Dei oculi fauẽt operã saluti dantibus, fol. 198. Eius præsentia omnia bona secum affert, fol. 213. Eius absceſſus, vel accessus periculosè ignoratur, fo. 260. Eius nominis cultus nostra est protectio, fol. 293. Dei misericordia est, quòd vel vnus properet ad salutem, f. 343. Dei donũ est, quòd tũc voceris, quãdo sopita est carnalis vita, f. 358. Dei laus quòd ab ipsis peccatorũ morbis messem faciat salutis, f. 386. Dei ignoratio in crimen vocatur, fol. 523. Deo reseruãdum iudicium de proximi crimine etiam manifesto, fol. 37. Illi offerenda libenter, quæ inuitis auferre potest. 134. Ei aliquid desiderãti, qui non statim illud offert, excusatione caret, fo. 148. Illi quisquis adhæret, nullius eget, f. 186. Illi vocanti statim assurgendum, fo. 259. Illi vindicanti in peccatores creatura militat, f. 33. Deo vni qui nititur, ille firmus, & stabilis, f. 489. Deo probantur simplices, f. 627. Ad Deum qui vel paululum accedit, omnem deitatis suauitatẽ præsentit, f. 21. Deum proprijs placa, f. 59. Deum decuit omnia perperi, f. 120. Illum eadem via quæramus, qua fugimus, fo. 150. Apud Deum omnia eueniunt contraria ijs, quæ apud mũdiales cẽsentur, f. 400. Deũ ibi offendere, vbi ab alijs colitur, periculosum est, f. 175. Deum qui fugiunt otij ergo, in maiores labores incidũt, f. 256. De Deo licèt parum percipiamus, id totam deitatis efficaciam potest mõstrare, f. 22. Sub irato Deo omnia deserũt hominem, f. 220. Aduersus Deum immediatum scelus cætera omnia quasi catenata trahere solet, f. 554. Qualem Deum colis, talis ipse fis, f. 598.

Diabolus.

Diabolus præcipitat homines ad iudicandas proximorum causas, fo. 104. Rabidissimus contra homines, f. 119. Duriora præcipit, quã Deus, f. 149. Superbit de obsequio sibi ab homine præstito, f. 151. Diabolo aptissima instrumẽta sunt peccatores, f. 303. Diabolicæ nequitiæ est, mala semel illata nõ corrigere, f. 304. Laborat, ne Dei Verbum animo concipiatur, f. 21. Oculos vigilantes pertimescit, f. 32. Perfectiores infestat, f. 36. Vitia virtutũ specie transfigurat, f. 36. Est infirmus in Dei gratia munitos, f. 40. Prius exarmat hominẽ virtutib⁹, quã feriat, f. 115. Eius potẽtia aduersus hominẽ exigua, f. 41. Diaboli, vitijq; nil habẽs solet ab impijs inutilis æstimari, f. 570. Diaboli est mortis memoriam abigere, fo. 572. Diabolo peius est peccatum, fol. 568.

Dies.

Dies iudicij Principib⁹ terribilior, fol. 103 Eius ſeueritas eſt, quod nullum refugiũ permittat, fol. 103. Qui eum ſemper ob oculos habet beatus, fol. 102. In illo reprobi maximè torquebuntur videntes, ſibi Angelos infeſtos, fol. 92. In eo omnia hominibus contraria fiunt, fol. 104. Dies peccatorum non exiſtunt, fol. 50. Dies Chriſti in quò peccatores curantur, fol. 140. *Difficultas.*

Difficultates omnes contemplatio Chriſti crucis tollit, fol. 138.

Dignitas.

In nulla ſiſtere dignitate intolerabile, fo. 4. Dignitas regia beneficio debetur, fo. 5. Dignitates meritis acquirendæ, non temere donandæ, fol. 87. In dignitatibus onera, non honores quærẽdi. f. 164.

Dilatio.

Dilationes cauſarum, & litium venatorię ſunt, fol. 250. *Dilectio.*

Dilectio filialis Deũ cupit omnibus propitium, fol. 44. Dilectioni ſtabilendæ accingitur Deus, fol. 111.

Diligentia.

Diligentia in eo, quòd te ad Deum cõuertas, compenſat omnẽ tẽporis tarditatẽ fol. 277. Perfacilem diligentiã ſalutem comparari à nobis facit Diuinus ſpiritus, fol. 452. *Diſciplina.*

Diſciplinæ ſcholaſticæ magna Eccleſiæ defenſio, fol. 295.

Diſcordia.

Diſcordiarum ſeminatores abſolutè peccatores vocãtur, fol. 34. Sæuiſsima omnium peſtis, fol. 34. Diſcordiarum ſeminator inconſtãs eſt, fol. 114. Diſcordia ſuper mundi terribilia timenda, f. 176. Diſcordię ſeminator inferno aſsimilatur, fol. 406. Diſputationes ſcholaſticę vtiliſsimæ. 295.

Diſſimulatio.

Diſſimulanda interdũ proximorũ vitia, fol. 43. *Diuinitas, diuinus.*

Diuinitas nunquã niſi à ſublimi affulget, fol. 558. Diuinitas Ieſu probatur, quòd immeritis benefaciat, fol. 8. Diuinitas humanitati gratiſsima, quaſi confuſione miſcetur, fol. 71. Eius theſaurus in Chriſti carne, & abſconditus, & patentiſsimus, fol. 70. Diuinitatis notio inde ſumitur, quòd abſcõdita ſit, fol. 523. Diuiniſsimũ eſt inter iniurias benignũ inueniri, & haberi, fol. 193. Et velle vltrò aliorũ errores obtegere, fol. 204. Et nulli ſuã opẽ negare, fol. 7. Diuinæ poteſtatis argumentũ peccatoris ſalus. f. 139.

Diuiſio.

Diuiſio inter fratres nõ paternũ, ſed omnino ſum quid eſt, fol. 176. Nihil egregiũ facit, fol. 176. *Diuitiæ*

Diuitiæ niſi nimis amẽtur, nõ obſunt, ſed proſunt, fol. 15. In Iobo clariſsimarum erãt materia virtutũ, fol. 16. Suis amatoribus, ſpẽ eripiunt ſalutis, fol. 17. & 20. Eneruant animũ, fol. 26. Ex agricultura non illaudabiles, f. 31. Diuitiæ ſæculi figurata tãtũ bona, f. 68. Veræ tenebras amant, fol. 76. Dũ memoriã iudicij auferunt, irremediabile malũ eſt, fol. 162. A creaturis ortæ infelicitate plenæ, fol. 125. Impediũt hominesne magnafaciãt f. 155. Rapinis aggeſtæ nõ poſsidẽter, f. 188. Sunt Dei beneficia, quãdo ex illis participant proximi, f. 386. Nõ tã ornãt quã deſsignãt perditioni hominẽ impium, fol. 393. Plus ſolẽt obeſſe virtuti, quã omnia mala, fol. 394. Diuitiæ laſciuorũ, egeſtatẽ, & famem pariunt, fol. 183. Peccatis acquiſitæ infœliciſsimæ, fo. 126. Memoriã Dei auferunt, fo. 128. Diuturnitas vitæ temporalis inferno non abſimilis. fol. 265.

Doctor, doctrina.

Doctores Chriſtiani varijs doctrinis orbẽ fœcundãt, fol. 95. Vitijs dediti crudeliores in proximos, fol. 118. Doctorũ diſcordia, & Chriſtum diuidit, & ſe mendacijs laceſſunt, fol. 94. Doctrina proximos odio habentis, improbabilitatis ſuſpecta, fol. 93. Doctrinæ antiquæ, nouæq; mutuo ſe honorent, fol. 94. Nouæ irrationabiliter dãnantur, quia nouæ, f. 95. Nouæ aliquando præſtãtiores antiquis, fol. 95. Doctrina neutiquã ob vtilitatẽ, vel affectum demutãda, fol. 115. Doctrinã virtutũ in domeſticis qui habet, glorioſus, fol. 514. Veram Dei doctrinã percipit, qui benè operatur, f. 515

Dolor.

Dolor, qui iniuſtè infertur, vel fortiſsimos homines perdit, fol. 249. dolor, & gemitus tẽporaliũ bonorũ affectæ, fo. 25. Dolor peccatorũ virtutis famẽ acẽdit, f. 57

Dolus.

Dolus à Dei ſpiritu alienus, fol. 626. Nequit abſcondi, fol. 628.

Dominus.

Ille ſol⁹ Deo not⁹ eſt, qui curã habet ſeruorũ, fo. 237. Oia cõſequitur hic à Deo, f. 237. Dominorũ diuitię ſerui diligẽtes fo. 234. Vnus Dñs Deus familiarũ ſubit diſcrimẽ, fo. 525. A morẽ ſubditi quærit verus, f. 629. In domeſtici habere virtutum doctrinam glorioſum eſt, fol. 514.

Dona.

Quæ in terris dantur parua sunt ad æterna comparata. fol.447. Per multorum manus exhibita minuuntur. fol.466. A Deo acceptum stabile, & firmum est. fol.291. Quòd pluribus donatur, nunquam perit, fol.7. Vni collata in efficacia. fol.7. A donorum largitione magnitudo Dei. fol.29. Dona Dei licèt parua spem faciũt ipsum Deum possidendi. fo.83. Dona sua Deus reparare maximè curat. fol.167. Dona Dei ipsum Deum nobis donant. fol.201. Dum publicantur, perduntur. fol.215. Damnabiliter à creaturis emendicantur. fol. 410 Assiduis orationibus extorquenda. fol.423. Solùm apparent in eo, qui cum illis proximorum saluti incumbit. fol.385. Qui illis vtitur in Dei obsequium propria facit. fol.282.

Dulcedo.

Dulcedinem Dei gustantibus nihil est horribilius mundialium sapore, fol. 222.

Duellum.

Duellum diabolicum homine æquale, fol.40.

Durities.

Durities sęculares vbi in delicijs sunt, deploratum designant. fol.457.

E.

Ebrius.

EBrij crudeles etiam in suos. fol. 301. Frangunt iura amicitiæ, fol.302.

Ecclesia, Ecclesiasticus.

Ecclesia Dei digna hominis habitatio, fol. 61. Extra illam nihil est homine dignum. fol.62. Nullum extabit imperium. fol.62. In ea viuere nõ sufficit, nisi sanctè viuatur. fol. 88. In illa vtilissimi literarij congressus. fol.295. Sine illa nõ potest haberi Christus, fol.345. Ecclesia Romana à Cruce Christi, fol.607. Ecclesiastici vni pascendo gregi suo vacẽt, fol.1. Periculosè aulicis rebus immiscentur, fol.3. Lectioni sacræ insistant, fol.33. Et scientiæ scripturarum diuinarum, fol.34. Vitiosi crudelissimi in proximos, fol.117. Illorum auaritia est perditio animarum, fol.370.

Egestas.

Egestas luxuriam omitatur, fol.183.

Elatio.

Elatio propria inspicientium defectus alienos, fol.276.

Electi.

Electi temporalia in morte nihil curant, fol.144. Electorum ad dignitatem nobilitas animi inspicienda, fol.154.

Eleemosynam.

Sine Eleemosyna non sentietur sanctorũ patrocinium, fol.368. Per illam misericordia obtinetur, fol.397. Est sacrificium, fol.432. Sine illa non est liberalitas, fol.465. Facit fratres, & propinquos, fol.468 Facit domos, &æternat, fol.469. Facit, quòd videamus Iesum, qui sine illa nescitur, fol.575.

Efficax.

Efficacia salutis media à Iesu veniunt, fol. 428.

Eloquentia.

Eloquentiæ ostentandæ studentes concionatores crucem Christi euacuant, fol. 261. Eloquentia forensis longè à vera sapientia distat, fol.262.

Emendatio.

Emendatio in posterum procuranda, fol. 542.

Emissarij.

Emissarij equi sunt homines luxurioſi, fol.187.

Emolumentum.

Emolumentum maximum ex consortio iustorum, fol.45.

Episcopus.

Episcopus non desperet de ouium suarũ salute, fol.292. Illum decet à prmis humanitas, fol.320.

Epulæ.

Epulæ, in quibus Deus non adest, non admittunt pauperem, fol.395. Illis deditus non est vir nominis, fol.391. Deum à se reijcit, fol.392. Suspectæ sint Euangelicis ministris, fol.427.

Error.

Aliorum errores simplicibus verbis deferendi sunt, fol.42. & aliquando dissimulandi, fol.43. Aliorum erroribus medetur, qui non eos publicat, fol.204. Qui illos carpit ignoratione sui laborat, fol.210. Et in peiores cadit, fol.211 Et superbire solet, fol.276. Illos obtegere diuinum, fol.204. Errores, quàm aliter apparẽt in amicis, ac in alijs, fol. 430. Errorum caligines qui recipit sub Iesu deploratus est. fol.550.

Erubescentia.

Plus torquet ingenuum malum, quàm omnia

omnia mala, fol. 221. Erubescentia peccati non parua pœna, fol. 543.

Esuries.

Esuries maxima vbi non est Christus, fol. 192. Comes luxuriæ, fol. 183.

Euangelium, Euangelizans.

Euangelium docet benefaciendum inimicis, fol. 309. Euangelizantis pes quò peruenit, & manus perueniunt auari, fol. 502.

Eucharistia.

Eucharistia instituta ad mortem leniendam, fol. 142. Omnem benedictionem firmat, fol. 145. Est viaticum ad vitam alteram, fol. 146. Acuit mentis perspicaciam, fol. 190. Nutrit, vel exiguos cogitatus salutis, fol. 191. Et paruulis, & infirmis prodest, fol. 191. Continet omnium abundantiam, fol. 191. Corda saginat, fol. 192. Extorquet gratias ab hominibus, fol. 223. Fonti similis, fol. 223. Deum præbet suauem, & magnificum, fol. 288. Magna lucra exhibet homini, fol. 289. Non admittit detractores, fol. 335. Ad Eucharistiam aptamur castitate, fol. 343. Ad illam accedere debemus ornatu virtutum, fol. 334. Eo quasi subinde morituri, fol. 145. Miser, qui post illam, mortem sentit, fol. 143. In Eucharistia Christus mortem nos admonet, fol. 146.

Examen.

Ante omnem sententiam examen adhibendum est, fol. 218.

Exaltatio.

Exaltationem à Deo habet, qui se illi præbet filium, fol. 383. Quò minus exaltationem tuam quæris, eò nobilior ostenderis, fol. 574.

Excelsus, excellentia.

Excelsa ne nimium mediteris, sed humilia, fol. 148. Excellentia vera non antiquitati, sed operibus nititur, fol. 270.

Excessus.

Excessus in misericordia erga pœnitentes veniabilis est, in seueritate minimè, fo. 222.

Exemplum.

Exemplum clarissimorum spectanda, fol. 432.

Exercitium.

Assidua virtutum exercitia illas suaues faciunt, fol. 351. Exercitia externa facere solent homines aliorum despectores, fol. 373. Spiritualia ne fastidio sint petendum adeò, fol. 55.

Experientia.

Experientia terrenorum bonorum docet ea nihil esse, fol. 266.

Exteriora.

Exteriora nimia plurimum nocent viro religioso, fol. 208.

F.

Facetiæ.

Facetiæ quibus nobiles inhiant periculosissimæ, fol. 187.

Factum.

Facta nomini non respondere turpissimum est, fol. 106. Facta cuiusque nude inspicienda, vt rectè de illis iudicetur, fol. 199. Egregia facta, vel nude sumpta lucent, fol. 200.

Facinora.

Facinora sanctorum non permittunt contemni Deum ab alijs sine supplicio, fol. Facinora de vili materia educta propria sunt Patris diuini, fol. 460.

Falsitas.

Falsitas veritatis velo obducta nocentior proximo, fol. 35.

Fallaciæ.

Fallaciæ cur frequentissimę in hominum iudicijs, fol. 200.

Fama.

Fama bona diligentissimè procuranda, fol. 214. Vestimentum gloriæ est iusto, fol. 215. Fama in virtute languentium, minuitur ad aspectum gratia Dei vigẽtium, fol. 290.

Fames.

Fame veluti canina feruntur in virtutes, qui verè de peccatis conteruntur, fol. 57. Fames ingens virtutum Christum crucifixum considerantibus, fol. 58. Fames temporalium bonorum in moribundis pessimum indicium, fol. 144. Fames nulla premit Christo adhærentes, fol. 189. Famẽ, & inopia cõuertit Deus homines ad se, fol. 193. Fames maxima commitatur lasciuiam, fol. 183. Nulla tamen fames, & inopia nos ad eam cogit, ibidem. Quos fames, & ærumnæ non excitant excitabit æternus carnifex, fol. 193.

Familia.

Familia illa beata in qua aliquis ab infantia Deo se consecrat, fol. 158. Nulla est

in terris à Deo ſancta familia, vbi non inueniantur reprobandi, fol. 332.

Famulus.

Famulorum ingens multitudo Deo diſplicet, fol. 235. Solùm vanitati, & ſuperbiæ deſeruit, fol. 255. Famulorum multitudine qui eget longè à præſtantiſsima Angelorũ familia diſtat, fol. 235. Famulorum ſuorum curam gerentes Domini, Deo ſunt grati, fol. 234. Nihil eis Deus denegat, fol. 235. Famulorum diſcrimina qui ſubeat, vnus eſt Dominus Deus, fol. 525.

Faſtidia.

Faſtidia ab aſsiduitate virtutis omnino pulſanda, fol. 54. Ad faſtidia in virtute tollenda efficaciſsimum cõdimentum loqui de Deo, fol. 55. Si faſtidio virtutis afficeris cogita de cœleſtibus, fo. 57. Faſtidium pariunt res carnaliter quæſitæ, fol. 168.

Fauor.

Fauores maiores à Deo experiuntur, qui virtutem aliquam priores exercuere, fol. 205. Fauores Dei ne euulgaueris, ſi protinus eos amittere nolis, fol. 216. Singularis Dei fauor, quôd vocet homines quando in illis mortua eſt carnalis vita, fol. 358. Primos in fauoribus, primos etiam fieri in ſeueritate, æquiſsimi iudicis eſt, fol. 461.

Fœlicitas.

Fœlicitas aſsidua virtutem corrumpit, fo. 26. Fœlicitas peccatorum ſaginatio ad mortem, fol. 104. Fœlicitas rerum temporalium obliuionem Dei in nobis generat, fol. 189. Fœlicitas vera alijs largiri, fol. . Humanæ fœlicitates plurimum obſunt virtuti, fol. 394. Fœlicitatis ſignum Ieſus, fol. 493.

Fœlix.

Fœlix qui in morte temporalia non cupiat, fol. 141. Fœlix qui hac vita commeatum ad futuram comparat, fol. 131. Fœlix ille qui in operibus Dei manifeſtationem quærit non ſuam, fol. Fœliciſsimum eſt videre hominem fortunas ſuas multis prodeſſe, fol. 333.

Fœmina.

Fœmina imago Dei ob beneficentiã, fol. 29. Fœminæ auariſsimæ, fol. 169. Fœminæ ingenium mobiliſsimum, fol. 160. Fœminis coniugatis, vt fauet Dominus fol. 591.

Feruor.

Feruor primus ſemper in virtute continuandus, fol. 96. Feruore ſpiritus ne in alios immature ſæuiamus, fol. 47.

Feſtinatio.

Feſtinatio in proximorum cauſis iudican dis periculoſa, fol. 108.

Fides.

Fidei cultura maximè hominẽ auget, fol. 153. Fidei vbique ſeminandæ laborant Hiſpaniæ arma, fol. 255. Ad fidei menſuram erga Deum accipies ab eo beneficia, fol. 421. Conſtans animus fidei ſeruandæ comes ſolet eſſe caſtitati, fol. 340. Fides mundiales homines in cœleſtes agit, fol. 446. Fides reſurrectionis coniugijs ponit modum, & virginitatem perſuadet, fol. 619. Fides vera, & diuina non parit defectiones à Principibus, fol. 605.

Filius.

Filius Dei, qui alijs opitulatur, fol. 45. Filialis in Deum affectus proximos benignè habet, fol. 44. Filiorum virtus parentum laudibus fidem adquirit, fo. 65. Filiorum Dei ſpiritus eſt, vel remotiſsima loca peragrare, vt egenis benefaciant, fol. 118. Filius Dei neſcit non ibi eſſe vbi fuerit aliquis egens, fol. 118. Filius Dei tunc ſe ſimilis Patri oſtendit quando omnia loca penetrauit vbi poſſet auxiliari, fol. 119. Filius Dei factus homo omnia pacientiæ genera exhibere debuit, fol. 121. Filios ſanctorũ Deus beneficijs implet, fol. 135. Filij ſanctorum, filij Dei vocantur, fol. 135. Filij à parentibus vitia, vel virtutes ſortiuntur, fol. 135. Filij parẽtum impiorum in genealogia Chriſti non numerantur, fol. 135. Filij præcoces qua ratione maturẽtur, fol. 137. Filius ab infantia Deo ſacratus æterno ſplendore ſuam gentem illuſtrat, fol. 158. Filius Dei plura propter homines, quàm homines propter auaritiam fecit, fol. 169. Filius Dei quaſi auaritiæ ardore noſtram ſalutem procurauit, ibidem. Maximum filijs confertur beneficium, qui à ſanctis parentibus oriuntur, fol. 134. Filiorum ſpiritualium fœcunditatem largitur Deus continentium ſtatui, fol. 363. Filiorum ſucceſsionem habet ex Deo humilitas Principum, fol. 324. Boni filij parẽtum neceſsitatem conſiderant nõ diuitias, fol. 148. Filiorum virtus parentum laudibus fidem adquirit, fol. 65. Qui erga Deum filius ſe exhibet à Deo honoratur, fol. 383.

Finis

Finis.

Finem quidquid habet nō pluris æstimandum, fol.133. Vbi finem rerum homo contemplatur, facilè tunc in Deum cōuertitur, fol.358. In fine vitæ magis virtutum opibus abundare debemus, fol. 141. Finis respondet initijs, fol.438. Vnus virtutis finis sit tibi ad aliam initium.fol.561.

Fons

Fontis magnitudo Oceano maior, quia hic accipit aquas, ille donat, fol.30.

Fortitudo.

Fortitudo animæ virtutes celare, fol.10. Fortitudinis diuæ argumentum, irasci, simul, & pauere, fol.153. Fortitudinem dat hominibus Dei conspectus, fo.300 Fortitudo Dei benignitas, & misericordia, fol.160.

Forum.

Forum Religionis periculosissimum, fol. 114.

Fortuna.

Fortunæ humilis abiectio non obstat quò minus Deus in sua gratia sibi placeat, tanquam in margarito, despecto corpore abstruso, fol.154. In magna fortuna ac in parua æquè se gerere maxima laus fol.151. Fortuna blandiente seruare modestiam laude dignissimum.fol.283

Frater.

Qui diuisionem facit inter fratres inferno assimilatur, fol.406. Qui vitas fratrum arrodunt, non merentur ad Eucharistię mensam accedere, fol.335. Fratrem inauditū damnare diabolicū est, fol.517.

Fragilitas.

Fragilitati hominum interdum ignoscendum, fol.47. Magna fragilitas vbi Christi crux reijcitur, fol.296.

Frequentia.

In frequentia hominum maxima difficultas est, vt illæsus serueris, fol.159.

Fructus.

Fructus naturæ rationalis, quò remotior à terra, eò securior terræ, proximus vicinus est perditioni, fo.579. Fructus plurimi à Christi cruce perueniūt, fo.297. Fructus Passionis Christi sentit, qui à terrens affectibus non possidetur, fol. 299. Fructus virtutis Christi crux maturat, fol.137.

Fur.

Furis bona euanescunt, fol.180.

Furor.

Furoris diabolici est damna semel inflicta non corrigere, fol.304. Et de magnis euidentibus quę proximi virtutibus parum, aut nihil videre, fol.587.

G.

Gaudium.

GAudium vnde captauimus, inde quoque tormenta patiemur, fol.47. Gaudium nullum ex rebus affectu carnali partis, fol.168. Gaudium de salute fratris dignum cœlo, & Angelis, fol.172. Qui cum gaudio virtutem non arripiunt, vix sciunt placere Deo, fol.353. Gaudia peccatorum nō minori supplicio puniuntur, fol.403. Gaudium ingēs est portantibus ad cęlum onera, fol.163. Gaudiorum mundialium in occasu apparet Iesus.510.

Gemitus.

Gemitus pauperum omnipotentiam Dei in suam defensionem armant, fol.253.

Gentilis.

Gentilium opera bona efficacissima ad exercendam Christianam imitationem fol.124. In genealogia Christi non numerantur, qui ex malis parentibus natī mali quoque fuere, fol.149. Gentilium opera asperiora, quàm Christianorum, ibidem. Generosi animi est seruare secretum, fol.172.

Gloria.

Gloria Dei omnibus opem ferre, meritis, ac immeritis, fol.8. Gloriā suam Deus imminui censet, si quis etiam reluctans eius donis careat, fol.8. Gloriæ cælestis imago in virginitate relucet, fol.329. Gloriam Dei quærentes fœlicitates sequuntur,

cuntur, fol. 285. In gloriam Dei quærẽtes eius spiritus effunditur, ibidem. Qui vanam sui nominis, & diuinam gloriam quærit latebit in tenebris, fol. 350. Propter gloriam Dei contemnendi sunt, etiam propinquiores, fol. 414. Gloria mundi figura. fol. 68. Gloria mũdi disparet ad præsentiam diuinæ, fol. 506. Deus dum ad cœlestia tendimus, fol. 206.

Gratia.

Gratia quo maior fuerit in nobis, eô sæuior erit hostium in nos pugna, fol. 37. Gratia Dei homines potentissimos cõtra diabolum reddit, fol. 40. Gratia Dei munitum non tota inferni rabies deuicerit, fol. 41. Gratia diuina non tam nostro labore, quàm Dei beneficio adquiritur, fo. 49. Dei gratia munitus ante pugnam victorijs nos ornat, fol. 63. Gratiæ Dei nihil obest personæ nobilitas, & abiectio, fol. 154. Gratia Dei nihil in homine querit nisi indolem aptam sibi fol. 154. Gratiam præsemina, vt fructũ à peccatore decerpas, fo. 162. Prima gratia facilè deperditur, nisi virtutibus muniatur, fol. 180. Gratia baptismalis vitrea, fol. 181. Gratiarum actiones extorquet ab hominibus cibus cœlestis, fol. 223. Gratijs & fauoribus Deus implet, etiã in præsenti hominis aliquid supra debitum operantes, fol. 238. Gratiarum loco ìniurias accipere intollerabilis est dolor, fol. 249. Gratia Dei vigentes vicinis languentibus eripiunt virtutum augmeta, fol. 289. Singularis Dei gratia est, quod in hominum multitudine aliqui inueniantur, qui curam habent de sua salute, fol. 348.

Grex.

Totus grex Deo placet ab vno agno oblato, fo. 158. Ingrege pascendo, non tam propria emolumenta, quàm gregis salus ambienda. fol. 164.

Gubernator.

Gubernatoris eximia laus punire nocẽtes fol. 91. væ gubernatori non onera, sed honores à dignitate sua quærenti, fol. 164. Gubernatores ne vaticinijs particularibus credant ouium salutem, fol. 165. Gubernatoris maxima gloria inter omnes curarum sollicitudines, cuicumque misero prospicere, fol. 171. Bonus gubernator nẽminem inauditum, inexaminatum, & non conuictũ punire potest, fol. 218. Gubernator ille optimus, qui nõ eget dignitatis auctoritate ad sui defensionem, fol. 215. Gubernatori fædissimum est ea facere, quæ posito munere defendere nequeat, ibid.

Gula, vide Epulæ.

Gulæ deditus nequit esse vir nominis, fol. 391.

Gustus, gustare.

Qui gustauit cœlestia omnia terrena vtcumquè insipida facilè deuorat, fol. 56. Gustus diuinarum voluptatum horret ad saporem terrenarum, fol. 212. Gustum salutis qui non habet sub Iesu deploratus est, fol. 550.

H.

Hispania, Hispani.

Hispania olim celeberrima otio metuet corripi, fol. 11. Hispani proceres otio marcentes nihil egregium molientur, fol. 12. Hispanorum auaritia omnia penetrauit, fol. 170. Hispano populo vnde tam ampla gloria veniat, fol. 253. Hispania olim per exigua familia, nũc totum orbem occupat, fol. 254. Hispania non tam armis, quàm fidei suæ debet latissimum suum breuis imperium fol. 254. Hispanorum arma felicissimè victricia, quia fidei culturæ vbiquè pugnant, fol. 254. Hispanorum gladij, non tam gladij sunt, quàm aratra quibus vbiquè fidei seminandæ laborant. fol. 255. Hispanorum Regum sumptibus victoris classibus Catholica fides vbiquè terrarum regnat, fol. 255.

Homo.

Hominis prima perfectio in Iesu, fol. 560. Homines in sua damna citatissimi, fol. 51. Homo à sui nominis ethimologia beneficia discat largiri, fol. 5. Præstantior est cunctis animantibus, quia hæc sibi, suisquè homo verò omnibus, fol. 8. Hominum conatus occulta Dei virtus fortunat, fo. 50. Homines vitiorũ acerbitatem experti, stultissimè ad ea redeunt, fol. 51. Homo, quia Dei opus, perfectus creatus est, fol. 53. Homines humilitate Dei, maximè ad ipsius amorem

rem accenduntur, fol.60. Homines se, suosq; dum taxat promouere curant, f. 64. Hominum leges vtilitatibus solùm proprijs consulunt, fol.64. Homo cur cœlo comparetur, imò homini cœlum fol.97. Hominis summa dignitas esse proprium Dei opus, fol.97. In homine est omnis rerum creatarum gloria, ibidem. Hominis suprema gloria Christus factus homo, ibidem. Hominem nimio se offerentem Deus absorbet, fo. 98. Homo sibi benignus, alijs seueriſsimus est, ibidem. Hominis summa fœlicitas de Deo cogitare, fol.112. Homo in omni actione sua vel minima Deum ob oculos habet, f.113. Homo terrenis rebus intentus naui submersæ comparatur, ibidem. Hominis fœlicitas, quòd plures propter illum bona possideant fol. 130. Homo propria tantum damna punit, Deus potiſsimum aliena, fol. 139. Homo talis exhibendus est in quærendo Deum, qualis in fugendo, f.150. Homines temporales mendaces, fol. 151. Homines luxurioſi maximè agreſtes, & ruſtici, fol.152. Homines ita occupat ira, vt tunc benefacere neſciãt, fol.153. In hominum frequentia difficillimè Deus aliquem seruat, fol.159. Hominum affectus ad diuitias vehemẽtiſsimus, fol.169. Homines secretum aliquod auditum in terris custodire nequeunt, fol.172. Homines ab extrinseco petunt meritis valorem, f.199. Non est hominis, sed omnino Dei defectus aliorum tegere, fol.204. Homines dum de se loquuntur à veritate aberrant, fo. 241. Homo in cœleſtibus est quaſi in suis, in alijs quaſi in alienis, fol.275. Hominis propria posſeſsio cœlum, cætera diaboli, f.275. Homines non tã inficiatur bellum, quàm pacifica proſperitas diù prolongata, fol.281. Homines in Eucharistia magnis cumulantur beneficijs, fol.289. Homines perditi inſtruendi à sanctis in virtutis operibus, fol.293. Præſtantiſsima hominum protectio eſt nomen Dei veneratum. illorum perditio ſi contemnatur, ibidem. Corda hominum rapit Deus Cruci affixus, fol.298. Vt eis sit salutare, figendus in corde, fol.298. Homini terrenis affectibus vacuo salutaria sunt crucis myſteria, fol. 299. Magnum homini periculum imminet, ſi Deus auertatur ab eius conſpectu, fol.300. Homines vino traditi crudelitatem induunt, fol. 301. Homines flagitioſi inſtrumenta ſunt Sathanæ ad perditiones molien-das, fol. 303. Homines apud mundiale tribunal ſæpè triumphant, fol.313. In hominum salute mirabilior apparet Chriſtus, quàm in sua reſurrectione, fo. 316. Peſsimi hominum esse solent, qui diuinum à se, humanumque timorem excludunt, fol.319. Ad magnam homĩ nisfœlicitatem ſpectat, videre sua bona multis proficere, fol.333. Homo luxurioſus metuat accedere ad Euchariſtiæ conuiuium, fol.344. Vbi finem mundialium contemplatur, facilè ad Deum cõuertitur, fol.358. Quò homo se ſe magis obſcurat propter Chriſtum, eò ſe magis manifeſtat Chriſtus homini, ibidem. Facilè trahitur homo ad perditionem ab inueterata conſuetudĩne in aliquo vitio, fol.371. Hominibus impij inter maiores fœlicitates adeſt perditio, fol.373. Homo ſceleratus metu ſupplitij mortem citò aduenire putat, fol.381. Magna ipſius perditio eſt, non retrahi à peccatis terrore iudicij futuri, fol.384. In homine impio cœleſtium virtutum solum apparentiæ, & vmbræ reperiuntur, fol.389. Deum à ſe omninò reijcit homo gulæ deditus fol.392. Temporalia bona non tàm ornant, quàm deſignant perditioni homĩnem impium, fol.393. Homines aliter iudicant, ac Deus, fol.400. Hominum conditio ea eſt, quæ propria deſpiciat, aliena ſtimet, fol.416. Eorum affectus ad diuitias vehementiſsimus, fol.169. Sentiunt homines ſuauem Deum, & magnificum in Euchariſtia, fol. 288. Hominum bona omnia in vno Ieſu, f. 519. Homines nec ad modicũ poſſunt eſſe, niſi cũ eo, qui ſciat peccata dimittere, fol.520. Humana conditio conſiderata veniam trahit delictis, fol.541. Miſer homo, qui etiam ſub vitijs laborat, fol.581. Maximè confirmatur homo exemplo paternarum virtutum, f. 584. Homines ſolum amant ſibi proſiquos, fol.545. Homo ex Ieſu habet, quòd à tenebris abeat in lumen, f.547. Homo ſpe præmij, & ſupplicij metu continetur, fol.619. Hominis miſeria ſumma, quòd ſub vitijs laboret, f.581.

Honor.

Honores ambientes veluti vertigine agun tur, fol.4. Honores honoribus trudere continuo Principes laborant, fol.4. Honores in dignitatibus nequaquam ambiendi

biendi, fol.164. Honori proximi detra hentes indigni ſunt accedere ad Eucha riſtiæ conuiuium, fol.335. Ingentem ca ueat ruinam, qui in religioſæ vitæ profeſsione ad mercandos honores ex hominibus vitam componit, fol.365. Quī ad Dei honores euehi cupit, filium induat, & exuat ſeruum, fol.383. Dei honor præferendus eſt carnali cognationi, atque bono, fol.416. Verus honor præſtitus in vera munerum exhibitione conſiſtit, fol.486. Honoris tempus ſibi taxans Dominus, nobis illud ſine menſura donat, fol.505. Honores diui nos tibi pariet locus, in quo Deo obſequium præſtitiſti, fol.578.

Hoſtia.

Hoſtia Deo acceptiſsima, quæ à primis annis ei offertur, fol.158.

Hoſtis.

Hoſtium iris quòd ſciamus cedere, Ieſu virtus eſt, fol.498.

Humanitas, humanus.

Humanitas Chriſti diuitatis theſaurus fol.70. Ea eſt in ea excellentia, vt eadē humanitas, & diuinitas cenſeatur ab hominibus, fol.71. Nos ab ira Dei defendit, fol.135. Humanitas Principibus cō uenientiſsima eſt, fol.320. Humana omnis prouidentia defectuoſa, fol.127. Humanitatis Chriſti humilia manifeſta ſigna diuinitatis, fol.494.

Humilitas, humilis.

Humilitas Principum remuneratur à Deo fœcunditatis præmio, fol.324. Qui eam amplectuntur propter Chriſtū, ab ipſo exaltantur, fol.358. Qui humiliter Deo cuncta adſcribit illius donis cumulabitur, fol.285. Humilia Dei cū ipſius ſublimibus reſpice, fol.148. Humilitas dat ſignum ſalutis. fol.492.

I.

Iacob.

Iacob typus ſpiritualium virorum: Eſau carnalium, fol.131.

Iactura.

Iacturam facere bonorum temporalium pro futuris lucris maxima gloria eſt, fol.226.

Idodolatria.

Idololatriæ affectus Iudæis infuſus extingui nequit, fol.145.

Ieſus.

Ieſus adhuc duodenis omnia prædicationi poſtponenda docet, fol.2. Ieſus meruit regalem ſuam dignitatem hominibus benefaciendo, fol.5. Ieſum noſcendi ſtudio non affici deploratæ ſalutis ſignum, fol.19. Ieſus vbi eſt omnes miſericordes, fol.29. Ieſus à dormientibus amittitur, fol.33. Ieſum in cruce cōſiderans omnia difficilima libentiſsimè aggreditur, fol.59. Ieſus tunc maximè Patri æqualis, quando ſeruili habitu hominibus apparet, fol.71. Ieſus adhuc infans lachrymas ſuas Ægyptiorum ſaluti dedicauit, fol.88. Nomen Ieſu recenter Ioſue inditum mirabilia facit, fol.98. Ieſus, vt egentibus benefaceret, omnia loca adiuit, fol.119. Ieſus tunc Patri ſimillimus cùm vbique auxiliatur egentibus, ibidem. Beneficentia Ieſu ſuperat maleficētiam diaboli, ibidē. Ieſus gemito quaſi fonte è pectore ſuo dulcedinem ſuauitatis oſtendit, fo.120. In Ieſu argumēta manſuetudinis multò plura, quàm argumenta vindictæ. f. 120. Ieſus omnia mala præter peccatū ſuſtinuit, fol.121. Ieſus infinitam ſuam ſapientiam per tolerantiam manifeſtauit, ibidem. Ieſus abſoluit omnem patiētiæ curſum, ibidem. In medio ſuæ vitæ machinas erigebat, ſed in vltimo per Eucharistiam culmina poſuit, fol.142. Ieſus manſuetiſsimus, nihil habet rigidū in homines, fol.107. In eius præſentia nullū nobis deficit bonum Dei. Apud Ieſum plurimùm valet patrocinium D. Pauli, fol.229. Ieſus efficaciſsimus eſt pro hominum ſalute, fol.307. Qui Ieſu adhæret hoc ardenter optat, vt pluribus communicetur, fol.344. Ieſus nō poteſt haberi ſine Eccleſia, fo.345. Vbi Ieſus apparet ſimul cùm Maria, omnia bona ſimul apparēt, fol.346. Ieſu nominis celebritate prouenit hominib⁹ ſplēdor. fol.350. Poſt ipſius mortem, mors habetur pro ſomno etiā à teneris virginibus

nibus, fol.356. Iesus putat se esse peregrinum, etiam in cœlis, dum inter homines non agit, fol.374. Iesus suauis est erga pudicos, fol. 344. Terribilis erga impudicos, ibidem. Si aliquid à Iesu habes, totum Iesum habebis, fol.201. Iesus solus potest nos eò deducere, vbi efficacia æternæ salutis media in prōptu habeamus, fol. 428. In Iesu conspectu magna augmenta salutis, fol. 449. Per Iesu manus omnia salutaria redduntur, fol.464. Ex quo Iesus in passione rubuit, ille pro signo fœlicitatis est, fol. 493. A Iesu venit, quòd scias iris hostilibus cedere, fol.498. Iesus vel manifestus, vel latens, salutaris est, fol. 503. Proprior apparet in mundialium occasu, fol.510. In Iesu habet omnia homo, fol.519. Nullis iniurijs mouetur, vt ab hominibus discedat, fol.525. Post mortis pelagus fidelibus patentior, fol.528. In eo mortuo, & crucifixo omnium bonorum fontes aperiuntur, fol.529. A Iesu venit, quòd homo in perfectionem abeat, fol.547. Vnus Iesus indeficiens lumen est, fol.548. Adest, vbi peccata absunt, fol.549. Præcipuus ilex ad trahendum Iesus est moriens, fol.604.

Ignatius.

Beati Ignatij Societatis Iesu fundatoris præstantia, fol. 77. Ignis diuini amoris magno lachrymarum sumptu suscitatur, fol.122. Ex ignorantia sui venit aliena vitia carpere, fol.210.

Imperia.

Imperia beneficò debentur, fol.5. In malis durare nesciunt, fo.15. Imperia nulla duratura, nisi sub vmbra Ecclesiæ, folio. 61. Imperium spirituale, propria vtilitate neglecta, aliorum commodis studere, fol. 161. Imperijs damnosior est pacifica prosperitas diu prolongata, quàm bella, fol. 281. Imperia tradit Deus præstantibus beneficia, fol. 286. Imperia quæuis licèt opulentissima, possunt à castitate decorem accipere, folio. 342. Sine illa vilescunt, ibidem. Imperia crescunt subditorum leuamine, fol. 228.

Impetus.

Impetus in iudicandis proximorum causis vitandus, fol.108.

Impius.

Impiorum castigata scelera, laus gubernatoris, fol. 91. Impij solent eligi ab humanis Principibus in præmium, f.313. Impijs inter maiores glorias adest ruina, fol.373. Ipsis vitæ tempus citò transire videtur, fol.381. In impijs virtutes cœlestes, & ipsa hominum ratio phantasticæ apparent, fol. 389. Impios non tàm ornāt bona temporalia, quàm designant perditioni, fol.353. Impiorum gaudia non minoribus soluentur clamoribus, fol. 403. Impij iustorum extrema desiderant, fol.403. Impius peccandi consuetudine, labores delicias reputat, fol. 52. Impij in aliorum lapsibus maximè gaudent, fol.173. Timeat impius supplicium, cùm videat in alijs exerceri propter delicta, quæ ipse commisit, fol.338. Impij eos putant inanes, & vacuos, in quibus nihil diabolicum, & vitiosum vident, fol.570. Impij absque vllo labore volunt Deum, folio. 583.

Impudentia, Impudicus.

Impudicus semper impudens, fol.151. Nobilium impudentia eò peruenit, vt in ea maximè glorientur, fol. 186. Impudentia semper comitatur potentiam, fol.242.

Increpatio.

Increpatio impetuosa maximè vitanda, fol.108. Increpante nos Deo, omnem soporem excutiamus, folio. 198. Increpatio mordax rarò adhibenda, folio. 120.

Inconstantia.

Inconstantia mulieris ingenij rara, folio. 160. Inconstantes homines Deus maximè abhorret, fol.115.

Incommodum.

Incommoda propria homo punit, cætera nihil curat, fol.136.

Incuria.

Incuria pastoris in gubernando maximum peccatum, fol.964.

Induſtria.

Induſtria hominum defectibus plena, fo. 127.

Infantia.

Ab infantia qui Deo ſacrantur toti Reipublicæ vtiliſsimi, fol. 158. Qui ab infantia Deo ſe ſacrat toti ſuæ familiæ Deum debitorem conſtituit, ibidem. Ab infantia qui virtutem capeſcunt perſeueratiores in ea ſunt, fol. 255.

Infernus.

Infernus eſt quiſquis firmatam diuiſionem facit inter fratres, & proximos, fol. 406.

Infideles.

Infideles ſæpiſsimè vincunt Religioſos in macerationè carnis, fol. 149. In fidelibus duriora Dij, quàm Deus Chriſtianis præcipiebant, ibidem.

Infirmitas.

Infirmitas virtutis cuſtos, fol. 10.

Ingenium, ingenus.

Ingenui hominis nomen perdit, qui bona ſua meretricibus inſumit, fol. 82. Ingenuum hominem dedecet accipere dona niſi à Deo, fol. 126. Ingenuo homini grauiſsimum malum eſt confuſiones nota perfundi, folio. 221. Ingenium illud infœlix, quòd non dulcedine, ſed aſperitatibus excitatur, folio. 490.

Ingratitudo.

Ingratitudo ſummam calamitatem affert ingratis, fol. 224.

Iniuſtitia.

Iniuſtitiæ Principum meritò ipſorum populis culpæ vertitur, fol. 247.

Inimicus.

Inimicis facilè parcet, qui mortis meminerit, fol. 107. Inimicum qui ſtrictè iudicat, ſtrictiùs in Dei iudicio punietur, fol. 111. Inimicis cedere nos facit Ieſus, fol. 498. Inimicis qui manſuete reſpondit, pro ſe habet totum cœleſte auxilium, fol. 498.

Initium.

Initia bona non continuare maximæ duritiæ ſignum, fol. 13.

Iniquitas.

Iniquitatis ſignum publicatio virtutis, f. 9. Iudæorum, quàm Sodomitarum iniquitas cur maior? fol. 13. Ad Iudæorum conſumatam iniquitatem templi ſacra patuere ſciſſo velo, fol. 9.

Inopes, inopia.

Inops eſt omnis laſciuus, fol. 183. Nulla inopia cogit homines ad laſciuiam; inopia nulla eſt vbi Chriſtus adeſt, fol. 213.

Iniuria.

Iniurias proprias Deus diſsimulat, alienas non ſuffert, fol. 136. Iniuriæ ab alijs iniuſtè illatæ, vel fortiſsimos homines ad vindictam excitant, fol. 249. Iniuriarum acceptarum dolor maior eſt in innocentibus, ibidem. Iniurias pro gratijs accipere intolerabilem affert dolorem, ibidem. Iniurias ſuas vlciſcentes maledicti ſunt, fol. 111. Iniurias hominibus illatas ſeueriſsimè Deus vlciſcitur, ibidem. Inter iniurias, & contumelias miſericordem ſe gerere, & beneficum, omnino diuinum quid eſt, folio. 194. Iniurias ſuas qui in fratre vlciſcitur ſummum Dei iudicium ſubit, fol. 110.

Incrementum.

Magnum virtutis incrementum in Euchariſtiæ menſa, fol. 289.

Inſtrumentum.

Inſtrumenta diaboli ſunt flagitioſi homines, fol. 303.

Interceſsio.

Interceſsio ſanctorum plurimum nobis confert, fol. 230. Efficax plerumque eſt noſtris virtutum operibus adiuncta, ibidem.

Inuidia, inuidus.

Inuidiæ peccatum grauiſsimè punitur à Deo, fol. 318. Iudæorum maxima in Chriſtum inuidia, fol. 210. Inuidi non ſuſtinent videre fratrem, vel in honoris vmbra, fol. 209.

Ioannes.

Ioanni cur beata virgo in matrem detur? fol.258. Ioannes Baptiſta conſtantiſsimus à Chriſto laudatur, fol.115. Ioannes cur in cuſtodiam Virginis Mariæ afferatur? fol.80.

Iocus.

Ioci laſciuientium Principum nocentiſsimi, fol.187.

Ioſue, Ioſeph.

Ioſue typus Chriſti, f.19. Ioſeph in ſua ſpõſa nihil niſi bonum iudicabat, fol.39. Ioſeph cur à pulchritudine laudetur? f.272.

Ira.

Ira Dei erga homines in hac vita coronas parit, fol.105. Beneficia erga nos non impedit, fol.135. Diuinæ iræ vniuerſa deſeruit creatura aduerſus peccatores, f.318. Ira Dei eò maior quò tardior, fo.100. Ira Dei dialis tantùm; manſuetudo verò per annum durat, fol.120. Ira Dei in præſenti contempta, ingentem pariet furorem in futuro, fol.614.

Iracundus.

Iracundi homines inacceſsibiles, fol.1. Iraſci ſimul, & benefacere argumentũ fortitudinis Dei ibidem.

Iſrael.

Iſraeliticus populus qua ratione in immẽſum creuerit. fol.255.

Iudex.

Iudex ne facilè criminationibus fidem adhibeat, fol.35. Iudex nullum inauditum damnet, fol.41. Iudex caueat audire accuſatores crimina exagerantes, fol.43. Iudex qui in examinata cauſa ex ſola fama condemnat, tyrannus eſt, fo.218. Iudices periculoſiùs damnant, quàm abſoluunt, fol.219. Iudex non eſt qui delicta ſeuere non punit, fol.243. Optimus iudex eſt, qui nihil facit vndè poſſit timere, fol.244. Iudices ſuo munere tanquam veſtibus vtãtur, ibidem. Iudici æquitas pro torace ſit, fol.245. Iudex bonus ad ſe ipſum, tanquã ad arcẽ cõfugiat, f.245. Iudex innatam impeccabilitatẽ habeat, ibidem. Iudices iniquiſsimi ſunt, qui lites longè protrahunt, fo.249. Iudices lites differentes, lupi ſunt veſpertini, prædones ſunt, fol.250. Iudici feriſsimũ eſt ea facere, quę functus munere defendere non poſsit, ibidem. Iudices mali acrius ferunt ſententiam in plebeios, quàm in obtimates, f.311. Iudicis præſtantia non tàm in vilium, quàm in potentum hominum damnationem, fol.312. Apud humanos iudices multoties triumphant mali, fo.313. Iudices dum reos puniunt humanitatẽ in verbis debent oſtendere, fol.336. Iudex bonus, tamquàm priuatus in dignitate ſe gerat, fol.251. Iudices ne velut impetu feruidam ſententiam ferant, f.108. Ipſos nihil ſic perdit, ac mollities, & deſidia in puniendis vitijs. fol.243. Iudici turpiſsimum eſt, poſſe timere ſubditum, fol.151. Iudex æquus primos in fauoribus, etiam facit primos in ſeueritate, fol.461. Vbi perſonas intuetur, ſemper errat, fol.520. Si iudex non ſis, laudabilius viues, fol.571. Iudicum multorum auctoritas non magni habenda eſt, vbi nihil non rigidum apparet in ſententia. fol.603.

Iudæus.

Iudæi temporalia ſolùm eſtimant, fol.278. Iudæi cur adulterini vocentur, ibidem. Iudæi carnaliſsimi, & æternæ vitæ prorſus immemores, fol.85. Iudæi poſt Chriſti aduentum meliores fuere, quã antea, f.128. Iudæi quia carnales, Chriſtum non nouerant, fol.128. Iudæorum auaritia vndè veniat. fol.145. Iudæi mortuum Deum aſpernati, viuũ in ſuã pernitiem ſenſere, fol.59.

Iudicium, iudicare.

Iudicare alios proprium Dei, fol.37. Iudicium temerarium auctori ſuo paratũ ruinam, fo.38. Iudicium in criminibus, præcipuè libidinoſis, vitare prudentis eſt, imprudentiſsimi temere iudicare, folio. 39. Iudicium hominis in alios crudele, in ſe leue, folio.98. Iudicij futuri obliuio grauiſsimum homini malum, folio.101. Illius frequens memoria maxima fœlicitas, ibidem. Iudicium Dei ideò terribiliùs homini, quia vnicum, fol.102. Illius memoria continet homines, ne alijs noceant, folio 107. In iudicio Dei, ſi vis abſolui, miſericordiæ operam da, fol.225.

Iudicium Dei ſpem affert miſericordibus, non timorem, ibidem. Iudicium prolatum iuridice vix credi poteſt iniuſtum, fol. 310. Iudicium humanum ſeuerius ferri ſolet in plebeios, quàm in viros potentes, folio. 311. In die iudicij maximus auget dolor reprobos, quòd Angelos ſibi contrarios videant, fol. 92. In Dei iudicio aliter contingit, atque in hominum, fol. 389. Summa homini peruitio eſt, quiſuturi iudicij ierrore ab iniquitatibus non retrahitur, fol. 384. Iudiciũ religioſi viri paſsione aliqua infecti perniciosiſsimũ, & ſuſpectiſsimum habeatur, fol. 480. Iudicia damnãtia inauditum diabolica, fol. 42. 218. & 517. Iudiciũ reſpiciens perſonas erroneum. fol. 526.

Iugum.

Iugum Dei tolerabilius, quàm mundi, fol. 257.

Ius, iuſtitia.

Iuſtitia nimia maximè nociua, fol. 43. Iuſtitia, quę miſericordia nõ admiſcetur, inhumana eſt, ibidem. Iuſtitiæ ſitis per lachrymas excitatur, f. 57. Iuſtitia in impios ad perfectionem Rei publicæ pertinet, fol. 91. Iuſtitiam non in ſe, ſed in alijs ſeruari volunt homines, fol. 98. Iuſtitia Dei in hac vita in peccatores non ira, ſed miſericordia eſt, fol. 104. Iuſtitia, & æquitas veritate nutritur, fol. 516. Ius qui nemini dicit laudabiliùs viuit, fol. 571.

Iuſtus.

Iuſtorum conſortium peccatoribus maximè proficuum, fol. 45. Iuſtum tota rabies inferni non ſuperabit, fol. 40. Iuſtorum opera vincula ſunt, quę impios in officio teneant, fo. 46. Iuſtorum dies pleni, fol. 50. Iuſti enixè à Deo petat, ne ad virtutis faſtidium aſsiduitate veniant, f. 54. Quiſquis iuſtus amicos ſuos ſibi ſimiles reddere cupit, fol. 69. Iuſtus vnus Deo pro innumerabili vulgo eſt, fo. 174. Iuſtis in morte plerumquè pax ſumma, fol. 143. Iuſtorum propriſsimũ eſt incumbere ſaluti proximorum, fol. 293. Iuſtorum munitio non niſi à Chriſti cruce, ibid. Ipſorũ ſpes in cruce Chriſti ſita eſt, f. 296. Iuſti inimicis conferũt beneficia, f. 309. Qui offendit iuſtos ſtatim punitur, fol. 327. Iuſtorum facinora nõ permittunt contẽni Deũ ab alijs, ſine ſuplicio, fol. 325. Iuſtus non tàm curet de verbis, quã de operibus, f. 326. Iuſtis in morte nuptiæ celebrantur, fo. 357. Iuſti à mundo tormenta accipiunt pro dote, ibidem. Iuſtorũ ornamentum in Dei verbo eſt, f. 361. Iuſti ſpe bonorum cœleſtium reddũtur ab omni moleſtia liberi, fol. 405. Deus erga iuſtos manſuetum ſe præbet, dum in peccatores ſeueriſsimum, fol. 388. Iuſtorũ oratio pro exercitu eſt, fol. 252. Iuſtum qui iniuria afficit, ſtatim pœnas luit, ibidẽ. Iuſtus non curat nuditatem, quæ bonis operibus operitur, fol. 202. Iuſtorum impugnatio à diabolo venit, quãdo impij prætermittuntur, fol. 479. Iuſtus nõ poteſt viuere inter malorũ concordias, f. 602. Iuſtificatio peccatoris difficilior, quã reſurrectio mortuorum, fol. 139.

Iuuamen.

Iuuamen ſanctorum comparandum obſequijs, fol. 367. Sanctorum iuuamen non experitur, qui durus eſt in pauperes, fo. 368.

Iuuentus.

In iuuentute edomanda maximè elucet Dei potentia, fol. 258. Qui virtutem à iuuẽtute capeſſunt, fortiores in ea ſunt, fol. 271.

L.

Labor, laborare.

Labores vtiliſsimi hominibus, fol. 282. Eos accipiũt iuſti in morte à mũdo pro dote, fol. 357. Laborare in ſalutẽ proximorum magna commendatio, fol. 293. Labores afferunt lucẽ hominibus, quæ ſibi neceſſaria clariùs videant. f. 419. Labor, & ſuſpiria bonorum temporalium comites, fol. 25. Laboribus emitur margarita cœleſtis. fol. 87. Labores gloriosiorem faciunt coronam per illos adeptam, fol. 88. Boni paſtoris labores in ſalute ouis compenſantur, fol. 161. Labores argumentum ſapientiæ cuiuſque, f. 121. Laboribus cõparanda ſalus, ibidẽ. Laboribus vita ſternitur ad cœleſtem ciuitatem, fol. 122. Labore gratia conſeruatur, fol. 181. Labores vbique te inuenient, fol. 259. Laborare ſine ſalutis æternæ fructu miſerrimum eſt, fol. 263. Labor ſtultorũ nihil proficit, fol. 264. Aſinus eſt qui ſic laborat, ibid. Laboremus nos etiam in Dei vinea, nec omnia Deo relinquamus, fo. 268. Labores omnino tollit vicinitas præmij cœleſtis, fol. 169.

Labores non reputantur metentium, sed seminantium, fol.269. Laboribus externis, qui multum se dedunt alios despicere solent, fol.273. Laboribus exercita virtus tentationes vincit, fol.23. Ingens dolor homini est quòd tempore laborum cogatur respicere ad creaturas, & non ad Deum, fol.369. Qui laboribus, & plagis non resipiscunt ad salvationem, proculdubio peribunt. fol.193.

Lachrymæ.

Lachrymæ de peccatis nostram sitim ad virtutes excitant, fol.57. Lachrymarum efficacia eximia, fol.67. Lachrymæ pueri Iesu salutem Ægypto annunciabant, fol.88. Lachrymę pretium salutis, fol.122.

Lamiarum.

Lamiarum crudelitas ab impiorum Sacerdotum crudelitate vincitur, fol. 118.

Largiri.

Largiri alijs vera hominis fœlicitas, fol. 130.

Lasciuia, lasciui, vide luxuria, libido

Lasciui longissimè à sapientia distant, f. 179. Lasciuus omnis ingratus, & rusticissimus. ibidem. Ex lasciuis hominibus semper nascuntur filij imprudentes, fol.180. Lasciui Christum negant fol.181. Lasciui in voluptatum instabilitate fluitantes naufragantur, fol. 182. Lasciuorum hominum diuitiæ in famem desinunt, fol.183. Lasciui vltro in voluptates eunt nulla eos cogẽte egestate. ibidem. Lasciui primi omnium incipiunt pati famem, & egestatem, fol.184. Lasciuia nobilium impudentissima, fol.186. Lasciui omnia bona sua effundunt, fol.177. Lasciuia quidquid attingere potest à nobis abijciamus, fol.81. Lasciuiæ quidquid patet, nostrum non est, alienum est, vendibile est. ibidem. Lasciui homines timeant accedere ad Eucharistiæ mensam, fol.343. Lasciui solent prælibare grauissima supplicia, fol.534. In ipso sceleris puncto frequentius capiuntur à iustitia diuina, fol.55. Omnia confundit, homines facit fœminas lasciuia, fol.589.

Laus.

Laus propria mendacium est, fol. 241. Extremam caueat ruinam, qui in virtutis professione laudem ex hominibus quærit, fol.365. Magna diuinæ sapientiæ laus est, quod ab ipsis iniquitatum morbis messem faciat humanæ salutis, fol.386. Magna Angelorum laus tueri homines, fol.293. Qui Dei laudẽ quærit glorioſus erit in terris. fo.351

Lectio

Lectio sacra Scripturarũ dæmonibus fugandis vtilissima, fo.33. Lectioni sacræ assidue studendum, ibidem.

Lex.

Leges humanæ semper partiales, secus diuinæ, fol.64. Lex originali peccato dicta in Maria dispensatur. fol.60. Leges Magistratibus prẽsunt in fœlici republica non ècontra, fol.245. Legislator humanam naturam exuat, fol.244. Leges is ferre potest, cuius liberalitas ciuibus innotescit, fol.186. Legum obseruantia stabilit Respublicas, fol.145. Lex durissima esset, si cogeret in secũdas nuptias, fol.621. Leges facilè frangentur, vbi Dei amor non intercedit, fol.629.

Lætitia.

Qui lætatur de salute fratris, cœlestis, & Angelicus est, fol.172. Lætitia de salute proximi homines beat, fol.173. Lætitia replentur homines in Eucharistię conuiuio, fol.288.

Leuitas.

Leuitas in iudicando proximos indigna Dei seruis, fol.38.

Liberalitas.

Liberalitas Principem constituit, & Regẽ fol.5. Liberalitas Dei naturam explicat. ibidem. In plures effundatur ne fructu careat, fol.7. Tantum habes Deitatis quantum liberalitatis, fol.29. Liberalitas Dei in paruis experta totum Deum possidendi spem nobis facit, fo. 84. Liberalitas Dei nescit in vno beneficio sistere, sed semper maioribus elargiendis studet. ibidẽ. Liberalitas Christi maximè ostenditur in Eucharistia, fol.288. Vix est liberalitas nisi quæ bona sua egentibus tribuit, fol.465.

Libido, vide luxuria.

Libido triumphum agit de homine, fo. 177. Morte crudelior, ibidem. Libidinosi rusticissimi, fol. 151. Libido omnẽ modum abiurat, fol. 588. Omnia confundit, fol. 589.

Lignum.

Lignum aridum pœnitentia virebit, fol. 195.

Lingua.

Linguæ malitia potens est homines infi-cere omnes, fol. 489.

Lis.

Lites citò à iudicibus dirimantur, fol. 249. Lites, qui protrahit, prædo est, fol. 250.

Lucrum.

Lucra plurima ab Eucharistia proueniũt fol. 289 Lucra dum homo temporalis non amittat, mallet Deum amittere, fol. 308. Lucra in dignitatibus quẽrentes mors opprimet, fol. 164.

Liuor.

Liuoris scelus seuere punit Deus, f. 318.

Locus.

Locus, in quo obsequium Deo præstitisti, honores tibi pariet diuinos, fol. 578.

Luxuria, vide libido, lasciuia.

Luxuria semper est egestas, fol. 183. Luxuriam comitatur rusticitas, fol. 180. Deturpat quòdcumque Regnum, fol. 242. Desinat homines damnandos, ibidem. Luxurię appetitus meliùs vincitur, vbi adest Iesus, fol. 539. Vbi luxuria abest, fit totus homo spiritus, f. 442.

Luxuriosus.

Luxuriosi dũplicem sibi mortem acquirunt, fol. 83. Luxuriosi infames, stulti, ridiculi, fol. 82.

M.

Mandatum.

MAndatum assiduum executione redditur suauissimum, remisso tamen exercitio durissimum fit, fol. 351. Mandatorum obseruantiæ si non addideris etiam aliquid supererogationis, periclitaberis in salute, fol. 240.

Magistri.

Magistrorum facilè mutantium indoles adulterina, fol. 115.

Magistratus, vide iudices.

Magistratus legibus pareant, vel non stabit Respublica, fo. 245. Fœdissimum est magistratui ea facere, quę postea defendere nequeat, fol. 250. Magistratus optimè se gerit, qui ad sui defensionẽ non eget auctoritatis dignitate, fol. 151.

Magnitudo.

Magnitudo vera abscondi non metuit, fol. 76.

Malum, malitia.

Mala, quæ per cibos ingenerãtur inextinguibilia, fol. 145. Si mala fratrem minuunt, cur non potiùs bona commendent, fol. 116. Mala proximorum non sine bonis considerandà, ibidem. Malorum abolitio Dei signum est, fol. 436. Malitia nunquam penitus exterminatur per supplicij seueritatem, fol. 454. Malitia non potest abesse à pœnis. 456. Ex malitia peccata timenda, fol. 543. Occultissimam quamque malitiam manifestari facit diuinus spiritus, fol. 544. Malitia multorum aduna ta à solo Dei deprehendi potest, fol. 600.

Manus

Manus Dei nescit non dare rebus esse simul, & perfecti onem, fol. 53. Manus Dei facinus proprium est, quòd adolescentes à seruitio eius non declinent, fol. 257. Manus virtutum operibus intenta victoriam ab hostibus reportabit, fol. 116. Per multorum manus transeuntia dona minuuntur, fol. 466. Manus hominis temporalis euangelizantium pedes æmulatur incursu, fol. 502.

Mansuetudo.

Mansuetudo in proximos iram Dei flectit in benedictiones, fol. 111. Mansuetudo non corrigẽdis alijs efficacior rigore, f. 119. Mãsuetudine pluries, quã rigore corripiendi delinquentes, fol. 120. Mansuetudo præstantes elicit, & alit virtutes, fol. 99. Mansuetudine, quàm rigore facilius domantur animi, ibidem. Mansuetudini cœlestia horrea patent, fol. 207. Mansuetudo magis

magis, quàm rigor homines fructificare facit, fol. 207. Nescit Deus non otiẽtare manſuetudinem in bonos, dum in alijs rigorem exercet, fol. 388. Manſuetudinem cogitantibus etiam inter ipſas iniurias, paratum eſt cœleſte præſidium, fol. 483.

Margarita.

Margarita cœleſtis non ſine magnis laborum impenſis acquiritur, fol. 87.

B. Maria Virgo.

Maria Virgo virginalis iuſtitiæ teſtis, fol. 64. Si in Maria non durauiſſet originalis iuſtitia, facilè de illo ſtatu dubitaret humana ratio, fol. 65. Virgo Maria omnem originalis ſtatus fœlicitatem credibilem facit, ibidẽ. Quia Mater Dei, originariæ legis diſpenſationẽ habuit, fol. 66. Maria ibi exaltatur, vbi cæteri cadunt, ibidem. Qui in Maria maculæ originalis labẽ opinantur, nullum progreſſum facient, donec eam opinionẽ abiurent, ibidem. Maria Virgo mater ſimul, & Pater Chriſti, ibidem. Mariæ orationis efficacia filium Dei generauit, fo. 67. Naturam humanam aſſumpſit Deus Mariæ Virginis pulchritudine captus, ibidem. Mariæ famam maluit Deus integram ſeruare, etſi de ſui ex ea ortu dubitaretur, fol. 215. De Mariæ cõſortio apparet Ieſus benefaciens hominibus, fol. 346. Maria Virgo mater eſt prædeſtinatorum omnium, fol. 364. Mater eſt Virginum, fol. 347. Omnes ſuæ gentis virtutes in ſe habet, fol. 470. Vixit mortuæ ſimilis, fol. 471. Vnica poſt Chriſtum in hominibus regenerandis, fol. 472. Mariam vnam habens Deus, non mirarer, ſi contemneret cæteras omnes creaturas pro illa, fol. 473. Mariæ ſplendidiſsimus comitatus, fol. 474. Singularem gloriam in cœlis habet, quam non poteſt habere, niſi Dei mater, fol. 475. A quibus videtur aſſeri, quòd Maria reſurrexit in cœlis, fol. 476.

Martyr.

Martyres cur cantibus, & lętitia celebrentur, Innocentes verò lachrymis, & triſtitia, fol. 272.

Maturitas.

Maturitas virtutum in cruce Chriſti, fol. 137.

Meditatio.

Meditatio rerum cœleſtium pellit ab anima omne virtutis tædium, fol. 55.

Medicus.

Medici cœleſtis medendi ratio aptiſsimâ fol. 204. Medicus animarum earũ ægritudinibus, non medetur præmaturo medicamine, imò maximè nocet, fol. 47.

Medicina.

Quod ſit aſperrimum medicamentum hominibus à Deo exhibitum, fol. 140. Medicamina Dei ſalutem operantur, non mortem, fol. 140. Medicina non ſtatim difficillima vulneribus admouẽda, fol. 47. Medicina mitis plus peccatoribus prodeſt, quàm auſtera, fol. 119. Medicina, quæ à Deo venit vrit, ſed non cõſumit, fol. 139. Quæ extra opportunitatem exhibetur, inutilis eſt, fol. 46.

Memoria.

Memoria beneficiorum Dei tollit ab animâ virtutis tædium, fol. 55. Memoria Regni cœleſtis noſtram famem ad virtutem excitat, fol. 56. Memoria futuri iudicij vtiliſsima homini, fol. 101. Continet homines, ne vel inimicis noceãt, f. 107. Mortis memoria vindictæ amorem aufert, ibidem. Memoria de Deo nos in fœliciſsimam celſitudinem euehit, fol. 113. Memoria ſuauitatis diuini obſequij à mundi voluptatibus homines auertit, fol. 222. Memoria mortis Chriſti ſuauiſsima, fol. 288. Memoria paſsionis Chriſti accendit corda hominum, fol. 298.

Mendacium, mendax.

Mendacia annexa temporalibus hominibus, fol. 151. Mendacium quò veroſimilius, eò nocentius, fol. 35. Mendacijs nititur partialitas, f. 516. Mendaces, quicumque Principibus adulantur, fo. 550. Mendaces eò temeritatis veniunt, vt Deum mendacem putent, fol. 551.

Meretrix.

Meretricia voluptas hominibus infamis, fol. 82. Ridiculus, qui meretricibus ſua bona impendit, ibidem. Qui bona meretricibus impendiſſe gloriatur, ſuam ſtoliditatem velut tintinnabulum publicat, fol. 83. Meretricius iuuenis duplicem ſibi mortem adquirit, ibidem. Meretricios choros frequentant potentes, fol. 280.

Merces.

Mercedis vicinitas tollit labores, aut minuit, fol. 269.

Meritum.

Merita præstantissima illa sunt quæ ardorem voluptatum extinguunt, fol. 272. Merita quæ nudè sumpta nihil habent deformè præstantissima sunt, fol. 200. Merita non ex vestibus, externoquè ornatu pensanda, fol. 199. Meritis fabricata fortuna pretiosior est, quam quæ sponte sua coalescit, fol. 88.

Metus.

Vbi Dei, & hominum metus non est, ibi flagitia, fo. 319. Metus supplicij, & spes præmij continet homines, fol. 619.

Minister.

Ministri otiosi, & comptuli vacuant merita Principum, fol. 238. Laboriosi augent rem familiarem dominorum, fol. 234. Multitudo ministrorum iners Deo displicet, fol. 235. Minister Dei quæcumq; laboriosa aggreditur in eius defensione, folio. 237. Ministri humiles paruisquè contenti cordi sint Principibus, fol. 462.

Misericordia, misericors.

Misericordia in pauperes vbi deficit patrocinium sanctorum nihil iuuat, fol. 368. In conuiuis vbi adest Deus ibi exercetur misericordia in pauperes, fol. 395. Misericordiam à Deo accipit ille qui eam erga pauperes exercet, fo. 397. Misericordes filij Dei, fol. 44. Misericordia Dei maxima est homines hìc punire, fol. 100. Misericordia Gentilium efficacissimè mouet fideles, folio. 124. Excessu in misericordia tolerabilis est, secus in rigore, fol. 224. Misericordiæ operam det, quisquis in proximum iniquè egit, fol. 225. Ipsi studeat qui vult in iudicio Dei liberari, fol. 225. Misericordibus iudicium Dei non ad timorem, sed ad spem est, ibidem. Cùm illis Deus occupatur ne ad rigorem vacet, fol. 226. Misericordia quàm Deus exercet erga alienos in suis debet spem excitare, fol. 423. Misericordiæ opera plena lucris, fol. 6. Misericordia in proximos est præstantissimum sacrificium, fol. 432. Est prima in Principe viro virtus, fol. 458. Facit domos, & æternat, fo. 469. Qui nescit misericordiam, nescit Christum, fol. 575. Misericordi viro nũ quam deficiunt clarissimi fratres, & propinqui, fol. 468.

Miseria.

Miseria cognatorum leuãda potiùs quam aliorum, fol. 181. Miseria hominis est, quòd sub vitijs laboret, fol. 581.

Moderatio.

Moderatio in castigandis aliorum defectibus maximè necessaria, fol. 212.

Modestia.

Modestia in prosperitate seruanda, folio. 282.

Moyses.

Moyses dum in se dona continet nihil proficit populo, cùm ea partitur alijs populum in officio continet, f. 7. Moyses rigidissimus, & Iesus mansuetissimus, fol. 270.

Mollities.

Mollities, & crudelitas inseparabiles in Sacerdote, fol. 118.

Mora.

Mora omnis ad pœnitentiam, & salutem nocentissima est, fol. 199.

Mors.

Mors Christi ob oculos proposita efficacissima est ad edẽdos in hominibus virtutum fructus, fol. 137. In morte maximè virtutibus abundare debemus, fol. 141. In hora mortis omnes virtutum diuitias explicat sapientia Christiana, fo. 142. Mors somniata egregium quẽdam virum in innumeris virtutibus exercebat, ibidem. Mortis horrorem Eucharistiæ dulcedo præuertit, ibidem. Tranquilla mors iustis ab Eucharistiæ sumptione, ibidem. In morte solet Deus ex satiare famem plurium annorum, fol. 143. Fœlix qui in morte temporalia nõ cupit, ibidem. Miser qui vel tunc ea procurat, ibidem. Mors iustorũ satura, impiorum famelica, fol. 144. Mors per cibum in mundo regnãs debellari nequit, fol. 145. Mortis Christi memoria suauissima, fol. 288. Vbi mors adest multi ad Deum sine resistentia trahuntur, fol. 331. Post Christi mortem, etiam à teneris virginibus, mors tanquam somnus reputatur, fol. 356. In morte celebrãtur nuptiæ viris iustis, fol. 357. Mortem sanctorum reprobi concupiscunt, fo. 403. corporum mortuorum responsis non debet fidere homo viuens in Christo, quia nociua sunt, fol. 412. Mortes, & miseriæ statim apparent in terra vbi cœlum clauditur ne gratiæ rorem mittat, fol. 417. Peccatori, timore supplicij mortem citissimè aduenire, videtur, fol. 381. Mors vitæ respondebit, fol. 527. Mors Christi illum patentiorem exhibuit, fol. 528. Mortis memoriam maximè abigit dæmon, fol. 572.

Mos.

Mores hominum barbariſsimi apud quos ideò vileſcunt bona, quia propria, ad aliena efficaciſsimi, fol.416.

Mulier.

Mulier corpore, & oculis vaga quietem neſcit, fol. 160. Mulieres auariſsimæ, fol.169. Muliebre ingenium inconſtantiſsimum, fol.160.

Mundus, mundialis.

Mundus veritatem veroſimilibus occultat, fo.67. Mundi bona veroſimilia tantum, fo.68. Mundialia bona ſomnium, & larbæ, fol.60. Mundani ſua bona per vitri oculorum ludibria multiplicantis reſpiciunt, fol.68. Mundi latitudo periculoſa eſt deſerentibus anguſtam viã perfectionis, fol.113. Mundiales aliquã do religioſos in perfectione veniunt, fol. 155. Quæ mundus reijcit, Deus ad gloriam eligere ſolet, fol.314. Mundana gloria ad diuinam comparata diſpareat, fol.506. Facilè deſpicitur ab eo, qui cœleſtia ſpectat, fol.557. In mundialiũ bonorum occaſu proprior apparet Ieſus, fol.510. Mundiales Principes Ieſu diſsimiles, apud quos ſoli brachiati valent, fo.530. Mundus, & Deus nequeũt haberi ſimul, fol.595. Mundialia bona non ſolida, fol.617.

Munificentia.

Munificentia Dei in vno beneficio ſiſtere neſcit, fol.84. & 201. Munificentia Principibus propria, fol.5. Munificitiores fiunt, fol.6.

Munus.

Munera omnibus largienda, nec in vno coarctanda, fo.8. Munera Dei licèt parua, totum Deum trahunt, fol. 84. Munera non ante donanda, quàm promereantur, fol.87.

Mutabilis.

Mutabilis ſicut Luna, omnis pacem diſturbans, fol. 114. Mutabilis vel vmbra Deo exoſa, fol.15.

Myſterium.

Myſteriorum ſalutis ſcientia, præ omnibus æſtimanda, fol.445.

N.

Nabal.

NAbal cur ſtultiſsimus à muliere reputatur, fol. 134.

Natiuitas.

Vt bina, aut terna quis debeat florere natiuitate, fol.437.

Natura.

Natura abhorret aliquem inauditum, ſeu abſentem damnari, fol. 42. Natura nihil ſubitò perfectum producit, fol. 53. Tota naturæ pulchritudo cedit hominis dignitati, fol.97. Naturæ humanæ fructus, quò remotior à terra, eò ſecurior, quò vicinior illi, eò periculoſior eſt, fol.379. Splendidiſsimũ naturæ humanę ornamentum eſt caſtitas, fol.362. Naturalis ſimplicitas aptiſsima ad diuina myſteria captanda, fol. 75. Naturæ humanæ perfectio prima in Ieſu, f.560.

Neceſsitas.

Neceſsitati, non voluptati ſeruiendum, fol. 428. Neceſſariora curanda ſunt in re virtutis, fol.482.

Negotium.

Negotia Dei exequere ſi laborare nolis, fol.157. Negotia ſęculi, laboribus, & doloribus ſuos aſſeclas cruciant, fol. 257. Totum negotium Chriſtiani ſit in attẽdendo, quando Deus adſit, vel abſit, fo. 160. Negotia ſæcularia hominem in æternam damnationem ſubmergunt, f.113. Negotia externa vtcumquè pia, ſemper religioſo nocent, fol.208. Negotia Regum, quies, & augmentũ ſubditorum eſſe debent, fol. 228. Negotia ſalutis noſtræ quàm primum peragenda, fol.197. Sæcularibus negotijs impediti Verbo Dei ſeminando inepti, fol. 2. Negotia ſæcularia crebro hominem inficiunt, fol. 481.

Negotiator.

Negotiator peccatorum proximus alieniſſimus à Regno Dei, fol.85. Negotiator prudens nulli iacturæ parcit, vt maiora lucra faciat, fol.226. Negotiatores cœleſtium ſciant nulla lucra fieri ſine iactura temporalium, fol.227.

Negotiatio.

Negotiatio infœliciſsima qua quis malitię ſuæ ſectatores quærit, f. 86. Negotiationes temporaliũ bonorũ ſemper comitantur falſitas, & periurium, fol. 151.

Nobilitas.

Vera nobilitas in rebus à ſenſibus remotis conſiſtit, fol. 278.

Nobiles.

Nobilium impudentia eò peruenit, vt nõ tàm voluptate capienda, quàm in oſtẽdendo fœminarum dominatu glorientur, fol. 182. Nobiles laſciui de multitudine mulierculariũ gloriantur, fol. 187. Nobiles his facetijs inhiãt quibus extremè periclitantur, ibid. Nobilium menſas comptuli, & ocioſi ſerui conſumũt, fol. 233. Seduli, & laborioſi augent, fol. 234. Nobiles huius temporis, vt plurimum inhoneſtè viuunt, fol. 321. Parum æſtimant cœleſtia, fol. 322. Nulla commiſeratio erga ſeruos, ibid. Gloriantur de peccatis cõmiſsis, ibid. ê Nobilibus mũdi pauci per viam ſalutis ambulant, fol. 280. Ad nullas Dei minas, vel tonitrua ſoporem ſuum excutiunt, ibidem. Nobiliores, & potentiores corrigendi ſunt ab eo, qui velit ſanctam ſeruare Rẽpublicam, fol. 533. Quò quis nobilior, eò minus ſuam exaltationem in præſenti quærit. 574.

Nocumentum.

Nocumentum alijs illatum auctorem ſuũ acerbiſsimè affligit, fol. 48.

Nomen.

Indigniſsimum eſt, quòd nomini facta nõ reſpondeant, fol. 196. Glorioſa nomina iactare, & opera turpia patrare inſanientium eſt, fol. 197. Nomen Dei veneratum magna eſt hominum protectio, fol. 293. Ipſum contemnere perditio hominis eſt, fol. 294. Qui nomen Dei veneratur ſignum habet ſeruari in æternam fœlicitatem, ibid. Qui nominis ſplendorem quærit, & non Dei, inglorius manebit, fol. 350. Gulæ deditus nequit vir nominis eſſe, fol. 391.

Notitia.

Notitia Regni cœleſtis pellit virtutis faſtidia, fol. 55. Noſtram famen ad virtutes accendit, fol. 56. Omnia aſpera dulcedine perfundit, ibidem.

Nouitas.

Nouitas opinionum laudabilis, fol. 95.

Nuditas.

Nuditas Chriſtiana aptior ad magnalia patranda, fo. 155. Nuditas donum eſt, munuſque imperatorium, ibidem. Nuditas nulla eſt vbi dantur virtutum opera, ibidem.

Nuptiæ.

Nuptiæ celebrantur viris iuſtis in morte, fol. 357. Nuptiæ ſecundæ à duriſsima lege veniunt, fol. 621.

O.

Obdaratio.

OBdurationis ſummum malum timeat, qui virtutem alacriter ſuſceptam deſerit, fol. 13.

Obliuio.

Obiluio futuri iudicij, maximum hominis malum, fol. 101.

Obſequiũm.

Obſequia propria efficaciſsima ad veniã obtinendam, fol. 59. Obſequia noſtra erga Deũ talia ſint qualia diabolo præſtitimus, fol. 150. Obſequia ſpontanea magis Deo placent, fol. 268. Quidquid in Dei obſequium impendimus noſtrũ eſt, fol. 287. Obſequijs comparandum ſanctorum patrocinium, fol. 367. In obſequio Dei qui minor eſt vbi potior eſſe debebat, periculoſè agit, fol. 420. Obſequium Deo exhibitum, vel loca ſanctificat, fol. 578.

Obſeruantia.

Obſeruantia præceptorum ſuauiſsima fit continua exercitatione virtutum, fol. 351. Obſeruantia præceptorum vix datur ſine obſeruantia conſiliorum, fol. 240.

Obſcuritas.

Obſcuritas in loquendo pernitioſa concionatori, fol. 261.

Occupatio.

Occupationes exteriores nocent animo religioſo, fol. 208.

Occupatus in ſe ipſo nihil curat de alio rum vitijs,fol.210.

Occaſio.

Occaſiones peccandi omnino fugiendæ fol.12.

Oculi.

Oculi vigilantes diabolum fugant. fol. 32. Oculi in corpore cæteris membris præſtant,fol.75.Oculi crucem intuentes nullo abſterrentur à virtute , fol. 138.Ob oculos propoſita Chriſti paſsio virtutum vbertatem generat , fol.137. Oculi Dei ſalutares ſunt illis, qui ſalutis operibus incumbunt , fol. 198. Oculos à terrenis in cœleſtia, qui non extollunt bruta ſunt,fol.263.Oculi præcipuè à Chriſto Domino arguuntur,fol. 276. Oculi defectus aliorum inſpicientes plerumque ſuperbiunt, fo.276. Oculos habens in quiſitores trabem habet,vt in ea ſuſpendatur,fol.277. Oculos alios iudicans ſuo lumi priuatur, fol.277.

Odium.

Odia diſsiminata inter fratres inferno aſsimilant ſeminatorem,fol.406.

Odor

Odor Chriſtianus malis nocet,bonis nutrit,fol.138.

Offenſa.

Offenſa Dei periculoſior vbi ab alijs colitur,fol.179.

Offero

Quiſquis ſe Deo offert à primis annis, omnem ſuam familiam Deo charam reddit, fol.157. Offerenda Deo ſponte, quæ vel inuitis auferre poterit , fol. 133.

Onera.

Onera in cœlum gradientis leuiſsima,fol. 163.

Opes.

Opes impediunt homines ad magna patranda,fo.155.

Opinio.

Opinionibus antiquis non ita hæredum, vt probas deſpiciamus , fol.94. Opiniones nouas , qui tanquam nouas cæci impugnant inuidiæ liuore id efficit, fol. 95. Opinionum varietas vtiliſsima orbi , fol. 95. Opiniones antiqnæ aliquãdo auctoritatem ſuam nouarum præſtantiæ ſubmittunt,ibidem.

Opportunitas.

Opportunitas in corrigendis alijs maximè procuranda,fol.47.

Opus

Opera Dei in ipſa ſui productione ſunt perfecta.fol.53.Operibus proprij Deũ nobis cõciliemus,fo.59.Opera externa vacua, niſi internis affectibus diteſcãt, f.73.Opera bona,etiam tranſacta, plurimùm proſunt peccatoribus ad mouendum Deum ad miſericordiam. fol. 106.Opera virtutum tentationes excludunt.fol.115. Opera bona murus inexpugnabilis. fol.116. Opera mala non ſine bonis proderanda. fol.117. Opera bona per ſe imitanda, nec conſideranda à quo fiant,fol.123.Opera miſericordiæ Gentilium efficaciſsima ſunt ad mouendum Chriſtianos ad ſui imitationem , fol.124. Operibus virtutum ni foueatur gratia,facilè perditur.fol.181. Opera ab ſpiritu Dei profecta Deus maximè curat,fol.167.Opera pœnitentiæ ſterilem hominem fructificare faciunt. fol.195. Opera nomini correſpondeant , fol.169. Salutis opera operantes amœniſsimo vultu Deus reſpicit.fol.199. Opera cuiuſque nudè inſpicienda, vt rectè de illis iudicetur,ibi. Inter virtutum opera nihil nudum,& inornatum poteſt apparere , folio.202. Opera virtutũ iuſtũ veſtiunt.ibi. Operibus miſericordiæ ſtude,ſi vis in Dei iudicio liberari.fo.225.Operib⁹ miſericordiæ Deũ occupamus,ne ad rigorem vacet.f.226.Operibus virtutum adiuncta Sãctorũ patrocinia efficaciſsima ſunt apud Deum.230. De operibus ſupererogationis peculiare correſpondet præmium.fo.233. Opera ſupererogationis plurimis gratijs , & fauoribus cumulat Deus,etiam in hac vita.f.338.Opera ſupererogationis Abrahamo meruere apud Deum diuinam protectionẽ. 239. Operibus ſupererogationis non ſolùm correſpondet merces debita,ſed & beneficiũ,&gratia , etiã indebita.ibi.Opera ſupererogationis mandatorum obſeruantiæ ſi non addideris, maximè periclitabis.f.240. Egregia opera præſtãt veram gloriam , non antiquitas.fol.21. Opera de præſenti ſecuriorem reddunt animæ ſalutem, quã de futuris promiſſio.f.382. Aſsiduis virtutum operibus illarum exercitium redditur ſuauiſsimũ, remiſsione verò fit intollerabile.f.351. Quò magis homo opera ſua occultat

prop-

propter Deum, eò magis exaltatur ab ipso. f. 358. Operibus honor exhibitus apud Deum æstimatur. f. 486. Fœlix ille, cuius vel occulta opera possunt manifestari, fol. 504.

Operarius.

Operarij illi in vinea Dei maximè proficiunt, qui lucri spe maximè laborant, fol. 268.

Opulentia.

Opulentia virtutum in fine vitæ maximè eluceat, fol. 141.

Oratio.

In oratione qui aliquid de Deo gustauit. maiora, imò ipsum Deum sibi speret, fol. 84. Orationes Sanctorum vtilissimæ sunt in tempore necessitatis, fol. 229. Tunc maximè prosunt, cùm pijs nostris operibus sollicitantur, fol. 230. Orationes Sanctorum sine bonis operibus plerumque inefficaces sunt, ibid. Orationes Sanctorum vel pro defensione sua audiuntur à Deo, fol. 252. Orationes iustorum pro exercitibus sunt apud Deum, ibid. Oratio peccatorum vt inconstans est, ibid. Solet esse infructifera, fol. 408. Oratio fructuosa nihil priùs requirat, quàm id, quod magis vrget, fol. 409. Orationibus assiduis obtinenda sunt dona Dei, fol. 423.

Ordinatio.

Ordinatio in donando propria Dei, folio. 87.

Originalis.

Originalis iustitiæ testimonium in sola Maria conseruatum, fol. 64. Originalis iustitiæ fœlicitatē sola Maria fecit hominibus credibilem. fol. 65. Originale peccatum ne Mariam afflaret, suā Deus antiquauit legem. fol. 66.

Ornamentum iustorum.

Ornamentum iustorum in verbo Dei est, fol. 361. Illustrissimum naturæ humanæ ornamentum est castitas, fol. 362. Ornamentum singulare est continentium statui multitudo filiorum spiritualium, fol. 363.

Ornatus.

Ornatus superfluus potiꝰ deseruit ad perditionem, quàm ad splendorem, f. 365. De ornatu externo iudicare alios vitiū stoycum est, fol. 199.

Ortus.

Oriri à sanctis parentibus ingens filijs collatum beneficium, fol. 134.

Otium.

Otium res est contumelijs plenissima. folio. 10. Otium Hispaniam vastat. f. 11.

Otiosus.

Otiosos etiam labores comprehendunt, fol. 156. Otiosus est, & inutilis, qui rebus præsentibus immoratur, fol. 262. Otiosus non viuit, qui cœlestia cogitat, fol. 262.

Ouis.

Ouium nomen cur Christo charum? fol. 157. per ouem errantem mulier denotatur, fol. 160. Ouium salus non per reuelationes, sed per labores procuranda, fo. 165. Oues suas Deus, non alienas, fouere gaudet. fol. 166.

P.

Panis.

PAnis cœlestis valdè acuit mentis perspicaciam, f. 189. Nec parua spes salutis nutritur, quæ cœlestem panem nō respiciat, fol. 191.

Parens.

Parentum laudes posterorum virtus confirmat, fol. 65. Parentibus, & propinquis præferendus est honor Dei, f. 414. Parentum sanctitas ingens filijs beneficium, fol. 154. Parētes boni filijs suis quasi Deus, fol. 135. A parentibus malis filij quoque mali, fol. 135.

Passio.

Passio Christi validissimus ilex ad virtutem capescendā, fol. 137. Passio Christi causa est perseuerantiæ in virtutibus f. 138. Passio Christi propria Filij Dei, f. 121. Passio Dominica rapit sibi hominū corda, fo. 298. Plurimos traxit in vitam, f. 299. Passione Christi omnis amaritudo dulcescit, fo. 58. Vbi in passione rubuit Dominus, nobis fit signum salutis, fol. 493. Passio Christi vt discernit veros diuinitatis adoratores, fol. 562. Passio Christi non parua à verbis contumelioſis, fol. 568.

Pastor.

Pastoris boni diuitię salus ouis, f. 161. Pastor bonus nihil omnes labores, & detrimenta reputat, dum ouem perditā inueniat, ibid. Pastoris boni merces salus ouis, ibid. Vę pastori onera fugienti, & honorem in dignitate quærenti, f. 164.

Pasto-

Paſtoris incuria in paſcendo gregem maximum malum. ibid. Paſtores ſui gregis ſaluti non per vaticinia, ſed per labores conſulant, fol. 165. Paſtores animarum non debẽt deſperare de earum ſalute, fol. 292.

Pater.

Pater, nomen naturale, Deo cæteris gratius. fol. 75. De Patre Deo venit, quòd hominum ſaluti conſulatur. fol. 203. Cum notitia Patris cœleſtis venit cura animarum. fol. 203. Patris diuini proprium, quòd de viliori materia facinora ſua educat. fol. 460.

Patientia.

Patientia munitus abundat fructibus. fol. 27. Patientia ſibi conciliat inimicos. fol. 28. Patientia lucratur fratrem. fol. 108. Illa potiùs quam rigore plures acquirit Deus. fol. 109. Patientia diuitiæ Dei eſt. fol. 109. patientia Dei im pœnitentibus detrimentoſa. fol. 109. Eò terribilior, quò longior. fol. 118. Patientia Dei illa eſt, quæ omnium tormentorum genera patitur. fol. 121. Per illam Chriſtus infinitudinem ſuæ ſapientiæ oſtendit. fol. 121.

Patrocinium.

Patrocinia Sanctorũ non iuuant, vbi non regnat in pauperes miſericordia. fol. 368. Patrocinijs Sanctorũ ne fidamus, ſi à virtutis operibus vacamus. fol. 230. Patrocinia Sanctorum permanentem fœlicitem hominibus afferunt. folio. 231. Patrocinia Sanctorum vtiliſsima in tempore anguſtiæ. fol. 229. Maximè proſunt, cùm pijs operibus ſollicitantur, fol. 230.

Paupertas.

Paupertas Dei eſt, non plurimas habere animas. fol. 109. Paupertas Chriſtiana aptior ad magnalia patranda. fol. 155. Paupertas ſumma à laſciuia. fol. 183. Nulla eſt tanta, vt homines ad libidinem cogat. fol. 184. Paupertas propinquorum principaliùs ſubleuanda, fol. 281.

Pauper.

Pauperum arma validiſsima, gemitus, fol. 253. Pauperem quiſquis iniuria afficis eum time. fol. 253. Pauperes ſeueriùs puniuntur, quàm potentes ab humano iudicio. fol. 311. Chriſti pauperibus ſolùm licet deſiderare quæ vilia ſunt, & neceſſaria ad vitam. fol. 398. Pauperes propter Chriſtum liberaliſsimis eleemoſinarum largitoribus non ſunt in præmio inæquales. fol. 402. Dei miſericordiam ſentiet ille, qui erga pauperes exercet. fol. 397. Pauperum ſpiritu ingens præmium. fol. 594.

Pax.

Pace longa effœminati homines fiunt. folio. 281. Pacem proximorum, qui turbat, totus ſit inconſtans, & mutabilis. fol. 114. Pacem cogitantibus inter iniurias cœleſte paratur præſidium. fol. 483.

Peccator.

Fœlix, cui in hac vita iraſcitur Deus. fol. 104. Qui aliquando iuſtus fuit, facilius à Deo miſericordiam conſequitur, fol. 105. Ipſe ſibi ſupplicium infert, dũ cupiditatibus fruitur. fol. 129. Sæpiſsmè vincit Religioſos in aſperitate, & macerationc. fol. 149. Obedit Diabolo duriora præcipienti, quàm Deus. fol. 149. Vtinam tantum Deo offerat, quantum Diabolo. fol. 154. Ad iuſtorum lapſus ridet. fol. 163. Cõuerſus vel vnus, Deo pro ingenti multitudine eſt. fol. 174. Ibi eſt maiori cũ diſcrimine, vbi Deus ab alijs colitur. fol. 175. Sub Dei flagello dormiens, deploratæ ſalutis eſt. fol. 193. &. 198. Edocendus de cœleſtibus ab hominibus ſanctis. fol. 293. Inſtrumentum eſt aptiſsimum Diabolo ad perditiones moliendas. fol. 303. Non æſtimat Dei honorem, dum terrena nõ perdit. fol. 308. Sæpè triumphat apud humanos Principes, fol. 313. Dum viderit alios puniri, idem timeat ſupplicium. fol. 338. Inter clariores fœlicitatum progreſſus habet perditionem, fol. 333. Breuiſsimum iudicat tempus vitæ timore ſupplicij. fol. 381. Cœleſtes virtutes, & ipſam naturam hominis vmbraticè in ſe oſtendit. fol. 389. Nõ tàm ornatur bonis temporalibus, quàm deſignatur perditioni. fol. 393. Sola extrema iuſtorum exoptat. fol. 403. Plùs mouetur ad apparentes repræſentationes, quàm ad ſolida, & vera. fol. 404. Peccatorum preces ideò vanæ, quia inconſtantes. fol. 408. Illorum gaudia

non minori ſoluentur pœna. fol.403. Illorum vocationes præſtantiſsimæ,ſi vocentur, quãdo emortuos habent appetitus carnales. fol.358. Illorum punitioni deſeruiunt vniuerſæ creaturæ. fol. 328. Illorum conuerſio potiſsima eſt triumphi Chriſti gloria.fol.267. Illis faciliora pœnitentiæ in primis proponenda.214. Et prior illis benignitas exhibenda.fol.162. Illorum conuerſio Dei diuitiæ. fol.161. Illorum præſens fœlicitas ſaginatio eſt ad æternam victimam.fol.105. Peccatores labores ipſos ſtultiſsimè amant. fol. 51.& 52. Illos cruciabunt ea quę modò delectãt. fol.48. Illis nocebunt ea,in quibus alijs nocuere.fol.48. Tunc illorũ vita,quando vitia excludunt. fol. 50. Illis iuſtorum conſortium vtile. fol.45. Illorum tortor peccatum. fol. 130. In vnũ peccatorem ſententia lata vniuerſos ferit. fol.455. Peccatoribus cautela in poſterum procurãda. fol.542. Paruaira Dei in præſenti peccatoribus exhibetur, quæ in magnam conuertetur. fol.614.

Peccatum.

Peccatum præomnibus cauendum. fol. 563. Illius vindex eſſe non poteſt, qui eiuſdem ſibi eſt conſcius.fol.564. Peccatum omni dæmone horribilius.fol. 568. Cæcitatem facit,fol.608.

Peccatũ vbi non eſt, ibi Ieſus eſt.fol.549. Peccatum aduerſus Deum immediatè cætera poſt ſe trahit. fol.554. Peccatorum venia proprijs acquirenda operibus. fol.59. Peccata qui proximo perſuadet, alieniſsimus eſt à regno cœlorum.fol.85. Peccata publica Deus ſtrictiſsimè punit.fol.86. In peccata aliorum ſtrictè ſæuimus, in noſtra molliùs decernimus.fo.98. Principum peccata, licèt minima appareant, maxima eſſe ſolent.fo.100. Principum peccata,etſi parua appareant, ſeueriſsimè à Deo puniuntur. fol.101. Peccata Prælatorum grauiſsima. ibid. Peccata non adeò deſtruũt priſtinas virtutes, vt Deus illarum memor non facilè peccatoribus miſereatur.fol.106. Peccati amaritudo homines ad virtutẽ propellit. fol.156. Peccata aliorum ne nimium ſtrictè iudices,ſi in eadem,vel maioracadere nolis. fol.211. Peccata Chriſtianorum celeriùs puniuntur. fol. 116. Peccatum, quod viri ſpirituales committunt, deſeruit illis ad virtutis augmentum,fol. 192. Peccata proximorum, non verbis exaggeranda,ſed minuẽda.fol.42. Peccatũ maximè grauat.fol.467. Niſi peccata ſcias dimittere, nõ poterunt recti homines eſſe. fol. 526. Peccata ex fragilitate,non tàm timenda, quã quæ ex malitia, fol.543. Peccati publicati vere cundia tolerata non parua pœna. ibi.

Pecunia.

Pecuniæ affectus abijciendus à quærenti cœleſte regnum. fol.284. Pecuniarum poſſeſsio ſemper ſollicita, & timoris plena. f.284. Illarum abiectio ſecuritatem affert.fol.284.

Pœna.

Pœna talionis hominibus grauiſsima. Pœnæ in vitijs inuentæ homines in ſalutẽ impellunt.fol.156. Pœna ſemper contermina malitiæ eſt, fol.456.

Pœnitentia, Pœnitens.

Pœnitentia guſtũ excitat ad virtutes.fol. 57. Pœnitentiam agentes ad virtutem fame veluti canina aguntur,fol.58. Pœnitens verè, vel mortem ipſam libentiſsimè exhaurit.ibi. Pœnitentia nõ per alios, ſed per nos metipſos adimplẽda. fol.60. Pœnitentia noſtra Dei marſupium.fol.161. Pœnitentia vel aridũ lignum florebit.fol.195. Pœnitentia vera cœleſti innititur Patri.ibi. Pœnitentia viti ſimilis.fol.196. Pœnitentia vera diuinæ miſericordiæ innitatur. fol.196. Pœnitentia non ſtatim grauiſsima peccatoribus proponẽda eſt, ſed paulatim ad eam ducendi.fol.224. Vera peccatoris pœnitentia eleuat homines ad ſublimiorem gratiam, fol.194.

Perditio.

Perditio hominum eſt, contẽnere nomen Dei. fol.294. Perditio hominum prouenit ex eo, quòd Deus ſeſe ab illorũ eripiat conſpectu.fol.300. Superflua potiùs deſeruiunt ad perditionem, quã ad ornatum. fol.375. Magna hominis perditio eſt, quòd iudicis ſeueritate à peccatis nõ arceatur. fol.384. Eccleſiaſticorum auaritia eſt perditio animarum fol.370.

Perfectio.

Ad perfectionem non ſubitò,ſed perſuos graudus.fo.52. Perfectionis viam deſerentiũ irremediabilis egreſsio. fol.114. Perfecti vehementiùs à Diabolo exercentur.fol.37.

Periculum.

Pericula difficiliora amplectitur carnalis affectus, fol. 505.

Persecutor.

Persecutores beneficorum sibi hominum singulari clade confici solent, fol. 313.

Perseuerantia.

Perseuerare in virtute si vis, crucẽ Christi contemplare, fol. 138. Perseuerantia adolescentium in Dei seruitio, potentius Dei facinus est, fol. 257. Perseuerantia obtinentur Dei beneficia, folio 423. Qui à pueritia virtuti vacant, magis in ea perseuerant, fol. 255. Perseuerantia annexa est infantili virtuti. fol. 259.

Persona.

Personæ vtilitas, vel abiectio nihil obest, vt Dei gratia in ea resideat, fol. 154. Persona non respiciatur in iudicio, ab eo, qui nolit errare, fol. 520.

Pestis

Pestis ouium grauissima, discordiarum seminator, fol. 34.

Peto.

Petenda sunt priùs à Deo, quæ magis vrgent, fo. 409. Petat maiora, qui aliquid à Deo accepit, fol. 85.

Pharao.

Pharao lucro deditus luteo, luti more, iv sub maiore miraculorum lumine magis induruit, fol. 20.

Phœnix.

Phœnix virginitatis typus ob singularitatem, fol. 78.

Pietas. Vide Misericordia.

Pietas erga cognatos pauperes inter præcipuas causas salutis est, fol. 485.

Populares.

Populares exemplo, & precibus Principes suos in bonam frugem cogere debent, fol. 247.

Portenta.

Portenta operantur Sancti per Christi crucem, fol. 297.

Possessio.

In possessione rerum affectu carnali quæsitarum illicô fastidium generatur, fol. 168. Possessio auri solùm interdicta, folio. 31. Possessio propria hominis cœlum, fol. 275.

Potentia.

Potentia crucis magna ad ferendos homines ad gloriam, fol. 299. Potentiæ assecla est impudentia, fol. 242.

Potestas.

Potestas, quæ à Deo venit, mensuratur benefaciendi facultate, fol. 286. Potestas passionis ad rapienda sibi corda hominum maxima, fol. 298.

Potentes.

Potentes huius sæculi belluis comparantur, fol. 221. Potentes vt plurimùm turpiter viuunt, fol. 221. Potentum humilitatem præmiat Deus filiorum successione, fol. 324.

Preces.

Precibus assiduis extorquenda sunt dona Dei, fol. 423. Precibus assiduis vel obduratissimi homines emolliuntur, fol. 241. Preces Sanctorum non frustrantur pro defensione sua, fol. 252. Pro exercitibus valent, fol. 252. Preces adhibendæ pro his, quæ magis vnicuique oportet assequi, fol. 409.

Prædestinatus.

Prædestinati multo sudore consequuntur gloriam, fol. 122. Prædestinatorum omnium mater est Sanctissima Virgo, fol. 364.

Prædicator.

Nullis negotijt implicetur, sed verbo diuino seminando solùm incumbat, folio. 2. Prædicator scientiam, doctrinãque suam ne malè ad Principum gustum detorqueat, fol. 3.

Prædicatio.

Prædicationis munus otium requirit, fol. 2. Prædicationis munus prætulere misericordiæ Apostoli, fol. 3. Prædicatione Christi crucifixi ad virtutem efficacissimè accenduntur, fol. 58.

Prælatus.

Prælatis imputatur, quòd sint zizaniorum semi-

ſeminatores, fol. 35. Prælati ne facilè, & ſine exploratione credant delationibus, fol. 35. Prælatorum peccata, licèt minima appareant, maxima eſſe ſolent, fol. 100. Prælatis, quàm ſubditis terribilius iudicium, fol. 105. Prælatus ſæpiùs lenitate, quàm rigore corripiat ſubditos, fol. 119. Prælati Deum imitentur in medendo ſubditis, fol. 139. Prælati ſubditorum vulneribus ita medeantur, vt ab alijs neſciantur, fol. 204. Prælati manſuetudine ſubditos regant, ſi fructificare velint, fol. 207. Ne nimio rigore eos obruant, fol. 212. Prælati inter omnes gubernãdi curas, calamitoſo cuique proſpiciant, fol. 171. Prælati ne reuelationibus fidant, vt ſubditos gubernent, fol. 165. Prælatus per ſe ipſum inquirat ſubditorum actiones, fol. 381.

Præmium.

Pro præmio dat Deus filios Principibus, qui humilitatem ſectantur, folio. 324. Præmij vicinitas vel tollit, vel ſaltem minuit labores, fol. 269. Præmium glorioſius, quod meritorum pretio adquiritur, fol. 83. Præmia magnarum virtutum in futuris bonis ſunt poſita, f. 597.

Præſentia.

Præſentia Saluatoris omnibus nos donis cumulat, fol. 213. Præſentia Dei periculoſiſsimè ignoratur, fol. 260.

Præſul. Vide, Prælatus.

Præſul à Deo electus gregem ſuum non tàm iudicat, quàm paſcit, fol. 44. Præſul non adeò fidat miniſtris, vt per ſe ſubditorum actiones non veſtiget, fol. 381.

Primus.

Primis in aliqua virtute fauet Deus, fol. 205. Primi in aliqua virtute, primi in Eccleſia cenſentur, fol. 205.

Princeps.

Principum cupiditas infinita, fol. 4. Princeps, & munificus idem, fo. 5. Princeps ne ſolis auribꝰ credat, ſed exploret ſubditorum negotia, fol. 35. Principes vtcumq; florentes, vel minimo ſubdito periclitanti, remedium adhibeant, fol. 171. Princeps bonus, etiam poſt mortem ſuum regnum poſsidebit, fol. 217. Miniſtrorum crimina examinet, nec accuſatoribus iraſcatur, fol. 219. Principes diſcãt nihil nimium robori ſuo fidere, fo. 220. Principum fortitudo nulla eſt, vbi Deus illis iraſcitur, fol. 220. Princeps ex ſubditorum leuamine augmentum ſuum quærat, fol. 228. Principum menſas conſumunt ſerui otioſi, fol. 233. Principes viri ſine pudore, aut fræno raptantur à concupiſcentijs ſuis, fo. 243. Principum iniuſtitia meritò populariibus ſubditis imputatur, fol. 247. Princeps quis nobilis, quisvè ignobilis? fol. 279. Principes pauci viam ſalutis gradiuntur, fol. 280. Principes altiſſimo ſopore immerſi, ad nullam Dei vocem excitantur, fol. 280. Principis præſtantia reſplendet magis in potentum, quàm in vilium hominum damnatione, fol. 312. Principes huius ſæculi, vt plurimum turpiter viuunt, folio. 322. Nihil curæ illis de æternitate, fol. 322. Nulla in proximos commiſeratio, fol. 322. Gloriantur de peccatis commiſsis, fol. 322. Nulla fides in illorum promiſsis, fo. 322. Humanitas Principum propria, fol. 323. Princeps, qui iuxta Dei præcepta mores componit, regnum ſtabilit. fol. 323. Bonus Princeps, tempore reſtaurandæ reipublicæ, nihil delicioſum debet præmeditari ſibi, fol. 323. Princeps non adeò credat miniſtris negotia, vt per ſe actiones ſubditorum non inquirat, fol. 381. Veri Principes à Deo habere ſolent ſpiritum ad annuntiandum bonum, quo videantur Prophetæ, fol. 413. Principes terreni perſonarum acceptatores, fol. 64. Principibus nulla dignior habitatio, quã Eccleſia, fol. 61. Principes gloriantur mulierculis ſeruire, fol. 186. Caueant vino, ne ſint crudeles in ſuos, folio. 301. Principum aulicorum vaniſsima ambitio, qua ſimulant ſe omnia callere ſecreta regalia, fol. 436. Principum prima virtus eſt miſericordia, fol. 458. Principes mundiales, vt in famulos reijciunt diſcrimina, fol. 523. Principes mundi vt diſsimiles â Ieſu, fol. 530. A Principibus defectio non paritur à vera fide, fol. 609.

Principatus.

Principatus amor rabidiſsimus, animarum carniſex, fol. 435.

Productio.

Productio rerum ab initio perfecta propria, & diuinæ virtutis, fol. 53.

Prosperitas.

In prosperitate plauditur modestia, sicut in calamitate animositas, fol. 282.

Protectio.

Protectio Sanctorum non nisi à Christi cruce, fol. 295. Protectio præstantissima est homini, colere nomen Dei, fol. 293.

Proximus.

Proximos iudicare periculosum, fol. 38. Proximorum vitia virtutum contemplatione obumbranda, fol. 39. Proximorum errores simpliciter deferendi, nec ampliandi, fol. 42. Proximos premere, seruilis est vtilitatis affectus, fol. 44. Proximis adesse, efficacissimum filialis erga Deum amoris argumentum, fol. 45. Proximo qui subuenit, quasi æqualis est Deo, fol. 45. Proximorum errores non facilè credendi, fol. 38.

Proximis qui ignoscere nescit, indignus diuina clementia, fol. 97. Proximorum errores strictè castigamus, in nostros leuiter afficimus, fol. 98. Proximorum causa, qui festinato damnata, Diabolo agitur, fol. 108. Proximo qui subuenit, à Deo Patre ad id impellitur, fol. 102. Proximorum errores subtegere, diuinum quid est, non humanum, fol. 204. Proximorum vitia carpunt, qui se ipsos ignorant, fol. 210. Proximorum errores, qui nimium carpunt, in peiores incidunt, fol. 211. Proximorum salus non est desperanda, fol. 292. Proximos adiuuare, laude dignum, fol. 293. Vix donum Dei apparet in illo esse, in quo nullus extenditur ad proximos fructus, fol. 385. Cœleste conuiuium non admittit proximorum detractores, fo. 335.

Pudicitia. Vide Castitas.

Pudicitiæ nemo iudex esse potest, fol. 39. Pudicitia rara virtus in terris, folio. 78. Pudicitia cœlestibus flammis custodiēda, folio. 79. Nulla pudicitia sine charitate, folio. 79. Pudicitia Deo pretiosa, nihil præter Deum in se admittit, fol. 80. Pudicitia vendibilis, quæ lasciuos oculos non vitat, fol. 81. Corporis pudicitia, cœlestis gloriæ est imago, folio. 339. Designat homines ad cœleste regnum, fol. 342. Pudicitiæ amatores aptissimi sunt ad Eucharistiam sumendam, fol. 343. Pudicitia magnum humanæ naturæ decus, fol. 362.

Pudor.

Pudor ingenuo animo grauissimum malum est, fol. 221. Pudoris affectus signum est consequendæ salutis, fol. 307.

Pueritia.

A pueritia virtutem capessentes, fortiores in ea sunt, quàm senes, fol. 271.

Pulchritudo.

Pulchritudo lasciuis oculis patens nunditia est, fol. 81.

R.

Rapina.

Rapinis acquisita bona satisfactionem non afferunt, sed famem, fol. 188.

Rebecca.

Rebecca Deo plena, quia benefica, fol. 8.

Recordatio.

Recordatio futuri iudicij maximam homini fœlicitatem affert, fol. 101.

Regius.

Regius affectus est cœlestibus solùm inhærere, fol. 279. Regius animus benefacere, fol. 5. & 10. Regium est, beneficia non in vnum, sed in plures effundere, fol. 6. Regij animi virtus, imò diuinissimi est, plus subditorum, quàm diuitiarum probare augmentum, fol. 227. Regia messis subditi sunt, ibid. Regius animus est, vel minimorum remedium procurare, fol. 171. Regiæ dignitatis digna sedes Ecclesia, fol. 61.

Regnum.

Regnis periculosior est pacifica prosperitas diu prolōgata, quàm bella, fol. 181. Regno Christiano suspectus debet esse

affectus ad pecuniam, fol. 284. Regna tradũtur his, qui sunt liberales erga ciues, fol. 286. Regnum sibi stabilit ille solus, qui viuit secundùm legem Dei, fol. 323. Regnum nullũ adeò est magnificum, quod nõ possit à castitate decorem accipere, fo. 342. Regni cœlestis notitia virtutis pulsat fastidium, folio 55. Nostra studia ad virtutem accẽdit, fol. 56. Regnum cœleste cur fermento simile, fol. 63. Regna, quæ ab hominibus reguntur, partialitatibus constant, fol. 64. A regno cœlorũ alienissimus, qui aliorũ peccata negotiatur, fol. 86. Regnum cœleste magnis laboribus acquiritur. fol. 87. Regnandi ars nobilissima, calamitoso cuicumque remedium adhibere, fol. 171. Regnum boni Principis longæuum est, fol. 217. Regnorum interitus, legum violatio, fol. 245. Regnum sine castitate vilescit, fo. 342.

Religio, Religiosus.

Religio officina virtutis, fol. 92. In religione omnes viuũt; nemo mortuus in ea durabit, ibid. Qui in religione decesserit, non confundetur in resurrectione iustorum, ibid. Religionem deserentes, in mundo peribunt, fol. 113. Ad religonem, qui è mundo migrat, fœlix, fol. 139. Religiosi ordines neutiquam impediunt regnorum augmentum, fol. 228. Religioso animo semper nocent quæcumque negotia, fol. 208. Religiosi viri possunt in deuotione à mundanis superari, fol. 156. Religiosi nisi ardenter spiritualibus inhiant, superantur à peccatoribus, & infidelibus in asperitate, fol. 149. Religioso Deum deserente nihil crudelius, fol. 117. Religiosorum in forum egressiones omninò vitandę, fol. 114. Religiosum malum pes superbiæ extrahit à religione, fol. 92. Religiosi status summa perfectio, qui diu non patitur peccatores. fol. 91. Religiosi voluntaria paupertate minimè impares sunt liberalissimis eleemosinarum largitoribus. f. 402. Religiosis solũ licet concupiscere, quę necessaria sunt ad vitam sustentandã. 398. Viliora debent optare, ibi. Religiosam vitam importabilem reddũt, dũ bona sęcularia desiderãt. f. 399. Religiosa disciplina suauissima redditur assiduo virtutum exercitio. f. 351. Fit incomportabilis, quando adest remissio, ibi. Religiosi homines, vbi passione inficiũtur, vt pessimi sunt, fol. 480. Religio vera sola trahit studium circà licitas actiones noscendas. fol. 613.

Reliquiæ.

Reliquiæ Sanctorum permanentem fœlicitatem hominibus acquirunt. fol. 231.

Remedium.

Remedia nõ statim difficillima peccatoribus proponenda, sed per leuiora ad pœnitantiam ducendi, fol. 124. Remedia suauia priùs adhibenda, quã austera, fol. 162. Remedia morbis non nisi opportunè applicanda, f. 47. Remedia mitia austeris efficaciora, f. 119. Remedia mitia sæpiùs ante rigorem adhibenda, ibi. Rerum humanarum cõsideratio præsentissimum hominis remediũ est, fol. 401.

Remissio.

Remissio in virtute illius disciplinam intollerabilem reddit, fol. 351. Qui remissione virtutem intendunt, non assequentur illam, fol. 377.

Reprobus.

Reprobi rabidissima cõcupiscentia visionis Dei cruciabuntur, fol. 373. Reprobi sola extrema iustorum desiderant, fol. 403. Reprobi plurimũ dolebunt videre Angelos sibi infensos in die iudicij, f. 92. Reprobi vel sub ipsa morte, temporalium fame premuntur, fol. 144.

Requies.

Requies virginum in extremo vitæ, coniugatorum non item. fol. 355.

Res.

Abiectas res mundi ad ingẽtes glorias scit Deus eligere. f. 314. Rerum humanarũ consideratio præsentissimum hominis remediũ est, f. 401. Rebus terrenis solũ immorantibus bruta sunt animalia, fo. 263. Rebus finem habituris fidere, stultitia, f. 133. Res affectu carnali partæ sui despectum subinde generant, fol. 167.

Responsum.

Caueat Christianus homo fidere corporum responsis, ne in errorem Gentilium incidat, fol. 412.

Respublica.

Dum restaurãda respublica, fugiendæ deliciæ à bono Principe, fol. 323. Perfectissima respublica est, in qua nocentibus supplicia, iustisque præmia decernuntur, fol. 90. Maxima reipublicæ laus, puniti nocentes, fol. 91. Rempublicam præclarè gerentes, non vel à morte eo munere priuabuntur, fol. 217. Respublica non diu stabit, in qua magistratus legibus non parent, fol. 245.

Re-

Resurrectio.

Vbi corporum resurrectio suadetur, gratiùs in virginitatem curritur, fol.353. Resurrectionis fides coniugijs proponit modum, fol.619.

Reus.

Reum inauditum, inexaminatũque damnare, Paganorum, Barbarorumque feritas est, fol.41.218.&.517.

Reuelatio.

Per reuelationes gregem velle gubernare, periculosum, fol.165.

Rex.

Rex optimus tempore recuperandæ reipublicæ, nihil delicioſum debet meditari ſibi, fo.323. Reges timeant pacem, quæ diu perſeuerat, fol.282. Reges liberales futuri erga ſeruos, fol.284. Reges tantam accipiunt poteſtatẽ à Deo, quantã in ciues liberalitatem exercẽt, fol.286. Reges peſsimi eligunt ſceleratos homines in præmium, folio.313. Nihil decet Regem priùs quàm humanitas, fol.320. Reges qui benè viuunt, regnum ſibi ſtabiliunt, fol.323. Regum humilitatem præmiat Deus fœcunditate filiorum, fol.324. Reges non adeò fidant miniſtris, vt per ſe non inquirant ſubditorum actiones, fol.381. Reges veri à Deo habere ſolent eum ſpiritum ad bonum annuntiandum, quo videantur Prophetæ, fol.413. Reges, qui dicuntur pueri, fol.279. Regibus nihil eſt grauius, & fœdius, quàm ſubditos timere, vel ab eis miſericordiam ſpectare, fol.251. Reges terreni aliquibus tãtùm bene faciũt, ſed cœleſtis omnibus, fo.64. Regum peccata licèt parua videantur, tamen acerbiſsima Deo ſunt, fol.101. Regibus aureus animus, fol.154. Regis cœleſtis theſaurus, & diuitiæ, non ciuitates, & bona temporalia, ſed peccatoris pœnitentia, fol.161. Reges boni poſt mortem ſuam coronam non amittunt, fol.218. Reges mũdi facilè prętereunt crimina ſuorum familiarium, & in accuſatores ſæuiunt, fol.219. Regum negotia ad ſubditorum augmentum ſpectent, fol.228. Reges augmentum ſuum ex ſubditorũ leuamine quærant, ibi. Regum annuorũ pulcherrima hiſtoria, fol.231. Reges etiam legibus pareant, ſi duraturo regno florere velint, fo.246. Regum vitia, ſubditis populis imputantur, fol.247.

Rigor, Rigidus.

Rigor nullus in Euchariſtiæ Sacramẽto, fol.288. Rigor nimius lenitate temperandus, fol.99. Rigor Dei in præſenti vita caſtigat homines, ſed non conſumit, fol.139. Non rigore, ſed manſuetudine fructificabis in proximis ad cœleſtia horrea complenda, fol.217. Rigore nimio, qui caſtigat peccata, in eadem, vel maiora ruit, fol.212. Ante rigorem præmittenda lenis caſtigatio, fol.212. Nimis rigidi in proximos, operibus miſericordiæ ſuos errores redimant, fol.225.

Robur.

Sanctorum robur totũ eſt à cruce Chriſtiana, fol.296. Robur, & perſeuerantia in virtute, à Chriſti cruce proueniunt, fol.138.

Romani.

Romani corporum ſuorum vmbra hoſtes debellant, fol.27. Romana Eccleſia à cruce Chriſti, fol.607.

Ruben.

Ruben à patre maledictus, cur à Moyſe benedicatur? fol.111.

Ruina.

Ruinæ proximus, qui ſolùm excelſa proſpicit, fol.148. Quod ſuperfluũ eſt, non tàm ad ſplendorem, quàm ad ruinã deſeruit, fol.375. Eccleſiaſticorum auaritia eſt animarum ruina, fol.370. Inueterata in aliquo vitio conſuetudo, facilè trahit hominem ad ruinam, folio.371. Sceleratis hominibus adeſt ruina inter maiores fœlicitatum progreſſus, f.373. Extremam timeat ruinã, qui in religioſæ vitæ profeſsione ſuis operibus vanã quærit ex hominibus laudem, fol.365. Vbi confeſsio non adeſt, ibi ineuitabilis ruina timenda eſt, fol.337.

Ruſticitas.

Ruſticitas, & impudentia propria libidinoſorum, fol.152.

Ruth.

Ruth caſtitatis amantiſsima, fol.184.

S.

Sabbathum.

SAbbathum prædicationi dicat Chriſtus, vt doceat, prædicatori vacandum eſſe à reliquis negotijs, fol.2.

Sacerdos.

Sacerdote vitioso nihil crudelius in proximos. fol. 117. Sacerdotes molles adamante duriores in proximos. fol. 118. Sacerdotum auaritia est perditio animarum. fol. 310.

Saluator, Vide Christum.

Saluatorem videre, qui non curat, deploratæ salutis est. fol. 19. Saluator ab eum quærentibus facillimè inuenitur. folio 10.

Salus.

Salus animarum ab importunitate medicinæ pent. fol. 47. Saluti peccatorum facilibus primùm remedijs consulatur. fol. 47. Salus hominum per aquas denunciatur. fol. 88. Salus magnis laboribus comparanda. fol. 121. Salutis flammæ suscitandæ multæ sunt impendendæ lacrymæ. fol. 122. Salus animæ vulnera Christi. fol. 137. Salus animę præmium boni pastoris. fol. 161. Salus vnius animiæ, etiam à detrimento substantiæ procuranda. fol. 161. Saluti aliorum non per vaticinia, sed per labores consulēdum. fol. 165. Salutis opera qui exercent, salutares Dei oculos sentiūt. fol. 199. Salutis negotia quam primùm peragenda. fol. 197. Saluti proximorū qui incumbunt, spiritu cœlestis Patris aguntur. fol. 203. Salus proximorū non est desperanda. fol. 191. Salutem habēt in passione Dominica, qui eam in intimo cordis figunt. fol. 298. Tota salus in Iesu inuenitur. fol. 306. Salutis augmenta maxima in Iesu. fol. 449. Insalutis negotio non finiendum. fol. 376. Salutis æternæ thesaurus non eripitur. nisi voluntarijs. fol. 585.

Sanctitas.

Sanctitati contrarius pecuniæ affectus. fol. 284. Sanctitatis augmentum tribuēdum Deo, vt illius benedictione impleamur. fol. 285. Sanctitas non pensanda antiquitate temporis. fol. 305. Nulla sanctitas æstimatur ab aulicis, nisi quæ Regi placet. fol. 521.

Sancti.

Sanctorum patrocinia vtilissima in tempore angustiæ. fol. 229. Tunc maximè prosunt, cùm pijs nostris operibus solicitantur, fol. 230. In Sanctorum suorum gratiam multa Deus dissimular. fol. 229. Sanctorum orationes parùm prosunt peccatis vacantibus, fol. 230. Permanentem felicitatem hominibus afferunt, fol. 231. Sanctorum munitio non nisi à Christi cruce. fol. 295. Sancti inimicis conferunt beneficia, fol. 309. Sanctorum facinora non permittunt cōtemni Deum ab alijs sine supplicio, fol. 325. Qui Sanctos Dei offendit, statim punitur, fol. 327. Sanctis hominibus in morte celebrantur nuptię, fol. 357. Sancti in Dei verbo habent quidquid desiderant, fol. 361. Sancti spe æternorum redduntur pleni solatio, fol. 405. Sanctorum verba efficacissima sunt ad saluten, fol. 411. Sanctorum patrocinium nō iuuat, vbi deficit misericordia in pauperes, fol. 368.

Sapientia, Sapiens.

Sapientia mari similis, fol. 95. Sapientiam cuiusque labores ostendunt, fol. 121. Sapiens deficientibus bonis non credit, fol. 133. Sapientia Christiana in hora mortis omnes virtutum diuitias explicat, fol. 141. Sapientis est, neminem iudicare velle, fol. 39. Sapiētia sine charitate vana est, fo. 93. Singulare Dei beneficium est, quòd in multitudini hominum sapientes aliqui inueniantur, fol. 348. A sapientia longissimè absunt luxuriosi, fol. 179. Sapientiam nulli acceptam referre, diabolicum est. fo. 512. In re sapientiæ vt periculosum est propijs niti, sic glorioſum de alienis splē desecre, fol. 513. Sapientia terrenis inhærens suspecta sit saluti æternæ, fol. 605. Non tàm sapientes, quàm simplices Deo probantur, fol. 627.

Satisfactio.

Satisfactio peccatorum nostris operibus adimplenda, si facilè veniam exorare velimus, fol. 59.

Scientia.

Scientia de mysterijs Iesu supra omnia. f. 445.

Securitas.

Securitas rerum rationali naturę consistit in eo, quòd non sint vicinæ terræ, fol. 379. Securitas apud Deum maior est in illo.

illo, qui fidit operibus de præsenti, non de futuro, fol. 382. Securitatis propriæ prætextus non deterreat hominem ab animarum cura, fol. 508.

Secretum.

Secretum nihil in terris, fol. 171. Secretum quàm difficulter homines custodiunt, fol. 172. Secretum alteri seruare generosi animi est, fol. 172.

Sæculum, sæcularis.

In sæculo possunt inueniri sanctiores Religiosis, fol. 155. Sæcularium rerum frequentia omninò vitanda, fol. 114. Sæcularia bona nihil præter figuram habent, fol. 68. Sæculares illecebras qui sequitur, peribit, fol. 159.

Sententia.

Sententia non priùs ferenda, quàm accusatus audiatur, fol. 42. Vana sententia, quæ euidenti probatione non innititur, fol. 42. Sententia, quæ profertur iuridicè, vix creditur iniusta, fol. 310. Humana sententia seueriùs exardescit in pauperes, quàm in diuites, fol. 311. Sententia præceps rarò non iniusta, folio. 108. Sententia in vnum peccatorem lata, similes omnes ferit, fol. 455.

Senectus.

In senectute maxima virtutum copia apparere debet, fol. 141. Periculosissima est perseuerantia in virtute ad senectutem capesita, fol. 271. Senectus non tã apta est ad perseuerandum in virtute, quàm iuuentus, fol. 271. Senes consuetudo peccandi instabiles facit, fol. 272.

Sensus.

Qui ad sensuum externorum viuit conditionem, semper aberrabit à vera sapientia, fol. 349.

Sermo.

Sermones facti circa turpia periculosissimi, fol. 187. Sermo Dei facilè respuitur à terrenis cordibus, fol. 302. Sermones adulatores lethales, fol. 366.

Seruus, Seruitus.

Dei seruus vel à manifestis criminibus nul-

Tom. 4.

lum iudicat, fol. 37. Seruus Dei non respicit proximorum vitia, nisi virtutibus obumbrata, fol. 39. Serui nequam nihil in alijs præter vitia vident, fol. 40. Seruili Deum amore colunt, qui non eum misericordem, sed strictè iustũ in proximos cupiunt, fol. 44. Seruorum proprium seueritatem in alios exercere, folio. 44. Seruitus vitiorum, & crudelitas inseparabiles in Ecclesiastico, fol. 117. Seruus Dei aliquid supererogationis addat supra præcepta, fol. 232. Serui otiosi consumunt mensas dominorum, fol. 233. Serui seduli omnia augent, fol. 234. Seruorum multitudo iners Deo displicèt, fol. 235. Seruorum turba vanitati deseruit, fol. 235. Seruis qui non eget, Angelus est, fol. 235. Serui Dei omnia mandata diligentissimè debent exequi, fol. 235. Seruitus est, adhærere rebus temporalibus, fol. 278.

Seueritas.

Seueritatem non sibi, sed alijs cupiunt Homines, fol. 98. Seueritas in proximos maledicta, fol. 111. Seueritas in puniendis delictis maximè necessaria iudicibus, fol. 243. Seueritas, & iustitia constituunt iudicem, fol. 244. Seueritas Dei nescit homines consumere, sed medicinam extrinsecùs applicat, fol. 124. Seueritas in malos non potest diuino spiritui non esse, fol. 463.

Simplicitas.

Simplicitas naturalis Deum maximè tenet, fol. 74.

Simplex.

Simplices Deus maximis benedictionibus implet, fol. 74. Simplices, quàm docti, aptiores sunt ad diuina mysteria credenda, fol. 75.

Sitis.

Sitis auidissima virtutis suboritur homini verè contrito, fol. 57.

Societas.

Societas hominum fuit Christo amabilis præ omnibus rebus, fol. 274. Societas iustorum peccatoribus vtilissima, fol. 45. Societati hominũ te subtrahe, si salutaribus auris frui velis, folio. 159.

Nulla eſt in terris adeò ſancta ſocietas, vbi non inueniantur reprobandi, fol. 332. In ſocietate iuſtorum peccare periculoſiſsimum eſt, fol. 173.

Sollicitudo.

Sollicitudo, & cura dominorum erga ſeruos gratiſsima Deo, fol. 237. Sollicitudo animarum ſalutis ingens argumentum virtutis, fo. 293. Sollicitudines cõiugatorum plurimæ ſunt in morte, fol. 355.

Sopor.

Sopor omnis ad virtutem citiſsimè excutiendus, fol. 167.

Spes.

Spes bonorum temporalium præſcinden da, vt Dei verbum corda hominum moueat, fol. 17. Spes Sanctorum Chriſti in cruce ſita eſt, fol. 196. In ſuis ſpem debet excitare, quòd Deus alienis, & indignis videatur fauere, fol. 423. Spes præmij, & ſupplicij metus, continent homines, fol. 619.

Spiritus.

Spiritus Dei omnibus benefacere docet, fol. 8. Spiritus Dei eſt, non hominis, aliorum defectus tegere, fol. 204. Spiritus ſanctus de ſua diuinitate ſecurus, tertius in Trinitate appellari facilè patitur, fol. 76. Spiritus diuinus eò tendit, vt facili, leuique diligentia poſsimus comparare ſalutem, fol. 452. Spiritus Dei illum æſtimat honorem, qui operibus exhibetur, fol. 486. Spiritus Chriſti facit occultiſsimam etiam malitiam cognoſci, fol. 544.

Spiritualis.

Spiritualis eſt, qui carnalia facilè deſpicit, fol. 132. Spiritualia faciunt hominẽ nobilem, fol. 278. Spiritualium filiorum multitudo ornamentum eſt continententium ſtatui, fol. 363.

Statutum.

Statutum humanum nunquam non defenditur ab hominibus, ſine magna ſegete criminum, fol. 483.

Status Religionis.

Status religioſus perfectiſsimus, qui diu non patitur peccatores, fol. 91. Timeat perditionem, qui in perfectionis ſtatu vitam cõponit, vt ex hominibus plauſus accipiat, fol. 365. Qui ſtatum religioſum profitentur, vibora, & ſolùm neceſſaria ad vitam ſuſtentandam debent concupiſcere, fol. 398. Nullus ſtatus hominum adeò perfectus, qui malos non contineat, fol. 332.

Sterelitas, ſterilis.

Sterilitas virtutum ſiccitatem in anima parit aptam igni, fol. 116. Sterilitas in lege antiqua, ſub Chriſti cruce fertilitas, fol. 137. Sterile beneficium, quod vni dumtaxat confertur, fol. 7. Sterilitas terræ quale venturum iudicium Dei deſignat, fol. 537.

Studioſus.

Studioſus virtutis vel vnicus Deo pro mille eſt, fol. 173.

Stultitia.

Stultitia maxima, bona ſua cum meretricibus inſumere, fol. 82. Stultitia maxima, cupiditatibus non ponere finem, fol. 4. Stultitia eſt, poſt ſemel libatam vitiorum acerbitatem, ad eam deguſtandam iterùm proſilire, fol. 51. Stultitia eſt, caducis rebus fidere, fol. 133. Stultitia eſt, libenter non offerre Deo, quæ inuitè poteſt auferre, fol. 133. Stultitia maxima, ab antiquitate ſolũ temporis gloriari, fol. 171. Stultus, qui non ex Deo bona quærit, fol. 168.

Subditus.

Subditorum remedium qualiter à Principibus procurandum, fol. 171. Subditi amorem potiùs impendant, fol. 629.

Sublimitas.

Sublimitatis appetitus non dat ſignum ſalutis, fol. 492.

Superbia.

Superbia exturbat malos Religioſos à Religione, folio. 92. Superbia cauenda in proſperitate, fol. 283. Superbia dæmoniacum quid, fol. 569.

Supplicium.

Singulari ſupplicio puniuntur, qui bonè ficos ſibi homines perſequuntur, folio. 313. Supplicia ſceleratorum reipublicæ laus, fol.91. Supplicia malis in bona republica infligantur, fo.91. Supplicia in proximorum errores moderata eſſe debent, f.211. Vt Deus ſupplicia in peccatores exerceat, omnes deſeruiũt creaturæ, fol.328. Vbi deficit confeſsio, ibi timeri debet ineuitabile ſupplicium, fol.337. Supplicium vni exhibitũ peccatori plures alios expectat, fo.338. Supplicium de reis ſumptum nunquam penitùs malitiam exterminat, fo.454. Supplicium meretur, qui Deum ignorat, fol.523.

Superior.

Superiores ſi fructificare velint, ſubditos manſuetudine regant, fol.207. A ſuperiore non eſt deſperãdum de ſalute inferiorum, fol.292. Superior non adeò fidat miniſtris, vt per ſe ſubditorum actiones non inquirat, fol.381.

Suſurro.

Suſurrones Deo maximè odibiles, fol.34. Suſurrium efficax malum ad nocendũ, fol.35. Suſurronum mos, proximorum defectus amplificare, fol.42.

Suſpicio.

Suſpiciones de proximis omninò vitandæ, fol.38.

T.

Talio.

Talione Deus homines punit, fol.48.

Templum.

Templorum reuerentia quanta, fol. 511. Irreuerentia cauenda, fo.580. Miſerum eſt, quòd vel ſub templi maieſtate non abſcedas à vitio, fol.580.

Temporalis.

Temporalia bona pauperiem ſecum afferunt, fol.127. Omnem Dei memoriam in hominibus delent, fol.128. Temporalia bona qui facilè deſpicit, ſpiritualis eſt, folio. 131. Temporalibus bonis inhærere, vt Deum non ſequamur, inexcuſabile malum, fol.147. Temporalibus hominibus annexa ſemper mendacia, fol.151. Temporalia omnia aliena ſunt, non hominis, fol.275. Temporalibus adhærere ſeruitus eſt, fol. 278. Temporalibus adhærentes viam cœleſtem faſtidiunt, fol.280. Temporalia bona non tàm ornant, quàm deſignant perditioni homines impios, folio. 393. Dum ſibi temporalia ſeruet peccator, mallet Deum perire, fol.308. Temporalia bona pro cœleſtibus amittere, ſumma prudentia, fol.226. Temporalis hominis manus remotiſsima loca pertingit, fol.502.

Tempus.

Tempore mortis omnis virtutum abundantia oſtendenda, fol. 141. Temporis damna facilè recuperat virtus, fol.271. Temporis tarditas nihil obeſt, ſi adſit diligentia, fol. 277. Tempore aduerſo animoſitas laudabilis, fol. 283. Quoduis tempus breuiſsimum reputat impius timore ſupplicij, fol.381.

Tentatio.

Tentatio æmulatione quadam gratiæ ſe opponit, fol. 37. Tentatio nunquã hominis vires excedit, fol.40. Tentationes non ſuperantur, niſi adſit confidentia, & alacritas. fol.377. Tentatio ferire nequit hominem virtutum operibus intentum, fol.115. Tentationes in virtutum initijs ſalutares, fol.519.

Thereſia.

Beatæ Thereſiæ præſtantia, fol.77.

Terra, terrenus.

In terris nullum ſecretum, fol.172. Terrena quiſquis deſpicis, Deum extollis, fol. 206. Terrenæ voluptates horrori ſunt diuinam ſuauitatem expertes, fol. 222. Terræ ſupplicium eſt ſtabilitas ſua, fol.265. Terrena omnia nihil omninò ſunt, fol.260. Qui terrenis incumbunt, tantò miſerabiliores ſunt, quantò diutiùs viuunt, fol.264. Terrenis bonis deſeruienti ſepulturæ requies negatur, folio.400. A terrenis abſcedat, qui vitaliſsimi Dei ſpiritus vult in ſe ſentire virtutem, fol.439. Terræ ſterilitas triſte Dei iudicium annuntiat, fol.537.

Thesaurus.

Thesaurus Dei in humanitate abscõditus omnibus patet. fol. 70. Thesaurus diuini amoris mors in nobis demetat in mortalia horrea. fol. 141. Thesaurus salutis ęternę non eripitur nisi voluntarijs. fol. 585.

Timor.

Timor futuri iudicij maximũ animæ supplicium. f. 100. Timor mortis ipsa morte peior. f. 100. Timoris plenus, pecuniæ affectus. fol. 284. Qui omnem timorem excludunt à se, pessimi solẽt esse. fol. 319. Timor, & amor militant spiritui diuino. fo. 463. Timor supplicij, & spes præmij continent homines. f. 619.

Tolerantia.

Tolerantiæ tenor exprimebat in Christo paternæ patientiæ infinitudinem. fol. 121.

Torpor.

Torpor nullus ad virtutem, vbi cœlestia gustauerimus. fol. 56.

Tribunal.

Tribunalis prædones implent. fol. 250. Humanũ tribunal seuerius exardescit in pauperes, quàm in diuites. fo. 311. In humano tribunali sæpè mali triumphant. fol. 313.

Tribulatio.

Tribulationes lucẽ afferunt hominibus, quas sibi necessaria clariùs videant. fo. 419.

Tributum.

Tributa moderata regium splendorẽ ornant. fol. 615.

Trinitas.

In Trinitatis beatissimę notitia omnium rerum abundantia. fol. 558.

Turtur.

Turturem imitetur pretiosa Deo castitas. fol. 80.

Tyrannus.

Tyrannus est, quisquis inauditum reum damnat. fol. 218. & 517.

V.

Vacca.

VAcca lasciuum animal. fol. 183. Non vaticinijs, sed laboribus gubernandæ animæ. fol. 165.

Valentinus.

Valentini sęculo barbaro Christiani inauditi plectabantur. fol. 42.

Vanitas.

Vanitas, & mendacium affectę bonorum temporalium, fol. 151.

Velamen.

Velamen pulchritudini obijciatur. f. 81.

Velocitas.

Velocitas in conuertendo ad Deum, primas apud ipsum promeretur. f. 277.

Venia.

Venia peccatorũ facillimè proprijs meritis conceditur, alienis difficilè. f. 59.

Verbum.

Verbi diuini seminator nihil aliud curet. fol. 2. Omnium mundialium curarum sollicitudinem deponat. fol. 2. Caueat aliò diuerti, aut alibi, quã inter fata reperiri. f. 3. Verbi diuini excellentia. f. 3. Verbo Dei seminãdo omnis doctrinę, scientiæque talentum insumatur. fo. 3. Verbi Dei efficacia. 14. Verbum Dei fluuio Indo simile. ibi. Vel lapides in riuos aquarum conuertit. ibi. Verbum Dei in corde admissum otia nescit. f. 15. Verbũ Dei nequit intrare corda diuitiarum cupiditatibus possessa. fo. 17. Verbum Dei efficax monstrare præstãtiam Dei. fol. 21. Verbis simplicibus referendi proximorum errores. f. 42. Verba aucta, & iocosa circa res turpes, cor obdurant. fol. 187. Verba hominis de se loquentis mẽdacia. fol. 241. Verba vrbana, & examinata in cõcionatoribus repugnãt cruci Christi. fol. 126. Verbũ Dei difficillimè amplectuntur mũdani homines. f. 302. Verba adulatoria perditionẽ inducunt. f. 366. Dei verbum validissimũ ad conuertendas animas. fo. 411. A verbo Dei præstantissimum ornatum excipimus. fo. 361. Semper cum verbo Dei audito stat aliquod signum salutis. f. 360. Verbum Dei fructuosum est in ijs, qui Dei ductum sequuntur. f. 567. Verba contumelioſa non parua pars Christi passionis. f. 568.

Verecundia.

Verecundię affectus vbi est, ibi & sanitas est. fol. 307. Verecũdia ingenuo animo maximum supplicium. fol. 221.

Verax, verus.

Verax est, qui solũ Deum respicit. fo. 613. Verum, & solidum nõ est in mundialibus. fol. 617.

Veritas.

Veritatis vis validissima, vt homines trahat. fo. 566. Veritatem inter verisimilia inuenire difficillimũ. f. 67. Veritas mũdi laura, vel somnium. f. 68. Veritatis iacturam faciunt, qui ex instituto doctrinas aliorum iniquo lacessunt odio. f. 93. Veritas in temporalium hominũ ore obũbrata. f. 151. Veritas in hominibus de se loquentibus contraria est verbis. f. 241. Veritate nutritur iustitia, caret partialitate. f. 516. Veritas, & Deus inseparabiles. fol. 565.

Vetustas.

Vetustati non nimis adhærendum. fol. 495.

Via

Viæ adoleſcentum omninò ignorantur. fol.178. Vias cœli anguſtas deſerentes in mundi latitudine peribunt.fol.113. Per viam mandatorum pauciſsimi nobilium gradiuntur. fol.280. Viam ſalutis ingredientes, amœniſsimo vultu Deus reſpicit.fol.198.

Victoria.

Ad conſequendam tentationum victoriam pugnādum eſt cum animoſitate, fol. 377. Victoriæ carnis voluptatibus reportatæ maximè viros commendāt. fol.272. Victoria inueterati criminis primas tenet in triumpho de peccatis.fo. 266.

Victima.

Victima præcox Deo acceptiſsima. fol. 158.

Vigilans. Vigilantia.

Vigilans nunquam vllus læſus eſt. fol.32. Vigilantes oculos fugit inimicus. ibid. Vigilātia efficax armatura contra Diabolum.ibi.

Vilitas.

Vilitas perſonæ nihil obeſt gratiæ Dei, quominùs magna operetur in ea.folio 154. Viliſsimus eſt, qui terrenis adhæret.fol.279.

Villicus.

Villicus iniquitatis imitandus peccatoribus proponitur.fol.214.

Vindicans, Vindicta.

Vindicta præceps iuſtitiæ leges calcat. fol. 108. Vindicta iniuriarū maledicta. fol. 111. Vindicans iniurias ſuas, iniurius eſt in Deum.ibi. In vindicta peccatorum propria incōmoda reſpicere, proprium eſt hominis, non Dei. fol.136. Ad vindictam Dei in peccatores vniuerſæ militant creaturæ,fol.328. Lenta vindicta correctionem parit. fol.109.

Vinum.

Vino dediti crudeles ſunt.fol.301.

Vir.

Vir perfectus non tàm curet de verbis, quàm de operibus. fol.326. Viris iuſtis in morte nuptiæ celebrantur. fol.357. Viri ſpirituales inſtruere debent peccatores in via virtutum.fol.293. Viri ſpirituales reſurgunt validiores à peccato.fol.292. Spirituales viri hoſtibus benefaciunt.fol.309.

Virgo, Virginitas.

Virgo Maria originalis iuſtitiæ teſſera.folio.65. Virginitas exterior ſine interna nihil apud Deum valet.fol.74. Virginitas rara virtus in terra,rariſque conceſſa.fol.78. Virginitatis ſingularis excellentia. ibi. Virginitatis typus phœnix ob ſingularitatem. ibi. Virginitas cœleſtibus flammis cuſtodienda. ibi. Virginitas nulla eſt, quam charitas non incingit.fol.79. Virginitas Deo pretioſa, nihil præter Deum in ſe admittit. fol. 80. Omnia mundialia abijcit.ibi. Virginitas glorię cœleſtis imago eſt.fo.339. Virginitatis comes eſſe ſolet conſtans animus fidei ſeruandæ. fol.340. A virginitate ſplendorem accipit regnum, licèt magnificum. fol.342. Virginitas deſignat homines ad cœleſtem gloriā approximari. ibi. Qui in virginitate cō formis eſt Chriſto, hic aptus eſt ad ſumendam Euchariſtiam.fol.343. Secùs laſciui.ibi. De Virginis Marię conſortio apparet Ieſus beneficus hominibus. fol.346. De Virgine Maria, vt de Matre proſiliant virginum chori,fol. 347. Gratiùs in virginitatem curritur, vbi corporum reſurrectio ſuadetur. fo. 353. Virginum requies in morte plurima eſt.fol.355. Virginitas magnum ornamentum eſt humanæ naturæ.fo.362. Virgo Maria mater eſt prædeſtinatorū. fol.364. Virginum ſtatui ſplendidiſsimus ornatus eſt multitudo filiorum ſpiritualium. fol. 363. Virgineus venter ſpeculo comparatur.fol.61. Virginitas quæ non venditur, velet pulchritudinem ſuam. fol.81. Promptiſsima eſt ad omnia Dei obſequia percurrenda.folio 623. Ipſa ſibi, & alijs tutela eſt.fol.624.

Virtus.

Virtus multiplex exprimit Deum.fo.621. Virtutes occultandæ.fol.9. Virtus vulgata perit.ibi. Vitia virtutem produnt. ibi. Vitioſitas cordis à virtutis manifeſtatione publicatur.ibi. Virtus occultata decor, & fortitudo animæ. fol. 10. Quiſquis virtutem amas, vel communes mundi vias fuge.fol.12. Virtutem deſerere, extremæ obſtinationis ſignū. fol.13. Virtutis præmia perpetua.f.15. Virtutis opera miraculis præſtātiora.18. Virtus non aliter clariùs emicat, quā præſentaneo bonorum operum fructu,ibi. Virtus laboribus firmata,tentationum impetum facilè ſuſtinet, fol.22. Virtus florido ſplendori innixa facilè corruit, ibi.

ibi. Durioribus assueta virtus victorias adipiscitur, ibi. Virtus duratura, multo animi consilio, & examine sumenda, fol. 23. Virtus quò maior, eò validiùs ab hoste impugnatur, fol. 36. Vitia virtutibus callidè admixta nocentissima, ibi. Vitia aliorum non respicienda, sed virtutes, fol. 39. Virtutes sociorum impios velut vincula ligant, fol. 46. Virtutis viam quisquis ingreditur, infantiæ suæ meminerit, fol. 52. Virtus non subitò perficitur; sed suam quoque habet infantiam, ibi. In virtute assiduè crescamus, fol. 53. Virtutis fastidia mortem generant, fo. 54. Deum ad iras concitant, ibi. Virtutis fastidia pellit rerum cœlestium notitia, fol. 55. Virtutis insuauitatem, si lenire velis, cœlestia contemplare, fol. 56. Virtutis famem excitat Christus in cruce contritus, fol. 59. Virtutibus proprijs Deum promereamus nobis, ibi. Vulnera Christi incitamentum ad virtutem, ibi. Virtus duratura in Christi cruce sibi sedem statuat, fol. 62. Virtutis amator, familiares suos sibi similes reddere cupit, fol. 69. Quidquid libidini subijcere potest, subijciat, fol. 81. Nouitius virtutum splendor perpetuò seruandus, fol. 96. In virtute viriditas seruanda, vetustas fugienda, ibi. Virtus olim exercita, peccatorem iuuat ad mouendum Deum ad misericordiam, fol. 106. Virtutem semel amplexam qui deserit, timeat sibi, fol. 113. Virtus hominum contra hostium iacula munit, fol. 115. Virtus in quocunque imitanda est, fol. 124. Virtus Gentilium efficacissima est ad excitandũ ad eam Christianos, ibid. Virtus parentum in filios transmittitur, fol. 135. Virtutis fructus Christi crux maturat, fol. 137. Virtutibus in tempore mortis maximè abundandum, fol. 141. Virtus non solum in claustro, sed etiam in ipso mundo elucet, fol. 155. In virtutis negotio numquam finias, fol. 561. & 576. Virtutes paternæ præ oculis habendæ, fol. 584. Virtutibus solis nititur Dei spiritus, f. 606. Virtutis opera faciunt gratiam nostram perpetuam, fol. 181. Inter virtutum opera nulla nuditas erubescenda, fol. 202. Virtus primaria præcipuis fauoribus à Deo amatur, fol. 205. Virtutem serò capessentes difficillimè salutem consequuntur, fol. 266. Ad perseuerãtiam in virtute senectus inutilis est, fol. 272. Ab adolescentia virtus capessenda, fo. 271. Virtutis præstantissimæ argumentũ est ardores voluptatum superare, f. 272. In futura vita id solũ inueniemus, quod in hac virtutum operibus emerimus, fol. 274. Virtutis sectatoribus suspectus esse debet pecuniæ affectus, fol. 284. Virtutis augmentum in Eucharistia, f. 289. Virtutis amatores vicinorum languentium sugunt augmentum, ibi. Virtutis augmentum solet prouenire à peccato spiritualibus viris, fol. 292. Virtutis facinora in nobis exprimit crux Christi, f. 297. Virtus Christi crucis ad ferendos homines in salutem ingens est, fol. 299. Virtus non pensanda vetustate temporum, fol. 305. Operibus virtutum, illarum exercitium redditur facilius, fol. 351. Fit intollerabilis remissione, ibi. Qui non alacriter virtutem amplectuntur, vix sciunt placere Deo, f. 353. Quæ ad virtutem spectant, suscipienda sunt alacritate, vt prodesse possint, fol. 377. Virtuti plurimùm obest abundantia rerum, fol. 394. Virtus apparenter solum reperitur in peccatore, fol. 389. Ad virtutis augmentum assequẽdum, oportet aggredi illustriora virtutum opera, fol. 378. Vnus virtutis studiosus Deo est pro ingenti multitudine, fol. 173. Inter virtutis amatores peccare periculosissimum, fo. 175. Virtutum propugnatores fortissimi sunt, qui necessitati, non voluptati indulgent. fo. 428. In re virtutis necessariora curanda, f. 482. Virtutes internæ æstimandæ præ alijs, f. 487. Virtutis doctrinam fugi per domesticos glorioſum, fol. 514. Euidentes proximi virtutes qui non videt, hostis est, fol. 587.

Visio, Visibile.

Visibilia Dei dona pretiosioribus internis abundant, fol. 72. Damnati rabidissima cõcupiscentia visionis Dei cruciabuntur, fol. 373.

Vita.

Vita hominum illa solùm numeratur, quam sub gratia viuimus, fol. 50. Vita peccatorũ non existit, fol. 51. Vita peccatorum argumentum diuinæ potentiæ, non minùs quàm vita mortuorum, fol. 139. In vltima vita diuini amoris, præcipuæ diuitiæ ostendendæ, fol. 141. In vita latiore aliquando Deus magis quàm in stricta colitur, fol. 156. In præsenti vita prouideamus abundantiæ in alia futuræ, fol. 232. Vitæ præsenti qui solùm studet, immemores futuræ, inutiles omninò sunt, imò bruta sunt, fol. 263. Vita terrenis curis immersa, eò miserabilior, quo longior, fol. 264. Vitæ diuturnitas pro supplicio datur terrenis

nis hominibus, fol. 265. Vita longæua inferno similis est, ibid. In futura vita id solùm inueniemus, quod in hac virtutum operibus emerimus, fol. 274. In hac vita non nisi in tua ibis, folio. 274. Migraturus ex hac vita, ne in alia dona, seu beneficia expectes, sed solũ tibi debita, ibid. In futura vita homo est quasi in proprijs, in hac quasi in alienis, fol. 275. Spiritualis hominum vita de lethali vulnere fructuosior solet resurgere, fol. 292. In vitam æternam ingentem multitudinẽ traxit passio Dominica, fol. 299. Vita est, & sanitas hominum Christus, fol. 307. Vitæ finis efficax est ad trahẽdos homines ad Deũ, fol. 331. Vitæ tempus breuissimum reputant impij metu supplicij, folio. 381. Qui paupertatem vouerunt, viliora solùm, necessariaque ad vitam sustentandam debẽt optare, fol. 398. Vita Christiani, mortem qualem venturam designat, fol. 527. Suauior vita, quæ à terreuis separatur, fol. 622.

Vitium.

Vitia virtutem produnt, fol. 9. Vitia qui fugit, omnes occasiones vitet, fol. 12. Vitia virtutibus callidè admixta nocentissima, fol. 36. Vitia aliorum non respicienda, sed virtutes, fol. 39. Vitia in proximis aliquando dissimulanda, fol. 43. Vitia non semper ad exactam legũ seueritatem punienda, fol. 44. In vitia vltrò prorumpere turpissimum, fol. 51. Vitia fratrum, non nisi cum ipsorum virtutibus considerandа, fol. 116. Vitia nequeunt suis sectatoribus nisi mortem præstare, fol. 130. Vitia deserere, quàm sepulchrum, difficilius est, fol. 139. Vitia spinis suis homines ad virtutes compellunt, fol. 156. Vitia inueterata vincere proprium est omnipotẽtiæ Dei, fol. 266. Vitia augeri solent pace diuturna, fol. 282. Inueterata in aliquo vitio consuetudo facilè trahit hominem in perditionem, fol. 371. Vitijs seruire, & laboribus angi miserrimum, fol. 581.

Vitrum.

Vitrum flexibile sub Tyberio factum, fol. 181. Vitro ludibria oculorum multiplicanti similia bona terrena, fol. 168.

Vltor.

Vltor iniuriarum nostrarum Deus, folio. 112.

Vnitas, Vnus.

Vni collata beneficia pereunt, pluribus congesta perẽnant, fol. 6. Vnitas quidquid vult, assequitur, fol. 176.

Vocatio.

Vocationi Dei pulsantis illicò assurgamus, neq; enim semper adest, fol. 259. Vocationes Dei momento præeunt, ibi. Vocem Dei diligentissimè audi, folio. 260.

Voluptas.

In quibus voluptatem capiebamus, in eisdem torquebimur, fol. 47. Voluptatum amor Iouem indignũ subire coegit, fo. 82. Voluptas carnalis omnem pudorẽ ab animo exclusit, fol. 152. Voluptas nulla in rebus carnali affectu partis, folio. 168. Voluptas ex rebus cœlestibus diutissimè durat, ibi. Voluptates mundi laboriosæ sunt diuinam suauitatem expertes, fol. 221. Voluptatum victores glorioſissimum triumphum agunt, fol. 272. Voluptates carnis facilius superantur, vbi corporum resurrectio memoriæ commendatur, fol. 353. Voluptates peccatorum non minori pœna puniuntur, fol. 403. Voluptates humanæ non valent implere humana corda, fol. 419. Virtutis præstantissimæ augmentum, ardores voluptatum superare, fol. 272. Voluptati non seruiendum, sed necessitati, fol. 428.

Votum.

Vota hominum ipsa adimpletione puniuntur, fol. 129.

Vox.

Vox sine operibus proxima occasui, fol. 116.

Vtilitas.

Vtilitas summa homini, de Deo cogitare, folio. 112. Magna vtilitas hominum est, Deum præ oculis habere, fol. 300.

Vulnera.

Vulnera Christi fossa, in qua à Dei ira abscondimur, fol. 137. Per vulnera Christi ad omnia eius bona introducimur, fol. 165. Qui vulneribus Christi adhæret, nullius eget, fol. 166. Vulnera Christi foramina, per quæ in cœlum ingredimur, ibi.

Vxor.

Vxoris bona ab omni spoliatione leges liberant, fol. 103.

FINIS.

VALLISOLETI.

Excudebat Ioannes Lassus a Peñas.

Anno Incarnationis Domini.

M. DC. XXXI.

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL
PALENCIA

resistir a ella, mira las letras de la S.E.N.S.V.A.L.I.D.A.D. y vete al A.B.C. de la passion, y di: Tengo yo de ofender por vn gusto breue y torpe, al que sudò sangre por mi? Que ha de parecer Christo sudando sangre, y yo en gustos torpes? Tengo yo de ofender al que fue por mi escarnecido, por vna hora de gusto perder el fruto de aquellos escarnios? Tengo yo de ofender por mi gusto al que padecio la negacion de su Apostol Pedro? Pe- [illegible] mento que se le representò, y llorò tanto su culpa? Si yo le

Puerta de la luz.

V Por la venta que padecistes. Dadme, &c.

2 Esta es la Letania, mira si es poco eficaz, y si serà buena deuocion cada dia, que no te costarà mas que saber el A.B.C. Y como aqui pongo exemplo en pedir buena muerte, puedes pedir lo que quisieres, y particularmente te valdras della en los peligros apretados, pidiendo a Dios socorro, que hallaràs sin duda lo que te conuiniere en ellos.

3 Iten, si quieres pedir al Padre Eterno, puedes pedir por los açotes de su Hijo, [illegible] las bofetadas de su Hijo, &c. Y assi discurrir por todo el A.B.

B.C. sea trabajo, ni injuria, q̃ sea injuria respeto deste A.B.C. Viene la enfermedad, q̃ tiene que ver cõ la Cruz de Christo? Quitate la honra el enemigo, que tiene que ver cõ las bofetadas que le dieron a Christo haziendo burla del, pues dize san Iuan 19. que los Iudios vistieron de purpura a Christo, y haziendo burla llegauan a el, y dezian: *Aue Rex Iudæorum, & dabant ei alapas.* Viua el Rey de los Iudios, y dauanle bofetadas, por entretenerse. Puede llegar la injuria q̃ recebiste a este punto? Mira pues todos tus trabajos, y todas las injurias que padeces.

Puerta de la luz. 110

Cap. XXIII. Sirue este A.B.C. de la passion para Letanias, y deprecaciones.

1 ES prouecho este de importancia, porque sin q̃ te cueste trabajo, sabido vna vez el A.B.C. puedes hazer deprecacion, y que te sirua de Letania todos los dias, y serà sin duda de grande eficacia si la vsas de coraçon, y con la deuocion y atencion que es razon. Si quieres pedir buena muerte, hablando con Iesu Christo nuestro Señor iràs discurriendo por el A.B.C. Señor mio Iesu Christo.

Puerta de la luz. 111

tanquam ad latronem existis comprehendere me, y me quexo que el juez no me respete? Christo coronado de espinas, y yo busco flores? Christo sin razon tratado con tãto rigor, y quexome yo que el Prelado me mire con alguna mesura? Christo sudando sangre, yo me quexo porq̃ sudo agua? Christo triste, y yo tengo de estar siempre contento? Christo vendido por su Apostol Iudas, y yo me quexo que aya traidores? Vès aqui todo el A.B.C. no se quien no tendra paciencia, y perdonarà si assi discurre.

A.B.C. Si quieres pedir al Espiritu Santo, pidele por los açotes del Hijo de Dios, por las bofetadas del Hijo de Dios, y discurre por el A.B.C. Si quieres pedir a la Virgen santissima, pidele por los açotes de su Hijo, por las bofetadas de su Hijo, y caminar por todo el A.B.C. Si quieres pedir a vn Sãto el que quisieres, pidele por los açotes d̃ su anado, por las bofetadas de su anado, y di todo el A.B.C. y assi sirue este A.B.C. para pedir a todos.

4 Y parecerà grã deuociõ cada dia pedir primero al Padre Eterno por estos passos de su Hijo, diziendo: Padre Eterno por

Puerta de la luz.

Capitul. XXI. Por este A.B.C. halla el alma en el mismo pecado motiuos para no pecar, y para llorar si ha pecado muy de coraçon.

1 ES grande prouecho deste A.B.C. hallar en el mismo pecado miradas las letras de su nombre motiuos para no pecar: y si has pecado, motiuos para llorar el pecado. Lo que se dixere de vn pecado [illegible] nombre, y todos los nombres se componen de letras del A.B.C. Pongo exẽplo en vna [illegible] acion de sensualidad para resis-

B
90
Bacca in Bi
2.973